SUMMA
THEOLOGICA
SCHOLASTICA
ET
MORALIS
IN QVATUOR PARTES DISTRIBUTA
PARS SECUNDA.

SUMMÆ THEOLOGICÆ SCHOLASTICÆ ET MORALIS

IN QVATUOR PARTES DISTRIBUTÆ

PARS SECUNDA.

In qua de Vltimo Fine ac Beatitudine hominis, nec non Suppliciis alterius vitæ, de libero Arbitrio, Actibus humanis & Peccatis, de Legibus, Privilegiis ac Pœnis ſeu Cenſuris Eccleſiaſticis, denique de Gratia, Juſtificatione & Merito ſuccinctè & dilucidè tractatur.

AUCTORE

F. GVILIELMO HERINCX Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovanienſi S. Theologiæ Lectore Iubilato.

Ad Reverendiſſimum Patrem F. MICHAELEM ANGELUM DE SAMBUCA Totius Ordinis Fratrum Minorum S. FRANCISCI Miniſtrum Generalem.



ANTVERPIÆ,

Apud PETRUM BELLERUM.

M. DC. LX.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

F. MICHAELI ANGELO DE SAMBUCA

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI MINISTRO GENERALI.

REVERENDISSIME PATER

Primæ Parti Summæ Theologicæ, ante aliquot menſes perfectæ, ac R.MÆ P. V.Æ oblatæ, ordinatè adjeci hanc ſecundam Partem, labore non modico & divino favore nunc ad finem perductam. In qua, utì & in Parte præcedenti, ſolùm Deum & publicam utilitatem ſpectans, ſtudui non in contentione & æmulatione, ſed in ſpiritu pacis quærere & invenire veritatem, quà fidem Romanam & Orthodoxam,

quà mores Chriſtianos ſpectat: ideoque ex ipſis fontibus Scripturæ, Decretalium, Conciliorum, Patrum & Doctorum conatus fui, quantum Deus donavit, haurire & aliis propinare bibendas limpidæ veritatis aquas, ac in dubiis quod veritati affinius videretur: cùm tamen ſive Librariorum incuriâ, ſive difficultatum in ipſis fontibus perſcrutandis vitandarum occaſione, ſive eorumdem non recto intellectu, frequenter ipſi non in ſua genuina puritate palato legentium propinentur. Mercedem verò aliam non expecto, niſi Deum. Plurimùm tamen ſtimularunt me Superiorum, præſertim R.MÆ P. V.Æ Adhortationes; quas velut mandata meritò excipit religioſa mens ſubditi. Nunc hanc rurſum Partem R.MÆ P. V.Æ, etſi jam antè in genere oblatam, ſpecialiter dedicatum eo, iiſdem ferè titulis, quibus Partem præcedentem jure paterno debitam in Epiſtola præliminari conſecravi. Fove, protege, defende REVERENDISSIME PATER Filium cum fetu novello. Oblationem Filii acceptam faciat affectus, quo exhibetur: qui ſanè obſervantiæ ac obedientiæ erga REVERENDISSIMAM PATERNITATEM VESTRAM plenus eſt. Nolo hîc præconem agere virtutum ac omnigenorum religioſiſsimi animi tui ornamentorum: quòd ſciam REVERENDISSIMAM PATERNITATEM VESTRAM non laudibus,

bus, ſed laudabilibus operibus delectari, malleque laudabilem eſſe, quàm apparere. Attamen Generalem tanti Gregis, totius, inquam, Ordinis S. Francisci Miniſtrum officio & dignâ executione appellabo: & prædicavi ſatìs. Reliquum eſt, ut favente ac à nobis jugiter poſtulandâ divinâ gratiâ, Gregi tuo, utì præeſſe, ſic prodeſſe pergas. Ita vovet

Lovanii pridie Calendas Decembris An. 1659.

Reverendissimæ Paternitatis Vestræ

Humillimus Filius

F. GVILIELMUS HERINCX.

MANDATUM
MINISTRI
GENERALIS.

FRater Michael Angelus de Sambuca Totius Ordinis S. Francisci Miniſter & Servus, Dilecto in Chriſto Patri Fratri Gvilielmo Herincx S. Theologiæ Lectori Iubilato ſalutem.

Veſtrum in nos affectum, veſtrumque in componenda *Summa Theologica* laborem magnifacimus. Ejuſdem dedicationem nobis offert; & acceptamus. Iuſtum enim eſt veſtro filiali obſequio condeſcendere, veſtriſque votis annuere. Et quia in Religionis decus, Studioſorumque profectum prælibatæ *Summa Theologica* impreſſionem credimus redundaturam; Veſtræ Paternitati ad majus Obedientiæ meritum mandamus, ut ipſam typis mandet, ſecura de veſtro condigno præmio, noſtrâque benevolentiâ. Valeat Paternitas Veſtra, pro nobis Deum exoratura. Datum Romæ in noſtro Conventu Aræ Cæli die octavâ menſis Martii, Anno 1659.

F. Michael Angelus
de Sambuca
Miniſter Generalis.

MANDA-

MANDATUM COMMISSARII GENERALIS.

FRater IACOBUS DE RIDDERE Ordinis S. FRANCISCI Regularis ac Strictioris Obſervantiæ ſuper Provincias Germaniæ ſuperioris, Belgii, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, cum plenitudine poteſtatis in utroque foro Commiſſarius Generalis, Venerando Admodum Patri Fratri GVILIELMO HERINCX ejuſdem Ordinis, ac Provinciæ noſtræ inferioris Germaniæ S. Theologiæ Lectori Iubilato Salutem ac pacem in Domino ſempiternam.

QUàmvis nemini poſſit eſſe dubium, quin ſcriptio Dictatorum, ex ore Profeſſorum hactenus in Univerſitatibus & Religionibus (per Belgium præſertim) uſitata, ſuas habeat utilitates, eaſque non modicas: tum ut Profeſſores propria principia & ſententias ſuas meliùs exprimant; tum ut Diſcipuli inter ſcribendum attentiùs ruminent, atque tenaciùs imprimant memoriæ. Experientiâ tamen magiſtrâ didicimus eam non modica inconvenientia ſecum adferre, præſertim in Ordine noſtro Seraphico: dum Studioſi vigiliis, jejuniis, ciborum ac veſtimentorum groſſitie, aliiſque Ordinis aſperitatibus, pluſquam ſatis debilitati, moleſtâ adhuc ſcriptione ita exhauriunt vires, ut magna eorum pars, antequam ſtudia abſolvat, detrita quodammodo videatur, atque ad Ordinis ſervitia, ac proximorum ſalutem procurandam, propemodùm inveniatur inidonea. Quibus accedit, quòd divina Officia in Choro (à quibus Studioſi ex toto eximi non poſſunt) aliaque à Tyronibus in Ordine præſtanda ſervitia & exercitia tantum temporis abſumant, ut vix modicum reſtet ſtudiis neceſſariis impendendum.

Quamobrem alma hæc noſtra Provincia inferioris Germaniæ, aliæque plures Provinciæ vicinæ diu, multumque deſideraverunt edi Curſum aliquem Theologicum ſubſtantioſum & dilucidum, in quo relictis tricis & quæſtionibus minùs utilibus, ſolique exercitio ingeniorum deſervientibus, materiæ utiliores & neceſſariæ, quantâ fieri poſſet brevitate & ſoliditate tractarentur. Tandemque in Capitulo noſtro Provinciali hoc Anno 1658. Ianuarii 13. Mechliniæ celebrato, Reverendi Patres Definitorii judicarunt Reverentiam Veſtram tam

bono ac utili Operi applicandam. Quorum conſilio & reſolutioni inſiſtens, Tibi, de cujus doctrina, ſufficientia, ac prompta voluntate plenam in Domino confidentiam habemus, commendandum duximus & injungendum, prout in meritum *Obedientiæ* injungimus per præſentes, quatenus, quantâ fieri potuerit celeritate Curſum Theologicum diu (ut diximus) deſideratum componas & abſolvas, qui in Lectorum & Studioſorum levamen, & ad majorem fructum in ſcholis prælegi poſſit. Datum Mechliniæ 17. Ianuarii Anno 1658. ſub meo Chyrographo, Officiique ſigillo majori.

Locus ſigilli

F. Iacobus de Riddere

Commiſſarius Generalis

CENSURA

Ordinarii.

HÆc *Pars ſecunda Summæ Theologicæ Scholaſticæ & Moralis* Auctore Reverendo Admodum & Eruditiſſimo Patre Fratre Guilielmo Herincx Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Lovanii S. Theologiæ Lectore Iubilato lucem publicam meretur, tam iiſdem titulis quibus prima Pars ejuſdem (cui hæc eruditione, doctrinæ ſanitate, ſtyli brevitate & claritate, ingenii ſubtilitate gemina eſt) quàm quia deſignatâ hîc verâ hominis beatitudine, veris greſſibus ad illam ducit, & facem, diſcuſſis errorum tenebris, præferens, Orthodoxæ fidei amatoribus prælucet. Datum Lovanii hac 30. Novembris, Anno 1569.

Antonius Dave *S. Theologiæ Doctor ac Profeſſor Regius & Primarius, nec non Librorum Cenſor Apoſtolicus & Archiepiſc. Mechlin.*

APPRO-

APPROBATIO
Theologorum Ordinis.

V. A.P. Guilielmus Herincx Ordinis FF. Minorum Reg. Obſ. in Academia Lovanienſi S. Theologiæ Lector Iubilatus in *ſecunda Summæ Theologicæ Parte*, de Beatitudine & ſtatu hominis poſt hanc vitam, Libero arbitrio, Actibus humanis, Peccatis, Legibus, Gratiâ, Iuſtificatione & Merito non ſolùm Orthodoxæ fidei Chriſtianiſque moribus nihil habet repugnans; verùm & illam contra ipſius Adverſarios tam fortiter ac ſtrenuè propugnat, & horum principia & regulas tam ſolidis aſſertionibus, nervoſis probationibus & claris adverſorum argumentorum ſolutionibus dilucidâ brevitate tradit, ut eam non ſolùm Ordini noſtro Seraphico utì utiliſſimam, ita deſideratiſſimam, ſed cuivis etiam Theologo confidamus fore gratiſſimam: unde eam non ſolùm tutò typis mandari poſſe, ſed & oportere cenſuimus. Datum Lovanii in Conventu noſtro Fratrum Minorum Reg. Obſ. die ultimâ Novembris Anno 1659.

F. Adrianus vanden Perre. *Ord. FF. Min. S. T. Lector.*

F. Iosephus Duyselius *Ord. FF. Min. S. Theol. Lector.*

F. Cosmas Meersmans *Ord. FF. Min. S. Theol. Lector.*

FACULTAS
Superiorum.

Viſis laudabilibus teſtimoniis Cenſoris Librorum, & Patrum Lectorum noſtrorum ſuper *ſecunda Parte Summæ Theologicæ ſcholaſticæ & moralis* Ven.di Amodum Patris Fratris Guilielmi Herincx S. Theologiæ Lectoris Iubilati, ut eamdem typis divulget non ſolùm facultatem concedimus, ſed etiam mandamus; confidentes eamdem gratam & proficuam fore omnibus ſolidæ doctrinæ, ac veritatis ſinceris amatoribus. Datum Bruxellæ in Conventu noſtro FF. Minorum Regularis Obſervantiæ die primâ menſis Decembris Anno Domini 1659.

F. SIMON IORDENS
Vicarius Provincialis.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM

Super impreſſione librorum Auctorum Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ.

PRIVILEGIO CÆSAREÆ MA^TIS. cautum eſt: Ne quis per Univerſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intrà Sacri Imperii, Regnorumque ac dominiorum hereditariorum DOMUS AUSTRIACÆ adducat, vendat, vel diſtrahat abſque conſenſu & facultate eorundem Patrum ſub pœna Confiſcationis Librorum & mulctâ viginti marcharum auri puri. Ita Sancitum & Decretum in Civitate Ratiſponenſi pridiè nonas Decembris Anno 1636. *Signatum.*

FERDINANDVS

Infrà:

Ad mandatum S. Cæſ. Ma^tis. proprium
IOANNES WALDERODE

A latere: P. H. A STRALENDORFF.

FACULTAS

Commiſſarii Generalis.

VIrtute Privilegii S. CÆSAREÆ MA^TIS. ſuper impreſſione & diſtractione librorum per Fratres Minores Regularis aut Strictioris Obſervantiæ conceſſi, facultatem facio PETRO BELLERO Typographo Antverpienſi, ut imprimat ac diſtrahat 1^am. & 2^am. Partem *Summæ Theologicæ Scholaſticæ & Moralis &c.* Auctore Venerando admodum Patre F. GVILIELMO HERINCX Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ noſtræ Inferioris Germaniæ Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, cum plenario uſu Privilegii Cæſarei præfati; idque pro prima illius editione. Actum Mechliniæ in Conventu noſtro Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ die 29. Aprilis, Anno 1659. ſub noſtra Signatura Officiique ſigillo minori.

F. ANTONIUS AB OUDENHOVEN
Commiſſarius Generalis Germaniæ, Belgii &c. cum annexis.

PRIVI-

PRIVILEGIUM
Regis Hiſpaniarum.

PHILIPPI IV. Regis Hiſpaniarum &c. Privilegio cautum eſt, ne quis *Summam Theologicam, Scholaſticam & Moralem Auctore* F. Gvilielmo Herincx *Ordinis FF. Minorum S. Theologiæ Lectore Jubilato* in toto vel in parte, conjunctim vel diviſim imprimat, aut alibi impreſſam in haſce Ditiones importet, retineat vel divendat, præter Typographum Iuratum ab eodem Auctore deligendum; idque ſub pœna confiſcationis & amiſſionis librorum, & inſuper aliâ gravi mulctâ; ut latiùs patet in Litteris patentibus deſuper Bruxellæ in ſupremo Conſilio Brabantiæ expeditis die 15. Maii, Anno 1659. De more ſigillatis & ſignatis.

Loyens.

Virtute Privilegii ſupradicti facultatem concedo Petro Bellero *Antuerpienſi Typographo jurato* imprimendi & diſtrahendi *Secundam Partem Summæ Theologicæ Scholaſticæ & Moralis* per me compoſitæ; idque pro prima Editione. Datum Antuerpiæ in Conventu FF. Minorum die 4. Decembris Anno 1659.

F. GVILIELMUS HERINCX.

INDEX ET ORDO TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET PARAGRAPHORUM, QVÆ IN HAC SECUNDA PARTE TRACTANTUR.

TRACTATUS I. DE ULTIMO FINE, SEU BEATITUDINE HOMINIS ET MISERIIS ſeu ſuppliciis alterius vitæ.

DISPVTATIO I.

De ultimo Fine ſeu Beatitudine objectiva. pag.3.

QUÆSTIO I. *An Deus ſit Finis univerſalis & ultimus omnis creaturæ.* ibid.
QUÆST. II. *An Deus ſit ultimus finis ab homine intendendus & conſequendus.* pag.5.
QUÆST. III. *An Appetitus Beatitudinis ſit homini naturalis.* pag.7.
QUÆST. IV. *An homo omnia neceſſario appetat propter ultimum finem.* pag.9.
QUÆST. V. *An idem homo poßit intendere plures fines ultimos.* pag.11.

DISPVTATIO II.

De Beatitudine formali. pag.12.

QUÆSTIO I. *An beatitudo formalis conſiſtat in increata viſione & fruitione Dei hominibus communicatâ.* pag.13.
QUÆST. II. *An Beatitudo formalis conſiſtat in illapſu, vel aliquo habitu, an verò in operatione.* pag.14.
QUÆST. III. *An operatio beatifica debeat produci ab ipſo Beato.* pag.15.
QUÆST. IV. *An formalis beatitudo conſiſtat in operatione intellectûs, an verò voluntatis.* pag.17.
QUÆST. V. *De Gaudio ſeu Delectatione Beatorum.* pag.20.
QUÆST. VI. *De Dotibus animarum Beatorum.* pag.23.
QUÆST. VII. *De Aureolis Beatorum.* ibid.
QUÆST. VIII. *De Perpetuitate & Securitate Beatorum.* 25.
QUÆST. IX. *De Impeccabilitate Beatorum.* 26.
QUÆST. X. *An animæ Sanctorum ſint beatæ ante communem corporum reſurrectionem* pag.29.

DISPVTATIO III.

De Reſurrectione & Beatitudine Corporum. pag.34.

QUÆSTIO I. *De Reſurrectione Corporum.* ibid.
QUÆST. II. *An Mortui reſurgent in eodem ſeu proprio corpore, & quali.* 38.
QUÆST. III. *De Impaßibilitate Beatorum.* pag.41.
QUÆST. IV. *De Claritate Beatorum.* 42.
QUÆST. V. *De Agilitate Beatorum.* 44.
QUÆST. VI. *De Subtilitate Beatorum.* 45.
QUÆST. VII. *An Beati reſumptis corporibus ſint habituri operationes ſenſuum.* 46.

DIS-

INDEX TRACTATUUM.

DISPVTATIO IV.

De Damnatione & Pœnis peccatorum poſt hanc vitam. pag. 48.

QUÆSTIO I. *De ſubterraneis animarum Receptaculis.* ibid.
QUÆST. II. *An dentur poſt hanc vitam pœnæ temporales ſeu Purgatorii.* 50.
QUÆST. III. *Qualis, quanta, quàm diuturna ſit pœna purgatorii: & an ibidem ſint impeccabiles ac ſecuræ de ſalute.* 52.
QUÆST. IV. *An pœna infernalis incipiat à morte, ſitq; æterna.* 55.
QUÆST. V. *Qualis ſit pœna damnatorum.* 58.

TRACTATUS II.
DE
LIBERO ARBITRIO, ACTIBUS HUMANIS ET PECCATIS.

DISPVTATIO I.

De Voluntario & Involuntario. pag. 62.

QUÆSTIO I. *De Voluntario.* ibid.
QUÆST. II. *An Violentia cauſet involuntarium, eaq; poſſit voluntati inferri.* 65.
QUÆST. III. *An Metus cauſet Involuntarium.* 66.
QUÆST. IV. *An Concupiſcentia cauſet involuntarium.* 67.
QUÆST. V. *An Ignorantia cauſet involuntarium.* 68.

DISPVTATIO II.

De Libertate Actuum humanorum. pag. 70.

QUÆSTIO I. *An homo, etiam lapſus, ſit præditus libero arbitrio.* ibid.
QUÆST. II. *Qualem indifferentiam agendi & non agendi exigat libertas.* 78.
QUÆST. III. *An liberum Arbitrium ſit potentia, & qualis, & an debeat activè ſpectari.* 81.
QUÆST. IV. *Qualiter liberum arbitrium prærequirat cognitionem intellectivam.* 83.
QUÆST. V. *Qualiter liberum arbitrium moveatur ab appetitu ſenſitivo ſive concupiſcentiâ.* 86.
QUÆST. VI. *Quomodo moveatur liberum arbitrium ab objecto, Deo, Angelis & Aſtris.* 88.
QUÆST. VII. *De Actibus Elicitis liberi arbitrii.* 90.
QUÆST. VIII. *De Actibus à voluntate ſeu libero arbitrio imperatis.* 94.

DISPVTATIO III.

De Bonitate & Malitia Actuum humanorum. pag. 96.

QUÆSTIO I. *Quid ſit bonitas & malitia moralis.* ibid.
QUÆST. II. *An Bonitas & Malitia ſint differentiæ eſſentiales Actuum humanorum.* 98.
QUÆST. III. *An eidem Actui poſſit ſimul vel ſucceſſivè competere bonitas & malitia.* 99.
QUÆST. IV. *An omnis actus humanus ſit bonus vel malus, ſive an detur actus indifferens.* 101.
QUÆST. V. *An bonitas & militia primariò & formaliter competat actui interiori, an verò exteriori.* 103.
QUÆST. VI. *An actus externus ſuperaddat interno formalem bonitatem vel malitiam.* 105.
QUÆST. VII. *An & quâ ratione bonitas & malitia deſumatur ex objecto.* 108.
QUÆST. VIII. *An & quomodo bonitas & malitia deſumatur ex circumſtantiis.* 110.
QUÆST. IX. *Quomodo ſingulæ circumſtantiæ tribuant actui humano bonitatem vel malitiam.* 112
§. I. *De Circumſtantia Quis.* ibid
§. II. *De Circumſtantia Quid.* 113.
§. III. *De Circumſtantia Ubi.* 114.

§. IV. *De Circumſtantiis Quando & Quomodo.* pag. 115.
§. V. *De Circumſtantiis Cur, & quibus Auxiliis.* ibid.
QUÆST. X. *An & quomodo bonitas moralis dependeat à conformitate cum voluntate divina.* pag. 118.

DISPUTATIO IV.

De Conſcientia, quæ eſt proxima regula Actuum humanorum. pag. 121.

QUÆSTIO I. *Quid & Quotuplex ſit Conſcientia.* ibid.
QUÆST. II. *De Conſcientia Erronea.* pag. 123.
QUÆST. III. *De Conſcientia probabili ſeu opinante.* pag. 127.
QUÆST. IV. *De Conſcientia Dubia.* pag. 130.
QUÆST. V. *De Conſcientia Scrupuloſa.* paginâ 135.

DISPUTATIO V.

De Peccato in Communi, ejuſque Diviſionibus. pag. 137.

QUÆSTIO I. *Quid ſit Peccatum.* ibid.
QUÆST. II. *An omne peccatum ſit contra naturam.* pag. 140.
QUÆST. III. *Quodnam ſit ſubjectum peccati.* pag. 141.
QUÆST. IV. *Quæ ſit cauſa peccati.* p. 145.
QUÆST. V. *Qui ſint Effectus peccati.* paginâ 146.
QUÆST. VI. *De Diſtinctione ſpecifica peccatorum.* pag. 150.
QUÆST. VII. *De Diſtinctione numerica peccatorum.* pag. 152.
QUÆST. VIII. *De Inæqualitate peccatorum.* pag. 156.
QUÆST. IX. *De Diviſionibus peccati.* 157.
QUÆST. X. *De peccato Commiſſionis & Omiſſionis in ſpeciali.* pag. 159.

DISPUTATIO VI.

De Peccato Originali. pag. 162.

QUÆST. I. *An detur peccatum Originale.* ibidem.
QUÆST. II. *Quid ſit peccatum Originale.* pag. 165.
QUÆST. III. *Quomodo peccatum Originale traducatur.* pag. 168.
QUÆST. IV. *An B. Virgo Deipara contraxerit Originale peccatum.* pag. 170.
§. I. *Proponitur ſtatus Quæſtionis, Mens SS. Thomæ ac Bonaventuræ, ac decreta Eccleſiæ.* ibidem.
§. II. *Oſtenditur B. Virginem fuiſſe immunem à peccato Originali.* pag. 173.
§. III. *An B. Virgo habuerit debitum contrahendi maculam Originalis peccati.* p. 178.
QUÆST. V. *Quæ ſint pœnæ peccati Originalis in hac vita.* pag. 179.
QUÆST. VI. *Quæ ſint pœnæ peccati Originalis poſt hanc vitam.* pag. 180.

DISPUTATIO VII.

De Peccato Mortali & Veniali. pag. 185.

QUÆSTIO I. *An dentur aliqua peccata mortalia, aliqua venialia, & quod ſit inter illa diſcrimen.* ibid.
QUÆST. II. *An malitia peccati mortalis ſit infinita.* pag. 189.
QUÆST. III. *An ad peccandum mortaliter ſufficiat conſenſus conditionatus.* pag. 191.
QUÆST. IV. *An peccatum mortale reperiri poſſit in ſimplici complacentia ſeu moroſa delectatione.* pag. 192.
QUÆST. V. *Qualiter ad peccatum mortale requiratur conſenſus perfectus, ſive perfecta deliberatio.* pag. 196.
QUÆST. VI. *An ad peccatum mortale requiratur gravis materia, & qualiter hæc ſit æſtimanda.* pag. 197.
QUÆST. VII. *Quomodo Veniale tranſeat in Mortale ratione finis vel contemptûs.* p. 201.
QUÆST. VIII. *Quomodo Opus veniale fiat mortale ratione periculi.* pag. 203.
QUÆST IX. *Quomodo opus veniale vel indifferens vel alioquin bonum fiat mortale ratione Scandali.* pag. 205.
§. I. *Quid & Quotuplex ſit Scandalum.* ibid.
§. II. *An Scandalum ſit peccatum, & quando contineat ſpecialem malitiam etiam contra charitatem.* pag. 206.
§. III. *Reſponſio ad Quæſtionem principalem.* pag. 210.
QUÆST. X. *An peccatum Veniale poſſit inveniri cum ſolo Originali.* pag. 212.
QUÆST. XI. *An omnis capax venialis, ſit capax mortalis peccati.* pag. 213.
QUÆST. XII. *De Pœna peccati Mortalis & Venialis.* pag. 214.

TRA-

INDEX TRACTATUUM.

TRACTATUS III.
DE
LEGIBUS PRIVILEGIIS
ET
POENIS ECCLESIASTICIS.

DISPVTATIO I.

De Lege in communi, & de Lege naturæ in particulari. pag. 217.

QUÆSTIO I. *Quid ſit Lex.* ibid.

QUÆST. II. *In quo reperiatur ratio legis.* pag. 220.

QUÆST. III. *De Cauſis, Effectibus & Diviſionibus legis.* pag. 221.

QUÆST. IV. *Quid & quotuplex ſit lex naturalis.* pag. 222.

QUÆST. V. *Quæ ſit materia legis naturalis.* pag. 224.

QUÆST. VI. *An lex naturæ ſit immutabilis.* pag. 226.

DISPVTATIO II.

De Lege Divina poſitiva. p. 229.

QUÆSTIO I. *An Lex vetus fuerit bona.* pag. 230.

QUÆST. II. *An, Qualiter, & Quos Lex vetus obligaverit.* pag. 231.

QUÆST. III. *An & quando Lex vetus ceſſaverit.* pag. 233.

QUÆST. IV. *An uſus legalium in Lege nova aliquando licuerit.* pag. 235.

QUÆST. V. *De Lege nova ſive Evangelica.* pag. 237.

QUÆST. VI. *De Comparatione legis novæ ad veterem.* pag. 240.

DISPVTATIO III.

De Lege humana tam Civili quam Eccleſiaſtica. pag. 241.

QUÆSTIO I. *Quid Lex humana, & quomodo dividatur.* ibid.

§. I. *Deſcriptio legis humanæ, ejuſque diviſio in Civilem & Eccleſiaſticam.* ibid.

§. II. *De Jure Gentium.* ibid.

§. III. *De Diviſionibus legis Civilis.* pag. 242.

§. IV. *De Jure Cæſareo ſeu Communi ejuſque partibus.* pag. 243.

§. V. *De Jure Canonico, ejuſque partibus.* pag. 244.

QUÆST. II. *An ſit in hominibus poteſtas condendi leges.* pag. 245.

QUÆST. III. *Penes quos reſideat poteſtas legiſlativa Civilis.* pag. 249.

QUÆST. IV. *Penes quos reſideat poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica.* pag. 251.

QUÆST. V. *Quomodo poteſtas legiſlativa Civilis diſtinguatur ab Eccleſiaſtica.* p. 254.

QUÆST. VI. *An Conſuetudo poſſit inducere legem.* pag. 255.

QUÆST. VII. *Quæ ſit materia legis humanæ.* pag. 257.

QUÆST. VIII. *An ſub legem humanam cadant actus interni.* pag. 261.

QUÆST. IX. *Qualis promulgatio requiratur ad legem humanam.* pag. 263.

QUÆST. X. *An ad formam legis humanæ requiratur acceptatio populi.* pag. 266.

QUÆST. XI. *Quinam ſubjiciantur legibus humanis.* pag. 269.

§. I. *De Principe ſeu legiſlatore.* ibid.

§. II. *De Infidelibus, Pueris, Amentibus, Ebriis, &c.* pag. 270.

§. III. *De Indigenis quoad leges proprii Territorii, dum extra illud ſunt.* pag. 271.

§. IV. *De Advenis ſeu Peregrinis, quoad leges loci, in quo morantur.* pag. 272.

§. V. *De Clericis & Religioſis.* pag. 273.

QUÆST. XII. *De Obligatione legis humanæ in Conſcientia.* pag. 276.

QUÆST. XIII. *An lex humana obliget cum periculo vitæ.* pag. 281.

QUÆST. XIV. *De legis humanæ Interpretatione.* pag. 283.

QUÆST. XV. *Qualiter in legem humanam cadat Epykia.* pag. 285.

QUÆST. XVI. *De Ceſſatione ſeu Mutatione legis humanæ.* pag. 286.

§. I.

§. I. *Quomodo Lex ceſſet ob ceſſationem finis.* ibid.
§. II. *De Mutatione legis humanæ per revocationem ſive abrogationem Superioris.* p.288.
§. III. *De Mutatione legis per conſuetudinem.* pag.289.

DISPVTATIO IV.

De Diſpenſationibus & Privilegiis ſeu Lege favorabili. pag.291.

QUÆSTIO I. *Quid ſit Diſpenſatio, & quam cauſam poſtulet.* ibid.
QUÆST. II. *Penes quos reſideat poteſtas diſpenſandi.* pag.295.
QUÆST. III. *Quomodo Diſpenſatio ſit invalida ob errorem vel metum.* pag.299.
QUÆST. IV. *Quid & Quotuplex ſit Privilegium, item à quo, & cui concedi poſſit.* p. 303.
QUÆST. V. *Quæ forma Privilegii, & quando obtineat effectum.* p.305.
QUÆST. VI. *De Communicatione & Confirmatione Privilegiorum, præſertim Regularibus conceſſorum.* p. 307.
QUÆST. VII. *De Interpretatione Privilegiorum.* p. 310.
QUÆST. VIII. *De Ceſſatione ſeu interitu Privilegii.* p. 312.

DISPVTATIO V.

De Lege Pœnali & Irritante. pag. 315.

QUÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit Lex pœnalis.* ibid.
QUÆST. II. *Ad quid obliget Lex pœnalis ante Iudicis ſententiam.* pag.317.
QUÆST. III. *Ad quid obliget Lex pœnalis poſt Iudicis ſententiam.* p. 319.
QUÆST. IV. *An ignorantia excuſet à pœnâ legis humanæ.* p.321.
QUÆST. V. *De Lege Irritante.* p. 323.

DISPUTATIO VI.

De Cenſuris Eccleſiaſticis & Irregularitate. pag.325.

QUÆSTIO I. *De Cenſuris in genere.* ibid.
§. I. *Quid ſit Cenſura, & quotuplex.* ibid.
§. II. *An & penes quos ſit poteſtas ferendi cenſuras.* pag.326.
§. III. *In quos, ob quam cauſam, & quâ formâ ſit ferenda cenſura.* p. 327.
QUÆST. II. *De Excommunicatione.* p.329.
§. I. *Quid ſit Excommunicatio, & quotuplex.* ibidem.
§. II. *De Effectibus Excommunicationis minoris.* ibid.
§. III. *Qualiter Excommunicatio major privet communione civili fidelium.* pag.330.
§. IV. *Qualiter Excommunicatio major privet ſuffragiis Eccleſiæ.* pag.331.
§. V. *Qualiter Excommunicatio major privet receptione Sacramentorum.* p.332.
§. VI. *Qualiter privet Excommunicatio major adminiſtratione Sacramentorum.* ibid.
§. VII. *Qualiter Excommunicatio impediat à celebrando.* ibid.
§. VIII. *Qualiter Excommunicatio major privet divinis officiis.* ibid.
§. IX. *Qualiter Excommunicatio privet Eccleſiaſticâ ſepulturâ.* p.333.
§. X. *Quomodo privet Excommunicatio uſu juriſdictionis.* p. 334.
§. XI. *Quomodo Excommunicatio arceat à beneficiis eorumq́ fructibus.* ibid.
§. XII. *Quomodo Excommunicatio removeat ab actionibus forenſibus.* p.335.
§. XIII. *Quis poſſit abſolvere ab Excommunicatione.* ibid.
§. XIV. *De variis Excommunicationibus in particulari.* pag. 337.
QUÆST. III. *De Suſpenſione.* pag.339.
§. I. *Quid & quotuplex Suſpenſio.* ibid.
§. II. *Quæ forma, & qui Effectus Suſpenſionis.* p.340.
§. III. *Qualiter impediatur & tollatur Suſpenſio.* p.341.
QUÆST. IV. *De Interdicto.* p.342.
§. I. *Quid Interdictum, & quæ diſcrimina inter varias Interdicti ſpecies.* ibid.
§. II. *Qui ſint Effectus Interdicti.* p.343.
§. III. *Quod peccatum & quæ pœna violantium Interdictum.* p.346.
§. IV. *Qualiter ceſſet Interdictum.* p.347.
QUÆST. V. *De Ceſſatione à Divinis.* p.348.
QUÆST. VI. *De Degradatione ſeu Depoſitione.* ibid.
QUÆST. VII. *De Irregularitate.* pag.349.
§. I. *Quid & quotuplex ſit Irregularitas.* ibidem.
§. II. *De Irregularitate contractâ ob illicitam ſuſceptionem Sacramentorum.* p.351.
§. III. *De Irregularitate contractâ ob indebitum uſum Ordinum.* p.352.
§. IV. *De Irregularitate ortâ ex hæreſi aut infamiâ.* pag.353.
§. V. *De Irregularitate contractâ ex homici-*

dio voluntario aut mutilatione. pag.355.
§. VI. *De Irregularitate ortâ ex homicidio aut mutilatione caſuali.* pag.356.
§. VII. *De Irregularitate ex homicidio aut mutilatione in defenſionem ſui aut rerum ſuarum.* p.357.
§. VIII. Ibidem.
§. IX. *De Irregularitate contractâ defectu lenitatis in judiciariâ occiſione vel mutilatione.* pag.358.
§. X. *De Irregularitate oriundâ ex chirurgia exercitio.* p.360.
§. XI. *De Irregularitate proveniente ex defectu corporis vel animi.* p.361.
§. XII. *De Irregularitate proveniente ex defectu natalium.* p.362.
§. XIII. *De Irregularitate proveniente ex bigamia.* pag. 364.
§. XIV. *Qualiter tollatur Irregularitas.* p. 366.

TRACTATUS IV.

DE GRATIA, IUSTIFICATIONE ET MERITO.

PRÆFATIO pag.369.
§. I. *De Hæreſi Pelagiana.* pag.371
§. II. *De Hæreſi Semipelagiana.* pag.374.
§. III. *De Hæreſi Prædeſtinatorum ſeu prædeſtinatianorum, Calviniſtarum &c.* pag.376.
§. IV. *De Auctoritate S. Auguſtini.* pag. 378.

DISPUTATIO I.

De Gratia in Communi, ejuſque diviſionibus. pag.381.

QUÆSTIO I. *Quid & Quotuplex ſit Gratia.* ibidem.
QUÆST. II. *De Gratia operante & cooperante: item de præveniente, concomitante & ſubſequente.* p. 383.
QUÆST. III. *De Gratia efficaci & ſufficienti.* pag.384.

DISPUTATIO II.

De Neceſſitate Gratiæ. pag.389.

QUÆSTIO I. *An poſſit homo ſine Gratia cognoſcere aliquod verum.* ibid.
QUÆST. II. *An poſſit homo ſine auxilio Gratia cognoſcere myſteria ſupernaturalia fidei.* pag. 390.
QUÆST. III. *An poſſit homo ſine Gratia velle & facere bonum morale.* p.392.
QUÆST. IV. *An ſine auxilio gratiæ poſſit homo velle bonum ſupernaturale, ſcilicet ſperare, & diligere Deum etiam ſuper omnia.* pag. 397.
QUÆST. V. *An etiam Juſti indigeant Gratiâ ſpeciali ad ſingulos actus ſupernaturales & perſeverantiam.* pag. 399.

DISPUTATIO III.

De Sufficientia Gratiæ ad Salutem. pag. 402.

QUÆSTIO I. *An omnes Juſti habeant ſufficiens auxilium ad obſervantiam mandatorum Dei & Perſeverantiam.* ibid.
QUÆST. II. *An Juſti poſſint vitare omnia peccata venialia, & an aliqui per totam vitam omnia vitaverint.* pag.405.
QUÆST. III. *An peccatores etiam obdurati habeant auxilium ſufficiens ad vitandum novum mortale.* pag.406.
QUÆST. IV. *An Peccatoribus etiam obduratis detur Gratia ſufficiens ad pœnitendum de peccatis mortalibus commiſſis.* p.408.
QUÆST. V. *An Infidelibus detur auxilium ſufficiens ad fidem, adeòque ad juſtificationem.* pag.410.
QUÆST. VI. *An Deus providerit omnibus parvulis media ſufficientia ad ſalutem.* pag. 412.

DIS-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

POSTEAQUAM *de Deo, tum ſecundùm ſe, tum ſecundùm proceſſionem perſonarum, tum ſecundùm quod eſt principium creaturæ, præſertim rationalis, in I. Parte actum eſt, convenienti Ordine ſequitur Tractatio de Deo quatenus eſt creaturæ, præſertim rationalis, & maximè hominis (de quo ſolo ex profeſſo hîc tractatur) finis ultimus: omnis namque creatura à Deo pendet, non ſolùm tamquam à cauſa efficiente & exemplariter agente; ſed etiam in illum tamquam finem ultimum ordinatur, ipſaq́ rationalis creatura in eumdem collimare ſeq́ per convenientia media ordinare obligatur. Eſtq́ hic primarius Theologiæ ſcopus, ut nimirum Dei natura ac perfectionibus traditis, hominem in ipſum tamquam finem ſuum dirigat. Quocirca notitia veri finis noſtri ſummopere neceſſaria eſt, ac cum primis memoriæ inſculpenda: qui enim finem ſuum ignorat, aut non cogitat, neceſſe eſt, ut ab eo aberret; à quo tamen pendet æternitas: conformitasq́ cum illo certa eſt regula rectitudinis actionum noſtrarum. Quod ex parte ſaltem veteres Philoſophi intelligentes adeò in finis ultimi inquiſitione deſudarunt; miſerè tamen & variè aberrantes, cùm eſſent luce fidei deſtituti. Unde* Cicero lib. 1. de finibus in princip. Quid eſt *(inquit)* in vita tantopere quærendum, quàm quis ſit finis, quid extremum, quid ultimum, quò ſint omnia bene vivendi rectèque faciendi conſilia referenda? *Et* Seneca Ep. 72. Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum ſcire voles, ad ſummum bonum & propoſitum totius vitæ tuæ reſpice. Illi enim conſentire debet quidquid agimus.

Itaque hac parte Summæ Theologicæ *de Ultimo fine, qui & ſummum bonum ac beatitudo noſtra eſt, agemus; & quoniam oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt, de ultimo quo-*

que ſupplicio ſive ſummo malo agemus, juncturi ea quæ alibi de reſurrectione corporum ac pœnis purgatorii tradi ſolent. Deinde de mediis in generali agere incipiemus, quæ ad finem conducunt, vel ab eo avertunt, videlicet de Actibus humanis bonis, & malis ſeu peccaminoſis: ac de eorumdem regulis & principiis, videlicet Lege, Conſcientiâ, libero Arbitrio, & Gratiâ; materiam de Virtutibus & Vitiis oppoſitis alteri Parti Summæ Theologicæ *relinquentes.*



TRACTA-

TRACTATUS I. DE ULTIMO FINE, SEU BEATITUDINE HOMINIS, ET MISERIIS SEU SUPPLICIIS ALTERIUS VITÆ.

DISPUTATIO I.

De Ultimo Fine ſeu Beatitudine objectiva.

PLURES hîc præmittunt fuſiorem de cauſa finali Tractatum: quem nos, velut merè philoſophicum, & in Phyſica ex profeſſo tradi ſolitum, conſultò prætermittimus. Hinc ad Theologica properando, ſit

QUÆSTIO I.

An Deus ſit finis univerſalis & ultimus omnis creaturæ?

1. *Omnia etiam inanimata aguntur à Deo in finem,*

AGITUR hac quæſtione de fine creaturæ ultimatè intento ab ipſo Deo. De fine enim ultimo intendendo ab ipſa creatura rationali, quæ in actionibus ſuis illum ſibi præfigat, *quæſt. ſeq.* agetur. Conſtat porrò maniſeſtè ex univerſali providentia Dei, per ipſam res omnes, quæ ullo umquam tempore creantur vel conſervantur, dirigi in ſuos fines. Neque enim caſu vel fortunâ eſt condita vel jugiter conſervatur univerſa creatura, ſed certo conſilio & intentione ſupremi artificis, atque adeò ad certos fines. Et quidem in eos ita dirigit creaturas inſenſibiles, immo & ſenſibiles rationis expertes, ut eædem non tam agant propter finem, quàm ab Auctore ſuo in finem ab eodem intentum agantur, dum is intimè aſſiſtit ſingularum naturis & operationibus, tum infinitâ ſapientiâ & arte dirigendo, tum omnipotentiſſimâ voluntate movendo in finem, uti ſagitta in ſcopum dirigitur à ſagittario. Unde in operationibus mente, immo & ſenſu carentium tantum plerumque relucet artificium, ut hominis etiam ſapientiſſimi captum excedat. Et hinc in creaturis earumque operationibus mox apparet quædam infinitè ſapiens & potens vis omnia intimè dirigens & agens. Quod ſimiliter de induſtrioſis & artificioſis animalculorum operibus abſque hæſitatione eſt cenſendum: in quibus non ſolùm evidenter apparet operum neceſſitas ſeu libertatis carentia, verùm etiam ignorantia ſeu non cognitio proportionis mediorum ad finem: cùm multa adhibeant, quorum proportio ad finem adeò ſublimis eſt & impervia etiã homini plerumque ſapienti, ut mox appareat illam non cadere ſub ſenſum, adeòque recurrendum eſſe ad notitiam ac directionem ſupremæ mentis per cauſas ejuſmodi, velut inſtrumenta operantis ad certos fines; ut patet in conſtructione favorum, quorum artificium & proportionem ſingularum partium inter ſe & ad ſuos fines, ne quidem homines ſine diligenti ſtudio mente aſſequi valent; & in plurimis aliis. Dirigit itaque Deus ſolus ejuſmodi creaturas in ſuos fines. Attamen quia iſti ſunt diverſiſſimi in ſingulis rebus creatis & operationibus, necdum inde conſtat, an ſit unus aliquis finis ultimatè intentus, in quem ſingulæ à Deo diriguntur, & cujus gratiâ ſingulæ ſunt. Quæritur itaque, an Deus ſit ejuſmodi finis ultimus & univerſalis?

2. *Vltimatè in ipſum Deum.*

Reſp. Affirm. Ita omnes Theologi, hoc ſenſu ſtatuentes Deum omnis entis creati cauſam finalem, utì efficientem. Et colligitur ex Scriptura *Apoc.* 1. *Ego ſum α & ω, principium & finis. Proverb.* 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Ad Rom.* 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* (id eſt, in ipſum ſcilicet, tamquam finem ultimatum, ut Græci explicant, & *Saſbouth ibid.*) *ſunt omnia.* Idem inſinuatur in iis locis, in qui-

quibus Deus dicitur *Dominus omnium, Dominus cæli & terræ*, ut *Matth.* 11. & *Act.* 17. Dominus enim eſt finis, cujus gratiâ ſunt quæ ei ſubjiciuntur; adeòque omnis creatura Deum pro fine habet, cujus gratiâ ſit, ut ſcilicet ei tamquam Domino famuletur. Unde non ſolùm titulo creationis & conſervationis, ſed etiam ultimi finis Deus habet ſupremum Dominium omnis creaturæ, ut oſtendit *Leſſius l.* 10. *de Perfect. divin. c.* 5.

Ratio Reſponſionis eſt: tum quia perfectiſſima Dei volitio in nullo extra ſe ſiſtere poteſt: tum quia non minùs ſpectat ad perfectionem Dei, quòd omnis creatura ad ipſum tamquam ultimum finem habeat reſpectum, quàm quòd ab eo tamquam primo principio dependeat: auctoritas enim finis ultimi ſuper rem non eſt minor, quàm cauſæ efficientis, involvitque ſupremam bonitatem & perfectionem, in quam reliquæ perfectiones ordinantur.

3. *Differentia duplex inter Deum & creaturas agentes propter finem.* Obſervanda tamen eſt duplex differentia inter Deum & creaturas agentes propter finem. Prima eſt, quòd intentio ſeu volitio divina non cauſetur per motionem metaphoricam objecti, utì intentio agentis creati; ſed ad illam moveat velut metaphyſicè divina bonitas ſeu perfectio, ipſi volitioni realiter identificata. Unde intentio ſeu volitio divina (quidquid ſit de creata) non eſt effectus finis ſeu cauſæ finalis. Secunda eſt, quòd Deus non agat propter finem ſui, utì creatura, ſed propter finem ipſius effectus ſeu creaturarum: cùm Deus ipſemet nullum finem habeat.

4. *Deum movet ſua bonitas, ut ſibi ex creaturis quærat gloriam.* Dices, Deus neque eſt finis efficiendus, neque etiam conſequendus à creaturis omnibus, præſertim irrationalibus; ergo nullo modo eſt finis univerſalis omnium. Reſp. Neg. Conſ. quia Deus eſt finis cui reſpectû creaturarum, hæ autem ſunt media ad bonum, quod Deus intendit acquirere, ſcilicet gloriam ſuam, quæ eſt finis qui ſeu cujus, ad quem movetur à ſua infinita bonitate ſeu perfectione ac excellentiâ. Hæc enim movet divinam voluntatem ad diffundendum ſeu communicandum ſe ad extrà: quatenus inde reſultet ipſi Deo gloria extrinſeca, quam ſibi quærit. Non enim poteſt quærere bonum intrinſecum, quod eum perficiat; cùm per eſſentiam ſuam ſit infinitè perfectus: ſed ſolùm extrinſecum, quod perficiat ipſas creaturas; quod aliud eſſe nequit, quàm gloria ipſius Dei. Unde *Deuteron.* 26. dicitur: *Et faciat te* Deus *excelſiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem & nomen & gloriam ſuam.* Pro cujus pleniori intellectu

5. *In quo conſiſtat Dei gloria intrinſeca,* Adverte gloriam Dei intrinſecam objectivè conſiſtere in excellentia divinarum ſuarum perfectionum, formaliter in notitia & amore increato ſui. Hæc gloria Deo cōpetit neceſſariò & eſſentialiter, ut patet; adeòque per creaturas intendi vel comparari nequit. Etenim æquè ſapiens, æquè beatus & in ſe glorioſus fuiſſet, etſi nulla umquam creatura extitiſſet: ipſe namque eſt ſibi omnia, neque noſtrûm eget. At gloria Dei extrinſeca objectivè conſiſtit in eo, quòd divinæ perfectiones, potentia, ſapientia, miſericordia, liberalitas &c. in creaturis tāquam in ſpeculis ſeu veſtigiis reſplendeant: ſicut gloria externa principum objectivè cōſiſtit in eo, quòd ipſorum magnificentia, potentia, divitiæ &c. reluceant in aulis, aulicis &c. Hoc modo beneficia Dei generaliter ſunt gloria illius, quatenus ejus liberalitatem oſtendunt, ſicque faciunt, ut à nobis Deus glorificetur. Quo ſenſu ab Apoſtolo *ad Rom.* 3. etiam gratia juſtificans vocatur gloria Dei, juxta *Saſbouth ibid* Simili ſenſu à Nonnullis accipitur, quod canit Eccleſia: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Hoc denique ſenſu in Scriptura dicuntur etiam res inanimatæ laudare & benedicere Deum, ac enarrare gloriam ejus, objectivè ſcilicet & occaſionaliter, quatenus creaturas rationales manuducunt ad cognoſcendam gloriam & excellentiam Conditoris, & conſequenter ad eumdem laudandū & benedicendum. Prout exemplo Sanctorum Virorum comprobatur. Inter quos hàc in re mirabiliter excelluit S. Franciſcus, de quo *S. Bonaventura c.* 9. *legendæ* refert: *Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per jucunditatis ſpecula in vivificam conſurgebat rationem & cauſam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia proſequebatur ubique dilectum, de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcenderet ad apprehendendum eum, qui eſt deſiderabilis totus. Inaudita namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis tamquam in rivulis deguſtabat, & quaſi cæleſtem concentum perciperet in conſonantia virtutum & actuum eis datorum à Deo, ipſas ad laudem Domini more Prophetæ David dulciter hortabatur.*

In quo extrinſeca.

Qualiter eam enarrent etiam ratione carentia?

Formaliter autem conſiſtit extrinſeca Dei gloria in eo, quòd creatura rationalis illas perfectiones cognoſcat, amet, & veneretur: gloria enim formaliter eſt notitia alterius excellentiæ pariens amorem, venerationem & laudem. Quare hæc gloria utì notitia erit perfectiſſima in beatitudine, quæ etiam gloria æterna dicitur, non ſolùm quatenus nos objectivè glorioſos & excellentes facit, ſed etiam quatenus ipſa eſt ſumma Dei gloria extrinſeca, quâ divinæ excellentiæ perfectiſſimè & cum perpetua laude cognoſcentur.

Itaque Deus creavit omnia propter ſuā bonitatem tamquam motivum, vi cujus voluit ſe communicare ad extrà, ſuamque gloriam intrinſecam manifeſtare, ac extrinſecam, præſertim in notitia Dei, maximè clarâ & intuitivâ conſiſtentem, acquirere, non ſui commodi cauſâ, ſed boni 6.

crea-

creaturæ rationalis. De quibus vide *Leſſ. l.13. de div.perfect.c.1.*

Quo ſenſu omnia ad majorem Dei gloriam facere moneamur. Hinc colligi poteſt, quo ſenſu Chriſtiani moneantur omnia facere ad majorem Dei gloriam: monentur enim, ut excitante divinâ excellentiâ ſeu bonitate ſtudeant gloriam ſeu bonum extrinſecum Dei ampliare (quod per ipſa bona opera fit) notitiamque divinæ bonitatis ſeu perfectionis in ſe & in aliis parere vel augere, & ex ipſis bonis operibus occaſionem aliis præbere, ut laudent & glorificent Patrem in cælis, à quo omne opus bonum & datum optimum procedit.

QUÆSTIO II.

An Deus ſit ultimus finis ab homine intendendus & conſequendus?

7. AGITUR hîc, & in ſequentibus de fine ultimo ab homine ipſo intendendo & poſſidendo, reſpectu cujus proinde homo ipſe non ſit medium, ſed finis cui bonum poſſidendum (quod eſt finis qui intenditur & movet, vel cujus gratiâ media adhibentur) concupiſcitur.

Finis, alius eſt ultimus in certa rerum ſerie & ſecundùm quid, Dupliciter autem ſumi adhuc poteſt finis ultimus. Interdum enim intelligitur is, qui in certa rerum ſerie & ſubordinatione eſt ultimus, ſic ut de facto in alium non referatur. Et diſtinguitur contra fines intermedios (qui an veram finalis cauſæ rationem quoad media illos præcedentia obtineant, diſputatur) quorum gratiâ aliquid quidem fit, ſed ipſi quoque fiunt gratiâ ulterioris finis. Sic ſanitas eſt finis ultimus ſectionis venæ, ſi illam adhibens aliquid aliud non intendat, ipſa verò evacuatio humorum eſt finis intermedius, in quem ſectio ipſa adhibetur. Hoc ſenſu indubiè datur finis aliquis ultimus, multiplex, in ſingulis operationibus, in quibus homo agit ob finem: quia in ejuſmodi nequit fieri proceſſus in infinitum. Confirmatur: quia ſicut ſi non daretur primum aliquod medium, ſaltem opinione operantis, non poſſet inchoari executio, adeòque ceſſaret actio; ita niſi determinatum aliquod eſſet motivum voluntatis in quo ſit ſtatus, non poterit inveniri determinata intentio: à motivo enim inchoatur intentio, ſicut à primo medio executio. Quare de fine ultimo ſic ſumpto (qui ſolùm eſt ultimus ſecundùm quid, & à Nonnullis dicitur finis ultimus operis, non autem operantis; qui utique non ideo præfigit illum tamquam vitæ & perſonæ ſuæ ultimatum bonum) nil dicendum supereſt.

8. *Alius eſt ultimus ſimpliciter & abſolutè* Aliter, & ad ſenſum præſentis loci, ſumitur hoc nomen pro fine ultimo ſimpliciter & abſolutè, & à Nonnullis vocatur finis ultimus operantis, qui videlicet eſt ultimus vitæ humanæ ſcopus, quò collimandum eſt, quoque adepto nil voluntati deſiderandùm reſtat, utpote ejus conſecutione ſatiatæ, atque adeò beatæ. Quocirca coincidunt à parte rei, ſummum bonum (quod & finis ſeu extremum bonorum ſive appetendorum dicitur) finis ultimus, & beatitudo objectiva hominis. Dico *objectiva*, id eſt, objectum ſeu res illa cujus conſecutione ſeu poſſeſſione homo fit beatus. Nomen tamen beatitudinis uſitatiùs & ſimpliciter ſtat pro beatitudine formali, quæ eſt ipſa ſummi boni ſive ultimi finis ac beatitudinis objectivæ poſſeſſio. Itaque hæc tria nomina promiſcuè confundemus, prout etiam reliqui Doctores, poſt *Auguſt. 19. de Civit. c.1.* ipſique Philoſophi Ethnici inter ea non diſtinxerunt. His præmiſſis, ad quæſtionem

Is ab homine intendendus & conſequendus eſt ſolus Deus. Reſp. Aff. Eſt fide certiſſimum, quæ toties promittit perſeverantibus in juſtitia 9. poſt hanc vitam omnis boni plenitudinem, æternamque beatitudinem, in conſecutione & fruitione Dei ſitam, ut patet ex Scripturis & Definitionibus Conciliorum ac Pontificum ſatis obviis. Idipſum inculcant Patres paſſim obvii. Nec quidquam eſt magis notum & inſitum homini Chriſtiano, quàm quòd Deus ipſe ſit ſcopus unicus & ultimus Chriſtianæ vitæ. Unde non aliam mercedem, quàm ſe ipſum propoſuit Deus Abrahæ omnium credentium patri *Geneſ. 15. Ego merces tua magna nimis.* Et *Pſalmiſta Pſal. 72.* ait: *Pars mea Deus in æternum.* Et *Pſal. 143.* pravo vulgi errore relato his verbis: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*; eumdem mox rejicit: *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.*

Ratio Theologica eſt: quia cùm homo ſit capax boni infiniti, hoc ſolùm poteſt ipſum ſatiare; uti de facto ſatiabit, juxta illud *Pſal. 16.: Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Deinde qui perfectè Deum poſſidet, omne bonum (quod eſt Deus formaliter vel eminenter) habet. Denique nil creatum eſt ultimum, ad quod rationabiliter ſint referenda cetera, ipſum autem ad nihil aliud: neque optimum & excludens defectum ſeu miſeriam: neque ſufficiens animum ſatiare. Hæc ipſa tamen debent competere fini ultimo ſeu beatitudini; & de facto competunt Deo poſt hanc vitam poſſidendo, ut ex dicendis de gloria cælesti magis conſtabit. Unde optimè dixit *Auguſtinus 1. Confeſſ. 1. Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Dices I. In Chriſto viatore & patiente fuit poſſeſſio perfecta boni infiniti ſive 10. Dei, nec tamen excluſi fuerunt dolores & miſeriæ: ergo in Deo ejuſque poſſeſſione non conſiſtit beatitudo. Reſp. Neg. Conſ. quia id extraordinariè & velut miraculosè in Chri- *Qualiter Chriſti pa-*

tientis beatitudo admiſeris dolores.

in Chriſto accidit propter bonum generis humani redimendi per dolores & paſſionem Chriſti; cujus alioquin beatitudo omnem triſtitiam & miſeriam connaturaliter excluſiſſet. Unde eâ non obſtante Chriſtus etiam patiens erat eſſentialiter beatus, poſſeſſione ultimi finis.

Dices II. Poſſeſſio Dei in altera vita non ſatiat appetitum: cùm de facto in anima ſeparata relinquat deſiderium corporum, & non communicetur in ſummo gradu poſſibili, cujus homo eſt capax, atque adeò appetitum habet: ergo non competunt Deo ejuſve poſſeſſioni conditiones beatitudinis. Reſp. Diſt. Antec. non ſatiat omnem appetitum innatum Conc. Antec. & Neg. Conſ. non ſatiat omnem appetitum rationabilem Neg. Antec. Itaque anima beata ſubinde quidem pro libitu elicit deſiderium rehabendi corpus, ſed pro tempore rationabiliſſimè per Deum ſtatuto; in cujus voluntate de hac ipſa dilatione maximè ſibi complacet, neque inde ullam triſtitiam, vel miſeriam, aut boni neceſſarii indigentiam habet. Similiter etſi deſit perfectiſſima intenſio (quæ fortè non habet ſtatum, adeòque ſi foret neceſſaria, omnis beatitudo foret impoſſibilis: vel ſi ſtatum habet, in ſolo Chriſto ſumma fuit) adhuc erit in ſingulis perfecta ſupremi boni participatio, quæ rationabilem ſingulorum appetitum explebit, etſi non innatum, qui fertur in omnem perfectionem ei poſſibilem, & ſufficienter impletur quoad ſpeciem & ſubſtantiam boni perfectæque participationis illius, ut ceteroqui ſervetur proportio neceſſaria inter merita & præmia.

Beatitudo ſatiat omnem appetitum rationabilem, non autem innatum.

11.

Exiſt etiam ſupernaturalis beatitudinis ſola fides evincit.

Petes, An lumine naturali conſtet, dari ultimum finem ac veram beatitudinem? Reſp. inde non conſtare manifeſtè, loquendo de beatitudine ſupernaturali, qualis juxta fidem de facto datur. Tum quia ex ratione non eſt evidens claram Dei viſionem (quæ in beatitudine includitur) eſſe poſſibilem: tum quia etſi id evidens foret, non eo ipſo conſtaret, ipſam de facto dari; potuiſſent enim abſolutè loquendo homines eſſe conditi in ſtatu puræ naturæ, abſque eo quòd forent elevati ad finem & beatitudinem ſupernaturalem.

Beatitudinem in communi ſatìs docet naturalis inſtinctus.

Loquendo autem de beatitudine in cõmuni, & abſtrahendo à naturali & ſupernaturali, ratio ſatìs dictat eſſe ſtatum felicitatis, quò homo finaliter collimet: prout inſtinctus naturalis cujuſque ſatis docet; nam (ut ait *Auguſtinus 10. de Civit. cap. 1.*) *Omnium ſententia eſt, qui ratione quoquo modo uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle.* Idemque ſimili inſtinctu Philoſophi etiam Ethnici tamquam indubitatum ſuppoſuerunt, ſolicitè diſputantes, quibus in bonis beatitudo iſta conſiſteret. Nec refert, quòd adeò diverſimodè à ſcopo veræ beatitudinis aberraverint: contingere enim poteſt in natura depravata error tam communis in inventione ſpeciali rei, etſi ſecundùm communem rationem evidenter notæ: utì tam immenſa infidelium copia erravit olim in delectu veri Numinis; etſi naturalis inſtinctus aliquod Numen dari evidenter proclamaret. Confirmatur: quia ratio naturalis dictat conferendam à Deo felicitatem, iis præſertim qui juxta præſcriptum virtutis perſeveranter vixerunt, non obſtantibus variis hujus vitæ afflictionibus patienter toleratis.

12.

Beatitudo merè naturalis eſt poſſibilis.

Ex quo ſequitur beatitudinem merè naturalem, etſi juxta fidem de facto non detur, tamen eſſe poſſibilem: hanc enim ſolam inſtinctus naturæ, unde colligi ſolet quòd detur aliqua beatitudo ſeu ſummum bonum, aſſequi potuit. Deinde non foret deneganda etiam in ſtatu puræ naturæ felicitas alterius vitæ proportionata. Conſiſteret autem iſta beatitudo in Deo naturaliter cognito & ſtabiliter ſuper omnia amato, junctâ perpetuâ immunitate à peccato & aliis miſeriis. Et hæc in ſtatu puræ naturæ potuiſſet eſſe propoſita tamquam præmium naturalis juſtitiæ, ſimul cum aliis voluptatibus in ſubſtantia non ſupernaturalibus, ſeu naturæ gradum non excedentibus. An autem haberet anima in iſto ſtatu conſortium corporis, utpote ei futuri ad ſarcinam, cùm ſeparata perfectiùs quàm corpori immerſa intelligeret etiam ſpiritualia; dubium eſt, cujus reſolutio pendet ab incerta nobis voluntate Dei in iſto caſu numquam futuro: in quo etiam facilè Deus poſſet obviare iſti incommodo relinquendo animam à phantaſmate independentem: ſicut divinitùs obviaret ulteriori morti corporis, ſi tunc foret reſumendum.

13.

Nulla in præſenti vita obtineri poteſt vera beatitudo.

Ex dictis colligitur, veram beatitudinem in hac vita acquiri non poſſe: cùm juxta fidem reſervetur alteri vitæ. Deinde non obſtante adeò multiplici hominum conatu nullus teſte experientiâ hactenus fuit, qui hîc ad ſtatum tam felicem pertingere potuit, ut eſſet perfectè ſatiatus, nullius indigus, omniſque miſeriæ expers. Sanè ſi quiſpiam in hac vita corporis & animi ac fortunæ dotibus excelluit, is fuit Salomon; qui tamen cuncta expertus proteſtatur *Eccle. 1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et infrà: *Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas & afflictio ſpiritûs.* Unde conſideratâ bonorum hujus ſæculi inſtabilitate, ac miſeriarum multiplicitate, rectè dixit Job *c. 14. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis,* corporis & mẽtis. Denique veram beatitudinem & ſummum bonum meritò Deus propoſuit tamquam præmium, adeòque diſtulit uſque ad finem certaminis & militiæ, qualis eſt vita hominis ſuper terram.

Nec

14. *In exercitio virtutum beatitudo conſiſtit diſpoſitivè,*

Nec refert quòd Chriſtus *Matth.* 5. beatitudinem docuerit ſitam in exercitio virtutum v. g. paupertate ſpiritûs &c. Nam loquitur Chriſtus cauſaliter & diſpoſitivè, quia videlicet per talia media obtinetur beatitudo, ad quam ſunt via. Sicut *Joan.* 17. Chriſtus ait: *Hæc eſt vita æterna*, id eſt, in hoc eſt ratio conſequendi vitam æternam, *ut cognoſcant* per fidem *te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Simili ſenſu dicitur *Pſal.* 111. *Beatus vir, qui timet Dominum*, ſcilicet in ſpe & ſemine, non in re & fructu: ſemina enim gloriæ ſunt merita actuſque virtutum, præſertim Theologicarum. Quo enim modo dixit Apoſtolus *ad Rom.* 8. *Spe ſalvi facti ſumus*, ſic & ſpe dici poſſumus beati. Adde loquendo de imperfecta beatitudine hujus vitæ, & facto reſpectu ad reliqua bona ejuſdem vitæ, beatum & felicem rectè dici, qui hîc timet & amat Deum. Quæ quidem beatitudo viæ erat longè perfectior in ſtatu innocentiæ, à quo aberat omnis miſeria: adhuc tamen erat imperfecta, deſiderans quòd ſibi adderetur, ſcilicet ſtabilitatem ſeu ſecuritatem, & poſſeſſionis ſupernæ plenitudinem.

Aut imperfecta quædam beatitudo viæ.

15. *Variæ Ethnicorum de beatitudine hallucinationes referuntur & refelluntur.*

Hinc patet graviter hallucinatos fuiſſe veteres Philoſophos, qui (ut utar verbis *Auguſtini* 19. *de Civit. cap.* 1.) *Sibi beatitudinem facere in hujus vitæ infelicitate moliti ſunt: Dum* (ut ait 8. *de Civit. cap.* 8.) *hoc beatificum bonum, alii à corpore, alii ab animo, alii ab utroque in homine eſſe dixerunt*: atque ita *hîc beati eſſe, & à ſe ipſis beati fieri mirâ vanitate voluerunt*, ut ait 19. *de Civit. cap.* 4. Quos omnes paucis hiſce verbis efficaciter refutat; ſicut & 8. *de Civit. cap.* 8. ex hoc, quòd ſummum bonum hominis expetendum putaverint *non niſi ab homine*. Quibus proinde ibidem & *cap.* 9. meritò præfert Platonem cum ſuis, *qui non dixerunt beatum eſſe hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, ſed fruentem Deo, ſicut luce oculus*; ſcilicet poſt hanc vitam bene tranſactam, ut clarius videre eſt apud *Vives in Comment. ad cap.* 8. *&* 9. *citatum*. Nihilominus *nec iſta differentia* (inquit *Auguſtin. cap.* 8. *cit.*) *quoniam tres ſunt, ideo tres, ſed multas diſſenſiones Philoſophorum ſectaſq; fecerunt: quia & de bono corporis, & de bono animi, & de bono utriuſque diverſi diverſa opinati ſunt*: adeò ut decem Sententias cum ſuis Auctoribus referat *Lactantius lib.* 5. *divinar. inſtitut. cap.* 7. quorum aliqui prædictis bonis etiam bona fortunæ junxerunt. Immo *Marcus Varro tam multam dogmatum voluntatem diligenter & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad CCLXXXVIII. ſectas, non quæ jam eſſent* (etſi *Arriaga d.* 47. *ſect.* 1. *&* 3. non rectè referat, quaſi jam extiterint) *ſed quæ eſſe poſſent, facillimè perveniret*, teſte *Auguſtino* 19. *de Civit. cap.* 1. quæ tamen non omnes forent diverſæ Sententiæ de ſummo bono, ſed potiùs diverſæ quæſtiones quæ circa ipſas moveri poſſent, occaſione diverſarum ſectarum philoſophicarum, ut oſtendit *Auguſt. ibid. cap. ſeq.* Contra eoſdem errores pulchrè diſſerit *Auguſt. ſup. à cap.* 4. Et *Leſſ. lib.* 1. *de ſummo bono cap.* 4. *& pluribus ſeqq.* Sufficienter autem à nobis refutati manent ex prædictis, & iterum refutantur ex ejuſmodi bonorum vilitate, vanitate, inſtabilitate, ac miſeriarum compatibilitate. Illud ſanè deplorandum, etiamnum reperiri, qui dicere audeant, regnum cælorum nihil aliud eſſe quàm divitias; infernum, paupertatem: cùm tamen divitiæ nil habeant voluptatis vel honeſtatis, ſed tantùm utilitatem ad aliquod bonum. Sicut & reperiuntur qui voluptatem corporis cenſent ſummam felicitatem; quorum unus jam pridem ſplendeſcentis vini vitrum monſtrans ajebat: *En cælum.* Sequuntur hi *Ariſtippum* diſcipulum *Epicuri* (de ipſo *Epicuro* idem tradunt Nonnulli: tametſi *Lactantius* ipſum in voluptate animi ſtatuiſſe ſummum bonum teſtetur) ob quod *Epicureorum* ſecta adeò malè audire cœpit, ut agnomen hoc per contemptum alleget Poëta: *Epicuri de grege porcus.* Sed iſti Athei ſunt, neque agnoſcentes animæ immortalitatem. Quales etiam ſunt *Pſeudopolitici*, qui ſummam felicitatem ſtatuunt in homine divitiis ſuffulto. Spurciores denique *Epicureis Mahumetani* alterius quoque vitæ felicitatem in eſculentis, poculentis, & venereis ſtatuunt, ſatagentes cœnoſis hiſce voluptatibus fædare cælum ipſum; in quo cùm ceſſet nutritio & generatio, ſola in iſtis actibus more porcorum ſpectanda reſtaret voluptas. Sed de his ineptiis ſatis: quas detexiſſe, refutaſſe eſt.

QUÆSTIO III.

An appetitus Beatitudinis ſit homini naturalis?

NOTA I. Voluntatem (idem eſt de intellectu, immo & de quavis re inanimata) habere propenſionem naturalem in ſuum bonum ſeu perfectionem, quæ propenſio ab ipſa re indiſtincta dicitur pondus naturæ, vel appetitus innatus: habere inſuper voluntatem actus quos producit ſeu elicit, qui dicuntur appetitus eliciti; ipſaque voluntas reſpectu eorum eſt appetitus elicitivus. 16. *Appetitus, alius innatus, alius elicitus*

Nota II. Naturale quandoque opponi ſupernaturali, quandoque libero, quandoque violento. His notatis *Naturale diverſimodè accipitur.*

DICO I. Voluntas appetitu elicito appetit liberè beatitudinem, ſive in univer- *Appetitu elicito liberè amat vo-*

 ſali,

luntas beatitudinem in univerſali;

ſali, ſive in particulari propoſitam. Eſt communis Doctorum. Ratio eſt: quia etſi ſit ſumma conſenſio voluntatis in ſuum bonum, ideoque odiſſe nequeat beatitudinem in univerſali propoſitam; nemo enim poteſt dicere ex animo: nolo eſſe beatus, volò eſſe miſer; eò quòd in hoc præcisè quod eſt eſſe abſque miſeria & in felicitate nulla ratio mali, ſed ſolius boni reperiatur, ac proinde non ſit quoad hoc voluntas libera libertate contrarietatis, ad velle ſcilicet & nolle: Poteſt tamen ex libertate ſibi intrinſeca ab ejus volitione deſiſtere, ſeu nolle eam poſitivè velle; adeòque manet libera libertate contradictionis. Beatitudinem autem propoſitam in particulari non poteſt quis ſimiliter odiſſe ſecundùm ſe, & præciſam à difficultatibus, quas experimur in mediis ad eam obtinendam: nam ſic etiam non niſi ratio boni in ea reperitur. Unde & inefficaciter amatur ab illis, qui excæcati delectationibus creaturarum aut territi difficultatibus nolunt eam proſequi, poſtea extremis miſeriis certò involvendi. Conſiderando verò eam, ut adjuncta habet quædam carni injucunda & difficilia in adeptione, poteſt non tantùm non amari, ſed etiam odiri ſeu contemni. Prout etiam contemnitur ab illis, qui non credunt verè ipſam dari, adeòque non eſſe verum, ſed fucatum & falsò perſuaſum hominibus bonum.

Quam tamen nequit odiſſe.

Idem eſt de beatitudine in particulari, præciſà à difficultatibus

Quibus involuta poteſt odiri.

17. *Appetitus elicitus beatitudinis ſæpè eſt ſupernaturalis* *Interdum naturalis.*

Dico II. Appetitus elicitus beatitudinis poteſt eſſe ſupernaturalis, poteſt etiam eſſe naturalis. Prima pars patet: quia deſiderium efficax, quod Chriſtiani prælucente fide & juvante Dei gratiâ jugiter eliciunt, eſt actus ſupernaturalis ſpei Theologicæ. Secunda pars patet: quia in Hæreticis eſt ejuſmodi appetitus naturalis, utpote ſine fide & gratia Dei: & quidem eſt efficax ex modo tendendi, etſi objectum quod ipſi apprehendunt poſſibile, verè ſit obtentu impoſſibile per media quæ adhibent. Item damnati inefficaciter appetunt beatitudinem affectu naturali. Sic & gentiles naturaliter appetebant beatitudinem in univerſali propoſitam. Immo ſi deeſſet concurſus ſupernaturalis Dei, circa idem objectum eliceretur actus efficax naturalis à Chriſtiano, circa quod nunc elicitur ſupernaturalis cum gratia Dei.

18. *Appetitus innatus beatitudinis eſt naturalis*

Dico III. Appetitus innatus beatitudinis, etiam in particulari, dicendus potiùs eſt naturalis creaturæ rationali, quàm obedientialis vel ſupernaturalis. Ita *Scotus q.1. Prologi n.12. & 21.* Et *4.d.49.q.10.n.3.* quem præter ſuos ſequitur *Eſtius 4.d.49. §.1.* citans *S. Thomam. Durandum & Dominicum Soto.* Pro ſententia *Scoti* adducitur etiam *Valentia & Ruiz* ab *Oviedo Controv 5.punc. 3.* Item *Henricus & Paludanus* ab *Amico diſp.2. num.161.* Eſt autem contra *Caetanum* & plures *Thomiſtas*. item contra *Suarez, Vaſquez, Amicum, Oviedo* & alios. Quia tamen exiſtimo eſſe meram quæſtionem de nomine, breviter

Probatur Concluſio: quia appetitus innatus beatitudinis ſupernaturalis, coincidit cum capacitate illius ſeu perfectibilitate hominis per illam; hæc autem capacitas eſt naturæ hominum ſeu proprietas naturæ, adeòque tum ipſa, tum appetitus innatus dicendus eſt naturalis, uti ipſa natura. Confirmatur: appetitus iſte innatus ſeu perfectibilitas per beatitudinem identificatur ipſi intellectui & voluntati; adeòque non eſt ſupernaturalis, & conſequenter dici debet naturalis. Confirmatur II. ex *Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum c. 5.* dicente, *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem* (idem eſt de gloria ceteriſque formis ſupernaturalibus) *natura eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratia eſt fidelium.* Si poſſe habere, quod eſt, eſſe capacem ſeu perfectibilem, & coincidit cum appetitu innato, juxta *Auguſtinum* ſit naturæ hominum; igitur juxta ipſum appetitus beatitudinis, uti fidei & charitatis, eſt naturalis.

Utpote identificatus ipſi naturæ rationali.

Nec obſtat I. Quòd beatitudo ſit forma ſupernaturalis: tum quia hoc non obſtante poteſt naturaliter appeti etiam appetitu elicito, ut patet in hæreticis: tum quia ſupernaturalitas formæ non deſumitur ex ordine ad ſupernaturale receptivum ſeu ſubjectum, ſed ex ordine ad agens ſupernaturale, juncto quòd non ſit connaturaliter debita. Unde omne ſubjectum eſt naturale reſpectu formæ, quatenus ex natura abſque aliquo ſuperaddito eſt capax recipiendi formam, poſitâ productione. Quare omnis forma quatenus perfectiva ſubjecti dicenda eſt naturalis: non enim violenta vel neutra; ſupernaturalitas autem eatenus non habet locum: quamquam non omnis ſit connaturalis ſeu connaturaliter debita. Quare etiam potentia obedientialis tantùm poteſt habere locum in potentia naturali activa; quæ cùm inchoata ſolùm ſit, debet compleri per coagens ſupernaturale; nil autem compleri debet ex parte potentiæ receptivæ. 19.

Forma ſupernaturalis non exigit ſupernaturale receptivum, ſed agens.

Non obſtat II. Quòd nequeat naturaliter appeti id quod naturaliter non poteſt eſſe: nam falſitatem oſtendit exemplum Hæreticorum, qui beatitudinem ſupernaturalem appetunt naturaliter etiam appetitu elicito. Deinde ſuppoſitâ productione, poterit anima ſaltem naturaliter recipere. Immo identificata naturæ animæ inclinatio ad formam ſupernaturalem non niſi naturalis eſſe poteſt.

Non obſtat III. Quòd potentiæ receptivæ naturali, ne ſit fruſtranea, debeat correſpondere activa naturalis: nam non erit fruſtranea, dummodo poſſit reduci ad actum, etſi ſolùm ſupernaturaliter: immo tunc eſt neceſſaria potentia receptiva naturalis; cùm neceſſariò ſupponatur innata ac identi-

identificata ſubjecto, adeòque naturalis, capacitas formæ per agens ſupernaturale producibilis.

Non obſtat IV. quòd inde ſequi videatur, quamlibet creaturam rationalem habere appetitum innatum & naturalem Unionis hypoſtaticæ omniſque perfectionis ſupernaturalis cujus divinitùs eſt capax: nam id conſequenter veriſſimum eſt, minùs abſurdum.

QUÆSTIO IV.

An homo omnia neceſſariò appetat propter ultimum finem?

20. *Homo non appetit omnia propter ultimum finem, qui verè talis eſt.*

DICO I. Non omnia homo appetit propter ultimum finem, qui ſecundùm rectam rationem talis eſt, nempe propter Deum. Concluſio apparet certa. Primò quia juſtus venialiter peccans non poteſt dici operari propter Deum (quidquid aliqui fruſtrà ſe torqueant, ut oſtendant, quomodo peccatum veniale ſit habitu volitum propter Deum) cùm exerceat actum Deo diſplicentem, adeòque ad eum non referribilem. Secundò clariùs id patet in peccante mortaliter: hic enim juxta fidem Catholicam adhibet medium ab ultimo fine avertens, or[illegible]emque ad illum deſtruens. Tertiò multi ſunt, qui neſciunt Deum eſſe ultimum finem, aut de eo numquam cogitarunt; hi autem propter ipſum operari nequeunt, cùm finis non cauſet niſi cognitus. Concluſio hæc ampliùs confirmatur ex mox dicendis.

21. *Nec propter id, in quo ultimum ſuum finem conſtituit.*

DICO II. Non omnia homo appetit propter illud, in quo ultimum ſuum finem conſtituit. Ita *Scotus* & alii communiter contra quoſdam *Thomiſtas*.

Probatur I. Quia Chriſtiani præfigūt ſibi Deum tāquam ultimum finem, & tamen non omnia volunt propter ipſum, ut ſtatim oſtenſum eſt. Secundò, Infideles alium ſibi finem ultimum, v.g. voluptatem corporis præfigentes, ſi omnia propter iſtum agerent, in omni opere peccarent, cùm tamen damnata ſit hæc propoſitio *Bai: Omnia opera infidelium ſunt peccata.* Tertiò, non omnia quæ vult homo, tendunt ex natura ſua in finem quem ſibi ultimò præfixit, ut patet: neque etiam actu omnia in illum refert, ut ſimiliter patet: nec denique id facit virtualiter. Quod probatur: nam v.g. idololatra non aſſumit omnes actiones ſuas ex intentione colendi idolum; nec qui pro ultimo fine ſibi proponit voluptatem carnis, aſſumit omnia ſua, ut hanc voluptatem conſequi poſſit; idem eſt de ceteris: ad hoc enim requireretur, ut voluntas v. g. colendi idolum eſſet cauſa applicandi ſe ad ceteras actiones. Quod falſum eſſe patet: dum v.g. refrenat iram, quia eſt conſonum rationi, vel dum primò excitatus à ſomno aliquid agit, de idolo nihil cogitans.

Dices I. Ex prima volitione, quâ homo omnia ſua ſemel retulit in ſuum ultimum finem omnes ſubſequentes operationes exercentur ex virtute illius intentionis. Reſp. in primis non eſſe neceſſarium, ut prima omnium, ſive totius diei, ſive totius vitæ volitio deliberata ſit circa ultimum finem: cùm contrarium pateat experientiâ. Deinde iſta volitio non influeret in omnes ſubſequentes actiones, ut hæ dici poſſent fieri propter eumdem finem: tum quia frequenter retractatur per actum oppoſitum, v. g. averſivum ab ultimo fine, tum quia etſi non retractaretur, adeòque habitualiter perſeveraret, adhuc non ſufficeret: quēadmodum intentio habitualiter perſeverans non ſufficit ad contractus & ſacramenta, eò quòd non influat in opus. Quare nec ſufficit aliquem eſſe ita habitualiter diſpoſitum, ut ſi menti occurreret, hoc intenderet: nam ad influxum in opus non juvat, quid fieret ſi adeſſet conditio, quæ de facto nil ponit in opere. Unde eſſet neceſſarium, ut prior volitio ſive intentio perſeveraret virtualiter in quadam continua ſerie effectuum ab ipſa procedentium, prout rectè notat *D. Bonav. 2. d. 41. art. 1. q. 3.* Sicut talis intentio ad minùs requiritur ad conficiendos contractus & ſacramenta; talem autem non ſemper in homine ſubſiſtere eſt manifeſtum. Confirmatur: quia ſi intentio habitualis ſufficeret, non daretur in homine juſto aliquod verbum otioſum, eò quòd per generalem vitæ vel diei intentionem jam eſſet relatum in ultimum finem. 22. *Idq; ne quidem virtualiter.*

Dices II. Omnis homo ſemper appetit eſſe & vivere; ergo eo ipſo appetit Deum, ſine quo eſſe non poteſt. Reſp. neglecto Antecedente Diſt. Conſeq. Ergo appetit Deum in ratione finis ultimi, Neg. Conſeq. In ratione boni utilis, interpretativè ſaltem, ut videlicet eſſe poſſit bonum concupitum, quod ſine Deo eſſe non poſſet, tranſeat Conſequentia.

Dices III. Beatitudo eſt tantum bonum, ut eam omnis homo quærat, etiam in ſuis peccatis & ſceleribus, ut eleganter docet *Auguſtinus ſerm. 1. in Pſal. Beati immaculati*, & *6. Confeſſ. c. 11.* ubi ait: *Amans beatam vitam timebam illam in ſede ſua, & ab ea fugiens quærebam eam*, ſcilicet in voluptatibus malis: adeòque potiùs quærit eam homo in operibus bonis & indifferentibus. Reſp. *Auguſtinum*, ut patet ex textu, loqui de felicitate in genere, ſive verâ, ſive apparenti; quam homo ſemper quærit; cùm quodlibet appetat ſub ſpecie boni, adeòque cujuſdam felicitatis, ſaltem imperfectæ; quæ tamen non eſt finis ultimus quem homo ſibi præfixit.

Hinc patet quàm impropriè loquantur, qui hominem in cunctis operibus dicunt intendere ſuum ultimum finem, eò quòd in om- 23. *Aut alio proprio ſenſu.*

in omnibus operibus ſpectet umbram ſaltem alicujus felicitatis; quandoquidem illud ipſum bonum, quod ſpectat, plerumque nequidem ſit pars finis ultimi, ſive veri, ſive putatitii. Unde etiam impropria eſt explicatio illorum, qui dicunt hominem interpretativè in omnibus intendere ultimum finem in communi, eò quòd ſemper intendat aliquod bonum, verum vel apparens: nam ob hoc non appetit, neque apprehendit ſe appetere ſupremam ſuam felicitatem, ſeu optimum bonum perfectè ſatians (quod ſignificat beatitudo in communi) vel ejus partem; immo poteſt ejuſmodi intentionem expreſsè ſecludere.

Dices IV. Saltem quærit homo ſemper complementum ſui deſiderii; atqui hoc eſt ultimus finis: ergo &c. Reſp. hominem ſemper quærere, ut impleatur id, quod efficaciter hîc & nunc deſiderat, ſeu quærere complementum hujus v.g. ſingularis deſiderii, non tamen ſemper quærere complementum, id eſt, bonum completivum & ſatiativum deſiderii quaſi in actu primo, ſeu potiùs ipſius voluntatis. Immo de hoc ſæpè nulla præceſſit cogitatio, ex qua moveretur ad operationem. Bonum autem particulare, quod homo frequenter deſiderat, non ſemper pertinet ad complementum ſui deſiderii explicatum poſteriori modo, quo ſolo eſt ultimus finis.

24. *Non omnia opera in finem ultimum dirigere homo obligatur.*

Dico III. Etſi ſuppoſitâ ordinatione hominis in finem ultimum, qui eſt Deus, teneatur ſe homo in illum per media convenientia dirigere, ut fides & ratio evidenter oſtendit: Etſi quoque ſit omni homini Chriſtiano arctiſſimè commendandum ſtudium ſe omniaque opera eò dirigendi; non eſt tamen ad hoc ſtrictè, ſeu in conſcientia obligatus. Ita communiter Theologi contra *Gregorium Ariminenſem* & *Janſenium Iprenſem*: quibus ex parte adhæret *Guilielmus Eſtius in 1. ad Cor.* 10. ubi exiſtimat hoc præceptum concernere ſolos fideles ſeu Chriſtianos, evitans quidem hac ratione incommodum deſumptum ex operibus virtutum moralium exercitis ab infidelibus; ſed inconſequenter reſtringens præceptum naturale (quale utique foret: non enim Apoſtolus ibi fert præceptum proprium ſive Apoſtolicum, neque promulgat legem aliquam poſitivam Chriſti) ad ſolos Chriſtianos.

Probatur I. Quia tres Pontifices damnarunt hunc articulum *Michaëlis Baii: Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* Ubi ex mente præfati Doctoris, ſermo eſt de virtutibus moralibus juſtitiæ, temperantiæ &c. quas Philoſophi ethnici non dirigebant in altiorem finem; ſimiliter de operibus infideliū, Deum verum non agnoſcentium, nec per fidem opera in illum dirigentium.

Probatur II. Quia nulla apparet turpitudo, immo potiùs manifeſta apparet honeſtas in eo, quòd homo ſectetur temperantiam, juſtitiam & ceteras virtutes morales, habeatque odio vitia oppoſita, propter honeſtatem talibus virtutibus intrinſecam, ſive quia decet creaturam rationalem ſic vivere. Immo juxta probabilem multorum Sententiam (de qua *Tract. ſeq.*) nequidem apparet turpitudo in actibus elicitis propter finem indifferentem.

Probatur III. Et confirmatur præcedens probatio: quia talis obligatio non oritur ex lege naturæ; illam enim non cognoſcunt communiter ſapientes & timorati, quorum cordibus lex naturæ eſt inſcripta, neque eitam infertur ex aliquo principio naturaliter noto. Deinde non oritur ex lege poſitiva divina: nullibi enim ſatis clarè talis obligatio exprimitur; quod tamen neceſſarium foret. Confirmatur: quia hæc obligatio non eſſet conſentanea humanæ infirmitati; impletio enim eſſet moraliter impoſſibilis, etiam timoratis. Deinde plurimi ſaltem hanc obligationem invincibiliter ignorantes, ſive quia numquam eis venit in mentem, ſive quia oppoſitum à prudentibus paſſim ſunt edocti, non peccabūt, etſi opera omnia actu vel virtute in Deum non referant.

Nec obſtat, quòd Apoſtolus 1. *ad Cor.* 10. & *ad Coloſſ.* 3. dicat, omnia facienda in gloriam Dei, ſive in nomine Chriſti: nam ſolùm dat conſilium, non autem præceptum, niſi quo jubeatur ut opera ſint talia, quæ ſint nata cedere in gloriam Dei, cujuſmodi ſunt etiam opera virtutum moralium; aut ſaltem ſint referribilia in gloriam Dei, uti opera indifferentia; aut denique ne fiant in nomine Simonis Magi, Angelorum Novantium, aut Moyſis, ſed Chriſtus ſtatuatur vitæ & actionum noſtrarum ultimus finis. 25. *Explicatur locus Apoſtoli.*

Non obſtat II. *Auguſtinus lib.* 83. *quæſtionum q.* 30. ubi ait: *Omnis humana perverſio eſt, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle atque utendis frui.* Frui autem juxta ipſum eſt, amore alicui rei inhærere propter ipſam; quo modo juxta *Auguſtinum* eſt ſolo Deo fruendum, ceteris autem creaturis utendum; adeòque opera etiam virtutum moralium juxta *Auguſtinum* ſunt vitioſa, ſi in earum objectis ſiſtatur. Non obſtat inquam: quia frui bono creato, etiam virtutis moralis, propter ipſum tantùm, excluſivè ſeu cum excluſione ultimi finis, eſt quidem vitioſum juxta *Auguſtinum*; quando ſcilicet homo eligit tale quid pro ratione ſummi boni, prout ethnici Philoſophi variè fecerunt; vel boni irreferribilis in aliud bonum ſublimius, prout facit ſaltem interpretativè qui peccat mortaliter, quatenus eligit bonum creatum modo incompatibili cum ultimi finis conſecutione. Similiter facit cum proportione peccans venialiter, quatenus actus peccaminoſus ex natura ſua excludit relationem ad uti-

Quo ſenſu non ſit fruendum bono creato.

ad ultimum finem. Non eſt tamen vitioſum, frui bono creato præciſivè, id eſt, ſic amare bonum creatũ præſertim honeſtum, ut expreſsè non referatur ad ultimum finem: nam equidem talis relatio non excluditur, ſed potiùs ex natura rei tacitè ſeu interpretativè in actibus virtutum moralium continetur.

26. *Explicatur locus difficilis S. Auguſtini.* Non obſtat III. idem *Auguſtinus lib.* 4. *contra Julian. c.* 3. ubi apertè videtur aſſerere non eſſe veram aliquam virtutem aut bonũ opus in infidelibus defectu relationis in ultimum finem per affectum ex fide procedētem. Quod adeò clarum apparuit *Janſenio Iprenſi l.* 4. *de Statu nat. lapſæ c.* 27. ut articulum *Baii* paulò ſuprà relatum exiſtimaverit ob contrariam opinionem tunc in Scholis receptiſſimam ſolùm fuiſſe prohibitum velut ſcandaloſum pro tempore quo mens *Auguſtini* non ſatis elucidata erat, quã ſe clariſſimè elucidaſſe credebat; ut proinde putandum non ſit doctrinæ iſti quoad ſubſtantiam, utpote *Auguſtini* (cujus doctrinam toties Sedis Apoſtolica probavit) eſſe præjudicatum. Qua in re hic Auctor non bene proceſſit: cùm enim clariſſimè de articuli prohibitione & damnatione pontificia conſtet, potiùs inferendum erat pro gloria *Auguſtini*, non eſſe hanc illius mentem ſeu ſenſum, utpotè longè clariùs damnatum, quàm oſtendatur eſſe ipſius. Dico itaque *Auguſtinum* loqui de operibus bonis meritoriis, ſeu fructuosè bonis, ut ex eodem cap. ſatis manifeſtum eſt. Quo ſenſu etiam ibidem inter alia dicit: *Abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus.* Quod niſi bene explicetur, eſſet diſſonum fidei. Allegat quidem ibi exempla Ethnicorum ex officio ſeu objecto bona, ſed pravo fine vitiata; quæ meritò taxat tãquam vera peccata. At non eſt neceſſe, ut omnia ſint talia: cum *l. de Spir. & litt. c.* 27. manifeſtè in infidelibus opera ſimpliciter, adeòq; ex fine, laudabilia & bona agnoſcat: *Quamquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix ſeu pauca inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur*, ut *S. Doctor* ibidem ſubdit.

QUÆSTIO V.

An idem homo poſſit intendere plures fines ultimos?

27. *Non poſſunt licitè intendi plures fines ultimi.* DICO I. Certum eſt neminem poſſe licitè intendere plures fines ultimos, ſive conjunctim, ſive diviſim: eò quòd fides doceat tãtùm eſſe unicum, quem ſolùm ſibi præfigere omnes debeant, niſi quis fortè tã rudis reperia ur & ſtolidus, qui ob ignorantiam invincibilem excuſetur à peccato formali, & tantùm peccet materialiter: ſicut enim fortaſſe poteſt ignorantia invincibilis Dei in aliquo reperiri, ſaltem pro pauco tempore; ſic faciliùs poſſet reperiri talis ignorantia ultimi finis in aliquo, qui proinde abſque peccato formali poſſet ſibi præfigere falſum finem ultimum, donec meliùs inſtructus præfigat ſibi finem verum, qui eſt Deus.

DICO II. Similiter certum eſt non repugnare, quòd diviſim ſeu ſucceſſivè quis modò hunc, modò illum finem tamquam ultimum intendat, etſi illicitè: nam exiſtimare poteſt, nunc hic, nunc ibi complementum ſui deſiderii, & ſatiationem appetitûs contineri. Quemadmodum etiam eodem tempore diverſi diverſos ſibi fines ultimos præfigunt. 28. *Illicitè tamen poſſunt diviſim intendi plures etiam totales*

DICO III. Non poteſt idem homo conjunctim ſeu ſimul præſtituere ſibi duos fines ultimos totales. Dico *totales*: quia poſſet quis ex erronea opinione conſtituere ſummum bonum in aggregato ex variis v.g. bonis creatis: qui proinde poſſet ſimul per diverſas intentiones diverſas iſtius aggregati partes, v.g. divitias, honores &c. adeòq; diverſos partiales fines ultimos intẽdere. Ratio Concluſionis eſt: quia de ratione finis ultimi totalis eſt, quòd ſine illo bene nõ ſit, ipſe autem ad beatè eſſe ſufficiat: in illo autem caſu, vel unus id prẽſtaret ſine altero, & tunc alter ad hoc non neceſſarius non eſſet finis ultimus; vel unus ſine altero id non præſtaret, & ſic neuter eſſet totalis. 29. *Non conjunctim ab eodem.*

Dices I. Qui peccat mortaliter conſtituit finem ultimum creaturam, & tamen ſimul habet pro ultimo fine Deum, ſaltem quando peccator eſt fide & ſpe Theologicâ præditus. Aſſumptum docent Theologi cõmuniter contra *Adrianum*: quia ſic loquitur Scriptura de peccatoribus *Jerem.* 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas &c. Joan.* 12. *Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Et ad *Epheſ.* 5. avaritia vocatur *idolorum ſervitus.* Et ad *Philipp.* 3. de ventri deditis dicitur: *quorum Deus venter eſt.* Similia habent Patres. Et hinc Theologi in materiis moralibus frequenter aſſerunt peccata certis virtutibus oppoſita tantùm eſſe venialia, niſi in iis conſtituat homo ultimum finem, dum videlicet ſic iis afficitur, ut propterea paratus ſit tranſgredi legem graviter obligantem, adeòque violare amicitiam Dei. Reſp. peccantem mortaliter conſtituere in creatura ultimum finem, non propriè; cùm non exiſtimet objectum peccati mortalis continere omne ſeu ſummum bonum: ſed ſolùm interpretativè ſeu ſecundùm quamdam æſtimationem moralem, quatenus dum amore peccati deſerit ſummum bonum, cenſetur illud pluris æſtimare, ac proinde ſibi facere ſummum bonum. Cum quo coincidit, quod alii dicunt, peccatorem ſtatuere ultimũ finem in creatura, quatenus amat illam; quæ ipſum excludit à conſecutione ultimi finis: vel (quod alii dicunt) quatenus negligit amicitiam *Peccans mortaliter ſtatuit finem ultimum in creatura interpretativè.*

tiam Dei, ut aliquid creatum aſſequatur, atque ita illud appretiativè præponit Deo.

Secùs eſt, de peccante venialiter. Petes, An idem dici poſſit de peccante venialiter. Reſp. Neg. etſi enim creatura ſit finis operis venialiter mali, cum illud in Deum non ſit referribile, non eſt tamen finis operantis; cùm operans equidem maneat Deo conjunctus per gratiam, nec ideo amittat jus ad finem ultimum conſequendum.

30. Dices II. Poſſet quis apprehendere duo aliqua bona, quorum quodlibet ſeorſim exiſtimaret ſufficere ad ſatiandum appetitum, atque adeò ad bene eſſe; ſaltem ſupponendo errorem & ignorantiam in apprehenſione operantis. Reſp. ejuſmodi errorem vix aut nullatenus poſſe contingere: quia vel duo illa bona apprehenderentur tamquam incompoſſibilia, & tunc nequit voluntas utrumque, ſed alterutrum dumtaxat intendere tãquam conſequendum. Vel apprehenderentur tamquam compoſſibilia, & tunc apparet in terminis repugnantia, quòd unum eorum perfectè ſatiet voluntatem; utpote cui deeſſet tantum bonum, cujus eſt capax, immo beatitudo, ſaltem partialis ſeu quoad medietatem. Deinde poſito præfato errore in intellectu, equidem voluntas non tenderet in utrumque bonum modo proprio ultimo fini, qui eſt, ut tendat in ipſum voluntas tamquam in bonum ceteris præferendum; in quod cetera rationabiliter ordinari, & propter quod cetera meritò contemni debeant: at poſito præfato errore, neutrum è duobus eſt alteri præferendum, aut in alterum ordinabile, neque poteſt alterius reſpectu contemni: quodlibet igitur excludit conſortium alterius ſimul, etiam ſub diſjunctione præfigendi inſtar ultimi finis propriè dicti. Unde eo caſu actus voluntatis falſificat actum intellectûs; utpote modo tendendi deſtruens proprietatem ultimi finis, quem tamen intellectus proponebat. Confirmatur: quia fines ultimi apprehenſi ſub diſjunctione ponantur v. g. honor & divitiæ: ergo divitiæ poterunt contemni propter honores, & contrà, & unum ad alterum ordinari; aliàs neutrum erit ultimus finis.

Adverte tamen Sermonem eſſe de finibus totalibus poſſidendis, quoad bonitatem formaliter ſeu ſpecie diſtinctis: ſi enim tantùm materialiter diſtinguantur aut ſolo numero, eò quòd videlicet ratio formalis bonitatis utriuſque ſit omnino ejuſdem rationis & ſpeciei, non repugnat plures appeti ſub diſjunctione: tunc enim ſunt moraliter idem finis. Sic ſi finis ultimus ſtatuatur in divitiis, perinde eſt, an quis habeat has vel illas numero divitias: ſicut modò perinde eſt, an quis habeat hanc vel illam numero viſionem aut fruitionem Dei, cùm etſi ſit diſparitas intenſionis, ſit tamen paritas quantùm ad hoc, quòd ſint omnes poſſeſſio perfecta ſummi boni.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Beatitudine Formali.

1. HANC ſuprà diximus conſiſtere in conſecutione ultimi finis, & certâ illius cum homine unione. Poteſt autem unio excogitari varia. Prima eſt unio ſeu conjunctio dependẽtiæ hominis à Deo tamquam causâ primâ; quæ eſt omni creaturæ communis, & hujus vitæ, adeòque non conſtituit hominem beatum. Secunda, quâ Deus conjungitur omni creaturæ per intimam præſentiam ſive penetrationem: in qua ob eamdem rationem non poteſt beatitudo conſiſtere. Tertia eſt unio hypoſtatica, quæ ſoli humanitati Chriſti competit, adeòque in ea non poteſt conſiſtere hominum beatitudo. Deinde hæc unio non conjungit hominem vitaliter Deo; prout juxta omnes facere debet beatitudo. Denique nõ tantùm animæ Chriſti, ſed etiam corpori competit, rebuſque inanimatis convenire poſſet.

Varia cum Deo unio à ratione formali beatitudinis excluditur.

Quarta eſt unio per gratiam ſanctificãtem, quæ eſt communis omnibus juſtis in hac vita, item amiſſibilis ſeu non ſtabilis, compatibilis cum plurimis miſeriis, & ad ulteriorem unionem alterius vitæ ordinata; ac proinde beatitudo in illa unione conſiſtere non poteſt. Nihilominus imperfecta quædam hujus vitæ beatitudo conſiſtit in hac unione per gratiam, ceteraſq; virtutes, præſertim Theologicas, earumque exercitium: non quòd in hac vita ſit aliqua bonorum complexio, quæ ſecundùm ſe nomen beatitudinis mereatur, ubi miſeriæ longè præponderant, ſed propter perfectam & futuram beatitudinem imperfectè ſeu in radice poſſeſſam. Sicut enim filius à Rege adoptatus ratione juris ad regnum dicitur felix & dives; ſic filius à Deo adoptatus per gratiam, ratione juris ad æternam hereditatem poteſt dici, & in Scriptura paſſim dicitur beatus, etſi alioquin in multis afflictionibus verſetur.

Quinta eſſe poſſet unio ſeu conjunctio per contemplationẽ & amorem naturalem, quæ tamen nullatenus nos efficit beatos: ſive in hac vita, ubi nequidem id præſtat quantumlibet perfecta cõtemplatio & amor Dei ſupernaturalis: ſive in futura vita, ubi juxta fidem Catholicam præmium & beatitudo erũt ſupernaturalia. Alioquin ſi homo eſſet conditus in ſtatu naturæ puræ (quem ſolum Philoſophi gentiles potuerunt agnoſcere) beatitudo

beatitudo formalis alterius vitæ fuiſſet ſimiliter naturalis ſita in cognitione & amore naturali Dei ſuper omnia, adjunctâ carentiâ miſeriarum, præſertim peccati, & boni illius ſtabilitate.

Sexta unio à quibuſdam ponitur, quâ nobis communicetur ipſa increata Dei viſio, & increatus amor, quibus ſeipſum videt & amat.

Septima ponitur in quodam illapſu Deitatis in Eſſentiam animæ beati, & ſecundariò in potentias.

Octava unio eſt per viſionem & fruitionem. De his tribus poſterioribus modis reſtat agendum in ſequentibus Quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

An Beatitudo formalis conſiſtat in increata viſione & fruitione Dei hominibus communicatâ?

2. AFFIRMARUNT id olim nonnulli Doctores Pariſienſes, teſte *Greg. Ariminenſi 2.d.7. qu. 2.* Nonnulli alii ſaltem id poſſibile exiſtimarunt. Et de Chriſto ſpecialiter aſſeruit *Hugo de S. Victore To.3. Opuſc. de ſapientia animæ Chriſti*, communicatam fuiſſe animæ illius ſapientiam increatam Chriſti.

Formalis beatitudo noſtra non conſiſtit in actu increato Dei Sed omnino dicendum eſt beatitudinem noſtrã non conſiſtere in increata viſione & fruitione Dei. Ita Doctores unanimiter: inter quos varii oppoſitum temeritatis notant; immo *Arriaga* non dubitat, quin ſit erroneum. Quidquid autem ſit de cenſuris,

Ex communi conſenſu Probatur aſſertio Primò: quia oppoſita Sententia eſt gratis conficta ſine ullo fundamento in Scriptura vel Patribus, immo contra torrentem omnium Doctorum: cùm tamen ſine urgenti fundamento communicatio adeò admirabilis, ſi non impoſſibilis, aſſeri nequeat. *Fundato in doctrina revelata,* Secundò, quia Scriptura ſignificat beatitudinem conſiſtere in operatione noſtra; quæ ex genere ſuo eſt quid creatum. De qua proinde ab omnibus intelligitur illud 1. *Joan.* 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt.* De viſione ſimiliter creata, ſed ſupernaturali, ad quam proinde intellectus beatorum ſit elevandus per lumen gloriæ, omnes intellexerunt definitionem *Clementinæ, Ad noſtrum, de Hæreticis.*

3. Tertiò ſolet allegari *VI. Synodus*, in qua damnantur *Monothelitæ* agnoſcentes in Chriſto non aliam quàm divinam voluntatem ſeu volitionem. Quòd ſi quis verò contendat non ſenſiſſe *Monothelitas*, quòd voluntas humana Chriſti per volitionem increatam Verbi voluerit, ſed potiùs quòd ipſa fuerit otiata (prout ex confeſſione *Macharii Monothelitarum* principis contendit *Vaſquez Tom.1.in 3.p.d.73.c.1.*) *Signanter in VI. Synodo,* Equidem urget Doctrina Synodi adſtruentis cuique naturæ in Chriſto ſuam voluntatem & operationem propriam, nec potuiſſe unius operationes alteri communicari. *Agit utraque forma* (inquit *Synodus citata act.* 17. *in Confeſſ. fidei* ex *Leone Papa Epiſt.* 10. *ad Flavianum*) *cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt: nec enim in quoquam unam dabimus operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum eſt in divinam educamus Eſſentiam, neque quod eximium eſt divinæ naturæ ad competentem creaturis locum dejiciamus.* Ergo ſimiliter actus increatus Dei nequit communicari beatis, ſic ut per illum videant & ament Deum.

Quartò beatitudo ſecundùm Auctoritates eſt vita æterna: vita autem debet eſſe interna viventi, & ab eo procedere, aut certè connaturaliter id exigere: quod non competit actui increato Dei reſpectu hominis. Confirmatur: quia actus increatus eſt ipſe Deus; Deus autem nequit per ſeipſum ſupplere effectum formalem actûs vitalis: cùm hic debeat eſſe internus viventi, immo ab eo procedere, ſaltem juxta naturalem exigentiam. 4. *Et multiplici ratione Theologicâ.*

Quintò talis communicatio eſſet magis ſublimis & admirabilis, quàm unio hypoſtatica; vi cujus divinæ perfectiones non conveniunt immediatè naturæ humanæ, nec eam formaliter denominant (prout hîc fieret, eò quòd illud requiratur ad vitaliter intelligendum & volendum) ſed tantùm tribuuntur humanitati Chriſti in concreto per communicationem idiomatum, eò quòd reperiantur in eadem perſona, quæ eſt homo & Deus.

Sextò eâdem ratione poſſent creaturæ communicari potentia, ſapientia & alia Dei attributa, ſic ut ipſa eſſet omnipotens per omnipotentiam Dei, immenſa &c. prout quidam Hæretici de humanitate Chriſti finxerunt, dicentes idcirco eam eſſe ubique: hæc autem ſunt abſurda.

Denique alioquin contra fidem omnes eſſent æquè beati, & viderent in Deo æquè multa: nam forma invariata habet æqualem effectum formalem, & ſe totam ſingulis communicat. Unde ex ſimili capite contra Hæreticos oſtenditur, nos non eſſe juſtos juſtitiâ ipſius Dei, eò quòd alioquin omnes eſſent æquè juſti. Ex his, ſignanter tertiâ, quartâ, ſextâ & poſtremâ probatione liquet, ejuſmodi communicationem non ſolùm de facto non dari, ſed etiam non eſſe poſſibilem; prout quoque Doctores unanimiter tradunt.

Objicitur I. Auctoritas *Auguſtini Ep.* 112. ubi *cap.*12. cùm quæſiviſſet, *Quare non eſt auſus dicere,* Ambroſius ſcilicet, *Denique nec Apoſtoli Chriſtum videbant, ſed ait: Nec Apoſtoli omnes; tãquam aliqui tunc viderent eâ viſione in qua ipſe & Pater unum ſunt;* quæ eſt viſio increata. Subdit *c.*13. viſionem divi-

mur conſortes divinæ naturæ per gratiam (quæ etiam juxta *Scotum* & plurimos Doctores non reſidet immediatè in ſubſtantia animæ, ſed in voluntate; utpote à charitate indiſtinctâ) & alia dona, à quibus omnibus *Henricus* iſtum illapſum diſtinguit: ergo &c.

Confirmatur I. Quia ablato illapſu (quē *Henricus* imaginatur) & ſtantibus ceteris, homo erit perfectè ſatiatus & beatus vitali conſecutione & poſſeſſione Dei. Deinde beatitudo ipſius Dei increata conſiſtit in viſione & fruitione increata ſui: ergo ad inſtar illius, ſtatuenda eſt beatitudo filiorum Dei in ejuſdem viſione & fruitione creata.

9. Dices I. Hinc ſequitur ipſam animam non fore beatam. Reſp. Neg. Seq. quia anima per ſuas potentias intellectivas poſſidet humano & vitali modo ſummum bonum, quod alioquin ita poſſidere non poſſet. Quare ſicut intellectu intelligente anima intelligit, voluntate volente aut peccante anima vult aut peccat, viſu vidente videt anima, atque ipſe homo; & quidem principaliter: ſic anima ſimiliter eſt beata formaliter per actus ſuarum potentiarum; præſertim cùm in Sententia *Scoti* & aliorum communiùs potentiæ ſint ab anima realiter indiſtinctæ.

Quæ formaliter eſt beata per actus ſuarum potentiarum.

Dices II. Anima beati ſecundùm Patres transformatur & deificatur; quod fieri non poteſt niſi per illapſum. Reſp. partim id fieri per gratiam & dona ſupernaturalia, per quæ etiam in hac vita reddimur divinæ conſortes naturæ, ut dicitur 2. *Petri.* 1. partim fieri moraliter ſecundùm affectum beati, qui in Deo clarè viſo eſt totaliter abſorptus. Quod etiam ſuo modo cernitur in Sanctis hujus vitæ, qui frequenter velut ſui obliti ita rapiuntur in Deum obſcurè per ſolam fidem cognitum, ut in eo ſolo vivere ſibi videantur, clamantes cum Apoſtolo *ad Philipp.* 1. *Mihi vivere Chriſtus eſt.*

10. Dico II. Beatitudo formalis non conſiſtit in aliquo habituali dono, ſed in operatione. Ita unanimiter Theologi. Primò, quia Auctoritates tractantes de Beatitudine ſemper eam explicant per actus. Secundò, quia eſſe beatum eſt quoddam vivere; quod ſoli actui convenit: habitus enim eſt quid mortuum, & reperitur etiam in dormientibus & otioſis. Tertio, quia nullum bonum, quantumvis magnum aut menti unitum, poteſt illam facere beatam, niſi rationali modo poſſideatur, ejuſq; bonitas & dulcedo ſentiatur: quod ſoli vitali operationi convenit. Quartò, quia ſecluſo quovis habituali, & ſtantibus continuò actibus (qui produci poſſent a Deo ſupplente defectum habituum) nil deeſſet ad perfectam beatitudinem videntis Deum, eoque fruentis. Quintò, quia illud habituale vel foret lumen gloriæ, vel gratia ſanctificans ſeu charitas: utrumque autem ſolùm eſt principium effectivum gloriæ ſeu beatitudinis. Et ſpecialiter gratia ſeu charitas eſt ſemen gloriæ, habetque locum in viatoribus: in quibus tamen nil eſt de gloria eſſentiali ſeu beatitudine formali. Denique beatitudo eſt ultima perfectio hominis, & complementum omnis boni cujus homo eſt capax: atqui id competit ſoli actui & operationi; eò uſque enim cenſetur homo adhuc ſe habere incompletè & in potentia: habitualis namque diſpoſitio ad actum ordinatur; actus autem ad nullam aliam perfectionem intrinſecam, ſed ad objectum, cui mentem conjungit, & in quo eſt ſtatus.

Beatitudo non conſiſtit in habitu, ſed in operatione.

Nec obſtat, quòd habitus ſupernaturalis ſit perfectior actu ſupernaturali: quidquid enim de hoc ſit (de quo Auctores diſputant) beatitudo formalis ſumi non debet ex qualicumque majori perfectione, ſed ex perfectiſſimo modo poſſidendi objectum beatificum, qui cernitur in actu, per quem vitali & rationali modo immediatè attingimus & poſſidemus objectum. Unde non beatitudo formalis, ſed objectiva debet eſſe abſolutè ſumma perfectio: formalis autem beatitudo debet eſſe ſumma in modo poſſidendi, & conſequendi objectum. Quare unio hypoſtatica, etſi ſit perfectior in entitate, quàm actus vitalis, non eſt tamen formalis beatitudo. 11.

Quà perfectiſſimè poſſideatur Deus: quidquid ſit de majori perfectione habitûs.

QUÆSTIO III.

An Operatio beatifica debeat produci ab ipſo Beato?

Nominales cenſent produci à ſolo Deo, animâ beati paſſivè ſe habente. Sed oppoſitum docent ceteri Doctores communiter: quorum aliqui (ut *Cajetanus*) cenſent opinionem *Nominalium* eſſe damnatam in *Concilio Viennenſi* (quod refertur *Clem. Ad noſtrum, De hæreticis*) quatenus ibi definitur beatos indigere lumine gloriæ animam elevante ad videndum Deum, eoque beatè fruendum; non enim indigent niſi ad videndum activè. Sed rectè Alii (ut *Vaſquez*, *Smiſing Tr. 2. de Deo d. 6. n. 275.*) cenſuram hanc cenſent nimiam: quia ſcopus *Clementinæ* eſt ſolùm damnare Hæreticos, qui dicebant hominem naturaliter eſſe beatum, nec indigere ſupernaturali Dei influxu ad illum videndum: qui influxus, an ſit totalis, an partialis cauſalitas reſpectu operationis beatificæ; & an ſit actuale vel habituale quod activitatem potentiæ elevet, Concilium non curavit. 12.

Operatio beatifica producitur a beato.

Quod tamen non definivit Concilium Viennenſe.

Solet etiam probari communis Doctrina ex natura actûs vitalis (qualis eſt vita 13.

æterna ſeu beatitudo) quaſi dicat eſſentialem ordinem ad potentiam vitalem à qua producatur. Sed probatio non ſubſiſtit: nam (ut rectè ultra *Nominales* & *Scotiſtas* docet *Leſſius* & plerique alii) actus vitalis involvit quidem intrinſecè ordinem aptitudinalē ſeu reſpectum tranſcendentalem ad principium vitæ, adeòque connaturaliter poſtulat effectivè procedere à principio vitali, non ita tamen, quin Deus ſupplere poſſit effectivam cauſalitatem principii vitalis, ſe ſolo producendo totam ſubſtantiam actûs vitalis, qui eſt quædam qualitas, quique nihilominus ordinem aptitudinalem ad ſuum naturale principium retinebit; quemadmodum retinet accidens ordinem ad ſubjectum, etiamſi per Deum extra omne ſubjectum fuerit poſitum.

Nec ſequitur ex natura actûs vitalis, quaſi implicet produci à ſolo Deo.

14. Ipſe *Leſſius* & plures alii probant Concluſionem ex eo, quòd ſaltem in caſu quo actus vitalis non procederet à potentia vitali, non poſſet reddere ſeu denominare ipſam intelligentem aut volentem: ſi enim potentia ſe merè paſſivè habeat, actus erit in ipſa modo mortuo, ſicut in lapide, in quo ſi poneretur intellectio, non idcirco diceretur intelligens: cùm intelligere importet, vitaliter percipere objectum, quòd plus denotat quàm merum pati, videlicet ipſius prætereà vitæ ſeu potentiæ vitalis concurſum, qui nequit eſſe alius, quàm efficiens.

Hæc probatio ſatìs probabilis eſt. Nihilominus non videtur efficax: nam cum multis Doctoribus reſpōderi poſſet, quòd eo caſu adhuc intellectus intelligeret, & voluntas vellet, vitaliter percipiendo objectum; ſecùs quàm lapis: eò quòd ad hoc ut intellectio & volitio faciant ſubjectum ſuum actu intelligens & volens, requiratur & ſufficiat, eſſe in ſubjecto vim perceptivam proportionatam; quæ ſolùm reperitur in potentiis vitalibus & intentionalibus, à quibus actus connaturaliter deberet procedere, & à quibus conſequenter objectum percipitur, eo ipſo quòd actus illam informet. Confirmatur: quia implicat formam ſeu qualitatem informare ſubjectum connaturale, & non tribuere ei effectum formalem proportionatum; adeòque intellectionem eſſe in intellectu, & hunc per illam non intelligere: non enim intellectus intelligit per intellectionem actionem, ſeu actionem productivam conceptus intellectivi (utì per illam non tendit in objectum, neque illud attingit) ſed per ipſum actum ſeu terminum productionis, qui eſt formalis attingentia objecti, illud exprimendo, aut in illud inclinando. Deinde implicat potentiam perceptivam objecti habere perceptionem actualem & eſſentialem objecti, nec tamen illud percipere.

Quod adeò non implicat, ut etiam tunc denominare poſſet potentiam videntem & fruentem.

15. Melius itaque communis Doctrina probatur: quia anima beati ad operationem beatificam, quantumvis ſupernaturalem, effectivè concurrere poteſt; prout voluntatem in hac vita concurrere ad actus ſupernaturales certum eſt ex *Trident. ſeſſ. 6. Can. 4.* ipſa quoque operatio, utpote vitalis connaturaliter hoc exigit: ergo de facto ita fit, cùm aliundè nulla ſit omnino ratio in oppoſitum.

Vera Aſſertionis probatio.

Dices I. Inde ſequeretur; quòd non ſolus Deus, ſed etiam quilibet beatus ſemetipſum beatificet; quod videtur abſurdum. Confirmatur: quia beatitudo eſt præmium; nemo autem cauſat ſibi ipſi præmium, ſed illud accipit à præmiante. Reſpond. Neg. Seq. eò quòd vulgariter talis locutio intelligatur de cauſa principali beatificationis, quæ eſt Deus. Alioquin intellecta de cauſa minùs principali, non eſt abſurda, ſed veriſſima, tùm quatenus per opera meritoria juſtus beatitudinem promeretur, tum quatenus beatus in patria illam coëfficit. Quo ſenſu etiam *1. Joan.* 3. dicitur: *Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe*; & tamen primarius ſanctificator eſt Deus. Ad Confirmationem dico, falſum ſimiliter eſſe, quod præmium procedere nequeat minùs principaliter ab eo qui præmiatur; immo ratio naturalis præmii aliquando, & in præſenti propoſito id exigit. 16.

Quo ſenſu admitti poſſit, hominem beatificare ſeipſum.

Dices II. Sequeretur quòd anima poſſet interdum ab actu beatifico ceſſare. Reſpond. Neg. Seq. ſive quia obſtat ipſa natura actûs beatifici, ſive quia Deus id impedit. De quo poſtea.

Dices III. Sequeretur quòd ceteris paribus intellectus perfectior perfectiùs videret Deum, & voluntas perfectior eo perfectiùs frueretur. Negant Plerique Seq. Sed meliùs reſpondetur, Conſequens non eſſe abſurdum; ut ex profeſſo *Prima Parte Tract.* 1. *diſp.* 5. *q.* 5. oſtenſum fuit.

Dices IV. habitus gratiæ & lumen gloriæ debent produci à ſolo Deo juxta Doctores communiter: ergo ſimiliter operatio beatifica, quæ eſt perfectior. Reſp. Neg. Seq. quia eſto, quòd operatio ſit perfectior (quod tamen negari poſſet, aut certè dubium eſt) non quidquid poteſt producere perfectius, poteſt imperfectius, nec perfectius ſemper requirit perfectius principium; ſic ignis producit formam alterius ignis, non tamen materiam, quæ eſt imperfectior: Angelus producit intellectionem, non tamen albedinem, quæ eſt longè imperfectior &c.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An formalis beatitudo conſiſtat in operatione intellectûs, an verò voluntatis?

17. *Operatio beatifica nequit eſſe in parte ſenſitiva.*

NOn fit hîc mentio potentiarum ſenſitivarum, ſive exteriorum, ſive interiorum: cùm enim beatitudo objectiva ſit bonum ſpirituale & inſenſibile, manifeſtum eſt, in operatione harum potentiarum formalem beatitudinem non conſiſtere, ut proinde meritò, etiam à ſuis, reprehenſus fuerit *Conrardus Vorſtius* Calviniſta (ut refert *Malderus q. 3. a. 3.*) quòd docuerit Dei faciem videri ab oculo corporeo hominis jam beati.

In parte verò rationali conſiderari poſſunt operationes variæ.

In parte autem intellectiva ſeu rationali hominis variæ operationes cōſiderari poſſunt; in ipſo quidem intellectu viſio clara Dei, quæ ſuccedit fidei & obſcuræ cognitioni hujus vitæ: in voluntate verò tentio, ſeu (ut Alii vocant) comprehenſio, quâ voluntas beatorum inhæret Deo viſo tamquam ſuo bono, illumq; quaſi tenet, jugiterq; ſtringit; eſtque amor concupiſcentiæ correſpondens ſpei, quâ hîc tendimus in Deum ejuſque poſſeſſionem abſentem. Denique eſt in eadem volūtate fruitio beatifica ſeu amor amicitiæ, quo beati in Deum viſum, ejuſque bona, quatenus Dei ſunt, ardentiſſimo affectu feruntur: *Frui namq; eſt amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam* juxta *Aug. l. 1. de Doctr. Chriſt. c. 4.* Aliqui tamen per fruitionem intelligunt ipſam delectationem, ſive amorem prout complectitur gaudium: imo juxta *D. Bonav. 4. d. 49. p. 1. a. 1. q. 5. in corp.* fruitio complectitur viſionem, tentionem & dilectionem. Nos autem cum *Scoto* & aliis nomine, fruitionis, intelligemus amorem beatificum ſeu dilectionem Dei præſentis & viſi. Præter has operationes eſt duplex gaudium, unum conſequens fruitionem, alterum tentionem. De quo *q. ſeq.* His præmiſſis, celebris reſtat, & præcipua in hac materia controverſia, in qua operatione ex prædictis conſiſtat formalis beatitudo?

18. *De quibus quantùm ad præſentem quæſtionem variè ſentiunt ſeu loquuntur Doctores.*

D. Thomas q. 3. art. 4. cum ſuis, & multis aliis ſtatuit illam eſſentialiter in ſolo actu intellectûs, ſcilicet viſione beatificâ. *Scotus* cum ſuis & Nonnullis aliis in ſolo actu voluntatis, ſcilicet fruitione, ſeu amore beatifico. Noſtri *Alenſis, Bonaventura, Richardus, Aureolus, Vega, Corduba,* ac præterea *Valentia, Leſſius* & plures alii in actu intellectûs & voluntatis ſimul. Inter hos autem *Vega* & alii requirunt ſolùm duas operationes ſcilicet viſionem & amorem. *D. Bonav.* verò *4. d. 49. p. 1. art. 1. q. 5. in corp.* & alibi requirit inſuper tentionem. Alii adjungunt gaudium; & quidem *Leſſius l. 2. de ſummo bono c. 5.* Et *1. 2. q. 3. art. 4. dub. 1.* duplex gaudium beatitudini eſſentiale ſtatuit, unum concupiſcentiæ, quo Beatus gaudet de Deo poſſeſſo, ſicut avarus gaudet obtentâ pecuniâ: alterum amicitiæ, quo gaudet videns Deum tantis bonis affluere, quatenus Dei ſunt. Pro reſolutione hujus controverſiæ, quæ non parum de nomine videtur habere admixtum, ut poſt *Occamum* notavit *Vaſquez d. 10. n. 8.*

19. *Et quidem ad perfectum beatitudinis ſtatum variæ operationes intellectûs & voluntatis concurrunt.*

DICO I. Non eſt dubitandum, quin ad perfectum ſtatum beatitudinis concurrant variæ operationes, tum intellectûs, tum voluntatis, & ad integrum illius complementum de facto requirantur. Beatitudo namque ſumpta pro ſtatu completo *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus;* ut eam deſcribit *Boëtius l. 3. de conſolatione Philoſophiæ proſâ 2.* Multum autem boni deficeret, ſi vel ſolus intellectus videret, vel ſola voluntas amaret, vel de ſummo bono clarè viſo & amato nulla ſentiretur voluptas, ſeu gaudium. Gaudium dico, præſertim amicitiæ: quàmvis enim ad omnino perfectum beatitudinis complementum etiam concurrant & quodammodo requirantur amor & gaudium concupiſcentiæ; cùm beatitudo poſtulet perfectam & completam unionem mentis cum Deo, ad quam pertinet amor concupiſcentiæ, qui tentio vocatur, quo Deum jam obtentum tamquam maximum bonum noſtrum cupimus tenere, & gaudium conſequens, quod eſt vitalis quædam ſuavitas ac quies in Deo jam obtento, quatenus eſt bonum noſtrum: Nihilominus ſi quis ita in Deum viſione, amore, & gaudio amicitiæ eſſet abſorptus, ut nihil de ſuis commodis cogitaret, nec de illis, ſed ſolùm de bonis Dei, quia Dei ſunt, ineffabiliter gauderet, eſſet verè beatus, & perfectè quietatus: Beati enim non ſunt de ſe ipſis ſoliciti, ſed omnia ſua ad Deum referunt. Et conformiter ad hanc concluſionem admitti poſſet Sententia *Leſſii* mox relata; non tamen, quaſi eſſentialis beatitudo conſiſtat in omnibus illis, quæ ipſe ſpecificat.

20. *Formalis tamen ſeu Eſſentialis beatitudo extenſivè in ſola viſione & fruitione conſiſtit.*

DICO II. Eſſentia formalis beatitudinis extenſivè ſumptæ recto ſenſu dicitur conſiſtere adæquatè in viſione intellectûs & fruitione voluntatis ſimul. Dico *extenſivè ſumpta*, id eſt, quatenus ſignificat completam attingentiam, ſeu adæquatam conſecutionem & poſſeſſionem ſummi boni. Concluſio eſt conformis principiis *Scoti 4. d. 49. q. 3. §. Ad quæſt. n. 5.* eamq; docent Recentiores frequenter.

Probatur: quia beatitudo formalis conſiſtit in perfecta adeptione Dei ſeu ſummi boni, idq; modo rationali, non enim poſſidetur corporaliter à beatis, per hoc

hoc quòd illum intrà ſeſe contineant vel realiter apprehendant, ſed ſolùm rationaliter per modum objecti: atqui conſequimur ſeu adipiſcimur perfectè Deum, tum videndo, tum fruendo, non enim ſolo intellectu, ſed etiam affectu conſequi & poſſidere Deum poſſumus: ergo rectè dicitur beatitudo formalis complecti adæquatè utramque iſtam poſſeſſionem, & ſingulas ſeorſim tantùm eſſe partialem & imperfectam beatitudinem. Cui non obſtat, quòd una operatio ſit alterâ perfectior: nam rectè poteſt una partium ſimul integrantium eamdem eſſentiam, præſertim quaſi artificialem, eſſe alterâ perfectior; immo in omni compoſito phyſico eſſentialiter includuntur partes, quarum una eſt alterâ perfectior. Confirmari poteſt *ex Extrav. Benedicti XII.* quæ incipit *Benedictus Deus.* in qua definitur quòd viſione & fruitione animæ ſint verè beatæ, & *Catechiſmo Romano in explicatione ultimi articuli Symboli*, ubì dicitur: *Beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, ut Deum videamus, ejus pulchritudine fruamur &c.*

21. Dices I. Beatitudo eſt operatio omnium optima & perfectiſſima, adeoq; una tantùm. Reſp. eſſe perfectiſſimam, ſimiliterq; unam, non ſimplicitate, ſed aggregatione quadam. Eſtque hæc aggregatio duplex quidem operatio, una tamen beatitudo, & adæquata ac perfectiſſima ſummi boni aſſecutio.

Dices II. Eâdem ratione etiam amor concupiſcentiæ ſeu tentio, & gaudium beatificum dici debebunt ſpectare ad eſſentiam formalis beatitudinis: immo etiam operationes & delectationes ſenſuum. Reſp. Neg. Aſſ. quia per has operationes aut paſſiones non conſequimur formaliter ſummum bonum ſeu beatitudinem objectivam, adeòq; non ſpectant ipſæ ad eſſentiam beatitudinis formalis. Quod de operationibus & delectationibus ſenſuum eſt manifeſtum. De tentione ſimiliter patet; quia ipſa ſupponit ſummum bonum obtentum ac poſſeſſum, & ſolùm verſatur circa illud quatenus nobis bonum mediâ ipsâ poſſeſſione, quæ ingreditur tentionis objectum. Idemq; eſt de gaudio conſequente tentionem, quo beati gaudent de viſione, & fruitione ſeu de conſecutione Dei. Quemadmodum ſi ſumma felicitas conſiſteret in divitiis, earum quidem poſſeſſio eſſet formalis beatitudo, voluptas tamen quæ caperetur ex earum uſu ſeu poſſeſſione, non diceretur divitiarum poſſeſſio, quàmvis indubiè etiam ſpectaret ad beatitudinis complementum. Idem denique eſt de gaudio conſequente fruitionem ſeu amorem beatificum, ſi ab eo diſtinguatur: nam ſimiliter ſupponit conſecutionem ſeu poſſeſſionem ſummi boni ſecundùm eamdem rationem objectivam.

Excluſo amore concupiſcentiæ & gaudio beatifico,

Confirmatur: quia juxta nonnullos Doctores Chriſtus tempore paſſionis, quo ſummè triſtatus fuit, caruit omni gaudio beatifico, aut certè juxta alios Doctores communiter carere potuiſſet; ac etiam tunc manſiſſet verè & eſſentialiter beatus. Deinde beatitudo ſecundùm nos debet eſſe operatio; delectatio autem ſolùm eſt quædam paſſio.

Dico III. Si nomine Beatitudinis formalis intelligatur perfectiſſima ſummi boni poſſeſſio, quæ dici poſſet beatitudo intenſivè ſumpta (de qua *Scotus, D. Thomas,* & alii) eſt collocanda in ſola fruitione, ſive amore amicitiæ. Ita *Scotus ſup.* cum ſuis contra *D. Thomam, Leſſium, Amicum,* & alios. Et à parte rei concordant *Richardus* & varii Auctores tertiæ Sententiæ, quatenus præcipuas partes in beatitudine tribuunt fruitioni ſeu amori. Probatur Concluſio: quia beatitudo ſic ſumpta debet eſſe operatio optima, quâ perfectiſſimè & ultimatè occupatur ſummum bonum, & menti conjungitur; ſed talis eſt fruitio: ergo &c. Minor probatur: quia imprimis fruitio eſt operatio perfectiſſima potentiæ perfectiſſimæ, ſcilicet voluntatis, adeòq; eſt perfectior viſione. Quod inde etiam conſtat, quòd habitus charitatis ſit omnium perfectiſſimus teſte *Aug. 15. de Trinit. 19. In donis Dei nihil majus eſt charitate.* Deinde fruitio etiam perfectiſſimè & immediatè unit animam cum Deo, eamq; in Deum transformat; cùm viſio ſit tantùm imago & ſimilitudo intentionalis objecti præſentis. Denique fruitio eſt ultimò appetibilis, & ad hanc ipſa viſio ordinatur, ut nempe deitatem voluntati exhibeat præſentem, quatenus in ea ſic applicatâ voluntas pedem veluti affectûs ponendo eamdem poſſideat, ſicut etiam poſitione pedum corporalium capitur poſſeſſio rerum corporalium præſentium. 22.

At intenſivè ſumpta, in ſola fruitione

Utpote operatione optimâ,

Perfectiſſimè unitivâ,

Ultimâ.

Confirmatur Concluſio: quia maxima & maximè ſatiativa perfectio hominis debet cenſeri illa, quam homo ipſe maximè deſiderare debet, ipſeque Deus ab homine maximè deſiderari exigit; illa autem eſt perfectiſſimus amor Dei in patria, utì in via. Accedit denique illud *Philoſophi 1. Ethic. cap. 10.* dicentis: *Felicitas eſt operatio optima ſecundùm optimam virtutem, & in vita perfecta*; talis autem eſt fruitio, juxta prædicta.

Et maximè ſatiativâ.

Objicitur I. illud Chriſti *Joan. 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Reſp. cum Cyrillo & aliis Patribus, & Expoſitoribus paſſim (& ſatis patet ex contextu) ibi agi de cognitione per fidem, quæ eſt vita æterna cauſaliter & diſpoſitivè. Deinde viſio Dei eſt vita æterna, ſeu pars quædam ſpectans ad perfectionem & integritatem illius, etſi non magìs principalis vel adæquata. 23.

Objicitur II. *Aug. 1. de Trin. cap. ult.* prope

prope finem ait: *Sola viſio eſt ſummum bonum noſtrum, cujus adipiſcendi cauſâ præcipimur agere quidquid rectè agimus.* Et in illud *Pſal.* 90. *Oſtendam illi ſalutare meum,* ait: *Tota merces noſtra viſio eſt.* Et *Concilium Francofordienſe in Epiſt. ad Præſules Hiſpaniæ* ait: *Prædicamus eum Deum verum vivum ac verè filium Dei, ut ad ejus beatiſſimam viſionem pervenire mereamur, in qua eſt æterna beatitudo, & beata æternitas.* Reſp. Patres non tractaſſe ſubtilem hanc controverſiam Scholaſticam. Idem namque *Auguſtinus* alibi non minùs apertè adſtruere videtur Doctrinam noſtram; ut *l. 1. de Doctrin. Chriſt. cap.* 32. ubi ait: *Hæc autem merces ſumma eſt, ut ipſo perfruamur.* Et *lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap.* 14. Alibi autem in gaudio videtur beatitudinem collocare, ut 10. *Confeſſ. cap.* 21. dicens: *Omnes ipſum gaudium beatam vitam vocant.* Et *cap.* 23. ait: *Beata quippe vita eſt gaudium de veritate.* Quare ex Auctoritate nil pro vel contra poteſt fundatè urgeri. Ad primum itaque locum *Auguſtini.* Reſp. ly *ſola* ex mente *Auguſtini* non excludere fruitionem, ſed tãtùm viſionem humanitatis Chriſti, quam dicit in die judicii fore communem etiam malis, ſolam autem viſionem deitatis futuram eſſe propriam mundis corde; ut patet ex contextu. Ad poſteriorem locum. Reſp. ipſum (ne ſibimet ſit contrarius) loqui per concomitantiam; ſeu de viſione cum annexis, quia viſio eſt complacentia (in qua eſt perfecta ratio fruitionis) inſeparabiliter ſe habens; ut inquit *D. Bonav.* 1. *d.* 1. *a.* 2. *qu.* 1. *ad* 3. Et ideo (inquit 4. *d.* 49. *p.* 1. *a.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 1.) in Sanctorum verbis per connexionem, quod eſt omnium, attribuitur uni; magis autem viſioni, quòd in ea diſtinguatur patentiùs & primò ſtatus patriæ (qui à viſione, excluſâ fide, initium ſumit) à ſtatu viæ. Simili ratione *Concilium Francofordienſe* in viſione veram, non tamen adæquatam vel magis principalem beatitudinem ſtatuit, niſi ſumatur cum annexis.

Ex Patribus nil poteſt ſolidè pro vel contra concludi.

Cur beatitudinem interdum per viſionem explicent?

24. Objicitur III. Amor amicitiæ Dei reperitur etiam in via; ſimiliter præſcindit ab abſentia & præſentia objecti, cùm tam abſentia, quàm præſentia poſſint amari; ergo in eo non poteſt conſtitui potiſſima conſecutio ultimi finis ſeu beatitudo formalis. Reſp. in via quidem reperiri amorem amicitiæ, qui conſequitur obſcuram & ænigmaticam Dei cognitionem, non tamen illum, qui conſequitur, & ex intrinſeca ſua conditione præexigit claram Dei viſionem: hic enim eſt incomparabiliter perfectior, & juxta Doctores paſſim ſpecie eſſentiali diſtinctus. Unde etſi amor amicitiæ in communi, utì & cognitio in communi præſcindat à præſentia vel abſentia objecti, non tamen amor patriæ, qui eſt perfecta fruitio, exigitque præſentiam rei amatæ, juxta illud *Auguſt. l.* 8. *de Civit. cap.* 9. *Nemo beatus eſt, qui eo quod amat, non fruitur,* tamquam præſente ſcilicet. Sanè parum credibile apparet, voluntatem Sanctorum in via habere tantam, immo ſubinde majorem præ quibuſdam Beatis, perfectionem eſſentialem & intrinſecam amoris beatifici, ſeu actus præcipui ſpectantis ad perficiendam voluntatẽ Beati; quique pars ſaltem magna, eſto non præcipua, vitæ beatæ eſt: quod tamen ſequeretur, ſi non ſint amores eſſentiali ſpecie diſtincti, ut quidam voluerunt. In hac autem diſtinctione fundatur, quòd minimus Beatus perfectiùs Deum amet, quàm maximus ſanctus in via, etiam quàm B. Virgo viatrix; quæ tamen fuit prædita hîc habitu longè intenſiori, & ad extremum ſuæ potentiæ Deum amavit, adeòque intenſiùs quàm plurimi Beati. Sunt nihilominùs Nonnulli, tum Scotiſtæ, tum alii, qui eſſentiam beatitudinis in amore, ſive magis principaliter, ſive minùs principaliter ſtatuentes, cenſent non eſſe diſtinctionem, niſi accidentalem, inter amorem viæ & patriæ, ſcilicet penes perpetuitatem, præſentiam objecti viſi &c.

Differentia inter amorem viæ & patriæ.

Objicitur IV. Summa infelicitas damnatorum eſt pœna damni; atqui hæc eſt carentia viſionis Dei: ergo ipſa eſt ſumma infelicitas; & conſequenter viſio Dei eſt ſumma felicitas & beatitudo. Reſp. Diſt. Min. Eſt pœna damni adæquatè aut principaliter Neg. Min. & Conſeq. Inadæquatè & minùs principaliter, Concedo Min. & Neg. utramque Conſeq. Communiter autem pœna damni exprimitur per carentiam viſionis Dei, quia ſicut hæc eſt primum donum beatificum & radix quaſi aliorum, ſic carentia illius eſt prima miſeria damnatorum; ſub qua proinde ceteræ connexæ, & pœnam damni integrantes cenſentur intellectæ. Alioquin damnatio eſſentialiter conſiſtit in carentia beatitudinis, adeòq; principaliùs in carentia illius, quod principaliùs beatitudinem conſtituit; utì juxta nos conſtituit ipſa fruitio. 25.

Cur pœna damni exprimi ſoleat per carentiam viſionis?

Petes, An ſi divinitùs fruitio beatifica poneretur in aliquo ſine viſione beatifica, is dicendus foret beatus? Reſp. foret beatus eſſentialiter quoad præcipuam beatitudinis partem, vel etiam quoad totam eſſentiam beatitudinis formalis intenſivè ſumptæ: non tamen foret beatus completè, vel extenſivè, deficiente ſcilicet parte minùs principali, aut conditione prævia, nempè adeptione quaſi ſecundariâ ſummi boni per viſionem. 26.

An fruitione ſine viſione præditus foret beatus?

Et hæc ſufficiant de formali Beatitudine ſecundùm ſe, nam quæ poterant prætereà diſputari, vel ſolent explicari alibi, ſcilicet in prima Parte agendo de viſione Dei, vel ex ibi dictis facilè colligi poſſunt. Itaque ſicut ubì docetur intellectum non poſſe videre Deum, niſi elevetur per lumen gloriæ; ita hîc dicendum, voluntatem,

Quædam 1. Parte de viſione dicta extenduntur. ad fruitionem.

tem, ut Deo beatificè fruatur, indigere auxilio eam elevante, ſcilicet habitu inſuſo charitatis, qui ſicut voluntatem nunc elevat ad amandum Deum in via, ſic eamdem elevabit ad Deo beatè fruendum in patria. Rurſum ſicut ibi probabiliter docetur, quòd inæqualitas viſionis beatificæ proveniat phyſicè, non ſolùm ab inæqualitate luminis gloriæ, ſed etiam ab inæqualitate naturalis perfectionis intellectûs: ita hìc ſentiendum eſt, voluntates, ſi darentur inæquales in perfectione naturali, inæqualiter fruituras Deo, non ſolùm pro inæqualitate habitûs charitatis, ſed etiam naturalis potentiæ voluntatis. Denique ſicut ibi docetur intellectum Beati veroſimiliùs de abſoluta Dei potentia poſſe videre deitatem ſine perſonis aut attributis, eamque viſionem fore beatificam, etſi certum ſit Beatos videre de facto hæc omnia: ita de fruitione exiſtimandum eſt, poſſe abſolutè loquendo Beatum frui divinâ eſſentiâ non fruendo perſonis vel attributis, etſi de facto his omnibus quilibet Beatus certiſſimè fruatur.

QUÆSTIO V.

De Gaudio ſeu Delectatione Beatorum.

27\. *Gaudium deſcribitur.* SUPPONO gaudium (cum quo coincidit delectatio, niſi quòd hæc etiam conveniat parti ſenſitivæ, gaudium verò ſit tantùm in parte rationali) ſequi connaturaliter ex amore tãquam complementum motuum animi. Illud autem non eſt appetitio aliqua vel proſecutio boni, ſicut amor & deſiderium, ſed vitalis quædam ſuavitas, quæ ex amore ad præſentiam boni amati connaturaliter in anima reſultat. Unde non eſt actus ſive operatio voluntatis, ſed quædam paſſio, ut contra multos rectè *Scotus* 3. *d.* 15. *qu. un. n.* 9. & 12. & alibi: quem ſequuntur *Scotiſtæ*, *Nominales*, *Leſſius l.* 2. *de ſummo bono cap.* 15. & plures alii. Et favet apertè *D. Thomas* 1.2. *quæſt.*31. *art.*1. ipſeque *Ariſtoteles* 10.*Eth.*5. Ratio eſt: quia ſi gaudium eſſet actus aliquis, eſſet amor boni præſentis, ut alii fatentur: quod tamen falſum eſt, cùm divinitùs poſſit eſſe amor talis ſine gaudio, immo de facto ſit in damnatis amor ſui ſine gaudio. Nec refert quòd gaudens de bono ſuo vel alterius, velit illud ſibi vel alteri: nam id quidem vult, non tamen formaliter per ipſum gaudium, ſed per amorem, qui cauſat gaudium, & à gaudio ſejungi poteſt. Deinde gaudium eſſe meram paſſionem ſequitur ex oppoſita triſtitia;quam eſſe meram paſſionem patet ex eo, quòd alioquin eſſet actus nolitionis mali præſentis: ſed hoc eſt falſum, cùm in Deo & Beatis non ſit triſtitia, & tamen ſit nolitio, quâ deteſtantur peccata & injurias, quæ eis à perverſis quotidiè inferuntur. Quare neceſſariò aliquid nolitioni eſt ſuperaddendum; v.g. inquietudo aut moleſtia animi, ut ſit triſtitia: illud ipſum autem dicimus nos paſſionem triſtitiæ. Idemque eſt de gaudio. Unde etiam non eſt in poteſtate voluntatis, ſed poſito amore boni præſentis neceſſariò reſultat, nec poteſt naturaliter tolli, niſi amore ſublato.

Eſt ſolùm paſſio

Uti & triſtitia.

Ex quo colligitur paſſionem triſtitiæ de peccatis, vel gaudii ſpiritualis de bonis & gloriâ Dei non eſſe meritoriam, niſi ratione actuum liberorum contritionis vel amoris: cùm non paſſionibus, ſed actibus dumtaxat liberis mereamur. Quare ſimiliter non tam delectatio venerea quatenus eſt paſſio, quàm complacentia voluntatis ex qua naſcitur, eſt formaliter demeritoria. 28.

Colligitur præterea cauſam efficientem delectationis eſſe actum voluntatis, ſcilicet ipſum amorem boni præſentis: ex hoc enim reſultat. Deinde alia cauſa commodiùs aſſignari non poteſt. Confirmatur exemplo habituum, qui inſtar veſtigii permanentis generantur ab ipſis actibus, ſimili enim modo facilè intelligitur, quòd actus generent aliquam paſſionem ſecum tranſeuntem. Nec rectè cum quibuſdam *Scotiſtis* cauſa efficiens delectationis ſtatuitur ipſum objectum præſens realiter; vel ſi non ſit ita præſens, ejuſdem partim amor, partim cognitio. Nam non potiùs cauſatur delectatio ab objecto, quàm ipſe amor; ad quem tamen objectum ſolùm movet metaphoricè. Deinde id non eſt conforme *Scoto* 4. *d.*14.*qu.*1.*n.*12. ubi pro cauſa neceſſaria triſtitiæ (idem cum proportione eſt de delectatione) ſtatuit nolitionem, ſive actum voluntatis. Et quàmvis ibidem & alibi addat neceſſariò concurrere etiam apprehenſionem ſeu cognitionem; meritò tamen id explicandum eſt de cauſa applicativa ſeu conditione ſine qua non: cùm non aliter concurrat ad nolitionem ſive actum voluntatis, ut patet ex *Scoto* 2.*d.*25. *qu. un. num.*22; apprehenſio autem ſive cognitio eatenus ſit cauſa partialis ipſius triſtitiæ, quatenus eſt cauſa nolitionis, ut colligitur ex *Scoto in* 4. *loco cit.* Requiritur itaque cognitio, quatenus ſicut nihil incognitum poteſt amari v.g. ſic nec delectare.

Cauſa illius efficiens eſt actus voluntatis.

DICO I. Ad Beatitudinem requiritur gaudium ſeu delectatio, ſaltem tamquam proprietas neceſſariò, ſeu connaturaliter conſequens. Eſt certum ex Scriptura, quæ gloriam cæleſtem paſſim inculcat nomine gaudii. *Pſ.*15. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem. Pſal.* 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* In quibus locis judicatur ſumma lætitiæ plenitudo, & immenſa quædam gaudiorum 29.

Gaudium indiciòile neceſſariò conſequitur beatitudinem

Excludens omnem triſtitiam.

diorum redundantia, quæ proinde nullum dolorem vel triſtitiam ſecum compatitur. Quod expreſſius habetur *Apoc. cap.* 21. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultrà.* Et *Iſaia* 35. *Venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Ratio eſt: tum quia id manifeſtè exigit ſtatus beatitudinis: tum quia amorem boni præſentis ejuſque cōſecutionem connaturaliter ſequitur quies & animi ſuavitas: ergo amor & conſecutio boni infiniti gaudium incomparabile generat: magnitudo enim gaudii proportionatur magnitudini boni quod delectat, & amoris quo amatur; Deus autem eſt infinitæ bonitatis, pulchritudinis & dulcedinis, & à Beatis clarè ipſum videntibus perfectiſſimè amatur. Ex qua ratione etiam confirmatur, quòd in Beatis nulla triſtitia naturaliter reperiri poſſit: nam cum ſumma delectatione etiam de alio objecto connaturaliter non conſiſtit triſtitia.

30. *Etſi illam lege ſpeciali in Chriſto admiſerit.* De lege tamen extraordinaria noſtri causâ aliter in Chriſto accidit, qui cum ſummo gaudio habuit ſummam triſtitiam, præſertim tempore paſſionis, quando dixit: *Triſtis eſt anima mea &c.* Immo (quidquid Pauci contradixerint) poſſet Deus in Beatis ſuſpendere omne gaudium; cùm gaudium ſit quid realiter diſtinctum ab operatione ex qua ſequitur. Quo equidem caſu maneret beatitudo eſſentialis; utì maneret ſummi boni poſſeſſio, quam gaudium præſupponit: ideòque in Concluſione diximus, gaudium ſolum eſſe proprietatem Beatitudinis. Unde quod *Aug.* 10. *Confeſſ. cap.* 21. dixit: *Omnes ipſum gaudium beatam vitam vocant.* Et *cap.* 22. *Ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt & non eſt altera*; intellige de gaudio ut includente amorem, ex quo reſultat. Sive *Auguſtinus* Beatitudinem ibi explicavit per proprietatem, & quidem talem, ut etiam in ipſo ſtatu Beatitudinis includatur: *Eſt ſolùm proprietas beatitudinis.* ſi quidem abſque gaudio & voluptate nullius boni poſſeſſio magni æſtimatur; multùmque boni abeſſet à Beatis, ſi in iis gaudium violentè impediretur. Neque hæc delectatio conſequens impedit operationem, ſed magis confortat; quæ namque delectabiliter facimus, attentiùs & perſeverantiùs operamur: quamquam delectatio extranea poſſet operationem impedire; eò quòd, dum uni vehementer intendimus, intentio ab alio retardetur.

31. *Aliud eſt amicitiæ, aliud concupiſcentiæ.* Porrò ſicut duplex eſt amor Beatorum, benevolētiæ ſcilicet & amicitiæ, ſive fruitio & tentio; ſic etiam eſt duplex delectatio conſequens; quæ, quia Deum reſpicit, & per ſe Beatitudini eſt annexa, vocari ſolet gaudium eſſentiale: quamquam *Oviedo de Beatitud. Controv.* 7. *punct.* 1. *in fine*, ſolùm gaudium benevolentiæ dicat formaliter beatificum, & de eo loqui Auctoritates. Quod dictum ſatis ſingulare videtur: cùm etiam de gaudio concupiſcentiæ tamquam eſſentiali Doctores tractent, immo de hoc principaliter diſputationem inſtituant, dum de gaudio beatifico eſt ſermo. Pro cujus ulteriori reſolutione

Dico II. Gaudium benevolentiæ ſive amicitiæ verſatur immediatè & primariò circa ipſum Deum. Ratio eſt: quia ipſum eſt paſſio conſequens fruitionem; ſed fruitio, veluti amor benevolentiæ, verſatur ita circa Deum: ergo & gaudium illam conſequens. Nihilominus ſicut Beati ſecundariò per amorem amicitiæ Dei eidem etiam ardentiſſimè cupiunt omne bonum, ei gloriam extrinſecam, v. g. quæ oritur ex Incarnatione Verbi, ex ſuo & ceterorum beatorum ſtatu, ex vita juſtorum & converſione peccatorum, ex impiorū ſuppliciis, ex ſtructura univerſi, ex ordine divinæ providentiæ & ceteris creaturis, Deoque jugiter benedicunt, omne bonum ei imprecando: ſic indubiè Beati de iiſdem etiam bonis habebunt gaudium multiplex ex amore Dei proveniens, ſed velut accidentale, prout ipſa bona, ex quibus hauritur, ſunt beatitudini accidentalia. 32. *Gaudium amicitiæ reſpicit primariò ipſum Deum.*

Dico III. Gaudium concupiſcentiæ habet Deum non ſolùm pro objecto motivo, ſed etiam pro terminativo immediatè & per ſe, adeòque percipitur non ſolùm de viſione & fruitione beatifica, ſed etiam immediatè de ipſo Deo. Ita Doctores ferè communiter contra *Durandum* 4. *d.* 49. *q.* 5. exiſtimantem Beatos tantùm mediatè delectari de Deo, ſicut qui friget dicitur delectari ſole, quia calore ejus delectatur. Probatur I. quia hoc gaudium terminatur ad idem objectum ad quod tentio ſeu amor concupiſcentiæ Dei in patria; ſed per hunc actum immediatè & per ſe concupiſcimus ipſum Deum: ergo de eodem per ſe & immediatè gaudemus. Secundò, idem bonum, quod ſperatur & deſideratur, jam obtentum delectat; ſed Deum nobis ſperamus & deſideramus, ergo idem eſt, qui obtentus delectat. Confirmatur: quia ſi ſpes non reſpiceret immediatè & primariò Deum, tamquam objectum ad quod terminatur, non eſſet Virtus Theologica: ergo ſimiliter in patria ad Deum terminatur tentio ſpei ſuccedens, adeòque etiam gaudium ipſam tentionem conſequens. Denique nil obſtat in contrarium; ut patebit ex dicendis. 33. *Gaudium concupiſcentiæ immediatè terminatur ad Deum.*

Dices I. Deus, cùm ſit ſuppoſito à nobis diſtinctus, nequit eſſe immediatè & per ſe bonum noſtrum, ſed ſolùm ratione alicujus effectus, ſcilicet viſionis & fruitionis: ſicut ſol non eſt bonum frigentis, niſi ratione caloris quem communicat. 34.

Reſp.

Qui eſt per ſe & immediatè bonum noſtrum

Reſp. Neg. Aſſumpt. nam Deus non ſolùm effectivè eſt bonum noſtrum, quatenus ab ipſo tamquam fonte omne nobis bonum provenit, ſed etiam per ſe ipſum velut formaliter, nempe tamquam res à nobis poſſidenda. Secùs eſt de exemplo ſolis & caloris: calor enim tantùm eſt effectus ſolis, non autem conſecutio ſolis, ſicut viſio & fruitio eſt conſecutio Dei, ipſeque ſol eſt mera cauſa productiva caloris. Ad rem autem magìs foret exemplum ſenſationis tactûs, per quam frigeſcens fruitur calore ſeu illum poſſidet, adeòque de ea quoque delectatur, dum delectatur de calore.

Etſi mediet poſſeſſio ſcilicet viſio & fruitio,

Nec obſtat, quòd inter Deum & Beatos mediet operatio: hæc enim non intermediat tamquam objectum diſtinctum, ſed ſimul cum re poſſeſſa conſtituit integrum objectum, tum deſiderii, tum gaudii: ex fine enim objectivo & formali integratur unicus finis & objectum. Unde ſicut pecuniæ & opes cenſentur per ſe bonum hominis, etſi mediante poſſeſſione, quæ facit ut ſint aliquid ad hominem pertinens; ſic multò magìs Deus eſt per ſe bonum extrinſecum hominis, etſi mediet poſſeſſio, quæ eſt multò perfectior, ſcilicet unio vitalis per viſionem & amorem. Quare ſicut pecunia & poſſeſſio ejuſdem non cenſentur duo diſtincta bona, ſed unum integrum, ſic etiam Deus ejuſque poſſeſſio: & conſequenter circa utrumque verſatur delectatio Beatorum, ſicut avarus non ſolùm poſſeſſione pecuniæ, ſed ipſâ etiam pecuniâ delectatur. Unde ipſe Deus eſt objectum de quo eſt gaudium, viſio autem & fruitio eſt iſtius boni applicatio, & conjunctio, ac veluti objectum quo, ſic ut in hanc quoque delectatio quodammodo feratur, etſi non tamquam in objectum integrum, aut etiam principale. Confirmatur: quia qui delectatur potu vini, immediatè delectatur ipſo vino: qui delectatur viſione picturæ, immediatè delectatur picturâ, ipſâ tamquam objecto cauſante delectationem; ergo ſimiliter in præſenti.

In quam ſimul fertur ipſum gaudium.

Itaque fallitur *Durandus* conſiderans viſionem & fruitionem beatificam ſecundùm ſe tamquam aliquod donum creatum, excellens, & animam hominis mirè exornans: etſi enim beati de illa ſic conſideratâ gaudeant tamquam de ſuo bono, uti & de aliis animæ & corporis ornamentis, eatenus tamen non eſt objectum gaudii beatifici eſſentialis, ſed quatenus conſideratur tamquam poſſeſſio ipſius Dei. Ex quo tamen colligitur, in beatis inſuper eſſe gaudia quædam accidentaria, provenientia non ſolùm ex amore benevolentiæ Dei, ſed etiam ex amore concupiſcentiæ, aut ex amore ſui vel proximi. Sic enim beati gaudebunt de dotibus animæ & corporis, de beatitudine amicorum &c.

Dices II. Spes ſeu deſiderium viatorum non reſpicit immediatè Deum, utpotè non futurum; cùm tamen deſiderium feratur in bonum futurum: ergo nec gaudium reſpicit immediatè Deum. Reſp. Neg. Ant. Etſi enim Deus non ſit futurus ſecundùm ſe, eſt tamen futurus in ratione boni noſtri, ſeu boni nobis objectivè præſentis. 35.

Deus in ſe ſperantibus quodam modo futurus.

Dices III. Damnati non triſtantur immediatè de ipſo Deo, ſed de carentia viſionis & fruitionis ipſius; ergo è converſo beati non gaudent ſecundùm ſe immediatè de Deo, ſed de viſione & fruitione ejuſdem. Reſp. N. C. nam Deus nequit uniri damnatis tamquam per ſe illorum malum (in quo non niſi ſumma bonitas & dulcedo, malitia autem potiùs in effectibus) ſicut poteſt uniri beatis tamquam per ſe bonum illorum. Deinde ut rectè inſtitueretur comparatio, deberet ſic inſtitui; ut ſicut gaudium beatorum eſt de Deo, ſic triſtitia damnatorum ſit de Dei ſeu boni ejuſdem carentiâ: ſic autem intelligendo comparationem, damnati non ſolùm de carentia viſionis & fruitionis, ſed etiam, & maximè de carentia ipſius Dei triſtantur, quia videlicet non ita illum poſſident, ut ex illo immediatè gaudium & delectationem capere poſſint. Alioquin ſicut non triſtantur damnati præcisè de Deo, ſic nec de viſione & fruitione Dei, ſed potiùs de carentia utriuſque.

Damnati triſtantur immediatè de carentia ipſius Dei.

Dices IV. Cum *Cajetano* & *Curiel* exiſtimantibus contra communem Sententiam, ſatìs efficaciter ex prædictis ſtabilitam, delectationem adeò eſſe de ipſo Deo immediatè, ut nullatenus ſit de formali beatitudine ſeu poſſeſſione ejuſdem, quaſi hæc ſit tantùm mera conditio ſine qua non: Luxurioſus delectatur de ipſa re turpi, non autem de cognitione rei turpis; ergo beatus non de viſione, ſed de ipſo Deo viſo ſolùm delectatur. Reſp. luxurioſum vel delectari de re turpi prout illam à parte rei habet ſeu poſſidet, v. g. dum exercet oſcula, tactus, copulam &c. & tunc ſimul delectatur de poſſeſſione ſimilium rerum, ſeu de cognitione ſenſitiva tactûs: vel delectari tantùm moroſè circa rem turpem per imaginationem propoſitam; & tunc ſimul delectatur de cogitatione, per quam intentionaliter objectum turpe apprehendit ſeu quaſi poſſidet: quamquam enim ſola rei notitia non ſit mala, malum tamen eſt de ea delectari, prout ſimul ſumitur cum ipſa re cogitata, ſeu cum illa ſe habet per modum unius objecti delectantis. 36.

Luxurioſus non ſolùm de re turpi, ſed etiam de illius poſſeſſione delectatur.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Dotibus animarum Beatorum.

36. *Quid nomine dotis intelligatur.*

DOS generaliter quidē ſignificat quamcumque perfectionem: indeque dicitur quis multis dotibus ornatus. Hîc tamen dotes dicuntur, ſumptâ metaphorâ à matrimonio carnali. Id enim quod ſponſæ donatur, dum poſt matrimonium ratum ſolemniter ad domum ſponſi introducitur, tum ad ſponſæ ornatum, ut gratior ſponſo appareat, tum ad onera matrimonii ſublevanda, dos vocatur. Unde ſtante matrimonio uſus ſeu fructus dotis ad ſponſum pertinet, dominium & proprietas ad ſponſam, l. *dotis. ff. de jure dotium.* Ita quoque dona ſupernaturalia, quæ dantur animæ, in via deſponſatæ, dum eam ſponſus Chriſtus in domum ſuam, cælum ſcilicet, deducit, ac matrimonium hîc quaſi ratum ibidem feliciſſimo illo & indiſſolubili vinculo gratiæ & gloriæ inamiſſibilis conſummat, dotes animæ glorioſæ appellantur. Sicut autem ſponſa in humanis poteſt dotari, tum à ſuis parentibus, tum ab aliis, immo & ab ipſo ſponſo; qui ſi præpotens ſit, & ſibi deſponſet pauperem, non ſolet exigere dotem à parentibus ſponſæ pauperis, ſed ipſemet eam magnificè dotat: ſic dotatur anima noſtra de ſe egena, tum à Patre, ſcilicet SS. Trinitate, tum ab ipſo ſponſo Chriſto, partim efficienter quatenus eſt Deus, partim meritoriè quatenus eſt Deus homo. De ornamentis verò corporis, quibus beatus dotabitur, quando poſt reſurrectionem completus homo deducetur ad domum æternam in cælis, poſtea agetur.

37. *Tres animæ dotes, viſio, comprehenſio & fruitio, declarantur.*

Porrò Doctores Theologi communiter aſſignant tres animæ beatæ dotes, ſcilicet viſionem quæ reſpondet fidei, comprehenſionem ſeu tentionem quæ ſpei, & fruitionem quæ reſpondet charitati. Solent autem hæ dotes plerumque explicari cum *D. Bonav. Centiloquii p. 4. ſect. 3.* (etſi varii aliter explicent; quod in quæſtione de nomine, qualis hæc eſt, parum eſt curandum, dummodo de re conſtet) viſio quidem uti ſonat, comprehenſio verò ut ſignificet actum amoris concupiſcentiæ ſeu tentionis beatificæ, fruitio ut ſignificet actum dilectionis beatæ, vel (ut alii) delectationem. Quòd verò dotes iſtæ, quod ad rem ſpectat, verè ſubſint, certiſſimum eſt: uti etiam quòd ſubſit lumen gloriæ, charitas habitualis conſummata, & ſecuritas; quæ noſter *Richardus* & plures alii nomine dotium præfatarum intelligunt. Ad nomen verò quod attinet, non ſunt anxiè omnes conditiones dotis terrenæ ad cæleſtes dotes applicandæ: ſicut nec omnes conditiones matrimonii carnalis ad cæleſte ſunt matrimonium transferendæ. Unde parum refert, quòd ipſa beatitudinis eſſentia in dote computetur; quod etiam cetera animæ ornamenta potuerint dotes vocari: ſufficiebat enim has principales ſpecialiter deſignari. Non refert denique, quòd ſint ipſum indiſſolubile vinculum matrimonii ſpiritualis, ejuſve quidam uſus: proprium enim ei eſt, quòd ipſum ejuſve uſus ſponſam mirè ditet ac exornet; ſecùs quàm matrimonium carnale ejuſve uſus.

Petes I. An in Angelis & Chriſto ſint ejuſmodi dotes? Reſp. ſunt indubiè quoad rem, & quidem in Chriſto ſuperexcellenter: non tamen ſub nomine dotis, utpote quæ reſpicit matrimonium inter ſponſum & ſponſam, Angeli autem non ſunt ſponſæ Chriſti vel Dei; cùm ſponſalia & matrimonium ſint inter perſonas ejuſdem ſpeciei. Similiter Chriſtus homo non eſt ob hoc ſponſa Patris divini. Eſt quidem matrimonium Chriſti & Eccleſiæ, item animæ ſanctæ: ſed in eo Chriſtus non eſt niſi caput & ſponſus; cùm tamen dos pertineat ad ſponſam. Hæc equidem ſolùm ſpectant ad modum loquendi. 38.

In Chriſto & Angelis ſunt quoad rem, ſed non ſub nomine dotis.

Petes II. An animæ in hac vita conferantur dotes à Chriſto ſponſo ejus? Reſp. propriè loquendo quòd non: eò quòd donationes factæ, etiam à ſponſo, ante introductionem ſponſæ in domum ſuam, ut matrimonium conſummet, non cenſeantur nomine dotis. Quare cùm hîc ſolùm ſint velut ſponſalia inter Chriſtum & animam, quæ ſæpè per peccatum ſolvuntur, aut ſaltem facilè ſolvi poſſunt, vel certè matrimonium velut ratum, dona ſpiritualia hîc habent rationem arrhæ vel quaſi pignoris potiùs, quàm dotis. 39.

Animæ in hac vita non conferuntur propriè dotes.

QUÆSTIO VII.

De Aureolis Beatorum.

AUREOLA eſt diminutivum ab aurea, ſive coronâ de auro. Hæc enim ſignificat ipſum præmium eſſentiale ſeu ſubſtantiale: nam quatenus corona, denotat regni hereditatem, quæ filiis regum debetur; quatenus figuram rotundam habet, æternitatem; quatenus denique de auro, ſignificat incorruptibilitatem, juxta *D. Bonav. Centiloq. p. 4. ſect. 1.* dicentem: *Præmio ergo, quod dicitur aurea, præmiantur, qui tranſeunt ad regni hereditatem, ad Dei æternitatem, ad ſui ſoliditatem ſeu incorruptibilitatem.* Aureola verò dicitur quaſi parva corona aurea, & denotat præmium accidentale, quod ſpecialiter confertur beatis propter opera excellentis cujuſdam victoriæ; idq; juxta Doctores communiter tribus beatorum generibus, Martyribus ſcilicet, Virginibus & Doctoribus, juxta triplicem victoriam de triplici hoſte perfectè triumphato. Nam Martyres vincunt mundum, Virgines 40.

Aureola quid ſit.

Eſt triplex

Virgines carnem, Doctores ſeu Prędicatores diabolum, quem non ſolùm de ſe, ſed etiam de cordibus aliorum expellunt, & à cujus tyrannide populum Dei tuentur ac liberant. Deinde conferuntur juxta excellentiſſima trium potentiarum animæ opera, ſcilicet obſervantiam caſtitatis in concupiſcibili, prædicationem veritatis in parte rationali, & perpeſſionem mortis in parte iraſcibili. Ita *Compend. Theol. verit. lib.* 7. *cap.* 29. *Tom.* 7. *Oper. S. Bonav.*

41. *Colligitur ex Scriptura, ſed ineſficaciter.*

Solent hæ tres aureolæ colligi ex Scriptura, Virginum quidem ex *Apoc.* 14. ubi de centum quadraginta quatuor millibus, quæ virgines erant, dicitur, quòd *cantabant quaſi cãticum novum*, & quòd *nemo dicere poterat canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia*, denique quòd *ſequuntur Agnum quòcumque ierit*. Quæ Virginibus accommodat Eccleſia in Hymno de Virginibus. Aureola Martyrum ex *Apoc.* 7. *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Quod de martyribus dictum eſſe, indicant verba ſequentia: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* Aureola denique Doctorum ex *Matth.* 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Et *Danielis* 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Verùm hæc loca non efficaciter probant. Quare pro Doctrina hac ſufficere debet communis ſenſus *D. Thomæ*, *D. Bonaventuræ* & aliorum Doctorum.

42. *Prima Aureola, Martyrum.*

Aureola prima martyribus debetur, iis ſcilicet qui mortem aut lethale vulnus, ſeu cauſam mortis efficacem, etſi morte miraculosè impeditâ (uti contigit in S. Joanne Evangeliſta) ſubierunt. Quia hi ſunt propriè martyres, & gratiam martyrii obtinent. Unde ſi quis vulnere lethali accepto, miraculosè convaleſcit, & rurſum poſtea mortem pro Chriſto patitur, duplicem aureolam martyrii obtineret; prout Varii putant. Idque ſpecificat *Paludanus* 4. *d* 49. *q.* 8. *art.* 4. in S. Sebaſtiano, & locum obtinuiſſet in S. Joanne Evangeliſta, ſi poſtquam è ferventis olei dolio illæſus exierat, à tyranno occiſus fuiſſet.

Secunda, Virginum.

Aureola ſecunda Virginibus debetur ob ſingularem victoriam de carne, contra quam quotidiè bellum geritur, obtentam: nobiliſſimum enim genus victoriæ eſt, numquam hoſti ceſſiſſe. Quare non debetur viduis, aut caſtitatem conjugalem ſervantibus: non etiam virginibus ſolâ carne, v. g. innocentibus, aliiſve in infantia morientibus. Debetur tamen violentè corruptis, quibus caſtitas duplicatur ad coronam, ut S. Lucia dixit. Similiter debetur incorruptionem ſeu integritatem carnis perſeveranter ſervantibus cum propoſito correſpondente, etſi hoc aliquando in vita interiùs fuerit interruptum: quia Virginitas mentis, non carnis, reparari poteſt.

Tertia, Doctorum.

Aureola tertia Doctoribus ſeu Prædicatoribus debetur, qui verbo vel ſcripto alios imbuunt ſalutaribus doctrinis ob animarum ſalutem ſive Dei gloriam. Quare non requiritur, ut aliquis ſit in Theologia graduatus. Unde de Seraphico Franciſco canitur in Officio Ordinis: *Meruit Aureolam, dum docuit.* Neque etiam requiritur ut ſit ex officio prædicator, dummodo rectè exerceat quæ ſunt doctoris aut prædicatoris. Denique non ſufficit gradus vel officium ſine exercitio: nam *non coronabitur, niſi qui* actu *legitimè certaverit*, 2. *ad Timoth.* 2.

43. *Quid rei ſint iſtæ Aureolæ.*

Dubium autem eſt, quid rei ſint iſtæ aureolæ? Non enim apparet; quòd ſolùm ſint gaudia quædam accidentalia de præfatis certaminibus & victoriis: nam commune eſt etiam ceteris bonis operibus, maximè heroicis, de iis in cælo gaudere; immo gaudium hoc quaſi connaturaliter ſequitur. Quare credibile eſt, quòd in anima ſint quædam qualitates caracteriſticæ, prout etiam initiati baptiſmo aut militiâ Chriſtianâ accipiunt characterem poſtea remanſurum, in corpore autem ſint ſimiliter notæ aut ſigna ſpecialia, quibus tria præfata beatorum genera illuſtrentur ac dignificentur. Sicut etiam in republica terrena inſignes Milites, Doctores &c. Solent certis ſignis honorificis decorari à principe. Ita noſter *Franciſcus Felix* c. 5. *diffic.* 4. *num.* 4. addens cum *Angles* & aliis ſignum corporale futurum in capite; eò quòd caput ſit, quod in triumphis coronatur.

44. *Idem beatus poteſt habere omnes tres.*

Ex dictis colligitur, aureolas non eſſe communes omnibus Sanctis. Item poſſe eumdem Sanctum habere omnes; prout habuit v. g. S. Joannes Evangeliſta, qui fuit Martyr, Virgo & Doctor. Idẽ varii docent de Deipara. Verùm etſi ipſa Virgo Virginum ſit, & ab *Anſelmo* & aliis Magiſtra Apoſtolorum dicatur; non apparet tamen ſatis, quomodo fuerit propriè Martyr corpore; etſi gladius compaſſionis animam ipſius pertranſierit, longè amarior gladio corporali. De Chriſto, etſi indubiè ſit Princeps Martyrum, Doctorum, & Virginum, ſolet ordinariè dici, quòd in ipſo non ſint aureolæ, ſed aliquid excellentius; eò quòd aureola propriè ſignificet præmium, quod à principe datur victori militi; Chriſtus autem ſit ipſe Princeps, qui aureolas diſtribuit.

Sunt in Chriſto per quamdam excellentiam.

Verùm etſi hæc triplex aureola non reperiatur in Chriſto ſub ea ratione quâ militi datur à principe, perfectiſſimè tamen reperitur ſecundùm id quod aureola eſt à parte rei, ut rectè *Richardus* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 5. Excellentiſſima namque Chriſto Principi propriæ victoriæ ſigna congruunt. Quæ an aureolas propriè, an verò eminenter dici quis velit, parum refert.

Denique

Denique Religioſis & aliis fortè quibuſdam, qui ſpecialiter ſanè de hoſtibus animæ triumpharunt, etiam particularia quædam præmia accidentalia (quæ an aureolæ vocentur, an non, parum refert) eſſe danda, Nonnulli conjectant. Quibus (quoniam incerta ſunt) diutiùs non eſt immorandum.

QUÆSTIO VIII.

De Perpetuitate & Securitate Beatorum.

45. *Beatitudini ineſt perpetuitas.* DIco I. Beatitudo noſtra de facto eſt perpetua, ſuntque beati de perpetuitate ſecuriſſimi. Eſt de fide. Nec ab ipſis Hæreticis negatur; niſi quòd *Origenes* ſenſerit non eſſe perpetuitatem præmiorum & ſuppliciorum, ſed abſque fundamento confinxerit abſurdam eorum viciſſitudinem immixtis variis rationi naturali repugnantibus.

Perpetuitas Beatitudinis patet ex plurimis Scripturis *Sap.* 5. *Juſti in perpetuum vivent. Matth.* 25. *Ibunt juſti in vitam æternam. Apoc.* 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non egredietur ampliùs.* Idem docent Patres. Sufficiant verba *Auguſtini l.* 13. *de Trinit. c.* 8. *Nullo modo eſſe poterit vita veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna.* Ratio deſumenda eſt ex conditione ſtatûs beatitudinis, qui talis eſſe debet, ut appetitum hominis ſatiet ac quietet; quod non faceret, ſi aliquando poſſet amitti. Deinde ſi poſſet aliquando amitti, eſſet ob peccatum; beati autem peccare nequeunt, ut poſtea dicetur. Denique Deus non minùs promptus eſt ad præmiandum, quàm ad ulciſcendum; ſed juxta fidem ſupplicia erunt æterna: ergo & *Quem non convincit naturalis meritorum conditio.* præmia. Non ſufficit tamen ad hoc efficaciter probandum naturalis conditio meritorum noſtrorum; etſi enim de facto, ex ordinatione Dei, mercamur præmium perpetuum, immo etiam ipſam præmii perpetuitatem juxta *Scotum in Report.* 4. *d.* 49. *q.* 5. ℣. *Ad ſecundum dubium*; adeò tamen ſublime eſt præmium, ut juxta probabilem multorum *Scotiſtarum* Sententiam, ſecluſo pacto Dei, & ſpectato valore intrinſeco, & ratione ipſorum meritorum, abundè iis ſatisfactum fuiſſet, ſi tantùm temporaneam viſionem & fruitionem Deus bonis operibus in præmium præfixiſſet.

46. Securitas Beatorum nihil eſt aliud, quàm carentia timoris proveniens ex certa cognitione boni non amittendi, aut vitalis aliqua quies, quâ beati gaudent de hujuſmodi perpetuitate ſibi cognitâ per revelationem aut claram cognitionem divinæ voluntatis. *Adeſt quoque de perpetuitate ſecuritas.* Quæ probatur: nam beati certiſſimè ſciunt beatitudinem ſuam fore perpetuam: tùm quia adhuc viatores id certiſſimè ſciunt per fidem: tum quia perpetuitas non facit ad tollendam ſolicitudinem & anxietatem, niſi cognita; adeòque beati non quietarentur, ſed anxii remanerent: tum quia non parva pars miſeriæ eſt, neſcire quid de ſe futurum ſit, juxta illud *Eccle.* 8. *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio.* Unde rectè *Aug.* 12. *de Civit. c.* 20. *Quid* (inquit) *illâ beatitudine falſius, atque fallacius, ubi nos futuros miſeros, aut in tanta veritatis luce neſciamus, aut in ſumma felicitatis arce timeamus? Si enim ibi venturam calamitatem ignoraturi ſumus, felicior eſt hîc noſtra miſeria, ubi venturam beatitudinem novimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, beatiùs* (intellige ſecundùm quid) *tranſigit tempora anima miſera, quibus tranſactis ad beatitudinem ſublevetur, quàm beata quibus tranſactis in miſeriam revolvatur.* Huc etiam adferri poſſunt Scripturæ excludentes à beatis omnem triſtitiam & mœrorem. Conſentiunt denique Patres & omnes Chriſtiani.

Dico II. Perpetuitas & ſecuritas ſunt de intrinſeco conceptu beatitudinis completè ſumptæ, non tamen ſumptæ pro beatitudine eſſentiali. Ita *Scotus d.* 49. *q.* 6. *n.* 18. & 23. *Durandus, Occam, Granadus, Monteſinos,* & alii. Probabile cenſet *Lorca*, meritò exiſtimans parum referre, utrùm hæc vel contraria opinio (quam multi, præſertim *Recentiores*, propugnant) teneatur: ſiquidem quæſtio de nomine videtur, ut poſt *Majorem* rectè notavit *Suarez d.* 14. *ſect.* 3. *n.* 3. qui cum *Vaſquez, Lugo, Gaſpare Hurtado, Oviedo* & aliis nobiſcum tenet quoad ſecuritatem. 47. *Utraque includitur in ſtatu beatitudinis ſeu in ipſa completè ſumpta,*

Prima pars Concluſionis eſt extra controverſiam: beatitudo enim completa ex ſua conditione debet eſſe apta ſatiare perfectè deſiderium, & excludere omnem miſeriam. Specialiter autem perpetuitas quodam ſenſu in beatitudine extenſivè ſumpta includitur: cùm potiſſima illius perfectio extenſiva in hoc conſiſtat, quòd duret quantùm durare poteſt, hoc eſt perpetuò. Idque volunt Auctoritates Patrum relatorum, & aliorum ad beatitudinem requirentes hanc utramque conditionem. Idem voluit *Ariſtoteles* 1. *Ethic.* 7. dicens: *Ver enim nec una facit hirundo, nec unus dies: & beatum hominem eodem modo nec unus dies, nec breve ullum efficit tempus.*

Secunda pars Concluſionis non intelligitur de viſione aut fruitione Dei quatenus ſunt phyſicæ operationes: certiſſimum enim eſt, totam eſſentiam phyſicam illorum ſubſiſtere, etſi tantùm ad breve tempus continuentur; uti juxta multos Doctores accidit tempore mortalis vitæ in B. Virgine, Moyſe, & Paulo. Intelligitur itaque de operatione beatifica quâ tali, ſeu quatenus eſt beatitudo. Et probatur: quia in primis ſecuritas ſolùm eſt perpetuitas beatitudinis co- 48. *Formalem tamen rationem beatitudinis eſſentialis conſequitur tum ſecuritas,*

cognita, aut inde ſecuta carentia timoris, vel gaudium aliquod, adeòque nequit pertinere ad intrinſecam conſtitutionem beatitudinis eſſentialis, quæ non eſt notitia ejuſmodi, aut negatio, aut paſſio gaudii, ſed clara viſio vel fruitio ipſius Dei. Confirmatur: quia beatitudo ſic ſumpta formaliter debet eſſe aſſecutio ſummi boni; prout non eſt ſecuritas, ſive ſumatur pro notitia perpetuitatis, ſive pro carentia timoris, ſive pro gaudio concomitante. Immo gaudium hoc nequidem ad gaudia eſſentialia ſpectare videtur: hæc enim percipiuntur de ipſo Deo, aut de beatitudine formali; gaudium autem quod importat ſecuritas tantùm capitur de aliqua proprietate beatitudinis formalis, ſcilicet de notitia perpetuitatis, aut ipſâ perpetuitate beatitudinis.

49. *tum perpetuitas*

Porrò quòd ipſa perpetuitas ſolùm ſit quædam proprietas conſequens beatitudinem, probatur ex eo, quòd abſque illa conſiſtat ſubſtantialiter poſſeſſio ſeu conſecutio ſummi boni, ſcilicet viſio & fruitio; beatitudo autem formalis ſeu eſſentialis in ejuſmodi præciſè conſecutione conſiſtit.

Dices: In eſſentiali conceptu beatitudinis includitur, ut ex ſe poſſit ſatiare appetitum, & anxietatem depellere; ergo in eo includitur perpetuitas & ſecuritas. Reſp. Neg. Conſeq. quia ſufficit ad beatitudinem eſſentialem ſeu formalem, quòd ſit apta ex ſe ſatiare appetitum, & miſeriam depellere, quatenus exigit perpetuitatem, ſecuritatem & alia dona annecti. Sicut ſine gaudio, immo cum triſtitia conſiſtit eſſentia beatitudinis formalis vel intenſivè ſumptæ; quia videlicet ad hanc ſufficit, ut gaudium, & carentia triſtitiæ omniſque miſeriæ conſequantur, etſi præter ordinem conſuetum in Chriſto fuerint diverſæ corporis miſeriæ. Nec inde ſequitur etiam lumen gloriæ poſſe dici ſatiare appetitum, eſſeque beatitudinē eſſentialem ſeu formalem, eò quòd exigat viſionem ſeu fruitionem, quæ appetitum ſatiat: nam deficit lumini gloriæ, quòd non ſit vitalis aſſecutio ſeu poſſeſſio ſummi boni. Adde omnem anxietatem abfuturam, ſi ad perpetuitatem ejuſve defectum beatus non reflectat, prout non reflectere Deo diſponente poſſet: adeòque non minùs ſatiabitur appetitus videntis temporaliter Deum, quàm viſuri perpetuò, ſi neuter de continuatione quidquam cogitet.

50. *An actus viſionis & fruitionis Dei ſit ex natura ſua à ſolo Deo deſtruibilis.*

Petes, An viſio & fruitio beatifica ſit ex natura ſua perpetua, uti Angelus vel anima rationalis, adeòque non niſi divinitùs deſtruibilis? Reſp. Neg. cum *Scoto* ejuſque diſcipulis, *Occam* & reliquis *Nominalibus*, *Durando*, *Curiel* & aliis, contra plures alios. Ratio eſt: quia in primis viſio Dei relinquit voluntatem phyſicè indifferentem, etiam in materia præcepta, ut patet in Chriſto viatore: adeòque quantum eſt de ſe potentem peccato demeritoriè deſtruere ipſam viſionem. Deinde etſi viſione hoc v. g. inſtanti præſuppoſitâ voluntas phyſicè neceſſitaretur ad amorem perfectiſſimum & cum peccato incompatibilem; non repugnat tamen viſionem inexiſtere naturâ poſteriùs exercitio libertatis; quo conſequenter præpediri poſſet futura alioquin continuatio viſionis: ſicut etſi cum gratia ſanctificante in ſenſu compoſito non conſiſtat peccatum mortale, poteſt tamen deſtrui per illud ponendū eo inſtanti quo alioquin gratia fuiſſet conſervata. De fruitione id ipſum probatur: tum quia veroſimiliter ipſa eſt phyſicè libera: tum quia deſtructâ viſione (cujus deſtruibilitas eſt declarata) neceſſe eſt deſtrui fruitionem. Confirmatur prædicta reſponſio ex dicendis *quæſt. ſeq.*

QUÆSTIO IX.

De Impeccabilitate Beatorum.

Dico I. Fide certiſſimum eſt, neminem donari beatitudine, niſi mundatus ſit à peccato, ſi quod habuerit; ut patet *Apoc. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* Et alibi ſæpè. Immo inſuper requiritur, ut peccato quoad culpam mundato, totum inſuper pœnæ temporalis debitum exſolvatur: ut fides docet, ſtatuens pro ejuſmodi purgatorium. Unde *Benedictus XII.* Extrav. *Benedictus Deus*, & *Florentinum in litteris Unionis*, dum definiunt beatitudinem animarum non differri uſque ad diem judicij, expreſsè agunt de animabus purgatione non indigentibus. Ratio eſt quia neque macula peccati, neque dolor vel pœna ullatenus conſiſtit cum ſtatu tantæ felicitatis, in quo eſt omnium bonorum cumulus cum carentia omnis miſeriæ. 51. *Beatitudo exigit perfectam immunitatem à culpis commiſſis.*

Sed dubium eſt, an viſio beatifica vel fruitio excludat vi ſuâ omnem peccati maculam, ſeu omne peccatum habituale? Affirmant Varii, etiam loquentes de potentia abſoluta, ut *Vaſquez* & alii putantes nullâ virtute poſſe maculam peccati cum viſione componi. Verùm *Suarez* & plerique alii id rectiùs negant: quæ enim poteſt implicantia involvi in eo, quòd Deus aliquem ad ſui conſpectum admittat, cui tamen condonare nolit injurias præcedentes, immo quem amantem, etiam fruitione divinâ, non redamet, ſed ob peccata præcedentia odio proſequatur? Quàmvis id certiſſimè numquam ſit eventurum, & minùs conſonum divinæ pietati appareat. Immo etſi viſio & fruitio Dei ſint qualitates maximè exornantes & decorantes beatorum mentes; necdum tamen exploratum eſt, an etiam de facto habeant vim juſtificandi, ſeu formaliter expellendi peccati mortalis maculam, ſi per impoſſibile ineſſet: non enim ex revelatis conſtat, an de facto 52.

Abſolutè tamen poſſet viſio ſeu fruitio cum peccati macula conſiſtere.

Immo non conſtat, an de facto alterutri vis formaliter juſtificativa ſit annexa.

facto vim formaliter juſtificandi annexuerit Deus alteri formæ, quàm gratiæ ſanctificanti: cùm enim hæc pro omni caſu aliquando futuro ſufficiat, non fuit neceſſe alteri alicui qualitati vim iſtam à Deo tribui. Unde viſionem Dei ſecundùm ſe non eſſe formam ſanctificantem, præter *Scotiſtas* docet *Suarez, Tannerus, Lorca, Medina* & plures alii.

53. *Excludit etiam beatitudo culpas committendas.*

DICO II. Similiter certiſſimum eſt de fide contra *Origenem*, omnes Beatos de facto eſſe impeccabiles, ſeu non habere, vel umquam habituros eſſe propinquam potentiam ad denuo peccandum. Patet ex Scriptura relata: ſi enim in civitatem ſupernam Jeruſalem nil coinquinatum aut mendacium faciens poteſt intrare, multò minùs poterit ibi coinquinari, aut mendacium ſeu peccatum facere. Deinde falſum eſſet, ibi non eſſe luctum & dolorem; quem tamen ibi non eſſe, patet ex *Apoc.* 21. *Neque luctus &c. erit ultrà.* Præterea *c.* 22. dicitur: *Omne maledictum non erit ampliùs.* Denique 1. *Petri* 1. Beatitudo vocatur *hereditas incorruptibilis & incontaminata.* Idem docent Patres *Auguſtinus Enchiridii c.* 105. *Sic oportebat priùs hominem fieri, ut & bene velle poſſet & malè ...... poſtea verò ſic erit, ut malè velle non poſſit. Fulgentius l. de fide ad Petrum c.* 23. & alii. Ratio eſt tum quia tanta felicitas non poteſt conſiſtere cum tanta miſeria & malo, quantum eſt peccatum etiam veniale, cui omnia mala pœnæ juxta rectam rationem ſunt poſtponenda: tum quia Beati continuò fruuntur Deo amore perfectiſſimo ſuper omnia, qui non conſiſtit cum actu peccati mortalis; immo nec venialis, quando eſt omnino perfectus & intenſus (qualis eſt in Beatis) qui enim perfectiſſimè amicum actu diligit, refugit admittere offenſam illius etiam levem. Unde communiter dicitur, quòd peccatum veniale repugnet fervori & perfectioni charitatis. Ex quo patet radicem ſufficientem impeccabilitatis Beatorum eſſe continuatum Dei amorem perfectiſſimum, qui nullam Dei offenſam, quantumvis minimam, ſecum compatitur.

Sed remanet duplex Difficultas inter Scholaſticos controverſa. Prima eſt, an clara viſio Dei reddat Beatos phyſicè impeccabiles, etiam ſecluſo Dei amore conſequente. Secunda, an ſaltem phyſicè determinet voluntatem Beatorum ad amorem perfectiſſimum Dei, ſic ut Beati neque à viſione, neque ab amore ceſſare queant, adeòque ipſe amor beatificus non ſit liber, ſed phyſicè neceſſarius; & conſequenter vi amoris ita neceſſarii Beati ſint phyſicè impeccabiles.

54. *Viſio ſola non reddit beatos phyſicè impeccabiles.*

DICO III. Viſio Dei non reddit Beatos phyſicè impeccabiles, ſecluſo amore beatifico. Ita *Scotus*, omneſque *Scotiſtæ*, *Occam* & ceteri *Nominales, Dominicus Soto, Egidius Luſitanus* & alii. Probatur: quia ſecluſo eo, quòd viſio determinet ad amorem beatificum, nil reſtat, quod Beatos determinet ad abſtinendum à peccato. Quàmvis enim clarè appareat videnti Deum, quòd omnis offenſa Dei ſit mala moraliter, equidem maneret, abſolutè loquendo, voluntas libera ad eligendum malum morale velut delectabile, poſtpoſito bono ſine comparatione meliori. Deinde non obſtante viſione beatificâ Chriſtus liberè fecit opera præcepta, ac proinde liberè abſtinuit à peccato; adeòque etiam ceteri Beati eâ non obſtante liberè abſtinerent à peccato; & conſequenter hi non eſſent phyſicè impeccabiles. Adde, etſi Viſio beatifica etiam de abſoluta potentia non compateretur ſecum peccatum actuale in ſenſu compoſito (quod tamen eſt falſum) cur non poſſet præditus viſione Dei pro hoc inſtanti per peccatum ſequenti inſtanti priùs naturâ committendum impedire continuationem viſionis Dei, illamque deſtruere? Confirmatur ex dicendis ſeq. Concluſione: ſi enim viſio Dei non excludat phyſicè peccatum actuale, etiam eo modo quo nunc conſequitur amor beatificus (ut ibi dicetur) quantò minùs hoc ſecluſo?

DICO IV. Viſio Dei non determinat 55. *Neque determinat phyſicè voluntatem ad continuum amorem.*
phyſicè voluntatem Beatorum ad amorem continuum, qui per conſequens excludat omne peccatum actuale. Ita *Scotus*, *Occam* ceterique *Scotiſtæ*, ac *Nominales* contra *D. Thomam* & alios paſſim. Probatur: tum quia viſio clara objecti, etſi infiniti, eſt voluntati creatæ extrinſeca, tantùmque finitè ei applicat infinitam bonitatem; non apparet proinde, cur ipſam ex natura ſua liberam phyſicè determinaret ad amandum: tum quia alioquin vix explicari poteſt, quomodo Chriſtus, in hac vita beatus, fuerit liber in operibus illi quoad ſubſtantiam ac determinatas circumſtantias præceptis; quod tamen non eſt difficile in noſtra Doctrina; quandoquidem nec Unio hypoſtatica, nec viſio Dei impediverit intrinſecam voluntatis Chriſti indifferentiam. Tum denique, quia nil eſt, quod ejuſmodi phyſicam voluntatis Beatorum per viſionem neceſſitationem perſuadeat; ut ex ſolutione objectionum patebit. Itaque pro contraria Sententia, quæ etiam probabiliſſima eſt

Dices I. Beatus neceſſariò ſe habet in 56.
ordine ad Deum, ſicut viator ad bonum ut ſic: atqui viator quidquid amat, amat neceſſariò ſub ratione boni; ergo ſimiliter Beatus neceſſariò amat Deum, & cetera in ordine ad illum. Reſp. Neg. Mai. quia bonum in genere includitur eſſentialiter in quolibet bono particulari; adeòque dum hoc appetitur, neceſſariò ſimul appetitur communis ratio boni incluſa, non ſic Deus includitur in omnibus aliis bonis, ſed multa ſunt ei condiſtincta, quæ amari poſſunt non amato Deo; ut patet in hominibus viatoribus. Idem autem repugnare in Beatis, ex hoc

capite non oſtenditur. Deinde viator non neceſſariò aliquid vult, ſed poteſt à volendo ceſſare, adeòque etiam admiſsâ paritate poſſet ab amore ceſſare Beatus, ac proinde negari Conſequentia argumenti.

Dices II. In objecto infinito clarè propoſito apparet infinita ratio boni, & nulla ratio mali, uti nec aliqua ratio mali apparet in ipſo actu amandi: ergo voluntas Beati neceſſariò illud amat. Reſp. N. Conſ. quia eſto quòd non poſſit illud bonum odiſſe, uti nec Beatitudinem in communi, aut bonum ut ſic, poſſet tamen non amare, ceſſando ab actu, adeòque maneret liber quoad exercitium, ſi non quoad ſpecificationem.

Inſtabis: In ipſa ceſſatione ab amore nulla poteſt inveniri ratio boni, quæ niſi appareat, non poteſt voluntas ab actu ceſſare. Reſp. in primis id non requiri ad puram ceſſationem ſive omiſſionem actûs, ad quam ſufficit innata libertas. Deinde ipſum libertatis exercitium eſt bonum aliquod, quod in ea reperiri & appeti poteſt; uti & hoc, quòd voluntas limitata fiat expedita ad eliciendos alios actus, eſto minùs bonos: quod ſufficit, non tantùm ut à priori actu ceſſet, ſed etiam ut illum nolit. Quemadmodum etſi in objecto vel actu alterius virtutis, poſt Charitatem nobiliſſimæ, nihil mali appareat, poteſt tamen Beatus ab illo ceſſare, & actum inferioris virtutis elicere.

57. Dices III. Deus ex natura ſua determinatur ad ſe amandum, eò quòd ſe ipſum tamquam ſummum & infinitum bonum clarè videat: ergo ſimiliter determinantur Beati ad amandum Deum à clara ejuſdem infiniti boni viſione. Reſp. Deum determinari ad amorem ſui, non ex generali ratione viſionis Dei, ſed ex eo quòd eſſentialiter ſit felix, ſanctus, & beatus; beatitudo autem & ſanctitas ipſius principaliter in amore & fruitione ſui conſiſtit. Sicut quoque ex eſſentiali voluntatis ſuæ rectitudine, etiam præſcindendo à viſione ſui, eſt impotens ad peccandum. Secùs ſit in hominibus beatis, qui ſunt beati ex gratia, & quorum voluntas eſſentialiter ac intrinſecè eſt defectibilis.

Cur Deus potiùs neceſſitetur ad amorem, quàm homo ex hoc quòd Deum videat.

Dices IV. Non eſt peccatum in voluntate, niſi præcedat defectus in intellectu, qui non conſideret; aut ſaltem minùs conſideret peccati malitiam quàm voluptatem; hic autem defectus cadere non poteſt in eum, qui videt Deum. Reſp. Neg. Aſſ. poteſt enim voluntas pleniſſimè conſiderans peccare ex ſua libertate, ſicut potuerunt peccare Angeli cum perfectiſſima Dei & peccati notitia. Deinde quælibet inconſideratio phyſicè non videtur repugnare viſioni Dei.

Dices V. Infinita bonitas hîc per fidem cognita tam potens eſt, ut ad ſe ſummâ vehementiâ & ſuavitate rapiat voluntatem Sanctorum gratiâ præventam etiam in hac vita, adeò ut ſui obliti ac divino amore ebrii, etiam à ſenſibus ſubinde alieni per extaſim reddantur: ergo eadem bonitas clarè cognita multò potentiùs voluntatem trahet, etiam neceſſitando. Reſp. Diſt. Conſq. neceſſitando moraliter Conc. Phyſicè Neg. nam hoc ipſum eſt, quod quæritur, & non ſatis probatur.

Nihilominus non diffitentur *Scotiſtæ* viſionem Dei determinare moraliter voluntatem ad amorem perfectiſſimum omniſque peccati novi excluſivum: quia nimirum ſpectatâ voluntatis indole infallibiliter eam trahit, ſic ut etſi phyſicè loquendo voluntas poſſet non amare, numquam tamen non ſit amatura bonum infinitum clarè viſum. Quemadmodum voluntas noſtra gratiâ deſtituta infallibiliter numquam reſiſtet gravi tentationi; etſi ab hac non neceſſitetur phyſicè. Similiter infallibile eſt, neminem ſine privilegio vitaturum omnia peccata venialia; etſi voluntas maneat phyſicè libera & potens vitare. Hinc itaque naſcitur impeccabilitas moralis, quæ propriiſſimè reddit videntes Deum impeccabiles: prout propriiſſimè dicimur non poſſe ſine gratia gravi tentationi reſiſtere, nec ſine ſpeciali privilegio omnia venialia vitare. 58.

Viſio Dei determinat moraliter voluntatem beatorum ad amorem excluſivum peccati.

Accedit inſuper extrinſecum decretum Dei abſolutè prædefinientis perpetuitatem viſionis & fruitionis cum negatione concurſus ad peccandum: hoc enim poſito omnino impoſſibile eſt voluntatem beati peccare; adeòque habetur omnimoda impeccabilitas.

Determinat quoque decretum divinum,

Et quidem Nonnulli *Scotiſtæ* in ſcholis docentes putarunt decretum hoc eſſe phyſicè prædeterminans, adeòque neceſſitans voluntatem ad amorem beatificum, qui proinde foret phyſicè neceſſarius. Sed in primis nulla eſt neceſſitas ejuſmodi decreti. Deinde non ſatis congruit libertati ac merito Chriſti in via beati. Adde; non facilè explicari; quo modo extrinſecum decretum præcisè immutet intrinſecam arbitrii creati indifferentiam, utpote in tempore ad actum fruitionis ſimultaneè concurrens cum aliis principiis phyſicis, causâ primâ ſcilicet & habitu charitatis, quorum nullum phyſicè neceſſitat voluntatem beati. 59.

Non quidem phyſicè prædeterminans,

Rectiùs proinde dicitur decretum præfatum relinquere phyſicam & intrinſecam voluntatis indifferentiam: adeòque amorem beatificum eſſe phyſicè liberum. Ita *Scotus 4. d. 49. q. 6. n. 11.* Et *1. d. 1. q. 4. n. 15.* ubi ait: *Quantùm ad 3. articulum de fine clarè viſo dico, quod voluntas elevata non neceſſariò fruitur, quantùm eſt ex parte ſua.* Idem docent *Scotiſtæ* communiter. Et inclinat Wiggers *3. p. q. 18. a. 4. n. 25.* agens de libertate Chriſti in via beati. Ratio patet, tum ex ſtatim præmiſſis: tum quia ex nullo capite apparet defectus phyſicæ libertatis: tum quia ſic ſatis ſalvantur ſalvanda de impeccabilitate beatorum. Confirmatur: quia impeccabilitas Chriſti, utique non minùs perfecta quàm beatorum, explicatur ſalvâ indifferentiâ intrinſecâ voluntatis

Sed ſalvâ phyſicâ indifferentiâ infallibiliter inferens amorem beatificum.

tis ad merendum requiſitâ, ut in *Tract. de Incarnat.* plenius oſtendetur: ergo ſimiliter rectè explicatur impeccabilitas beatorum, ſalvando phyſicam indifferentiam voluntatis.

QUÆSTIO X.

An animæ Sanctorum ſint beatæ ante communem corporum reſurrectionem?

60. *Errores circa hanc quæſtionem.* PORPHYRIUS (teſte *Auguſtino* 12. *de Civit. c.* 26.) cenſebat omne corpus eſſe fugiendum, ut anima ſit beata.

E contrà *Armeni* cenſuerunt beatitudinem animæ differri uſque ad reſumptionem corporum ſeu tempus judicii, teſte *Alphonſo à Caſtro* V. *Beatitudo Hæreſi* 6. Quod etiam docuerunt Græci Schiſmatici, ut idem teſtatur, & apertè conſtat ex *Proœmio Concilii Florentini.* Eidem Sententiæ ſuffragari videntur varii Veteres, ſignanter *Tertullianus*, *Lactantius Theophylactus* & alii, putantes, animas interim conſolari quidem, ſed detineri in abditis quibuſdam receptaculis, locoque amœno (quem paradiſum aut ſinum Abrahæ vocant) donec reſumptis corporibus, ſimul coronam accipiant, & in cælum transferantur. Pauci tamen explicant, an ibi animæ videant interea Deum, an non. Inter recentiores Hæreticos, referuntur *Lutherus, Anabaptiſtæ*, ipſeque *Calvinus* ſenſiſſe idem quod Græci. *Calvinus* quidem *l.* 3. *Inſtit.* 25. §. 6. ſtultum & temerarium dicit, definire, an animæ ſint in cælo, & gloriâ fruantur; attamen poſt paucas lineas definit, eas gloriâ non frui, ſe ipſum ſtultitiæ & temeritatis condemnans. Doctrina Catholicorum ſequentibus Concluſionibus explicabitur.

61. *Beatitudo compatitur corpus.* DICO I. Beatitudini non repugnat conjunctio animæ cum corpore. Eſt fide certiſſimum. Patet: tum quia erit reſurrectio corporum, quæ alioquin minimè eſſet futura: tum quia corporibus electorum promittitur conſortium Beatitudinis *Job* 19. *Iſaiæ* 66. & alibi; & definit *Tridentinum ſeſſ.* 25. *in Decreto de Invocatione Sanctorum.* Ratio eſt: quia conjunctio animæ cum corpore non impedit viſionem Dei, utpote independentem ab organo corporeo & phantaſmate, immo converſioni ad phantaſma repugnantem; à qua proinde Beati erunt liberi. Unde rectè *Aug. lib.* 12. *de Gen. ad Litt. cap.* 35. *Cùm hoc corpus jam non erit animale ſed ſpiritale, tunc Angelis adæquabitur, & erit ei ad gloriam, quod ſarcina fuit.*

62. *Animæ tamen Sanctorum ſunt in cælo beatæ ante reſumptionem corporum.* DICO II. Juxta ordinationem Dei communem animæ juſtorum omnium ſufficienter purgatæ poſt aſcenſionem Chriſti recipiuntur in cælum, & conſortio Angelorum aggregantur, videntque poſt tempus mortis Chriſti clarè divinam Eſſentiam, eâque perfruuntur, talique viſione & fruitione ſunt verè beatæ. Ita expreſſis verbis definit *Benedictus XI.* aliàs *XII.* Extravag. *Benedictus Deus*, Idem poſtea definivit *Florentinum in Litteris Unionis*, & *Tridentinum ſeſſ.* 25. *in Decreto de Invocat. Sanctorum.* Et antea tradiderat *Innocentius III.* cap. *ad Apoſtolicam, de Presbytero non baptizato.*

Probatur Concluſio I. ex Scriptura *Lucæ* 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*; non illo terreſtri, in quo utique anima Chriſti iſto die non fuit, quique fortaſſe periit, nec locus animarum ſed corporum fuit; ſed in beatitudine viſionis & fruitionis Dei, quæ (ut eam vocat *Auguſtinus*) eſt paradiſus paradiſorum; in quem raptus fuit Apoſtolus, ut teſtatur 2. *ad Cor.* 12. quem exponit fuiſſe tertium cælum, id eſt, cælum Beatorum. Ita explicat *Cyrillus, Ambroſius, Chryſoſtomus* & alii Patres, ac Interpretes. *Ad Epheſ.* 4. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, id eſt, duxit ſecum in cælos animas antiquorum è lymbo liberatas, oſtiis cæli per ipſum reſeratis; ut Patres paſſim exponunt. *Ad Philip.* 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Cenſebat ergo Apoſtolus ſe fore cum Chriſto (ſcilicet in cælo, ubi Chriſtus eſt, & beatitudine) ſi diſſolveretur. 2. *ad Cor.* 5. *Audentes igitur ſemper* (ſubintellige, ſumus, ſcilicet ad ſubeunda pro Chriſto pericula) *ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore* (ſubeundo ſcilicet mortem) *& præſentes eſſe ad Dominum.* Supponit igitur hoc eſſe connexum cum morte pro Chriſto, quam propterea adeò ardenter appetebat, ut per eam eſſet præſens ad Dominum. *Ad Hebr.* 9. docet Apoſtolus viam ad cælum, antea clauſam, fuiſſe per Chriſti paſſionem patefactam, dicens: *Significante Spiritu ſancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*; ſed hanc ait propalatam, quando *Chriſtus per proprium ſanguinem introivit in Sancta.* Quod juxta Patres etiam figurabat ſciſſio veli, quod Sanctum Sanctorum occultabat. Unde juxta fidem mox à morte Chriſti animæ Sanctorum in lymbo ſunt donatæ viſione & fruitione Dei; loco autem cæleſti ſolùm ab aſcenſione Chriſti in cælum, juxta Extrav. *Benedictus Deus* citatam. Denique (ut alias Scripturas omittam, quas tractat *Eſtius* 4. *d.* 45. §. 2. *Bellarminus* & alii) *Apoc.* 6. animabus Martyrum dantur ſingulæ ſtolæ albæ; quibus gloria animæ deſignatur, juxta Expoſitionem Patrum communiter. Audi *Gregorium in illud Pſal.* 50. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam* dicentem: *Quid namque*

Probatur ex Scripturâ.

que eſt ſingulas illis ſtolas albas tribuere, niſi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid verò eſt, donec electorum, numerus impleatur requieſcere, niſi futuræ reſurrectionis gloriam exſpectare? In qua nimirum iterum ſingulas ſtolas albas accipient, quia immortalia & incorruptibilia corporum ſuorum veſtimenta reſument.

63. *Ex definitione ac ſenſu Eccleſiæ & Patrum,* Probatur II. Ex definitionibus Eccleſiæ ſup. citatis. Ejuſdem Eccleſiæ ſenſus habetur in divino officio de Martyribus, in quo canitur: *Gaudent in cælis animæ Sanctorum.* Et in Collecta de S. Gregorio: *Deus qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti.* Et alibi. Conſtat quoque ſenſus Eccleſiæ ex feſtivo & multimodo gloriæ Sanctorum cultu, eorumque invocatione. Denique idem conſtat ex conſenſu Patrum, *Hieronymi L. contra Vigilantium,* in quo oppoſitum errorem taxat, & *Epiſt.* 24. de obitu Leæ; item *Cypriani, Euſebii, Chryſoſtomi* & aliorum apud *Eſtium ſup.* §. 3. *Bellarm. l.* 1. *de Beatitud. cap.* 4. & 5. *Valentia diſp.* 1. *q.* 4. *p.* 2. Nobis ſufficiant verba *Nazianzeni Orat. in laudem S. Baſilii*, in fine: *Tu verò ſacrum & divinum caput è cælo nos quæſo inſpice, noſq;, poſteaquam ex hac vita migraverimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe, ut ſimul viventes, & ſanctam ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam ſpeciem & imaginem accepimus, purius plenìuſque cernentes, deſideriis noſtris finem ſtatuamus.*

64. *Ac rationibus theologicis.* Probatur poſtremò ratione. I. Quia anima corpore ſoluta ſtatim eſt capax viſionis & fruitionis Dei: ergo ad illam admittitur, quamprimùm eſt ſatis purgata; nam meritum poſtulat, ut merces laborantibus debita non differatur, dum non eſt obſtaculum. II. Quia Angeli ſtatim in termino merendi (qui reſpectu hominum eſt mors) beatitudinem acceperunt. III. Quia animæ impiorum in puncto mortis ad inferna deſcendunt; ergo ſimiliter animæ juſtorum ſatis purgatæ mox aſcendunt in cælum nunc reſeratum: non enim pronior eſt Deus ad inferendum ſupplicium, quàm ad conferendum præmium. IV. Quia Eccleſia demum poſt Chriſti paſſionem cœpiſſe legitur invocare Sanctos; ſupponens utique ipſos ex inde alium accepiſſe ſtatum, ratione cujus nimirum preces viventium ad ſe directas videant, quas antea Deum non videntes ordinariâ aliquâ ratione cognoſcere non poterant. Denique ob hoc Eccleſia gaudioſè celebrat diem mortis Sanctorum Martyrum, illum appellans natalem, quia videlicet ad beatam vitam tunc naſci cœperunt: cùm ante adventum Chriſti defleri ſoleret mors Sanctorum, ut teſtatur *Baſilius orat. in S. Barlaam in princip.*

65. Objicitur I. Parabola *Matth.* 20. in qua Paterfamilias juſſit operarios ſimul vocari, eiſque reddi mercedem ad veſperam dici, id eſt, in fine mundi. Reſp. cùm ſcopus parabolæ ſit, oſtendere inæqualitatem meritorum, etiam in iis qui aliter ſæpè de ſe præſumebant, non debere applicari omnia quæ ornatûs gratiâ adduntur. *Solutio objectionum.* Aliàs oporteret, quotquot ſunt operarii quâvis ætate vocati, laborare uſque ad veſperam mundi; cùm operarios omnes uſque in ſerum ſeu veſperam laboraſſe ſupponat littera Parobolæ. *Quid intelligatur per veſperam in parabola Matth. 20.* Serò itaque eſt, quando nox mortis venit, in qua nemo poteſt operari, ſeu ad veſperam vitæ cujuſlibet; & tunc datur merces animæ. Præter quam privatam retributionem, reſtat publica & ſolemnis, quam totus homo, etiam quoad corpus, recipiet in reſurrectione & judicio generali. Et de hac intelligenda eſt parabola, ſi admittatur (uti facilè poteſt) ſignificatio parabolæ in objectione allegata.

Objicitur II. 1. *Joan.* 3. dicitur: *Scimus, quoniam cùm apparuerit* (ſcilicet Chriſtus in die judicii) *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Reſp. locum ſic intellectum facilè explicari de publica retributione in extremo judicio. Solidiùs tamen dicitur, Scripturam ſub ly *apparuerit* non ſubintelligere Chriſtum, ſed ly *quid erimus*; præmiſerat enim Joannes: *Chariſſimi nondum apparuit quid erimus*; & ſubjungit: *Scimus quoniam cùm apparuerit*, id eſt, conſtiterit quid erimus (quod fiet in privato judicio, & ſolemniùs coram toto mundo in judicio generali) *ſimiles ei erimus* &c.

66. Objicitur III. illud ad *Hebr.* 11. *Hi omnes* (ſcilicet Sancti veteris Teſtamenti) *teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Hic unicus locus adfertur à Græcis in *Florentino*; & ſignificare videtur illos Sanctos nondum recepiſſe præmium ſuum, quaſi in noſtri gratiam, ut illud ſimul tandem nobiſcum percipiant. Reſp. ibi ſignificari Sanctos antiqui Teſtamenti non intraſſe cælum abſque Sanctis, ſaltem aliquibus, ex novo Teſtamento, ut aliqui explicant, & favet *Hieronymus Ep.* 3. dicens: *Ante Chriſtum Abraham apud inferos, poſt Chriſtum latro in paradiſo.* *Sancti veteris Teſtamenti quo ſenſu non conſummentur ſine nobis.* Vel certè ſignificatur, ipſos non recepiſſe completam retributionem, etiam corporis, ut plerique alii. Addit *Præpoſitus quæſt.* 4. *art.* 5. *dub.* 1. cum paucis aliis, per repromiſſionem ibi intelligi myſterium Incarnationis Patribus promiſſum, & ab iiſdem deſideratum, ſed nobis reſervatum.

Nec obſtat, quòd eodem cap. præmiſerat: *Nunc autem meliorem appetunt patriam,* id eſt, cæleſtem, quaſi conſequenter illam

illam nondum habeant: nam ly *nunc* idem eſt, quod *at verò*. Unde habet vim adverſativæ, ſimul & illativæ conjunctionis; ſicut 1. *ad Cor.* 12. *Nunc autem multa quidem membra.* Et *cap.* 15. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit.* Ly *appetunt* refertur ad tempus, quo Patres illi adhuc erant in terris, ut patet ex textu; q. d. referendo ad tempus quo Apoſtolus ſcribebat: At verò meliorem appetebant patriam.

67. Objicitur IV. *Joannes Apoc.* 6. refert ſe vidiſſe animas Martyrum ſub altari, in loco videlicet abdito, quieſcentes, ibique expectantes donec impleatur numerus fratrum. Reſp. quòd Joannes loquatur de animabus, quæ erant in cælo, & ante thronum Dei; ipſumque altare ſimiliter erat in cælo; ut patet *cap.* 7. Deinde animabus iſtis jam datæ erant ſingulæ ſtolæ albæ, ſcilicet gloria animæ, ut Patres exponunt: etſi in eis nondum impleatur illud *Iſaiæ* 61. *In terra ſua duplicia poſſidebunt*; eò quòd adhuc abſit gloria corporis. Alludit autem Joannes in viſione ſua imaginaria (ut rectè *Ribera in cap.* 6. *Apoc.* declarat) ad morem vetuſtiſſimum Eccleſiæ, quo Reliquiæ Martyrum ſub altaribus ſepeliuntur, intelligens per altare quietem animarum in cælo; ſicut cubilia ſanctarum animarum appellantur à cubili corporali. Alii autem per *altare* intelligunt Chriſtum; alii corpus glorioſum Chriſti, alii protectionem Dei. Sed quodvis intelligatur, nil inde poteſt inferri contra veritatem Catholicam.

Quo ſenſu animæ martyrum requieſcant in cælo ſub altari.

68. Objicitur V. *Joannes XXII.* docuit animas Sanctorum non videre Deum ante diem judicii, ut teſtatur *Gerſon Serm. de Paſchate*, & *Occam in opere* 90. *dierum cap.* 124. & *in Compendio errorum Papæ cap.* 7. refert ipſum ita in diverſis ſermonibus publicè docuiſſe, & pro eodem errore unum magnum opus compoſuiſſe, *quod* (inquit *Occam*) *vidi & legi.* Ne quis autem reſpondeat, Pontificem ita ſenſiſſe tamquam perſonam & Doctorem privatum, obſtat, quòd hoc ipſum feratur declaraſſe, & ab omnibus teneri mandaſſe, & Univerſitatem Pariſienſem ad hoc induxiſſe dicatur, quòd nemo in ea poſſet gradum in Theologia adipiſci, niſi primitùs hunc Errorem juraſſet ſe defenſurum, & perpetuò ei adhæſurum, ut refert *Adrianus quæſt. de Confirmatione* §. *ad* 2. *principale.*

Ioannes XXII. non definivit beatitudinem animarum differri in diem judicii.

Reſp. etſi *Joannes XXII.* oppoſitum Concluſionis docuerit tamquam Doctor privatus, numquam tamen propoſuit Eccleſiæ Auctoritate Pontificiâ; ſic ut omni veroſimilitudine careat, quod *Adrianus* de hoc circumferri ſeu ſpargi dicit. Nam *Benedictus XII.* proximus *Joannis* ſucceſſor in *Extrav. cit.* expreſsè teſtatur, nullam ipſum feciſſe deciſionem; ſed cùm de re iſta tunc inter Doctores diſputaretur, paraſſe ſe ad deciſionem, & Cardinalibus ac Doctoribus præcepiſſe, ut quando ab eo requirerentur, deliberatè unusquiſque diceret quod ſentiret; morte autem præventum perficere illud nequiviſſe. Quâ igitur veri ſpecie dicitur Sententiam oppoſitam, nullâ tunc adhuc ratione deciſam, præcepiſſe doceri? Certiſſimum quoque ſignum, quòd *Joannes* nil hac de re definierit, eſt, quòd *Occam* id tacuerit, qui errata hujus Pontificis, cui infenſus erat, quantùm potuit ex profeſſo exaggeravit. Ex quo etiam manifeſtum eſt, quàm falsò plures Auctores *Occamum* faciant Auctorem oppoſitæ fabellæ, quaſi *Adrianus* & ceteri ab eo fuerint decepti, prout præfata *Occami* opera inſpicienti evidenter patebit. Ceterùm teſtatur *Joannes Villanus* Scriptor contemporaneus, Pontificem pridie mortis retractaſſe ſuam opinionem, & contrariam fuiſſe amplexum, cum ſubmiſſione tamen ad judicium Eccleſiæ.

Neque Occam id de illo refert.

Objicitur VI. Auctoritas veterum Patrum, *Juſtini*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Lactantii*, *Victorini*, *Irenæi*, *Hilarii*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Bernardi* & aliorum, quorum loca alii fusè referunt. Reſp. in primis non obeſſe reverentiæ aut ſanctitati Patrum, quòd in re tunc temporis in Eccleſia necdum ſatis diſcuſsâ quidam bonâ fide à vero aberraſſent; ut advertit *Alphonſus à Caſtro V. Beatitudo Hæreſi* 6. admittens *Irenæum*, *Theophylactum* & *Bernardum* oppoſitum ſenſiſſe. Deinde *Juſtini* quæſtiones ad Orthodoxos (è quibus ſumitur teſtimonium in contrarium) ſunt alterius Auctoris, utpote citantis *Origenem Juſtino* poſteriorem. *Tertullianum* conſtat fuiſſe Hæreticum; *Origenem* ad minus de hæreſi ſuſpectum: *Lactantium* ſaltem magìs fuiſſe verſatum in Cicerone, quàm in rerum ſacrarum eruditione: *Victorino* Martyri defuiſſe ſcientiam. *Irenæum* multi intelligunt de gloria conſummata. De qua etiam loquitur *Ambroſius l. de bono mortis cap.* 10. tradens ex 4. *Eſdræ* (qui eſt apocryphus) *cap.* 7. animas in promptuariis, ſcilicet cæleſtibus, abſconſas expectare remunerationem, completam videlicet, in die judicii. Clariſſimè enim veritatem tradit *Epiſt.* 22. de S. Acholio; & *Epiſt.* 54. aſſerit eſſe in cælo SS. Gervaſii & Protaſii animas. *Hilarius in Pſal.* 138. loquitur de tempore veteris Teſtamenti: qui tamen *in Pſal.* 64. & *in Pſal.* 124. ſatìs apertè docet animas Sanctorum eſſe in cælo. *Chryſoſtomus Homil.* 39. *in Epiſt. ad Cor.* ſolùm probat reſurrectionem carnis futuram, nec animam ſine carne æternùm manſuram. Qui tamen *Homil.* 3. *in Ep. ad Philipp.* in parte morali apertè veram Doctrinam tradit. 69.

Veteres quoſdam ita ſenſiſſe, re non definitâ, non derogat eorum reverentiæ aut ſanctitati.

Plerique explicantur.

Signanter Auguſtinus,

Auguſtinus nuſquam negavit Beatis modò viſionem Dei, qui illam conceſſit etiam in hac vita Moyſi & Paulo: etſi diverſis locis ſignificet, viſionem poſt reſurrectionem fore perfectiorem. Unde in illud *Pſ.* 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*, ita loquitur de cæleſti Jeruſalem: *Ibi omnes juſti & ſancti, qui fruuntur Verbo Dei ſine lectione, ſine litteris. Quod enim nobis per paginas ſcriptum eſt per faciem Dei illi cernunt.* Similiter *l.* 2. *contra Litteras Petiliani cap.* 71. & alibi frequenter, cælum & cæleſte regnum Martyribus, aliiſque Sanctis tribuit. Quàmvis alibi de loco obſcuriùs loquatur, de quo proinde ipſum aliquando fuiſſe dubium Varii fatentur. At *Eſtius d.* 45. §. 6. etiam hoc negat; juxta quem, dum *Auguſtinus l. de cura pro mortuis cap.* 3. *Enchiridii cap.* 108. *Lib.* 12. *de Civit. cap.* 9. & alibi collocat animas in occultis ſedibus, in ſecretis & abditis receptaculis, loquitur de cæleſtibus: quæ etiam intelligit nomine ſinûs Abrahæ: nam idem *Auguſtinus* 20. *de Civit. cap.* 15. ait: *Profectò deinceps boni fideles, effuſo illo pretio* ſanguinis Chriſti *jam redempti, prorſus inferos neſciunt.*

Et Bernardus.

Denique *Bernardus Serm.* 3. *&* 4. *de omnibus Sanctis* negat modò animabus gloriam conſummatam & viſionem perfectiſſimam. Alioquin ipſas eſſe in cælo apertè docet *Serm. in Vigilia SS. Petri & Pauli*, & alibi. Viſionem etiam aliquam divinitatis eiſdem tribuit. *Ep.* 311. *ad Fratres de Hibernia*, agens de S. Malachia, & *Serm.* de eodem, qui habetur poſt hiſtoriam de vita. Et alibi.

70. *Beati poſt reſurrectionem non regnabunt in hoc mundo,*

Dico III. Beati poſt reſurrectionem mox ad habitationem tranſferentur cæleſtem. Eſt de fide contra *Chiliaſtas* ſeu *Millenarios*, qui aſſerebant Beatos, antequam ad cæleſtem gloriam transferendi ſunt, regnaturos poſt reſurrectionem in hoc mundo cum Chriſto mille annis, in nova videlicet civitate Jeruſalem, & in abundantia rerum externarum, videlicet cibo, potu, uxoribus &c. Quem errorem olim ſatìs celebrem docuit *Papias* Hieropolitanus Epiſcopus diſcipulus S. Joannis, non quidem Evangeliſtæ, ſed Joannis ſenioris, familiaris S. Polycarpo (ut videre eſt apud *Baronium* ad annum 118.) eumque ſecuti referuntur *Lactantius, Severus*, immo & *Irenæus*, & quidam alii.

Sed hic error valdè ſtolidus eſt; quem *Hieronymus* Judaicam fabulam vocat; *Auguſtinus* velut abſurdum rejicit; *Dionyſius Alexandrinus* (*Hieronymo* teſte) eleganti & erudito contra illum ſcripto libro refutavit: quem denique *Dionyſius Areopagita l. de Eccleſ. Hierarch. c.* 7. §. 2. abominatur dicens: *Abſit ut umquam ſanctus Vir in iſtiuſmodi errores incidat.*

Et quidem ſi *Chiliaſtæ* ſuppoſuerint Sanctis non fore concedendam viſionem & fruitionem Dei ante exactos mille poſt reſurrectionem annos, ſatìs refutati manent ex dictis Concluſ. præc. à fortiori.

Præterea iniqua foret ſors Beatorum, ut cùm ſtatim à morte ad regiam cæleſtem animæ aſſumantur, poſt reſurrectionem rurſum relegentur ad hæc infima, infimaſque voluptates. Sanè Chriſtus in judicio (quod erit ſub tempus reſurrectionis) Beatos non jubet manere in terris, ſed ſurſum ad ſe evocat *Matth.* 25. his verbis: *Venite Benedicti &c.* *Sed mox cum corporibus transferentur ad regiam cæleſtem.*

Inſuper refutatur hic Error ex Scriptura, quæ expreſsè uſum ſimilium rerum excludit à ſtatu futuro *Matth.* 22. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Et *ad Rom.* 14. *Regnum Dei* (ſeu via ad illud, adeòque etiam ipſum in ſe) *non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* De his quoque deliciis dixit apertè *Eccleſiaſtes c.* 1. *Vidi, quòd hoc quoque eſſet vanitas.* Adde mercedem, theſaurum, domum, Jeruſalem novam collocari ſurſum & in cælis, ſecundùm Scripturas, *Matth.* 5. *&* 19. 2. *ad Cor.* 5. *ad Gal.* 5. *ad Hebr.* 11. Denique uſus cibi & potus cum corruptione & alteratione indigniſſimus eſt ſtatu tam felici. Idem à fortiori eſt, de uſu Matrimonii.

Præcipuum, ſed frivolum omnino hujus figmenti fundamentum deſumitur ex *Apoc.* 20. ubi dicuntur Sancti cum Chriſto regnaturi mille annis. Sed hoc dupliciter exponitur ab *Alphonſo à Caſtro* V. *Beatitudo Hæreſi* 2. Primò, ut per mille annos ſignificetur univerſa duratio Eccleſiæ triumphantis; ſicut numerus millenarius eſt quidam numerus univerſitatis. Secundò & rectiùs, ut indeterminatè intelligatur duratio Eccleſiæ militantis, ſeu tempus quo Beati regnant in cælo uſque ad judicium: eò quòd poſt iſtos mille annos dicatur ſolvendus ſatan, & ſeducturus multas gentes; quod in explicatione altera non poteſt verificari. Idemque militat contra *Millenarios*: cùm ipſimet fateantur neminem ex illis regnaturis cum Chriſto poſtea periturum. Quòd autem regnum Chriſti ſubinde deſcribatur ſub typo carnaliũ deliciarum, id fit myſticè, & ſub earũ affluentia deſignatur abundantia deliciarum ſpiritualium, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, ut ceteri Patres exponunt. Deliciæ ſiquidem corporales ſunt hominibus corpori immerſis gratiſſimæ, ideoque idoneæ ad ſpirituales Beatorum voluptates umbraticè quodammodò delineandas. Nec juvat auctoritas *Papiæ*: is enim pius quidem, ſed (ſi *Euſebio* credimus) exigui ſenſus vir & minùs capacis fuit, qui ita ſenſit non ex Traditione Apoſtolica, ſed ex ejuſdem & Scripturæ malâ intelligentiâ.

71. *Quo ſenſu Sancti cum Chriſto regnabunt mille annis, Apoc. 20.*

Dico IV.

72. *Beatitudo eſſentialis non erit poſt reſurrectionem perfectior.*

DICO IV. Beati poſt reſurrectionem non erunt perfectiùs beati eſſentiali beatitudine, ſeu non videbunt Deum clariùs aut fruentur eo perfectiùs, quàm antè. Eſt longè probabilior, juxta *Leſſium*, omnino verior, juxta *Præpoſitum*, certa juxta *Arriaga* & *Oviedo*; ſaltem præferenda longè Sententia, quam docent omnes hoc tempore: contra *Magiſtrum* 4. *d.* 49. *D. Bonav.* & *D. Thomam ibid.* (qui etſi à multis credatur opinionem mutaſſe 1.2. *q.* 4. *a.* 5. aliud tamen apparet inſpicienti corpus articuli circa finem) *Richardum, Marſilium*, & quoſdam alios veteres Scholaſticos, quibus adſtipulatur *Auguſtinus l.* 12. *de Gen. ad Litt. c.* 35. & *Serm.* 103. *de Sanctis Perpetuâ & Felicitate parte* 2. *Sermonum de diverſis*. Idemque ad minus vult *Bernardus Serm.* 3. & 4. *de omnibus Sanctis*.

Concluſioni favet *Benedictus XI.* aliàs *XII. Extrav. ſup. cit.* dicens, quòd *viſio & fruitio ſine aliqua intermiſſione ſeu evacuatione prædictæ viſionis & fruitionis continuabitur uſque ad finale judicium, ex tunc uſque in ſempiternum.* Quæ verba indicant ipſam non creſcere aut minui. Reſpondere tamen quis poſſet, quòd continuatio per ſe non neget augmentum. Unde hinc non poteſt Concluſio irrefragabiliter probari.

Probatur ratione Theologicâ: quia viſio & fruitio conceditur animabus juſtorum poſt mortem juxta menſuram & proportionem meritorum: ergo ſicut merita ante & poſt reſumptionem corporum eodem modo ſe habent, ſic quoque viſionem & fruitionem in eadem perfectionis menſura dari æquum eſt. Deinde non poteſt ulla ſolida vel apparens ratio aſſignari, ob quam beatitudo eſſentialis (quam ante reſurrectionem dari fides docet) poſtea foret major. Confirmatur: quia clara Dei viſio eſt à corpore independens, neque illud ullatenus conducit ad viſionem rei merè ſpiritualis: ergo acceſſu corporis non perficitur intrinſecè viſio Dei, adeòque nec fruitio. Deinde nec lumen gloriæ, nec alia virtus animæ augebitur poſt reſurrectionem; ergo neque creſcet perfectio viſionis aut fruitionis. Unde etiam Chriſtus in triduo mortis non minùs perfectè Deum vidit, quàm corpore poſtmodùm reſumpto; ut indubitatum eſt.

73. Dices, majorem poſtea fore perfectionem beatitudinis eſſentialis, *ſive alia latentiore de cauſa, ſive ideo, quia ineſt ei* (animæ) *naturalis quidam appetitus corporis adminiſtrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne totâ intentione pergat in illud ſummum cælum*, inquit *Aug. ſup. loco priùs citato.* Reſp. (ſalvâ tanti Doctoris reverentiâ; qui etſi iſtis locis nequidem dubitare videatur, poſtea tamen *l.* 1. *Retract. c.* 14. ſatìs indicat, id inquiſitione ampliori indigere) cùm ex fundamentis Concluſionis, ipſa ſatìs pateat, nec oppoſitum in aliqua revelatione fundetur, nos non debere moveri per cauſam, quæ ipſum Sanctum Doctorem *Auguſtinum* latuit; neque etiam per illam quam propoſuit. *Non retardat animas in viſione inclinatio ad corpus.* Propenſio ſiquidem ſeu inclinatio ad corpus non diſtrahit, ſi tantùm ſit appetitus innatus, ſeu pondus naturale animæ ad ſuam compartem, ut per ſe patet. Si autem ſit propenſio elicita, id eſt deſiderium quoddam quo animæ deſiderant corporibus ſuis reuniri (quod ſaltem aliquando pro libitu ſuo animæ eliciunt) non magìs nunc per illud diſtrahuntur, quàm poſtea per appetitum complacentiæ ad corpus præſens, vel etiam nunc per diverſas alias cognitiones & volitiones, vel quàm Angeli per miniſteria quæ hominibus hìc exhibent; ſed idem Deus excludit diſtractionem ubique natam oriri. Et ſanè potiùs deſiſterent animæ à quavis alia notitia & affectu, etiā circa corpus, quàm quòd idcirco remitterent viſionem & fruitionem Dei. Neque etiam ob abſentiam corporum animæ triſtantur; utpote repletæ gaudio ſummo, & ſcientes rationabiliſſimam Dei voluntatem, cui ſunt maximè conformes; & certæ, quòd aliquando illa recipient: uti neque triſtantur ob alias cauſas, quæ alioquin viderentur eas poſſe affligere.

74. *Erit tamen reſumptis corporibus beatitudo accidentaliter perfectior.*

DICO V. Poſt reſumptionem corporum erit beatitudo extenſivè & accidentaliter ſaltem perfectior. Ita omnes Theologi. Idem tradunt *Patres Concilii Florentini* circa init. Concilii; ubi Latini cenſent, *Sanctorum animas, quatenus animæ ſunt, perfectam ſuam felicitatem aſſecutas eſſe, ita tamen, ut aliam cum ſuis corporibus perfectionem expectent.* Græci verò ſubdunt, *animas Sanctorum perfectâ frui felicitate, perfectiori tamen cum ſuis corporibus, cùm reſurrexerint, fruituras.* Ratio eſt: tum quia corporibus Beatorum ſua tribuetur gloria: tum quia anima tunc habebit operationes ſenſuum, & reliquas à corpore dependentes, à quibus & conjunctione corporis ſuas capiet voluptates: tum quia viſio & fruitio denominabunt ipſum totum hominem beatum, & à principio completo, adeòque eo ipſo perfectiori elicientur, idemque extrinſecè quodammodo perficient, ſicut actus externus cenſetur perficere & complere actum internum.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

De Reſurrectione & Beatitudine corporum.

QUÆSTIO I.

De Reſurrectione Corporum.

CUm reſurrectio ſit beatitudini corporum præſuppoſita, congruè hoc loco de ea generatim agetur; eò magis, quòd haud opportunum ſit alibi ſpecialem de ea Tractatum inſtituere. Circa reſurrectionem autem quæri poteſt, an ſit futura, dein quinam ſint reſurrecturi, denique quæ ſit cauſa, quævè ſint aliæ circumſtantiæ reſurrectionis. Pro reſolutione

1. *Reſurrectio mortuorum eſt futura.* Dico I. Futura eſt reſurrectio mortuorum. Concluſio ſpectat ad præcipua fidei Chriſtianæ dogmata, adeò ut *Auguſtinus Serm.* 4. *in Feria* 2. *Paſchæ* dicat: *Propria fides eſt Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum.* Hâc enim ſublatâ, tollitur fides & ſpes noſtra, juxta Apoſtolum 1. *ad Cor.* 15. utpote quæ futura bona expectat à reſurrectione pendentia. Quia tamen res mira apparet, ſecundum hominem loquendo, conſiderantem corpora in favillam diſperſa, in partes mundi diverſiſſimas, poſt tot tranſmutationes, comeſtionem à feris vel hominibus ipſis &c. idcirco non ſolùm plerique Ethnici Philoſophi, ſed etiam inter Judæos *Saducæi* reſurrectionem negarunt. Similiter *Hymenæus* & *Philetus*, dicentes (teſte Apoſtolo 2. *ad Timoth.* 2.) *reſurrectionem eſſe factam*, myſticam videlicet ſeu ſpiritualem à peccato ad gratiam, futuram carnis reſurrectionem negarunt. Quod & fecerunt *Simon Magus*, *Baſilides*, & plurimi alii veteres Hæretici. Tanta eſt difficultas in credendo reſurrectionem. Unde ipſis Apoſtolis viſa fuerunt deliramenta, quæ in principio dicebantur à mulieribus de Chriſto redivivo; qui proinde reſurrectionem ſuam tot patentibus indiciis voluit confirmare, & noſtram præcedere, ut fides & ſpes reſurrectionis in animis fidelium altiùs firmaretur.

Concluſio eſt evidentiſſimè expreſſa, non ſolùm in *Symbolo Apoſtolorum*, *Conſtantinopolitano*, & *Athanaſii*; ſed etiam in Scriptura *Joan.* 5. & 1. *ad Cor.* 15. & in ipſo veteri Teſtamento, *Iob* 19. *In noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ &c. Dan.* 12. *Multi* (id eſt, omnes, uſitatâ Scripturæ phraſi) *de iis qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Et alibi. Denique ipſe Chriſtus *Matth.* 22. contra *Saducæos*, ſolum Pentateuchum admittentes, adducit illud *Exod.* 3. *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Nam (ut arguit Chriſtus) *non eſt Deus mortuorum ſed viventium:* Cujus argumenti vis eſt talis: Deus vocat ſe Deum Abraham, Iſaac & Jacob: at non eſt Deus mortuorum, ſeu viventium: ergo iſti adhuc vivunt, ſaltem ſpiritu (quod negabant *Saducæi* dicentes animam eſſe mortalem; qui error eſt conjunctiſſimus alteri neganti reſurrectionem carnis) vel: ergo adhuc vivunt, non quidem re ſeu in præſenti, ſed ſaltem in certa exſpectatione, videlicet aliquando reſuſcitandi, juxta id quod habetur *Lucæ* 20. *Omnes enim vivunt ei.* q. d. etſi mortui ſint, Deo facile eſt ad vitam revocare.

Ratione naturali non poteſt hæc veritas evidenter convinci. Clarum quidem eſt reſurrectionem eſſe poſſibilem: ſi enim ratio demonſtret dari primum principium, quod ex nihilo creat, etiam demonſtrat, quod in nihilum redacta recreare poſſit, adeòque quod poſſit reparare hominem, etſi de eo nihil remanſiſſet; & conſequenter à fortiori, poſito quòd aliquid hominis manſerit; prout non ſola materia, ſed etiam ipſa anima remanſit. Cujuſmodi argumentatione utitur ipſe *Aug. Serm.* 64. *de verbis Domini c.* 10. *in fine*: *Si enim Deus fecit hominem qui non erat, non reparare poteſt quod erat?* Et *c.* 11. *Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit quod non erat, & tamen fecit quod non erat: & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipſis quos fecit quod non erant?* 2. *Poſſibilitatem illius ratio convincit,*

Equidem ex poſſibilitate non infertur efficaciter ipſum factum. Etſi enim ſupponeretur ex præmiatione bonorum & punitione malorum efficaciter probari, dari gloriam aliquam & ſupplicium poſt hanc vitam, poſſet id totum verificari in animabus gloriâ vel pœnâ afficiendis. Immo ſeclusâ beatitudine ſupernaturali (quam ſola fides evincit) merito dubitari poſſet, an expediret animabus in futuro conſortium corporum, quibus immerſæ fortè connaturaliter dependerent à phantaſmate, aliave inde incommoda (ut impoſſibilem taceam naturaliter perpetuam corporis conſervationem ſine diſſolutione) timeri poſſent. Congruum tamen eſſe dictat ratio, ut anima in perpetuum ſine ſua comparte (ad quam propendet, & à qua idcirco ſeparari per mortem averſatur) non maneat incompleta, & quæ ſocia fuit ærumnarum ac meriti, ſit etiam cum anima conſors gaudii ac præmii. *Futuritionem ſuadet.*

3. *Quo ſenſu dicatur unus interitus hominum & jumentorum.* Objicitur I. illud *Eccle.* 3. *Unus eſt interitus hominum & jumentorum.* Reſp. id dici, quia pariter ambo intereunt quoad corpus, etſi non pariter reſurgant. Quo ſenſu

ſenſu ibidem dicitur: *Nihil habet homo jumento amplius*; quia nimirum, ut ſubditur, *de terra facta ſunt, & in terram pariter revertentur.* Vel ſanè loquitur Sapiens in perſona impiorum, ut reſpondet *Scotus* 4. *d.* 43. *q.* 1. *n.* 12. Quid enim ipſemet ſenſerit, indicat in fine capitis, & clarè *cap. ult.* dicens: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Objicitur II. illud *Iob* 14. *Homo cùm dormierit, non reſurget, donec atteratur cælum, non evigilabit.* Reſp. non evigilabit umquam naturaliter ad priſtinam hujus mundi vitam, ſicut cælum numquam peribit; vel potiùs, non evigilabit reſurgendo, durante hoc ſæculo, ſecùs eſt, ipſo Iob teſte, in noviſſimo die, quando & cælum innovabitur, & conſequenter præſens, velut diſſolvetur ac veteraſcet.

4. *Reſurrectio dicitur carnis.* Notandum reſurrectionem mortuorum uſitatè vocari reſurrectionem carnis ſeu corporum: cùm enim homines non moriantur, niſi ſecundùm corpus; ſimiliter nec dicuntur reſurgere niſi ſecundùm corpus, quod nimirum ceciderat, & vitâ ſeu animâ privatum fuerat. Dicitur etiam regeneratio, quia per ipſam recipitur ſupernaturaliter idem eſſe humanum, quod in prima generatione acceptum per mortem amiſſum erat. Neque dum reſuſcitari leguntur mortui, dicitur reſuſcitari ſpiritus ſeu anima, ſed reverti ad corpus. Unde craſſus fuit Error *Tatiani* hæretici, diſcipuli quondam *S. Juſtini*, qui docuit animas mori cum corporibus, & poſtea cum illis reſurgere. *Quæ ſola cadit ſeu moritur.* Quod apertè repugnat iis, quæ de gloria & ſuppliciis animarum ſeparatarum fides docet; & Hiſtoriis ſacris de animabus Oniæ, Hieremiæ, & aliorum, qui poſt mortem apparuerunt; & teſtimonio Joannis *Apoc.* 6. teſtantis ſe vidiſſe animas interfectorum, & aſſerentis *c.* 20. eas regnare cum Chriſto. Denique (ut alia omittam) Chriſtus *Matth.* 10. dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

5. *Reſurgent omnes homines.* Dico II. Omnes homines reſurgent. Eſt ſub generalibus terminis iſtis de fide, expreſſum in *Symbolo Athanaſii*: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos, ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis* &c. Et in Scriptura *Joan.* 5. *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei.* Unde *Aug. Enchiridii c.* 84. *Reſurrecturam carnem omnium qui nati ſunt hominum atque naſcentur, & mortui ſunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Chriſtianus.*

6. *Etiam impii.* Unde manifeſtum eſt, excipiendos non eſſe impios: qui (ut dicitur *Joan.* 5.) *procedent in reſurrectionem judicii.* Quare id quod 2. *Machab.* 7. Antiocho tyranno dicitur: *Tibi reſurrectio ad vitam non erit*, intellige glorioſam. Quo ſenſu etiam intelligitur illud *Iſaiæ c.* 26. *Morientes non vivant, gigantes non reſurgant.* Et *c.* 43. *Simul obdormierunt, nec reſurgent.* Denique huc allegari ſolet illud *Pſ.* 1. *Non reſurgent impii in judicio*, ad gloriam ſcilicet. Sed juxta Hebraicam veritatem ſenſus eſt: Impii non ſtabunt, nec ſe erigere poterunt in judicio, ſed causâ cadent & condemnabuntur.

Non ſunt etiam cum Doctoribus communiter excipiendi infantes mortui in peccato originali: ſicut enim non eſt dubitandum de reſurrectione infantium in gratia mortuorum, ſic nec de reſurrectione aliorum. De quibus etiam verificari debent indefinitæ & generales Scripturæ & Symbolorum locutiones. Per hominem quoque mors eſt infantium, adeòque & mortuorum reſurrectio, juxta Apoſtolum 1. *ad Cor.* 15. Quamquam Scripturæ expreſſiùs agant de reſurrectione adultorum, qui bona vel mala fecerunt. *Et infantes in Originali culpa decedentes.*

Excipiendi ſunt tamen à reſurrectione generali illi, qui jam ante ad vitam immortalem reſurrexerunt. Quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia; & non immeritò etiam credi poteſt de multis Sanctorum corporibus, qui dormierunt, & ſurrexiſſe cum Chriſto referuntur *Matt.* 27. *Excipiuntur, qui jam ante ad vitam immortalem reſurrexerunt.*

Excipiunt quoque *Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, Tertullianus, Hieronymus* (& inclinat *Auguſtinus q.* 3. *ad Dulcitium*) juſtos, qui in die judicii, & prope horam reſurrectionis reperientur vivi, quos putant ſine morte intermedia transformandos in ſtatum gloriæ. Quòd etſi juxta *Canum*, *Xiſtum Senenſem* & alios paſſim non mereatur graviorem notam, quam inurit *Catharinus*: vera nihilominus omnium Scholaſticorum poſt *Auguſtinum* 20. *de Civit. c.* 20. & pleroſque Patres Latinos, Doctrina ne hos quidem juſtos excipit; idque ob generales ſententias Scripturæ de morte & reſurrectione omnium, à quibus non eſt facienda exceptio ſine urgenti ratione; præſertim cùm de electis omnibus dicatur 1. *ad Cor.* 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, per glorioſam ſcilicet reſurrectionem. 7. *Reſurgent tamen ut morientur, juſti, qui ſub tempus judicii vivi reperientur.*

Dices I. Apoſtolus 1. *ad Cor.* 15. more ſuo de ſolis juſtis loquens ait juxta Lectionem Græcam: *Non omnes quidem dormiemus*, id eſt, moriemur; *omnes tamen immutabimur*, ad glorioſam immortalitatem. Quam Lectionem argumentis non contemnendis confirmat *Eſtius ibid.* qui Sententiam Græcorum cenſet multùm probabilem. Reſp. equidem præferendam Lectionem vulgatam, utpote authenticam, quæ habet: *Omnes quidem reſurgemus*, tam ſcilicet juſti quàm impii, *ſed non omnes immutabimur*, ad glorioſam immortalitatem. Deinde retentâ Lectione Græcâ, adhuc locus eſt reſponſioni, 8.

Qui ſenſu quodam non cenſentur dormientes, ſponſioni, quòd Dormientes non cenſeantur phraſi Scripturæ, qui prope reſurrectionis horam vivi, momentaneam veluti mortem ſolùm patientur, quaſi nictum dormitantis.

9. Dices II. Apoſtolus 1. *ad Theſſal.* 4. de juſtis iſtius temporis loquitur, quaſi non morituris, ſed rapiendis in aëra vivis, ſimul cum iis qui reſurrexerint. Reſp. ſenſum Apoſtoli eſſe, quòd reſidui in vita uſque ad Domini adventum (quicumque ii ſint; cùm tempus adventûs ſit incertum) non prævenient antea mortuos, ſed quòd hi *Rapientur tamen obviam Chriſto morte interveniente,* reſurgent primi, id eſt, primùm, ut habet vox Græca; deinde quòd reſidui ſeu ſuperſtites ſimul ſint cum illis rapiendi obviam Chriſto; ſubintellige tamen, interveniente morte quaſi momentaneâ (ob quam non cenſentur moraliter inter dormientes in terræ pulvere; quod quietem aliquanti temporis ſonat) & reſurrectione. Utraque *ſive in ipſo raptu,* autem peragetur in ipſo raptu juxta *Auguſtinum ſup.* quem ſequitur *Scotus* 4. *d.* 43. *q.* 5. *n.* 10. ſic enim ſalvantur generales Scripturæ, & accipitur ſimpliciùs, quod hîc dicitur eos qui vivunt rapiendos obviam, utique adhuc vivos; præſertim cùm alioquin non deberent rapi obviam per Angelos, ſed vi agilitatis ſuæ obviã *ſive ante raptum,* procederent. Alii tamen paſſim cenſent, eſtque valde credibile, morituros & immutandos ante raptum, ut ita ſimultanea ſit omnium reſurrectio; qualis alioquin non foret, factâ comparatione antea mortuorum cum tunc reſiduis. Quod magìs adhuc fit credibile, ſi ignis conflagrationis præceſſurus ſit reſurrectionem & judicis adventum, ut cenſet *D. Bonaventura*, & alii communiùs.

10. *Manet tamen, quòd Chriſtus venturus ſit judicare vivos & mortuos.* Dices III. In Symbolo Chriſtus dicitur *venturus judicare vivos & mortuos.* Reſp. (omiſsâ explicatione non ſatis conſonâ ſimplicitati litteræ, quâ per vivos intelliguntur boni, per mortuos mali) per vivos intelligi poſſe, qui Symbolum pro tempore recitant; vel potiùs qui vivi erunt circa horam adventûs Chriſti, qui diſtinguuntur contra priùs mortuos, nec moraliter cenſentur inter eos ob imperceptibilem mortis moram. Alioquin in ipſo actuali adventu & judicio nulli erunt mortui, ſed omnes vivi.

11. *Reſurrectionis quæ cauſa materialis & formalis,* Dico III. Cauſa materialis & formalis reſurrectionis ſeu regenerationis, prout in actione reperiri poteſt, eſt ipſe terminus, corpus ſcilicet & anima cujuſque reſurgentis; ſicut cauſa ſubjectiva generationis eſt materia, cauſa formalis ipſa forma. Cauſa *Quæ efficiens,* efficiens principalis eſt ipſe Deus: cùm effectus ſuperet activitatem cauſæ creatæ. Cau- *Quæ inſtrumentalis,* ſa inſtrumentalis erit Chriſtus ſecundùm humanitatem, non quidem phyſica (quamquam id putet *D. Thomas* cum ſuis) ſed moralis, ut paſſim Doctores: tum quatenus imperio ipſius peragent Angeli actiones reſurrectioni deſervientes: tum quatenus ad nutum humanitatis divinitas ei unita, & aſſiſtens ſupernaturaliter reſurrectionis univerſalis opus in ictu oculi perficiet. Sicut humanitas Chriſti ſolùm fuit inſtrumentum morale miraculorum, quæ per divinitatem ſuam in vita patravit. Nec aliud volunt Auctoritates, quæ opus reſurrectionis tribuunt Filio Dei, phyſicè videlicet divinitati, moraliter humanitati ipſius. Cauſa finalis eſt gloria, tum Dei, tum Chriſti, tum Beatorum.

Cauſa meritoria eſt ipſe Chriſtus quantùm ad reſurrectionem electorum; ut fide *Quæ cauſa meritoria,* conſtat. Quantùm autem ad reprobos, eſt controverſum. Communior Sententia negat: tum quia non fuerunt in vita participes meritorum Chriſti; vel qui fuerunt, totum peccato finali amiſerunt. Tum quia Chriſtus non meruit alicui damnationem vel illius augmentum; at reprobi *carnem recipient, non ad beneficium, ſed ad ſupplicium,* ut ait *Aug. Tract. de Urbis excidio c.* 4. Tum quia etiam ſecluſo merito Chriſti, ſi mali merito peccati fuiſſent mortui, reſurrexiſſent, accepturi ſupplicia pro meritis in toto homine. Apoſtolus autem 1. *ad Cor.* 15. loquitur de ſolis electis, dum ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, nati videlicet de ſemine illius; *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, omnes videlicet in Chriſto per gratiam renati, qui ſemen generationis ſpiritualis non amiſerint. Denique Chriſtus ſeu reſurrectio Chriſti eſt cauſa exemplaris reſurrectionis noſtræ, juxta omnes Doctores, & Apoſtolum 1. *ad Cor.* 15. *Unuſquiſque in ſuo ordine: primitiæ Chriſtus: deinde ii, qui ſunt Chriſti.* Et infrà: *Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Et *ad Philipp.* 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Reſurrectionis autem damnatorum Chriſtus propriè non erit cauſa exemplaris: quia plurimùm Chriſto diſſimiles erunt.

Petes, Quale miniſterium exhibebunt Angeli circa opus reſurrectionis? Reſp. juxta 12. *Quæ cauſa miniſteriales.* communem Doctorum Sententiam inſonabunt ultimâ tubâ; congregabunt cineres ſeu partes corporum ad loca reſurrectionis ſingulorum, partim naturali ſcientiâ, partim revelatione divinâ diſcernentes materias ſingulorum; & adducent ſignanter reprobos ad locum judicii. Quantùm ad vocẽ tubæ, ejus meminit Scriptura *Matth.* 24. Et 1. *ad Cor.* 15. Et 1. *ad Theſſ.* 4. quo loco ſignificatur hoc miniſterium fore Archangeli, ſeu Principis Angeli, ſcilicet Michaëlis; & quidem ſolius juxta Nonnullos: at juxta alios tantùm principaliter, quatenus eo inſonante tubâ, etiam per diverſas orbis plagas alii Angeli tubâ canent. Cui conſonat illud *Matth.* 24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magnâ &c.* Tuba porrò erit ex metallo, ut conjectant Nonnulli;

nulli; vel potiùs ſine illa vox tubali ſimilis efformabitur per Angelos, apparenter articulata, quam audient, qui in monumentis ſunt, partim quatenus efficaciâ divini imperii per vocem principaliter reſurgent, partim quatenus reſurrectione in ictu oculi peractâ adhuc vocem citatoriam ad judiciũ audient reſurgentes è ſomno mortis. Quam vocem Nonnulli conjiciunt fore hanc aut ſimilem, quæ eſt apud *Auctorẽ Regulæ Monacharum c.30. Tom.9. Operum S. Hieronymi: Surgite mortui, venite ad judicium.*

13. *Collectio pulverum an peragenda per Angelos.* Quod ad collectionem pulverum ſpectat, eam peragendam per Angelos colligi ſolet ex *Matth. cap. cit.* ubi ſubditur: *Et cõgregabunt electos ejus à ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*; ubicumque ſcilicet diſperſæ fuerint partes ſeu materia corporum. Quàmvis hæc Scriptura videatur rectè accipi poſſe de ſolo miniſterio excitãdi mortuos ubivis locorum per ſonitum tubæ. Quin etiam contra collectionem pulverũ faciendam per angelos, non leves difficultates movet *Leſſius lib.13. de perfect. divinis cap. 21.* Quæ tamen locum non habent in quibuſdam cineribus & partibus corporis colligendis. Nec derogare poſſunt omnipotentiæ Dei, qui poteſt virtutem & notitiã ſufficientem Angelis indere; & ſolet miniſterium cauſarum ſecundarum adhibere, dũ commodè poteſt. Quare ſic docent etiam Patres. Miniſterium autem hoc veroſimiliter ſubibunt Angeli tutelares erga ſuos cliẽtes. Neque etiam juxta Doctores cõmuniùs contra *Sotum*, aſſumendi ſunt dæmones, ut reprobos adducant ad locum judicii: cùm non congruat, ut reus reum ſiſtat tribunali, ſed ut id fiat per miniſtros juſtitiæ divinæ, bonos Angelos. Qui etiã (ut habetur *Matth. 13.*) *ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis*; adeòque iidem peragent cetera præambula. Ex quo etiam colligi videtur, prælationem dæmonum in ſuppliciis hominum ceſſaturam poſt judicium; aliàs enim maximè eis congruiſſet, mittere malos in caminũ ignis; prout nunc animas reproborum ducunt ſeu cogunt ad locum inferni.

14. *Quo loco ſinguli ſint reſurrecturi.* Eſt autem notandum *Richardum*, *Suarez* & alios tamquam congruentius exiſtimare, non omnia corpora reſurrectura circa locũ judicii, qui putatur Vallis Joſaphat, ſed potiùs in loco ubi materia eorum vel pars præcipua fuerit. Si autem ex parte materiæ nõ ſit ſpecialis ratio, pendebit à diſpoſitionis divinæ arbitrio, ut in loco judicii, vel alibi reſuſcitentur.

15. *Reſurrectio quo ſenſu inſtantanea.* DICO IV. Reſurrectio quantùm ad animationem, id eſt, reunitionem animæ ſeu vivificationem corporis, erit inſtantanea: cùm etiam in ordinaria hominum generatione hæc fiat in inſtanti ſufficienter completæ organizationis membrorũ. Ipſa quoque organizatio corporis divinâ potentiâ perfici poterit in inſtanti, & conſequenter forma corporeitatis (quam *Scotiſtæ* & plures Recentiores ſtatuunt) in inſtanti reproduci, adeòq; tota reſurrectio, quatenus Deum ſolum ut cauſam reſpicit, in inſtanti perfici. Unde ulteriùs ſecundùm *Scotum 4. diſt. 43. quæſt. 5. num. 4. & 7.* ſic videtur perficienda: cùm non ſit ratio, cur Deus in re ſe ſolum tangente moram temporis necteret. Prævia tamen collectio pulverum, utpote perficienda per Angelos interventu motûs localis, fiet in tempore, etſi breviſſimo, ſeu imperceptibili. Qualem ſucceſſionem etiã admittit *Leſſius ſup.* tum in organizatione, tum in collectione pulverum, etſi faciendâ per ipſum Deum; ut vitetur ſtupendum nimis, quod alioquin interveniret, miraculum. Verùm Deo nil difficile, eruntque tunc omnia miraculis plena; vel potiùs cenſeri poſſunt eſſe de ordinaria iſtius temporis providentiâ Dei.

Petes, Quo tempore futura erit reſurrectio? Reſp. Id incertum planè eſſe. Equidem *D. Thomam, D. Bonaventuram, Richardum*, & Scholaſticos communiter putare, futuram in crepuſculo diei, ſeu horâ matutinâ: prout Chriſtus putatur reſurrexiſſe primo diluculo, quem tamen Alii putant reſurrexiſſe non diu poſt mediam noctem. 16. *Quando futura.* At *Hieronymus*, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, *Ambroſius* & alii exiſtimant futuram mediâ nocte. Quibus videtur favere illud *Matt. 25. Mediâ nocte clamor factus eſt, Ecce Sponſus venit.* Et *Lucæ 17. In illa nocte erunt duo in lecto uno &c.* Verùm ejuſmodi Parabolis ſeu verbis ſolùm ſignificatur diem Domini occultum eſſe, & improviſum fore, juxta illud Apoſtoli *1. ad Theſſal. 5. Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Eſt equidem ſatis credibile (& ſic poſſet utraque Sententia concordari) ſigna quædam terribiliora, quæ ſint quidam apparatus & velut diſpoſitio ad reſurrectioné, præceſſura eamdem, adeòque hâc ratione tempus illius ac judicii inchoandum intempeſtâ nocte. Quâ verò anni tempeſtate futura ſit, multò magis incertum eſt. Uti denique incertum eſt, quantum temporis adhuc ſuperſit ante reſurrectionem & judiciũ. Qua in re aliquando Viri etiam ſancti fuerunt decepti, exiſtimantes Antichriſtum dudum fuiſſe natum. Et tempore *Eſtii* (ut ipſe refert *d. 43. §.9.*) prodiit Tractatus cujuſdam Galli Varini cum approbatione quorumdam Theologorum, in quo Auctor ille conatur probare Dominum venturum ad judicium Anno 1666. Sed futilia (inquit) ſunt argumenta, quibus id probat, & quædam ex apocryphis. Sanè cùm annus iſte appropinquet, eventus brevi docebit, quid ſubſit ſoliditatis ejuſmodi conjecturis aut ſomniis. Sufficere debet ſapientibus ad ſobrietatem, ut quod Deus voluit eſſe occultum, non ſcrutentur, ſed animo vigilent, ut omni horâ parati ſint occurrere judici venturo. Immo etiam illos qui olim exiſti-

maſſe videntur (inter quos apparent *Ambroſius, Gregorius,* & *Leo Papa*) diem judicii non procul abeſſe à ſuis temporibus, conſtat in ſua opinione fuiſſe deceptos. Erant etiam tempore Apoſtolorum hujuſmodi ſuſpiciones de judicio velut vicino: quas cohibet S. Petrus *Epiſt.* 2. *cap.* 3. & S. Paulus 2. *ad Theſſal.* 2. Quamquam hoc tempore major ſubſit ratio ſuſpicandi, quo nō ſolùm tot ſæcula elapſa, ſed etiam plura impleta ſunt, quæ prædicta ſunt futura ante diem judicii.

QUÆSTIO II.

An Mortui reſurgent in eodem ſeu proprio corpore, & quali?

17. *Reſurgent mortui in iiſdem corporibus carneis.* DIco I. Reſurgent mortui in iiſdem corporibus carneis, non aeriis aut ſpiritualibus. Eſt de Fide contra *Eutichium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſcripſerat librum contra tractabilem corporum reſurrectionem, à Tiberio Conſtantino Imperatore igni traditum, poſtquam *S. Gregorius* errorem *Eutichii* apertè convicerat: quin & ipſe *Eutichius* (qui nō pertinaciter erravit) errorem ſuum retractavit, & ſanctè obiit. Probatur Concluſio ex Scriptura *Iob.* 19. *Rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea &c. Luca* 24. *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Quo teſtimonio præcipuè uſus eſt *Gregorius* ad convincendum *Eutichium*. Et omnibus locis, quibus ſtatuitur vera carnis reſurrectio: qualis alioquin non foret, ſed novæ ſubſtantiæ aſſumptio. Reſurrectio enim eſt illius quod cecidit iterata ſurrectio, ut deſcribit *Damaſc. lib.* 4. *de fide c.* 19. dicens: *Eſt ejus quod cecidit, & diſſolutum eſt ſecunda ſurrectio.* Sic refert *Scotus* 4. *d.* 43. *q.* 3. *n.* 2. Requiritur igitur ex parte corporis & animæ ſeu totius hominis (qui reſurget) identitas. Idem patet ex reſurrectione Chriſti in vera & palpabili carne juxta Scripturas: ipſa autem eſt exemplar & firmum argumentum reſurrectionis noſtræ, juxta Apoſtolum 1. *ad Cor.* 15.

Quo ſenſu erunt ſpiritualia. Nec obſtat illud 1. *ad Cor.* 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale.* Et infrà: *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Nam caro corruptibilis, qualis hìc eſt, non erit in regno Dei; ſed incorruptibilis, & quoad varios effectus ſpiritalis, etſi non ſubſtantialiter ſpiritalis. Adde Varios poſteriora verba accipere de homine carnis deſideria ſequente, uti *Geneſ.* 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.*

18. Ex hac Concluſione rejicitur ſingularis opinio *Durandi*, putantis ad reſurrectionem ejuſdem hominis ſufficere identitatem formæ in quacumque materia: nam quomodo poteſt eſſe idem homo, ubi altera pars eſſentialis non eſt eadem, ſcilicet corpus? Neque enim ſufficit ad identitatem corporis, quòd materia uniatur eidem numero formæ, ut improbabiliter putavit *Durandus*: nam cum identitate formæ conſiſtere poteſt diverſitas ex parte materiæ. Quod confirmatur: quia alioquin ob informationem ejuſdem animæ rationalis reſurgeret eadem numero materia in capite & pedibus ejuſdem hominis; quod eſt evidenter abſurdum.

Colligitur præterea non ſolùm toti corpori, ſed & ſingulis membris propriam materiam eſſe reſtituendam, ſic ut ſint futuri iidem qui antea oculi, eadem crura, eadem pellis &c. ſic enim identitas numerica corporum multò perfectiùs obtinebitur; nec alioquin omnino idem totum, ſi non eædem partes reſurgerent. Eamdem membrorum identitatem ſignificat Scriptura *Iob.* 19. *Et rurſum circumdabor pelle meâ &c.* Et 2. *Machab.* 7. unus è Machabæis cum fiducia dicebat, à Deo ſe recepturum eadem membra, quæ propter Dei leges deſpiciebat. Similiter Razias *ibid. cap.* 14. de inteſtinis ſuis rogabat Deum, ut hæc illi iterum redderet. Denique *Eutichius* Patriarcha in exitu vitæ confitebatur: *Credo quòd omnes in hac carne reſurgemus*, id eſt, quiſque in ſua. Confirmatur: quia non eſſet v. g. eadem numero caro, ſi materia illius poneretur in oſſibus, & contrà (idem eſt de ceteris membris) potiùs quàm ſi ſublatâ carnis materiâ aliundè ſufficeretur nova; creditur autem futura reſurrectio carnis, utique numero ejuſdem; cùm reſurrectio ſit ejus quod cecidit: ergo &c. Deinde reſuſcitatis ad vitam mortalem reſtituta ſunt eadem membra; quantò magis reſurgentibus ad vitam immortalem? Quod proinde contigiſſe conſtat in Chriſto reſurgente, qui & diſcipulis oſtendit eaſdem manus & latus. Ita Doctores communiter. 19.

Nec obſtat, quòd *Auguſtinus Enchiridii cap.* 89. ſignificet id non eſſe neceſſarium, identitatem corporis reſurgentis declarans ſimilitudine ſtatuæ ex materia fuſili liquefactæ, & in priorem figuram ab artifice transfuſæ. Nam (ut clariùs patet 22. *de Civitate cap.* 19.) ſolùm profert hanc ſimilitudinem, quatenus neceſſe non erit, ut quævis ſuperflua, v. g. crines toties detonſi, aut ungues reſecti redeant ad eaſdem partes, ſed vult ea acceſſura eſſe aliis partibus ſecundùm quod debitæ proportioni congruere cenſebitur à ſapientiſſimo artifice. Alioquin hæc ipſa ſtatua ſic transfuſa ob diverſam ſaltem numero figuram non eſt numero eadem. Confuſio etiā iſta partiū foret in corpore humano heterogeneo majoris conſiderationis, quàm in ſtatua quoad omnes partes homogeneâ.

20. Sed difficultas eſt de Anthropophagis, ſeu humanâ carne veſcentibus; cùm

cùm nequeat admitti eamdem fore materiam in diverſis reſurgentibus. Verùm Reſp. cum *Aug. Enchiridii* c.88. *Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: ſed in quemlibet pulverem cineremq; ſolvatur, in quoslibet habitus auraſq; diffugiat, in quamcumque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat carnemq; mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs ut homo fieret, creſceret, viveret, animavit.* Vide eumdem 22. *de Civitate cap.* 20. Quare prioribus quod ſuum eſt repetentibus ſupplebitur aliundè quod poſterioribus deeſt; utì ſupplebitur in pueris aut aliis quibus aliquid quantitatis aut integritatis defuerit.

Quo modo identitas ſalvanda corporũ ob anthropophagos.

21. *Reſurgent beati in corpore omnino perfecto.*

Dico II. Reſurgent Beati in corpore omnino perfecto & integro, etiam quoad partes exornantes, ut capillos, ungues, ſanguinem & alios humores (demptis excrementitiis) ſpiritus vitales & animales; atque inſtructo perfectiſſimè organis ſenſuum, debitèque quoad membra conformato, ſublatis defectibus: adeòque in perfecta ſanitate & pulchritudine naturali. Ita Patres & Theologi communiter. Probatur generaliter: tum exemplo Chriſti, in quo poſt reſurrectionem prædicta, etiam quoad capillos, ungues, ſanguinem &c. manſerunt cum debita perfectione & pulchritudine. Tum quia id exigit perfectio ſtatûs Beatorum potiùs, quàm ſtatus innocentiæ, in quo nil tale defuiſſet. Tum quia ipſi Beati id rationabiliter appetunt. Tum denique quia id perſuadet Dei in præmiando liberalitas, cujus virtute reformatio corporum in die noviſſimo peragetur; qui indubiè in opere chariſſimos heredes & filios concernente non deficiet. Vide *Auguſtinum Enchiridii c.* 87. *& ſeqq.* ubì *c.* 91. concludit: *Reſurgent igitur Sanctorum corpora ſine ullo vitio, ſine ulla deformitate, ſicut ſine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.* Et 22. *de Civit. c.* 19. poſt varia: *Non eſt* (inquit) *macris, pinguibuſq; metuendum, ne ibi etiam tales ſint, quales ſi poſſent, nec hîc eſſe voluiſſent.* Colligitur etiam Concluſio ſpecialiter de capillis *Lucæ* 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Unde à fortiori idem colligitur de reliquis, cum *Gregorio Hom.* 35. *in Evang.* dicente: *Cur timetis, ne pereat quod inciſum dolet, quando & illud in vobis perire non poteſt, quod inciſum non dolet.* Et *Joan.* 6. *Ut quod dedit mihi Pater non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.*

22. *Remanentibus cicatricibus Martyrum.*

Quoad Cicatrices martyrum, credibile eſt illas reſtituendas ſine defectu integritatis membrorum, ut Doctores paſſim exiſtimant, & inculcat *Aug.* 22. *de Civit. c.* 20. concludens de iis: *Quamvis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia tunc non erunt: non ſunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia.* Idem placet *Ambroſio in c.* 24. *Lucæ.* Colligitur idem exemplo Chriſti, qui in corpore glorioſo poſt reſurrectionem habuit in corpore fixuras ſeu apperturas vulnerum, ut indubitatum eſt, eademque cælo intulit, ut *Ignatius, Leo*, & alii Patres tradunt, adeòque in judicio exhibebit, ut colligit *Chryſoſtomus Hom. de Cruce & Latrone Tom.* 3. ex illo *Zach.* 12. & *Ioan* 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Quare idem piè credi poteſt de quinque Stigmatibus Seraphici S. Franciſci.

Nec refert, quòd non omnia membra habebunt ſuum uſum: nam (ut *Tertullianus l. de Reſur. carnis* circa finem) *liberabuntur membra ab officiis, ſed non ideo non erunt neceſſaria*, ad perfectionem ſcilicet & ornatum naturæ. Adeò ut etiam in interioribus viſceribus, quæ nullum decus modò videntur habere, ita pulchritudo rationem delectabit, ut omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ſecundùm mentis judicium præferatur; juxta *Aug.* 22. *de Civit. c.* 24. Quare ſic uſum perfectum habebunt, qui eſt viſum intelligentiæ oblectare in tam pulchra harmonia, in qua laudabit anima ſapientiam Conditoris, inquit *D. Bonav.* 4. *d.* 44. *P.* 1. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 1. ſubdens *ad* 2. quòd inteſtina erunt plena non ſuperfluitate, ſed nobilibus ſpiritibus & ſubtilibus, quæ totum corpus reddent agilius. 23.

Nec erunt ulla mẽbra ſuperflua.

Non refert etiam, quòd capilli ſint ex fumoſa ſuperfluitate: nam non ſunt ſuperflui capiti, velut merum excrementum, ſed potiùs ſunt ad decentem illius ornatum, ſicut folia in arbore; adeòque calvitium eſt naturæ imperfectio. Alia autem eſt ſuperfluitas impuritatis, ut in excrementis, quæ ibi non erit: Alia quoque eſt ſuperfluitas reſpectu individui, etſi non ſit reſpectu ſpeciei; ut in ſemine, & ejuſmodi quoque ibi non erit. Sanguis quoque, aliique humores reſurgent in ea ſolùm quantitate, quæ corpori glorioſo alimentis non indigenti ſufficiat. Membra improportionata quoad magnitudinem manere poſſunt quoad ſubſtantiam, ſuperfluitate materiæ in alias partes artificiosè diſperſâ, ſi vel prout congruet æquabili partium ac totius corporis diſpoſitioni. 24.

Nequidem capilli.

Petes, An corpora reproborum ſint reſurrectura in integritate membrorum & ſenſuum. Reſp. Aff. cum *Richardo, Paludano, Soto* & aliis paſſim contra *Durandum* 4. *d* 44. *q.* 2. exiſtimantem non eſſe, cur; ſi reprobus hîc aliquo membro caruit, ſive ab initio ſive poſt ortum, id ei in reſurrectione donetur. *Durando* addit *Tannerus To.* 4. *d.* 2. *q.* 4. *n.* 49. *D. Bonaventuram eâdem diſt.* 44. ubì tamen *P.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 5. expreſsè oppoſitum habet. Reſponſionem quoque docet *Auguſtinus* 25.

Corpora reproborum erunt integra.

Ep. 146. ad Conſentium dicentis de reprobis: *Incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cùm audierint, Ite maledicti* &c. Ratio eſt: quia mutilatio non eſt pœna proportionata ſtatui alterius vitæ; alioquin majores peccatores reſurgerent magis mutili; aliundè etiam in paucioribus partibus dolores ſentirent. Deinde reſurrectio eſt opus Dei, cujus perfecta ſunt opera.

26. *Cum debita partium diſpoſitione,* Unde etiam probabiliter colligitur non futuros in damnatorum corporibus defectus provenientes ex indebita partium aut humorum vel qualitatum compoſitione, proportione aut diſpoſitione, ut ſunt ægritudo, debilitas, gibboſitas &c. ut docet *Richardus, Supplem. D. Thomæ, Tannerus ſup. n.* 50. & alii plures: quatenus ſic omnes validi potenter tormenta ſuſtineant. *Quamvis incertum hoc ſit.* Incertum tamen eſt; & è contra deformitates & miſerias hujus vitæ in corporibus damnatorum remanſuras docet *D. Bonav. q. cit. in corp.* & alii; eò quòd id congruat ſummæ iſtius ſtatûs infelicitati, in quo non debet Deus ſpecialiter errores naturæ corrigere, niſi in quantùm ſingulis dat integra corpora, ut integer homo puniatur. Quare cum *D. Auguſtino Enchirid. c.* 92. id inter ea quæ conſtare non poſſunt eſt rejiciendum: *Utrùm ſanè* (inquit) *ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant; quicumque in eis vitioſa & deformia membra geſtarunt, inquirendo laborare, quid opus eſt? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio.*

27. *Reſurgent omnes in perfecta ætate.* Dico III. Reſurgent omnes in ſtatu juvenilis ætatis, eâ ſtaturâ ac diſpoſitione corporis, quam ſecluſis impedimentis quiſque haberet poſt annum ætatis trigeſimum, aut trigeſimum quartum, aut circiter. Ita cum *Hieronymo* & *Auguſtino* Theologi communiter. Et ordinariè allegari ſolet illud Apoſtoli *ad Epheſ.* 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Verùm genuinus hujus loci ſenſus eſt planè diſparatus, hic videlicet (quem tradit noſter *Sasbouth ibid.*) aut ſimilis: donec fiamus firmi & conſtantes in cognitione & dilectione Chriſti, adeòque ſimus plenæ ætatis Chriſti, objectivè ſcilicet, id eſt, circa Chriſtum ac res ad eum pertinentes, *ut* (quod ſequitur) *jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Sufficit equidem pro Concluſione communis conſenſus, & exemplum ipſius Chriſti, qui in juvenili ætate triginta quatuor aut circiter annorum obiit & reſurrexit: ac denique perfectio iſtius ſtatûs, cui congruit corpus ætatis & ſtaturæ perfectæ. Eſtque idem ſenſus Doctorum de reprobis.

Manebit nihilominus ſtaturarum, utì & colorum differentia: varietas enim hæc non dedecet, ſed dum erit perfecta, pulchritudinem potiùs & oblectamentum generabit. Unde quiſque ſuam effigiem habebit, qualem in vita habuit, ut à ceteris dignoſci queat; ſed Beati ab omni deformitate puram. Unde non erit in eis macula neque ruga: neque pallor ex infirmitate aut labore contractus; neque color niger, quatenus in Ethiopibus ex nimia ſolis adustione cauſatus: neque ſtatura gigantea, quatenus monſtroſa aut vitio naturæ procedens; utì nec erunt Nani vel Pygmæi, in quibus natura ob vitium aliquid defecit: ſed Chriſtus ſupplebit, quidquid naturæ errantis vitio, aut quâcumque cauſâ extrinſecâ irrepſit. 28. *Manebit ſtaturarum & colorum differentia,*

Manebit denique poſt reſurrectionem ſexuum differentia, juxta Catholicam & indubitatam Doctrinam, quam tradit *Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius* & alii Patres, omneſque Theologi; Et noſter *Caſtro* V. *Reſurrectio Hæreſi* 5. Doctrinam aſſerentem omnes reſurrecturos in ſexu virili appellat hæreſim, quam *Armenis* tribuit *Guido Carmelita*: Et valde inconſideratè *Scoto* 4. *d.* 20. *n.* 4. adſcripſit *A Lapide in c.* 4. *ad Epheſ. verſ.* 13. non noſcens diſtinguere inter textum *Scoti* & additionem ineptam alicujus ignoti (qui tamen excipit Deiparam) abraſam in correctiori Editione. *Vide Cavellum ibid. in Scholio.* Probatur hæc veritas: quia differentia ſexuum non eſt vitium, aut ex vitio, ſed ex natura. Unde ipſe Deus ab initio teſte Scripturâ fecit maſculum & feminam, adeòque & reficiet in noviſſimo die. Deinde Chriſtus *Matth.* 22. ad objectionem *Saducæorum* reſurrectionem negantium reſpondit, in reſurrectione non futuras nuptias, non negavit autem non futuram ſexuum varietatem; quæ alioquin fuiſſet prima & planiſſima reſponſio. Nec obſtat illud Apoſtoli *ad Epheſ.* 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* Nam (ut ex ſupradictis conſtat) id planè diſparatum ſenſum habet, nec de reſurrectione intelligitur; & quamquam intelligeretur, per virum, velut principaliorem, deberet conſequenter intelligi homo, ſive maſculus ſive femina, phraſi Scripturæ uſitatâ. 29. *Vti & ſexuum.*

Dico IV. Corpora Sanctorum reſurgent in quadruplici gloria, videlicet Impaſſibilitate, Claritate, Subtilitate, & Agilitate; quæ quatuor dotes corporum glorioſorum appellantur, expreſſæ hoc Diſticho: 30. *Quadruplex gloria, ſeu dos corporum beatorum.*

Clari, Subtiles, Agiles, Impaſſibileſq;,
Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.

Ita unanimiter Theologi, Et inſinuat Apoſtolus 1. *ad Cor.* 15. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione* (ubi deſignatur

deſignatur Impaſſibilitas) *ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria* (ubi inſinuatur Claritas) *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute* (ubi indicatur Agilitas) *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*; ubi inſinuatur Subtilitas; etſi ly *ſpiritale* alium ſenſum admittat. Accedit exemplum Chriſti, qui poſt reſurrectionem habuit ejuſmodi ornamenta; ipſe autem coheredes ſuos configurabit etiam quoad corpus corpori claritatis ſuæ. Et juxta Apoſtolum 1. *ad Cor.* 15. *Qualis cæleſtis* (Chriſtus) *tales & cæleſtes*, electi; ſupple, erunt. Immo etiam ante mortem ſuam corporalem quædam ſigna harum dotium in corpore ſuo exhibuit; Impaſſibilitatis quidem, jejunando quadraginta diebus & noctibus, & dum in ultima cœna ſacramentaliter comederetur: Subtilitatis, cùm clauſo Virginis utero prodiit in Nativitate: Agilitatis, dum ambulavit ſuper liquidum mare: Claritatis in ſua transfiguratione. Quod obſervavit *Innoc. III. l.* 4. *de Myſter. Miſſæ c.* 12. Suſpenſæ fuerunt hæ dotes in Chriſto ante mortem ſuam ob noſtrum bonum, & redemptionem, veluti per miraculum, contra exigentiam ſtatus beatifici & beatitudinis eſſentialis, à qua in corpus dimanant per quamdam redundantiam; etſi tantùm moraliter. Quod ſolùm vult *Aug. Ep.* 56. *ad Dioſcorum* dicens: *Tam potenti naturâ Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* E contrà damnatorum corpora erunt paſſibilia, obſcura, gravia, craſſa; congruè ad oppoſitum extremæ infelicitatis ſtatum.

De ſingulis Dotibus reſtant quædam dicenda in particulari: ex quibus etiam ampliùs ſtabilietur præmiſſa Concluſio.

QUÆSTIO III.

De Impaſſibilitate Beatorum.

31. *Prima dos, impaſſibilitas*

FIDES docet corpora Sanctorum fore impaſſibilia. Patet ex verbis Apoſtoli 1. *ad Cor.* 15. relatis *qu. præc.* in fine. Quibus idem ſubdit: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Immortalitatem dico, non ſolùm imperfectam, quæ faciat corpora mori ſeu corrumpi non poſſe, ſed planè perfectam, ut inſuper neque lædi, neque dolore affici ullo modo poſſint. *Non eſt enim* (inquit) *Aug. Enchirid. c.* 92. *vera incorruptio ſeu immortalitas, niſi ubi ſalus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non ſinitur, ut ita dicam, mors ipſa non moritur: & ubi dolor perpetuus non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur. Hæc in ſanctis Scripturis mors ſecunda dicitur.* Itaque ad cumulum pertinet pœnæ, quòd mori volent, & non poterunt, juxta illud *Apoc.* 9. *Quærent hi omnes mortem, & non invenient eam, deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Quare etſi damnatorum corpora non poſſint corrumpi vel mori, non ſunt tamen impaſſibilia: neque etiam ipſa corporum incorruptio ſeu immortalitas eis quaſi jure debita confertur, ſed quaſi debitum medium divinæ juſtitiæ, quæ eis pœnarum æternitatem decrevit, ut viventes patiantur mortem numquam interituram, juxta illud *Pſ.* 48. *Mors depaſcet eos.*

Eadem Beatorum perfecta impaſſibilitas inſinuatur *Iſaiæ* 49. *Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus.* Idem habetur *Apoc.* 7. *Et cap.* 21. dicitur: *Abſterget Deus omnem lacrymam &c.* Denique idem exigit ſtatus ille feliciſſimus.

Conſiſtit itaque impaſſibilitas Beatorum in hoc, quòd erunt perpetuò immunes ab omni paſſione corruptiva & afflictiva; adeò ut in æternum ſint conſervandi in optima totius corporis diſpoſitione, nec ab ulla re, ut ferro, igne &c. per vim creatam lædi, nec dolore aut moleſtiâ affici queant. Sed difficultas moveri ſolet, unde hæc impaſſibilitas Beatorum proveniat? Et quidem non ſufficit in primis optimum temperamentum, ſive ad impediendam læſionem aut moleſtiam extrinſecam, ſive ad impediendam diſſolutionem corporis ob continuam diminutionem caloris naturalis & conſumptionem humidi radicalis. Quare neque Adamo ſuffeciſſet ad arcendam mortem, etiam ab intrinſeco aliquando obventuram, optimum quo præditus erat temperamentum, niſi alimentorum ſubſidio ac eſu ligni vitæ mortem præpediviſſet. 32. *Conſiſtit in immunitate ab omni paſſione corruptiva & afflictiva.* *Nequit refundi in optimum temperamentum.*

Non ſufficit quoque proculdubio ceſſatio motûs cælorum: tum quia iſta ceſſatio non facit damnatos (in quibus æquè locum habet) impaſſibiles: tum quia ceſſante motu cælorum (quem ceſſaturum, non eſt certum apud Doctores) adhuc agere poſſent cauſæ naturales, v. g. ignis comburere ſtupam applicatam. *Nec in ceſſationem motûs cælorum.*

Non ſufficit præterea perfectum animæ beatæ in corpus dominium: nam ſola voluntas parum præſtabit ſuo imperio circa cauſas naturales contrarias, ſi maneant invicem applicatæ, niſi aliquid eis phyſicè contrarium ponat; quod non facit. Quare etiã non ſufficienter excluderet moleſtiam extrinſecam ex perceptione ſenſibilis ingrati, v. g. fœtoris, ſoni; ex qua nil deperderetur de diſpoſitionibus corporis. *Neque in perfectum animæ in corpus Dominium.*

33. *Neque tandem in aliquam qualitatem intrinſecam.* Non rectè denique cum *Richardo*, *Paludano*, *Prepoſito* & pluribus aliis refunditur perfecta impaſſibilitas in qualita-

tatem aliquam intrinſecam. Nam vix poteſt ejuſmodi qualitas mente concipi, quæ nimirum ſit contraria calori & frigori, humori & ſiccitati, idq; non abſolutè neque æqualiter, ſed in una corporis parte toleret v. g. quatuor gradus caloris,& non plures, in alia ſex, & non pauciores, prout diverſæ partes diverſum caloris temperamentum poſtulant: item quæ impediat, ne corpus (quod utique durum non erit inſtar ſilicis) poſſit gladio dividi, quæ denique moleſtias omnes ex ingrati odoris, ſoni diſſoni, & ceterorum ſenſibilium perceptione excludat. Eò magis, quòd ſupernaturalis eſſet iſta qualitas; quæ proinde cum qualitatibus naturalibus non habet formalem repugnantiam, neque etiam efficit aliquid formaliter cum illis repugnans. Quod manifeſtius adhuc eſt, ſi qualitas iſta ſtatuatur ſpiritualis, & in ipſa anima: quam enim repugnantiam iſta haberet cum qualitatibus materialibus? Unde talem qualitatem etiam divinitùs repugnare, valde probabile cenſet *Arriaga d. 56. n. 15.* hoc ſolum manifeſtum eſt, eſſe intellectu difficilem valde. Quare ad tam abſtruſam qualitatem immeritò recurritur, ubi reſtat via facilis & plana impaſſibilitatem explicandi.

34. *Sed in Deum,*

Dicendum itaque cum *Scoto d. 49. q. 13. n. 9. Durando, Gabriele, Majore, Arriaga*, & aliis Recentioribus, & probabile cenſet *Præpoſitus, Salas* & alii, cauſam impaſſibilitatis refundendam eſſe in Deum, qui intimo influxu temperamentum Beati perpetuò ſic conſervat, ut omnibus cauſis, tum internis, tum externis, ſive corruptivis ſive afflictivis, concurſum deneget. Hic enim explicandi modus eſt clarus, facilis & ſufficiens ad ſalvandam perfectam impaſſibilitatem ab Auctoritatibus aſſertam; neque alius modus melior ſupereſt: nec denique aliquid obſtat.

35. *Etſi hoc modo impaſſibilitas ſit ab extrinſeco.*

Dices I. Impaſſibilitas Beatorum hoc modo ſolùm eſſet ab extrinſeco. Reſp. id perinde eſſe, ad hoc ut ſit dos corporis Beatorum. Sicut etiam dos in humanis non ſolet eſſe ſponſæ intrinſeca, ſed valde extrinſeca. Adde jus ad talem impaſſibilitatem eſſe Beatis intrinſecum ratione meritorum & beatitudinis animæ. Ita rectè *Scotus ſup. n. 10.* Adde inſuper influxum ſeu conſervatione, quâ corpus beati à Deo jugiter conſervatur, eſſe aut cenſeri quid intrinſecum ipſi Beato. Nec tale intrinſecum ab impaſſibilitate excludit *Scotus*, ſed potiùs comprehendit: ut proinde re ipſâ cum *Scoto* coincidat *Leſſius q. 4. a. 6. dub. 2.*

Ius tamen ad illam eſt beatis intrinſecum, Vti & influxus illius conſervativus,

36. *Aliter quoque Adam fuit, aliter beati ſunt impaſſibiles.*

Dices II. Adam hoc modo erat impaſſibilis; inter quem tamen & beatos agnoſcenda eſt differentia: quam proinde etiam urget *Aug. 22. de civit. c. ult.* Reſp. N. Aſſ: quia Beati ſic conſervantur à Deo, ut mori non poſſint; Adam verò erat immortalis, quia non debebat mori, ſeu poterat non mori, etſi poſſet etiam mori; ut rectè notat *Auguſtinus ſup.* Deinde in Adamo non erat ſemper eadem temperies caloris & ceterarum qualitatum: calor etiam naturalis paulatim in eo ſtatu abſumebat humidum, ideoque contra mortem indigebat alimentis: ac denique extrinſeca agentia potuiſſent eum lædere, niſi ea caviſſet. At in Beatis ſemper eſt eadem temperies, nulla pugna calidi & humidi, aut neceſſitas alimenti; nullum denique extrinſecum agens poteſt lædere, adeò ut ſi in medio ignis conſtituti eſſent, ne capillus quidem in minimo immutaretur.

Petes, Cur contra extrinſeca læſiva, v. g. gladium, malleum &c. non ſufficiat ſubtilitas, quâ corpus beati ſine reſiſtentia penetrat quodlibet obvium? ex ea enim fieret, ut gladius in illud incidens ipſum non dividat, ſed penetret; ſicut ſi gladio vitreo verberes radium ſolis, non illum divides, ſed abſque ejus læſione penetrabis. Reſp. ſubtilitas quidem ad hoc conferre poteſt, ſed volente & permittente Beato penetrationem ſui. Aliundè igitur provenire debet, quòd corpus illius ſecari vel contundi non poſſet, quantumvis reſiſteret, ſeu penetrationem non admitteret. Similiter agilitas ſervire quidem poſſet ad ictus v. g. declinandos: ſed impaſſibilitas perfecta requirit, ut ictus etiam non declinati nocere nequeant. 37.

Cur contra extrinſeca læſiva non ſufficiat ſubtilitas.

Similiter nec agilitas.

QUÆSTIO IV.

De Claritate Beatorum.

CLARITATEM eſſe futuram in corporibus Beatorum, colligi ſolet non ſolùm ex illo Apoſtoli *1. ad Cor. 15. Surget in gloria*, ſplendoris ſcilicet, ſicut ſol, ut explicat *Primaſius*: ſed etiam ex *Sap. 3: Fulgebunt juſti.* Et *Matth. 13. Tunc juſti fulgebunt, ſicut ſol.* & aliis locis. Item ex transfiguratione Domini, cujus facies in illa reſplenduit ſicut ſol, ut refertur *Matt. 17.* Quod divinâ providentiâ factum eſt, *ut* (teſte *Leone Papâ Serm. de Transfigurat.*) *ejus ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet.* Unde etiam Apoſtolus *ad Philipp. 3.* ait: *Salvatorem expectamus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Hujus inſuper dotis typus fuit in claritate vultus Moyſi. Denique conſonant Patres, omneſque Scholaſtici. 38.

Secunda dos, claritas.

Conſiſtit hæc claritas, partim in pulcherrim a colorum, & perfectiſſima figuræ proportione, juxta cujuſlibet Beati naturale temperamentum & meritum. Inde enim dicitur quis eſſe clarâ ſeu ſplendidâ & fulgenti facie. Quare *Aug. 22. de civit.* 39.

Conſiſtit partim in colorum & figuræ proportione.

vit. c. 19. ait: Coloris porrò ſuavitas quāta erit, ubi juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui? Et poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus colores ſervavit, eoſque occultatâ luce ſuâ monſtravit. Neque congruit, ut gloria naturam deſtruat, & venuſtatem mirabilem ex colorum optima proportione reſultantem tollat. Ita *Scotus* 4. *d.* 49. *qu.* 15. *num.* 2.

Partim in qualitate lucis pulcherrimæ, Partim etiam conſiſtit in qualitate lucis pulcherrimæ, quæ immixta coloribus gratiſſimum divinâ virtute præbebit intuentibus aſpectum. Neque tantùm erit hæc lux terminata in corporibus Beatorum, quæ illa faciat refulgere, ſicut gladius politus, aut ſpeculum chalybeum luce ſolis irradiatum fulget; ſed eſt intrinſeca ipſis corporibus, ut probabilius videtur *Roderico Arriaga d.* 56. *nu.* 28. & docent communiter Doctores. *Eâque intrinſecâ ipſis corporibus.* Congruum namq; eſt, ut Beatorum corpora fulgorem ex ſe emittant, nec ſolùm emendicatâ aliundè luce, atque adeò non ſemper æquali, ſed variâ fulgeant juxta variam vicinitatem aut oppoſitionem ad varia corpora lucida. Idem colligitur ex transfiguratione Domini, & Scripturis comparantibus claritatem Beatorum claritati ſolis, ùtique ſoli intrinſecæ. Nil tamen inde certi poteſt cōcludi (quidquid *Leſſius quaſt.* 4 *art.* 6 *dub.* 3. exiſtimet) Typus enim in Transfiguratione exhibitus in Chriſto non debet adæquatè reſpondere figurato in cæteris Beatis; neque adhuc probatum ſatis vidi, lucem fuiſſe ipſi Chriſti faciei fulgenti intrinſecam. Comparatio quoque Scripturæ non debet per omnia currere: nam comparatur claritas Beatorum, uti ſoli, ſic lunæ & ſtellis 1. *ad Cor.* 15. cùm tamen luna careat luce intrinſecâ, ſolùmque luce ſolis irradiata clareſcat. Equidem communi Doctrinæ eſt adhærendum; quam etiam Patres inſinuant. Nec eidem aliquid obſtat: non enim repugnat corpus aliquod eſſe lucidum ſimul & coloratum, ut etiam docet *Scotus in Reportatis d.* 49. *qu.* 14. & patet in multis mixtis, quæ nocte lucent. Immo (ut refert *Leſſius lib.* 3. *de Summo bono cap.* 5. *num.* 68) ſunt in India orientali Noctilucæ, ſeu nitedulæ corpore & luce longè majores, ita ut facis uſum in tenebris præbeant. Hoc autem ſuppoſito (à cujus veritate abſtraxit *Scotus* in priori ſcripto *d.* 49. *qu.* 15) placet quoque *Scoto ſup. num.* 2. & 4. quòd in corporibus Beatorum ponatur lux.

40. *Cicatrices Martyrum peculiariter coloratas & lucidas fore Aliqui opinantur.* Specialiter autem in cicatricibus Martyrum non improbabiliter Aliqui opinātur ponendos pulcherrimos colores, eaſque peculiariter fore lucidas. Deinde in diverſis Sanctis juxta meritorum differentiam erit claritas inæqualis, ut cum aliis notavit *Scotus ſup. num.* 2. Et videtur colligi ex 1. *ad Cor.* 15. *Stella differt à ſtella in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum.* *Claritas beatorum erit inæqualis,* Denique poterunt Beati pro arbitrio occultari non Beatis: prout etiam ſeſe & claritatem ſuam occultavit Chriſtus poſt reſurrectionem. Quamvis enim connaturaliter ſequeretur immutatio viſûs, etiam corporis non glorioſi: *Et occultabilis pro arbitrio ipſorum.* ad nutum tamen Beati Deus occultat, non coagendo claritati ad viſum immutandum, quatenus defectu concurſus divini lux nequit lumen aut ſpecies diffundere, neque etiam (ſi ſit occultatio plena) color ſpecies ſuas. *Deo ad immutandum viſum ſubſtrahente concurſum,* Ita *Scotus ſup. num.* 5. & alii paſſim: quidquid *Arriaga d.* 46. *num.* 43. probabilius putet, lucem Beatorum per hoc non videri, quòd Deus impediat ne pro tunc reſultet in corpore. *Non autem prohibente lucem in corpore reſultare.* Unde ſequeretur eo tempore Beatum carere luce ſeu claritate ſuâ: quod inconveniens eſt. Deinde ſic non eſſet Beatus dicendus occultare ſuam lucem, ſed non habere. Denique dum occultat ſuos colores, non caret illis, ſed Deus tantùm non coagit ad diffuſionem ſpecierum; ergo ſimiliter fit, dum occultat ſuam lucem.

41. *An corpora Sanctorum futura ſint tranſparentia.* Dubium autem eſt, an corpora Sanctorum futura ſint tranſparentia? Nam quòd ſic, docent Varii. Et inſinuat *Aug.* 22. *de Civit. cap.* 30. & clariùs *Gregor.* 18. *Moral. cap.* 31. *in illud Job.* 28. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Juxta hos itaque Auctores corpora Sanctorum erunt pellucida & diaphana inſtar puriſſimæ cryſtalli, adeò ut tota harmonia corporis humani cum omnibus venis, nervis, arteriis, cæteriſque interioribus ſuâ luce & calore præditis, oculis pateat. Nihilominùs *D. Bonav. d.* 49. *p.* 2. *art.* 2. *qu.* 1. *Scotus ſup. Durandus, Tannerus*, & alii contrarium putant: eò quòd tranſparentia iſta non ſatis conſonet cum connaturali opacitate corporis & oſſium, & cum ipſa luce, præſertim notabili; conſtat enim corpora lucidiſſima eſſe denſa & minimè tranſparentia, ut patet in ſole & ſtellis; quæ autem perſpicua ſunt & diaphana, eſſe magis apta, ut illuminentur, quàm ut luceant. Nulla quoque eſt ejuſmodi tranſparentiæ neceſſitas: ſufficit enim ut interior corporis harmonia menti pateat. Unde res hæc inter incertas eſt relinquenda, donec ipſi poſtea oculis alterutrum videamus.

42. *Quæ ſit cauſa claritatis beatorum.* Petes I. Quæ ſit cauſa hujus claritatis? Reſp. præſuppoſito optimo temperamento primarum qualitatū, quod eſt diſpoſitio ad ſecundas qualitates, cauſari colores, partim à forma ſubſtantiali, partim ab ipſo Deo ſupplente defectum formæ, non valentis tantam colorum pulchritudinem producere. Qualitas autem lucis non dimanat phyſicè à lumine gloriæ vel beatitudine animæ, ſed producitur ab ipſo Deo; ſiquidem lumen gloriæ vel actus beatificus nullam habet proportionem ad efficiendum phyſicè qualitatem iſtam materialem: quæ proinde non niſi moraliter ab ipſo dimanat, quia videlicet congruenter debetur claritas corpori, cujus anima eſt glorioſa.

43. Petes II. An lux iſta ſit diverſæ ratio-

An lux iſta ſit diverſa rationis à noſtra. nis ſeu ſpeciei à noſtra. Reſp. Neg. cum Doctoribus paſſim contra Nonnullos: non enim ſubeſt ratio ſufficiens diſtinguendi; neque videtur oculos Apoſtolorum aliter immutaſſe lux corporis Chriſti in transfiguratione, quàm lux ſolis, cujus inſtar dicitur facies Chriſti reſplenduiſſe. Hinc tamen non fit efficax argumentum. Aliundè etiam argui poteſt diſtinctio ſpecifica, videlicet quòd lux iſta non calefaciet, uti noſtra, ſeu de qua experientiam habemus. Ad quod tamen facilè Reſpondetur lucem non calefacere, ſed corpus lucidum vi caloris formalis aut virtualis, quo ſemel prædìtum eſt; nec tamen prædìtum eſſe debet corpus Beati, niſi juxta exigentiam temperamenti.

44. *Et conſequenter an naturalis in ſubſtantia.* Hinc ſequitur lucem, etſi ultra naturalem exigentiam corporum beatorum ſit futura, fore equidem in ſubſtantia naturalem. Immo non ſequitur fore ſupernaturalem, etſi foret diſtinctæ rationis à luce ſolis: quidni enim poſſet equidem eſſe connaturalis alicui corpori naturali, ſaltem poſſibili, adeòque in ſubſtantia naturalis? Qui tamen ſpecie diſtinctam lucem adſtruunt, etiam putant eſſe ſupernaturalem, quaſi iſta neceſſariò connexa forent. Quæ ſupernaturalitas inde quoque difficultatem patitur, quòd viſus corporalis haberet objectum ſupernaturale; & in Sententia eorumdem Auctorum conſequenter actum ſupernaturalem, cùm juxta ipſos (de veritate non diſputo) nequeat objectum ſupernaturale naturaliter videri: hæc autem & ſimilia non ſatìs congruè ſine alio aliquo fundamento adſtruuntur.

QUÆSTIO V.

De Agilitate Beatorum.

45. *Tertia dos, Agilitas.* Receptum eſt apud ómnes corpora Beatorum habitura ſingularem facilitatem in exercendo motu locali. Colligitur ex Apoſtolo 1. *ad Cor.* 15. Et *Sap.* 3. *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Similiter de corporibus glorioſis exponit *Hieronymus* illud *Iſaia* 40. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Quàmvis aliter hunc locum explicet noſter *Saibouth*, *À Lapide* & alii. Patet enim ex *Aug. l.* 22. *de Civit. cap.* 30. & *Anſelmo lib. de Similitudinibus cap.* 51. Ratio eſt: quia non decet corpora Sanctorum veluti ſtipites eſſe uni loco affixa, ſed congruit uſus connaturalis potentiæ locomotivæ; utique plurimùm perficiendæ (credibile eſt, quòd proportionatè ad merita) ad inſtar locomotivæ angelicæ: nam (ut ait *Anſelmus ſup.*) *ipſis Angelis Dei æquè celeres erimus, qui dicto citiùs de cælo ad terras, & è converſo dilabuntur.*

Itaque hæc dos agilitatis conſiſtit in habilitate quadam velociſſimè ſe movendi abſque ulla difficultate aut defatigatione versùs omnem loci differentiam, id eſt, deorſum, & ad latus; idque non tantùm motu progreſſivo (ut vult *Durandus*) ſed etiam motu ſimplici movendo ſimul totum corpus inſtar ſagittæ: ut rectè *Scotus* 4. *d.* 49. *qu.* 14. & reliqui Theologi. Et patet, tum exemplo Chriſti, qui poſt reſurrectionem ſuam cælos aſcendit ſe toto, non autem movendo unam partem & alterâ quieſcendo: tum ex congruentia perfectiſſimi ſtatûs, in quo non carebit anima potentiâ ſic ſe; adeòque & corpus alligatum movendi, quâ etiamnum prædita eſt in ſtatu ſeparationis à corpore: tum quia velocitas angelicæ ſimilis (quam Patres aſſerunt) in motu de cælo in terram, & contrà, breviſſimo tempore, non rectè conſiſtit cùm innumerabili curtorum paſſuum alternatione, quæ foret neceſſaria. 46. *In quo conſiſtat.*

47. *Et quæ ſit ratio indefatigabilitatis. Item ratio movendi ſe motu ſimplici.* Ratio porrò indefatigabilitatis eſt: quia ſpiritûs animales ad motum neceſſarii non conſumentur aut diſſipabuntur, ob corporum impaſſibilitatem. Ratio verò movendi ſe motu ſimplici ſeu non progreſſivo eſt virtus motiva animæ, quâ non ſolùm poteſt movere córpus & ſe cum corpore organicè ſeu mediantibus membris, movendo unum poſt alterum, ſed etiam non organicè poteſt immediatè movere ſe ipſam & concomitanter totum corpus ſimul. Etſi pro ſtatu vitæ hujus impediatur, ne anima hoc modo corpus ſuum hîc, ſaltem tam perfectè, movere poſſit. Quàmvis imperfectè id cernatur in motu ſurſum per ſaltum.

Ac tantæ velocitatis. Ratio denique tantæ velocitatis erit, partim vis motiva animæ, quæ ſicut ſeparata poteſt ſe velociſſimè movere, ſic poterit in corpore glorioſo ſibi alligato, in quo non erit pejoris conditionis; partim ſpecialis roboratio ejuſdem potentiæ divinitùs conferenda, credibiliter juxta proportionem meritorum: partim denique ſublatio impedimentorum, ponderoſitatis videlicet terreæ, cujus loco ſpiritus leves & ſubtiliſſimi ſuccedent. Quare velocitati motûs non oberit gravitas: nam ipſa gravitas pro magna parte eſt corpori humano præternaturalis, adeòque tollenda (etſi non tota: quidquid Nonnulli dixerint; cùm aliqua ſit connaturalis diſpoſitio humani corporis) & conſequenter reſiſtentia inde proveniens foret parvi momenti. Deinde hæc reſiſtentia talis qualis poſſet à Deo impediri; utpote proveniens ex gravitatione, quæ eſt effectus gravitatis ab ea divinitùs ſeparabilis. Denique vis motiva animæ ſpecialiter perficietur, quantùm velocitati motûs ſatìs ſit.

Sed dubitatur, utrùm vis motiva animæ ſit perficienda intrinſecè? Affirmant plures 48.

An vis motiva animæ ſit perficienda intrinſecè

res, cenſentes perficiendum eſſe per quamdam qualitatem; quam Nonnulli conferendam putant corpori: Alii, & rectiùs, conferendam animæ, in qua eſt principium motûs, etiam ipſius corporis; cujus equidem dos cenſeri debet, quatenus animæ confertur in gratiam corporis, ut illud inſtar ſpiritûs moveatur. Optimè nihilominus cenſent, qui vim motivam ſolùm extrinſecè per auxilium Dei ad nutum Beati perficiendam docent: tum quia qualitas iſta difficulter eſt conceptibilis, præſertim quæ inſit corpori, ſitque indifferens ad principiandum motum velociſſimum versùs omnem ſitûs differentiam: tum quia rarò fortaſſe neceſſaria; ad quid enim poſt diem judicii frequens erit motus corporis adeò velox, cui anima non ſufficiat? Tum denique, quia tale auxilium agnoſci debet in operibus miræ fortitudinis, & vires animæ ſuperantibus: ad quæ etiam in Beatis potentia agnoſcitur ab *Anſelmo* & aliis auctoribus, ut v.g. ſunt turres evertere, ingentes moles transferre &c. Cujus rei habemus exempla in Hiſtoriis Sanctorum, ut ait *Leſſius lib.* 3. *de Summo bono cap.* 3. *num.* 19. in fine. Et confirmatur ex eo, quòd Sancti ſint futuri æquales Angelis, quibus hæc vis competit: immo naturaliter competit etiam dæmonibus, quibus utique non debent Sancti hac in parte eſſe inferiores. Cùmque ad hanc fortitudinem ſeu potentiam non requiratur corpus, cenſendum eſt illam competere etiam animabus Beatorum ſeparatis. Immo poſt judicium & corpora reſumpta vix aut ne vix apparet futura occaſio operum tam miræ virtutis ſeu fortitudinis.

Probabiliùs tantùm per extrinſecum Dei auxilium.

49\. *Non poterunt beati ſe movere de extremo in extremum niſi tranſeundo per mediũ, Idq; motu ſucceſſivo.*

Pro fine notandum, quòd Beati non poterunt ſe movere de extremo in extremum ſine tranſitu per medium; uti nec poſſunt Angeli. Similiter motus continuus etſi velociſſimus, tamen ſucceſſivus erit: alioquin enim eodem inſtanti eſſent Beatorum corpora in diverſis locis, ſcilicet in medio & termino motûs.

QUÆSTIO VI.

De Subtilitate Beatorum.

50\. *Quarta dos, ſubtilitas non clarè ex Scriptura probatur.*

DOs Subtilitatis non tam clarè ex Scriptura probatur. Quod enim Apoſtolus 1. *ad Cor.* 15. ait: *Surget corpus ſpiritale*, intelligi poſſet cum *Titelmanno* de ſpiritalitate conſiſtente in hoc quòd non indigebit alimentis, quòdque immune erit à miſeriis corporalibus; hoc autem ſpectat ad perfectam impaſſibilitatem. Sunt etiam Nonnulli, qui ſubtilitatis dotem admittunt quidem, ſed in eo conſtituunt, quòd corpus ſpiritui non erit rebelle, prout noſtrum animale, ſed ei ad nutum obediet, quòdque ſenſibus perſpicax erit; ſicut perſpicax ingenium ſubtile dicitur, eò quòd pervadat ſeu penetret objecta aliis impervia ſeu non perſpecta. Hi equidem non negant Beatis vim penetrandi corpora: ſed hanc non computant inter dotes, nec intelligendam putant nomine ſubtilitatis.

Inter Recentiores autem *Arriaga d.*56. 51.
poſt varias dubitationes excitatas dicit fortè non eſſe improbabile, in Beatis non eſſe futuram facultatem penetrandi corpora; tandemque hac in re haud parum dubius hæret. Eamdem facultatem corporibus Beatorum Nonnulli negarunt: inter quos *Durandus* addit penetrationem corporum etiam divinitùs eſſe impoſſibilem. Sed in hoc adverſatur Doctrinæ Theologorum unanimiter, immo & Patrum, & ſine fundamento contra communem ſenſum coarctat omnipotentiam Dei. Immo hæc Dei potentia de facto eluxit in Chriſto, qui natus eſt clauſo (ut Patres, & Theologi unanimiter) utero Virginis, clauſo ſepulchro reſurrexit, clauſis januis ad diſcipulos poſt reſurrectionem intravit, denique in aſcenſione ſua cælos penetravit juxta Apoſtolum ad *Hebr.* 4. Evaſio autem *Durandi* dicentis iſta contigiſſe ſine vera penetratione per hoc quòd Chriſtus tranſiverit de extremo in extremum ſine tranſitu per medium, repugnat in primis communi ſenſui, etiam Patrum. Deinde eſt gratis inventa; & in hac ipſa confugitur ad miraculum non minùs difficile. Eſt denique contra communem apprehenſionem: dum enim ſimilia exempla leguntur, mox incidet cuivis non prævento, ea per penetrationem contigiſſe.

Facultatem penetrandi corpora Quidam negarunt corporibus beatorum.

Non eſt penetratio corporum impoſſibilis.

Itaque in Beatorũ corporibus admittenda eſt dos ſubtilitatis in hoc eoq; propriiſſimo ſenſu, quòd Beatus poterit inſtar cujuſdã ſpiritus ad nutũ ſuum pervadere, ſive intimè penetrare obvia corpora. Ea enim eſt ſingulariſſima ſpiritûs proprietas; quæ proinde non eſt deneganda corpori, quod juxta Apoſtolum ſup. *ſurget ſpiritale.* Deinde ſic habet communis Doctrina, etiam à temporibus *S. Bonaventuræ*, qui 4. *d.*49. *part.*2. *a.*3. *qu.*1. *in corp.* ait: *Omnes concedunt, quòd corpora glorioſa habent dotem penetrabilitatis, id eſt ſubtilitatis.* Idem inter Patres docet *Ambroſius lib.*10. *in Lucam cap. ult. Damaſcenus lib.*4. *de fide cap. ult.* Præterea nihil notabile obſtat. Accedit denique, quòd explicatio ſubtilitatis per ſubjectionem ad ſpiritum & acumen ſenſuum, etiam conveniat Adamo pro ſtatu innocentiæ; qui tamen ad ſenſum Apoſtoli 1. *ad Cor.* 15. non fuit tunc præditus corpore ſpiritali, ſed animali, ut ex textu patet.

52\. *Dos ſubtilitatis in proprio ſenſu adſtruitur.*

Solùm difficultas eſt, quæ ſit cauſa hujus ſubtilitatis, ſeu unde oriatur? Non oritur in primis ex ablatione quantitatis, quæ vel eſt indiſtincta à materia, vel certè eſt

53\. *Non oritur ex ablatione quantitatis.*

Neque ex qualitate intrinſeca,

eſt proprietas ei maximè connaturalis. Non etiam ex aliqua intrinſeca qualitate, ut quidam putarunt: eſt enim ægrè, aut nullatenus conceptibile (ut cetera omittam) quòd qualitas aliqua tolleret intrinſecam repugnantiam, quæ eſt inter duo corpora reſpectu ejuſdem ſpatii, manente repugnantiæ fundamento, ſcilicet quantitate; ſicut non poteſt tollere repugnantiam duarum formarum reſpectu ejuſdem ſubjecti.

Nec etiam ex ſublatione extenſionis localis,

Non præterea ex ſublatione extenſionis localis, etſi id probabiliſſimum putet *Amicus d.* 2. *ſect.* 17. *n.*200. nam illâ (quæ juxta ipſum eſt proxima impenetrabilitatis cauſa) ſublatâ, competeret ſubtilitas etiam reſpectu alterius corporis glorioſi; quod tamen non eſt ab altero beato citra voluntatem ſuam penetrabile, juxta Doctores paſſim. Immo contra communem ſenſum poſſet etiam ſe ipſum Beatus penetrativè ponere in puncto. Deinde incongruè, ut ſalvetur tranſitoria penetratio, aufertur interim à Beatis multiplex connaturalis perfectio, tum ſcilicet ipſa localis extenſio, tum viſibilitas & palpabilitas reſpectu cujuſvis ſenſûs etiam corporis glorioſi, tum quòd ipſe Beatus nec videre nec tangere aliquid interim poſſet. Denique non apparet in Chriſto, præſertim cælos penetrante, defuiſſe localis extenſio: quæ ſicut erat in Chriſto, dum Apoſtoli illum intuerentur euntem in cælum, ſic credendum eſt toto aſcenſionis tempore manſiſſe, adeòque ſimul cum penetratione.

54. *Sed ex aſſiſtentia extrinſeca Dei.*

His igitur & quibuſdam aliis dicendi modis nihil aut minùs probabilibus derelictis, rectiſſimè dicitur cum Doctoribus paſſim, ſubtilitatem oriri ex aſſiſtentia extrinſeca Dei, qui paratus eſt ad libitum Beati concurrere ad poſitionem illius in eodem ſpatio cum alio corpore. Sic enim ſimpliciùs res explicatur, & variæ difficultates evitantur. Deinde hoc modo contigit penetratio in Chriſto ſecundùm exempla præallegata. Et hinc patet, cur Beati non ſemper penetrent quælibet obvia corpora; quia videlicet uſus hujus dotis ſubeſt voluntati Beati.

Non propterea eſt dicenda fuiſſe in Chriſto,

Dices: Si res ita ſe habet, poſſet dici, Chriſtum habuiſſe dotem ſubtilitatis, quando adhuc erat mortalis. Reſp. Neg. Seq. quia aſſiſtentia divina tum ei concedebatur, non propter conditionem corporis Beati, quale Chriſtus tunc needum habebat, ſed quia hoc decens erat ad oſtendendam illius potentiam; prout ideo Deus ad quævis alia miracula humanitati Chriſti aſſiſtebat.

55. *Nec dabitur beatis ad penetrationem propriorum membrorum.*

Adverte cum *D. Bonav. ſup. ad* 9. *Scoto d.*49.*qu.*16.*num.*21.*verſ. ad ultimum, Maldero, Leſſio, Prepoſito* & aliis paſſim, quòd ſicut Deus non concurret ad partes ejuſdem Beati, v. g. manus & pedes inter ſe penetrativè ponendos, eò quòd minùs decens id videatur: ſic ob ſimilem rationem non concurret cum Beato, ut ſe penetrativè ponat cum alio Beato: habet enim alius Beatus poteſtatem impediendi, ne corpus ſuum penetretur, dum non vult; id exigente perfectâ ſubjectione corporis ſub anima beatâ. *Vel corporis alterius beati,* Varii tamen putant, id poſſe fieri, altero Beato conſentiente ſive permittente. *Niſi fortè hic conſentiat.* Quod etiam indicat *Scotus ſup.* impenetrabilitatem alterius corporis glorioſi referens in imperium voluntatis alterius Beati, ſcilicet non conſentientis.

QUÆSTIO VII.

An Beati reſumptis corporibus ſint habituri operationes ſenſuum?

56. *Beati reſumptis corporibus erunt inſtructi organis ſenſuum.*

NON eſt dubium, quin Beati reſumptis corporibus erunt perfectiſſimè inſtructi organis ſenſuum, tum externorum, tum interni: id enim ad integritatem corporis eſt neceſſarium.

Habebuntque aliquas ſenſuum operationes.

Non eſt etiam dubitandum, quin in genere loquendo ſint habituri aliquas ſenſuum operationes: tum quia omnes illæ potentiæ non debent abſque neceſſitate perpetuò privari ſuis operationibus: tum quia corpori animato animâ rationali maximè eſt id connaturale, neque indecens ſtatui beatifico: tum quia decet beatitudinem hominis etiam in parte ſenſitiva compleri, in qua ſenſit in hac vita auſteritates & paſſiones: tum quia in eadem parte ſenſitiva damnati maximè torquebuntur. Adde, quòd alioquin reſuſcitatio corporum ad ſomnum quemdam perpetuum magìs videretur inſtituta, quàm ad vitam; quæ in vigilia, id eſt ſenſuum exercitio maximè apparet.

57. *Ac in primis operationes ſenſus interni & appetitûs.*

Ac in primis Beati exercebunt in corporibus glorioſis operationes ſenſûs interni ac appetitûs; quia & ſunt nobiliſſimæ operationes, & in his torquebuntur damnati. Fortè etiam pars ſenſitiva quodammodo in Deum ſub phantaſticis imaginibus propoſitum, v.g. tamquam immenſam lucem, dulcedinem &c. tendet, ſimilique ſuavitate afficietur: quam etiam hîc ſubinde in inferioribus animæ viribus Sancti contemplando Deum ſentiunt, & quidem tam notabilem, ut corporis imbecillitas vix ſit ferendo, dum ſcilicet intellectu in Deum tendente, etiam phantaſia imagines concipit, & appetitus concupiſcit, ſicque cor & caro exultant in Deum vivum.

58. *Deinde videbunt Chriſti humanitatem, B. Virginem ac plura alia.*

Secundò juxta omnes Doctores videbunt in primis glorioſam Chriſti humanitatem; de qua intelligi poteſt illud 19. *Job In carne mea videbo Deum meum.* Deinde B. Virginem, & ſe ipſos, ac alios ſanctos, ſingulos inſtar ſolis fulgentes, inſtar fratrum chariſſimos. Denique videbunt ſtructuram cæli Empyrei, pluraque alia corpora

pora

pora oculis gratiſſima, unde indicibilis voluptas connaturaliter orietur. Ratio eſt: tum quia id exigit ſtatus corporis glorioſi animati: tum quia ex parte viſûs erit optima diſpoſitio, ex parte objecti maxima claritas.

Etiam tangent. Tertiò juxta omnes Doctores tangent: cùm nihil obſtet. Ipſa quoque corpora Sanctorum poſt reſurrectionem fore palpabilia, patet ex corpore Chriſti *Lucæ ult.*

De aliis ſenſibus non omnes conſentiunt. Nam de auditu dubius manet *D. Bonav. 4. d. 49. p. 2. art. 1. qu. 1. in corp.* De guſtu & olfactu negat tum ipſe *ibid.* tum diverſi alii Doctores. Receptæ nihilominus Doctrinæ adhæret *Seraphicus Doctor Soliloquii cap. 4. poſt med.* dicens: *Ibi erunt omnes ſenſus in actibus ſuis. Ibi enim oculus videbit decorem ſpecioſiſſimum, guſtus ſentiet ſaporem dulciſſimum; olfactus odorabit odorem ſuaviſſimum, tactus amplexabitur objectum delicioſiſſimum, auditus immutabitur per ſonum jucundiſſimum; ibi enim cùm mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur.*

59. *Et audient.* Quartò itaque juxta Doctores communiter Beati audient. Nam invicem loquentur & laudem Deo cantabunt juxta *Greg. 8. Moral. cap. 29.* Et alios Patres. Et colligitur ex *Pſal. 149. Exaltationes Dei in gutture eorum.* Eſtq; planè decens, ut homo conſtans animâ & corpore etiam corporaliter laudet Deum. Itaque ſimiliter ſunt audituri: cùm vox eſſe non ſoleat, ubi non eſt auditus. Nec requirit locutio, ut aër mittatur extra corpus. Quod autem ad tranſmiſſionem ſpecierum ſoni attinet, valde credibile eſt in ipſo cælo Empyreo eſſe auram quamdam ſpirabilem inſtar aëris. Deinde ſi ſpecies ſint neceſſariæ auditui, nec diffundi poſſent, facilè eſſet Deo illas auditui infundere, ne Beatus tam naturali & congruâ operatione in perpetuum fraudetur.

Non enim lingua, ſed linguarum varietas ceſſabit. Neque obſtat illud Apoſtoli 1. *Cor.* 13. *ſive linguæ ceſſabunt.* Nam ceſſabit non lingua, ſed linguæ, id eſt, linguarum varietas, dum omnibus erit unum labium electum. Eſto ſimul non ſit fortaſſe defutura facultas interdum utendi indifferēter omnibus linguis, quarum perfectam notitiam à Deo infuſam ſinguli habebunt. Quæ verò lingua Beatis inter ſe ordinaria ſit futura, diverſæ ſunt & planè incertæ conjecturæ. *Quæ lingua futura ſit beatis inter ſe ordinaria.* Nam Aliqui putant, quòd lingua Latina; Alii rectiùs quòd Hebraica, utpote primigenia, & à Deo Adæ indita, ac uſque ad linguarum confuſionem omnibus communis; Alii denique, & fortè optimè, quòd lingua nova à Chriſto inſtituenda, quæ elegantiâ, dulcedine, & copiâ excedat linguas hujus vitæ, etiam Hebræam, cui non ineſt tanta elegantia & ſuavitas, ut notat *A Lapide in 1. Cor. 13.*

60. Quintò olfacient juxta Doctores paſſim; ſi enim in inferno ſit odor teterrimus, *Etiam beati olfacient.* ipſaque corpora damnatorum fœtidiſſima, cur non credamus in cælo futurum odorem ſuaviſſimum? Deinde ſi corpora Sanctorum miro odore fragrant hic in terris; quantò ampliùs glorioſa ſuaviſſimum ſpirabunt odorem? quàmvis abſque eorum reſolutione, aut exhalationum evaporatione, quæ ad odorem eſt neceſſaria.

Sextò denique veroſimiliter guſtabunt *Et veroſimiliter guſtabunt.* Beati, non quidem cibum aut potum in ordine ad nutritionem vel digeſtionem, ſed perpetuum quemdam humorem optimi temperamenti in organo guſtûs futurum, qui mellifluâ ac nectareâ quadam ſaporis ſuavitate linguam & palatum afficiat. Et quidem credibile cenſet *Amicus d. 2. ſect. 18. num. 225.* Beatos percepturos ſaporem, quem quiſque pro libitu voluerit. Nam ſi (inquit) hanc virtutem habuit manna, quod olim Angelorum miniſterio Deus præparavit filiis Iſrael in deſerto, quantò magìs credendum eſt, id habiturum manna cæleſte virtute Dei præparandum in faucibus Beatorum?

Quæ omnia elegantiſſimè expreſſit *B. Laurentius Juſtinianus l. de Diſciplina Monaſtica converſationis cap. 23.* dicens: 61. *Quæ omnia pulchrâ Auctoritate ſtabiliuntur.* *Caro ſpiritualis effecta per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit deliciis. Delectabitur oculus in amabili redemptoris aſpectu, melodica cantica civium ſupernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Flagrans quoque ſuavitas cæleſtium odoramentorum mirâ liquefactione reſperget odoratum. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium mellifluâ quadam & jucundâ ſuavitate oris ſaginabit palatum. Ipſe demum tactus ſibi congruis abundabit deliciis, quas experti norunt. Fas etenim non eſt, ut in illa cæleſti gloria quidquam vacet à Dei laude: quin potiùs juſtum, ut cuncta corporis membra ſuum modo proprio efferant Conditorem, quatenus ſicut ab ipſo ſumpſere principium, ita & in illum deducant ſua beatitudinis finem: ut ſit Deus omnia in omnibus.* De iiſdem cæleſtibus gaudiis delicioſè & piè admodum, verbis ferè aliorum Patrum, tractat *D. Bonavent. Soliloquii cap. 4. Compend. Theol. Verit. lib. 7. cap. 31.* & alibi.

Pro fine præſentis de cæleſti gloria diſ- 62. putationis obſervandum eſt, Sanctos intrà ipſum cælum Empyreum, non autem *Sancti non ſupra, ſed in cælo cum Chriſto regnabunt.* ſupra illud cum Chriſto regnaturos eſſe, juxta communem ſententiam contra quorumdam (ut refertur) opinionem, ſeu potiùs ſomnium. Nam juxta *Trid. ſſ. 25. in decreto de Invocat. Sanctor.* Beati ſunt in cælo. Idem habent Patres. Si autem eſſent ſupra ſuperficiem convexam, non eſſent verè in cælo, ſed extrà in vacuo immenſo. Deinde ſic eſſent in nihilo. Præterea id repugnat communi conceptui, etiam fidelium piorum. Ulteriùs, locus iſte non congruit amœnitati palatii; quod undique formo-

formoſiſſimum eſſe debet. Denique perinde ibi eſſent, ac ſi Princeps cum ſuis aulicis eſſet ſupra tectum palatii ſui, ibique habitaret. Dicitur autem Chriſtus *ad Epheſ.* 4. aſcendiſſe ſuper omnes cælos, ſcilicet notos naturaliter, aut etiam ſuper Empyreum, quantùm ad partem illius, quia eſt ſupra pavimentum illius elevatus.

DISPUTATIO QUARTA.

De Damnatione & Pœnis peccatorum poſt hanc vitam.

QUÆSTIO I.

De Subterraneis animarum receptaculis.

1. SUBTERRANEA animarum receptacula riſerunt & rident varii recentiores Sectarii poſt *Calvinum*, ſuo ipſi malo poſtea experturi, quod hîc agnoſcere detrectarunt.

Dantur ſubterranea animarum receptacula.

At in terminis generalibus oppoſitum eſt apud omnes indubitatum, ex articulo fidei in *Symbolo Apoſtolorum*, quem reſumit & explicat *Concilium Lateranenſe* ſub *Innocentio III. cap.* 1. dicens: *Deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, aſcendit in cælum; ſed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcendit pariter in utroque.* Idem patet ex Scripturis plurimis, quæ mentionem faciunt inferni, & inferiorũ terræ partium, quò deſcendunt animæ defunctorum: quæ omnino intelligendæ ſunt juxta proprietatem litteræ, atque ita à Patribus ſemper intellectæ fuerunt. Litteræ proprietatem in voce *Infernus*, non ſolùm juxta idioma Latinum, ſed etiam Græcum ac Hebraicum, urget *Bellarminus libr.* 4. *de Chriſto cap.* 10.

2. Primò itaque omnes Catholici ſtatuunt infernum damnatorum, qui antonomaſticè dicitur infernus. De quo *Pſ.* 54. *Deſcendant in infernum viventes. Job* 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Luca* 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Et *Florentinum in Litt. Unionis* definit animas impiorum *mox in infernum deſcendere.* Idem tradunt unanimiter Patres. Solùm videri poſſet dubius fuiſſe *Auguſtinus lib.* 12. *de Gen. ad litt. cap.* 33. & 34. an infernus ſit locus aliquis corporalis. Sed præterquam, quòd in libris iſtis ſe potiùs inquirere quàm reſolvere fateatur 2. *Retract. cap.* 24. alibi ſatis expreſsè tradit Doctrinam Catholicam, ut 21. *de Civit. cap.* 10. Item in *Pſal.* 49. & 51. Immo locum præfatum expreſsè corrigit 2. *Retract.* 24. dicens: *De inferis magis mihi videor docere debuiſſe, quòd ſub terris ſint, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur ſive dicantur, quaſi non ita ſit.* Quin immo *citatis capp. ſuper Geneſim*, expreſsè fatetur Chriſti ſecundùm animam verum deſcenſum ad locum externum & infernum, ex quo aliquos liberaret. Ut proinde ne ibi quidem juxta *Hazeur To.* 2. *Anatom. columnâ* mihi 425. videatur negaſſe locum externum & infernum damnatorum, ſed tantùm ab animabus excluſiſſe locum, quaſi incapacibus proprii loci corporalis, aut ullius differentiæ localis. Vide *Auguſt. ibid. cap.* 32.

Videlicet infernus damnatorum.

Secundò ſtatuunt omnes Patres & Doctores Catholici lymbum Patrum ante paſſionem Chriſti, in quo ratione peccati originalis animæ ſanctæ ſufficienter purgatæ expectabant redemptionem ſuam, janus cæli, quas primus Adam peccando occluſerat, necdum reſeratis per ſecundum Adam. De hoc dixit Ezechias *Iſaia* 38. *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Et *Job cap.* 13. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt.* Et Jacob *Gen.* 37. *Deſcendam ad filium meũ lugens in infernum.* De eodem indubiè, ſaltem principaliter, intelligitur, quod in Scriptura & *Symbolo Apoſtolorum* traditur, de deſcenſu Chriſti ad inferos ſive in inferiores partes terræ: deſcendit enim ad animas ſanctas, ut illas inde eriperet, ſuâq; præſentiâ ſolaretur, ac beatificaret. Neque id Chriſto propriè fuit pœna, ſed is fuit in loco pœnæ ſine pœna, ut loquitur *D. Bonav.* 3. *d.* 22. *a.* 1. *q.* 4. *in corp.* Qui modus loquendi eſt conformior Patribus, juxta *Bellarminum ſup. cap.* 16. quàm alter *Divi Thomæ*, qui (ut refert *Bellarminus*) videtur dicere, fuiſſe Chriſto aliquam pœnam, eſſe in inferno ſecundùm animam, & in ſepulchro ſecundùm carnem. Blaſphemum verò eſt, quod *Calvinus* apud *Bellarminum ſup. cap.* 8. hunc deſcenſum intelligit de deſcenſu ad pœnas damnatorum. Quamquam incertum ſit, an ad locum ſaltem damnatorum anima realiter acceſſerit; prout acceſſiſſe putat *Bellarmin. ſup.* Tortum quoque eſt & contra omnes Patres, quod *Beza* intelligit per inferos ipſum ſepulchrum, quaſi dum *Actor.* 2. in perſona Chriſti dicitur: *Non derelinques animam meam in inferno*, ſenſus ſit: non derelinques cadaver meum in ſepulchro. Sanè Jacob exiſtimat filium ſuum Joſeph, veluti à fera peſſima devoratum, carere ſepulchro; & tamen loquitur confidenter: *Deſcendam ad filium meum in infernum.* David quoque *Pſal.* 138. aſcenſum in cælum quaſi locum altiſſimum opponit deſcenſui in infernum; non utique in ſepulchrum, quod vix paucis palmis à terræ ſuperficie abeſt. Nec ſepulchrum poteſt

3. *Lymbus Patrum.*

teſt dici *infernus inferior* ex quo ſe erutum gratulatur *Pſal.* 85. Nec de ſepulchro cadaveris loquitur *Pſal.* 93. dicens: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* Neque in novo Teſtamento uſquam leguntur juſti ſatìs purgati deſcendere ad infernum, etſi cadavera inferantur ſepulchro, utique quia (ut utar verbis *Auguſtini 20. de Civit cap.* 15.) *Deinceps boni fideles effuſo illo pretio* Sanguinis Chriſti *jam redempti, prorſus inferos neſciunt.*

4. Vocatur autem lymbus Patrum, tum infernus, tum ſinus Abrahæ. Infernus ſiquidem ſemper in malam partem accipitur, ut notat *Auguſtinus 12. de Gen. ad litt. cap.* 33. At ſinus Abrahæ ſemper in bonam partem; utpotè ſonans quietem, certam exſpectationem gloriæ, carentiam pœnarum. Unde Patriarchæ antiqui erant ibi ſine mœrore, ſed potiùs in conſolatione, juxta illud quod de *Lazaro* dicitur *Lucæ 16. Nunc autem hic conſolatur.* Ob hoc etiam per ſinum Abrahæ tempore novi Teſtamenti ſubinde intelligitur ipſa cæleſtis gloria, à Patribus, & Eccleſiâ in Officio ſepulturæ: *In ſinum Abrahæ Angeli deducant te.* Itaque lymbus Patrum dicitur infernus, quatenus quodammodo participat in malo, tum ratione loci, tum ob carentiam luminis beati; dicitur autem ſinus Abrahæ, quatenus participat in bono; ut rectè *D. Bonav. 4. d. 45. a. 1. qu. 1. in corp.*

5. *Lymbus puerorum.* Tertiò ſtatuunt Scholaſtici communiter lymbum puerorum cum ſolo originali peccato decedentium: horum enim animas etiam *in infernum deſcendere* definit *Florentinum in Litt. Unionis.* De hoc tamen receptaculo non tam certum eſt, an ſit ſeparatum à loco damnatorum per vallum ſeu terram intermediam. Sunt enim qui exiſtimant eſſe eamdem utriuſque cavitatem; ſic tamen ut in una illius parte ſint iſtæ animæ, quæ in perpetuum erunt ſine odio Dei vel actuali deordinatione voluntatis, in alia verò parte ſint animæ impiorum. Quod libentiùs amplectuntur pauciores illi, qui ejuſmodi parvulis tormentum ignis adſcribunt: quamquam & alii nonnulli, qui illos ab igne eximunt, eos equidem in parte ſequeſtra ejuſdem cavitatis, in qua ignis non ſit aut affligat, conſtituant; eò quòd ſic planiùs accipi videatur definitio *Florentini* aſſerentis tam de illis, quàm de impiis, quòd *deſcendant in infernum.* Quod tamen non multùm urget identitatem numericam loci, etiam quoad cavitatem eamdem: neque enim fuit intentum Concilii, vel ad illud ullatenus pertinebat præjudicare tam ſolemni Doctrinæ *S. Bonaventuræ*, & aliorum communiter de Lymbo puerorum.

Sunt præterea, qui pro animabus morientium cum ſolo originali & veniali ſtatuunt locum ſpecialem, in quo purgentur per ignem à venialibus, donec ſatiſpaſſæ transferantur ad locum ab ignis cruciatu immunem.

Quartò denique Scholaſtici unanimiter ſtatuunt receptaculum in viſceribus terræ pro animabus juſtorum adhuc purgandis à culpis levioribus, aut pœnis temporalibus reſtantibus ex mortalibus quoad culpam dimiſſis: quæ poſt ſufficientem purgationem transferebantur ante mortem Chriſti ad lymbum Patrum, poſt illam verò ad gloriam & regnum cæleſte. Cui quidem Doctrinæ tam communi non eſt temerè reſiſtendum: accedente eo, quòd locus iſte carceri & punitioni ſit aptiſſimus, quòdque idem de lymbo Patrum (qui procul dubio fuit locus longè felicior) ſecundùm Scripturam & Patres indubitatè ſentiendum ſit. Ad quod confirmandum adduci præterea poteſt, quòd (ut ſignificatur *Actor.* 2. Et 1. *Petri* 3. & alibi) Chriſtus deſcendens ad inferos liberaverit aliquos ex pœnis ſeu tormentis; non quidem damnatos, uti certum eſt: non etiam animas exiſtentes in lymbo, utpote quæ ſine tormentis in ſinu Abrahæ requieſcerent: ergo exiſtentes in purgatorio. Et quidem probabile eſt, Chriſtum omnes ibidem tunc exiſtentes pariter inde per poteſtatis plenitudinem liberali pœnarum indulgentiâ extraxiſſe. Et conſonat *Greg. Hom. 22. in Evangel.* dicens de Chriſto: *Omnia traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit.* De iiſdem inferis Varii intelligunt, quod ad *Philipp.* 2. dicitur: *In nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* 6. *Purgatorium.*

7. *Animæ præter communem legem interdum aliis in locis purgata dicuntur.* Notandum autem ex *D. Bonaventura d. 20. p. 1. art. 1. quaſt. 6. in corp.* locum purgatorii eſſe quidem determinatum infra nos ſub terra, ſecundùm legem communem; tamen ſecundùm ſpecialem diſpenſationem divinam animas interdum aliis in locis purgari; prout variæ Hiſtoriæ ac revelationes teſtantur. Quarum una refertur à *S. Gregorio 4. Dialog. cap.* 40. de anima Paſchaſii Diaconi, quæ apparuit Germano Epiſcopo Capuano, ſignificans eidem ſe in angularibus (aliàs angulanis) thermis ſeu balneis, in quibus ex præſcripto medicorum Germanus Epiſcopus ſe lavare debebat, tamquam pœnali loco deputatum fuiſſe. Idque fit, ſive propter celeriorem purgationem, ut poſſint aliis ſuam indigentiam revelare: ſive propter noſtram inſtructionem, ut recogitemus magnam pœnam poſt hanc vitam infligi peccantibus: ſive propter alicujus Sancti impetrationem.

QUÆSTIO II.

An dentur poſt hanc vitam pœnæ temporales ſeu Purgatorii?

8. *Status quæſtionis.* NON quæritur principaliter de loco pœnarum (de quo *quæſt. præc.*) ſed de pœnis ipſis, an videlicet adulti decedentes in ſtatu gratiæ, antequam ad cæleſtem gloriam admittantur, ſubire debeant pœnas aliquas temporales, ſive ob peccata quoad culpam quidem remiſſa, ſed non quoad totum reatum pœnæ temporalis, ſive ob peccata levia, quibuſcum hinc migraverunt.

Errores hæreticorum. Negarunt *Henriciani* & *Petrobruſiani*. Referuntur etiam pro eodem Errore Græci & Armeni apud *Guidonem Carmelitam* & *Alphonſum à Caſtro*. V. *Purgatorium*. In Concilio tamen Florentino Græci proteſtati ſunt, ſe Purgatorium credere, ſed differre ſolùm à Latinis quoad qualitatem pœnæ, an ſcilicet ſit cruciatus ignis corporalis. Negarunt denique poſt *Waldenſes* & *Wicleffiſtas Lutherus*, *Calvinus*, cæterique Sectarii recentiores, quàmvis inter illos Varii in hac re ſibi non conſtiterint; ſignanter ipſe *Lutherus*, qui in *diſputatione Lipſiæ habitâ cum Eckio cap. de Purgatorio*, fatetur ſe fortiter credere, immo ſcire, purgatorium eſſe; & in *Reſolut. de Indulgentiis Concl.* 15. dicit id ſibi certiſſimum eſſe: ut videre eſt apud *Judocum Coccium Tom.* 2. *lib.* 7. *art.* 5. Alibi aſſertioni Purgatorii errores admiſcuit. Alibi tandem totum expunxit, *Epiſt. ad Waldenſes* ſcribens: *Quòd negatis Purgatorium, & damnatis Miſſas, per omnia probo.*

9. *Veritas Catholica ſtatuit Purgatorias pœnas.* DICO: Fide certiſſimum eſt, dari poſt hanc vitam pœnas temporales Purgatorii. Ita definivit *Florentinum in Litteris Unionis*, & *Tridentinum ſeſſ.* 25. *in Decreto de Purgatorio.*

Probatur I. Ex ſuffragiis, quæ rectè & utiliter fiunt pro defunctis; atqui non pro iis qui ſunt in cælo vel in inferno, ut apud omnes in confeſſo eſt: ergo pro *Ex ſuffragiis* iis qui ſunt in purgatorio, ſeu pœnis temporalibus, à quibus videlicet ſuffragiorum ſubſidio liberentur. Major patet ex Scriptura 2. *Machab.* 12. ubi legitur Judas Machabæus curaſſe offerri ſacrificia pro defunctis; idemque factum laudatur ibidem his verbis. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Duos autem primos libros Machabæorum, non Judæi, ſed Eccleſia Catholica pro Canonicis habet, ex Declaratione *Innocentii I. Auguſtini* & Coëpiſcoporum Africæ in *Concilio Carthaginenſi*, *Exuperii* cum Epiſcopis Galliæ, *Gelaſii* in *Concilio Romano*, & noviſſimè *Tridentini*: ut proinde fruſtrà reclament Hæretici, ſtudio non tam veritatis, quàm contradicendi Romanæ Eccleſiæ.

Ex Liturgiis & Patribus Eadem Major patet ex praxi & judicio perpetuo Eccleſiæ: quæ evidenter conſtat ex antiquiſſimis Liturgiis, Romanâ, Hieroſolymitanâ, Alexandrinâ & aliis, *Dionyſio Areopagita* & aliis veteribus Patribus, apud *Coccium ſup.* & alios. Sufficiat nobis unicus *Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis cap.* 1. dicens: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.*

Ideoque inter *Aërii* hæreſes numeratur ab eodem *Auguſtino Hæreſi* 53. Et *Epiphanio Hæreſi* 75. quòd dixerit, ſuffragia vivorum defunctis non prodeſſe.

Probatur Concluſio II. Quia conſtat 10. *Ex levibus culpis, cum quibus homo ſæpè moritur,* hominem etiam juſtum quotidiè labi in levia peccata, in quibus etiam ſæpenumerò contingit ipſum diſcedere ex corpore, ante obtentam eorumdem remiſſionem; igitur talis purgari debet ab ejuſmodi peccatis poſt hanc vitam, ſubeundo pœnam illis debitam (quæ utique tantùm eſt temporalis) quia non eſt dedecus peccati ſine decore juſtitiæ vindicativæ: cui cùm in præſenti vita ſatisfactum non ſit, ſatisfieri debet in altera vita, antequam quis admittatur ad regnum cæleſte, in quod nihil coinquinatum aut ulli pœnæ ſeu miſeriæ obnoxium intrabit.

Probatur III. Quia remiſſâ culpâ *Ac ex pœnis poſt remiſſionem culparum plerumque remanentibus.* mortali, adeòque reatu pœnæ æternæ, remanet plerumque reatus alicujus pœnæ temporalis, non ſolùm in cautelam peccati futuri, ſed etiam in vindictam præteriti, ut Fides docet, & alibi contra Hæreticos pleniùs probabitur: ergo ii qui moriuntur obnoxii ejuſmodi pœnis, quæ videlicet per opera pietatis Chriſtianæ non extinxerunt, debent illas perſolvere poſtea: quas vocamus pœnas Purgatorii.

Probatur IV. Ex variis Scripturis, 11. *Accedunt variæ Scripturæ.* *Matth.* 12. *Qui autem dixerit* (ſcilicet blaſphemiam) *in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Quod (ut notat *Auguſtinus* 21. *de Civit. cap.* 24.) non rectè diceretur, ſi nullum umquam peccatum in futuro ſæculo remitteretur. Eodem loco uſus eſt ante *Auguſtinum Ambroſius*, & poſt utrumque *Iſidorus*, *Gregorius*, *Beda*, *Fulgentius*, *Bernardus* apud *Eſtium d.* 21. §. 1. Nec rectè Reſpondetur, Chriſtum id dixiſſe per exaggerationem: nam id non cenſendus eſt feciſſe inepto ſermone, adhibendo

hibendo unum membrum fictitium. Quare ſicut inde rectè colligitur eſſe aliquod futurum ſæculum, ſic & peccata quædam in illo remitti. Et 1. *ad Cor.* 3. docet Apoſtolus (ut plerique Patres exponunt) in divino judicio aliquorum opera, denotata per aurum, argentum, lapides pretioſos, manſura & mercedem ac-ceptura; aliorum verò opera, denotata per ligna, fœnum, ſtipulas, arſura & detrimentum paſſura, ratione videlicet pœnæ temporalis ſubeundæ: ideoque ſubdit: *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

Unde *Auguſtinus in Pſal.* 37. mox poſt initium, Deum alloquitur: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emundatorio igne non opus ſit, propter illos qui ſalvi erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare? niſi quia hîc ædificant ſupra fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam. Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretioſos; & de utroque igne ſecuri eſſent: non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo, qui emundabit eos, qui per ignem ſalvi erunt.* Alia loca Scripturæ, & clariſſima Patrum purgatorium aſſerentium Teſtimonia vide apud *Coccium ſup. Bellarm. lib.* 1. *de Purgat. cap.* 6. *Valentia* & alios. Solvendæ nunc reſtant Objectiones Hæreticorum; quæ tamen ſunt parvi momenti.

12. *Explicantur quædam loca Scripturæ.*

Objiciunt Hæretici I. varia Scripturæ loca. In primis illud *Eccle.* 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Reſp. per Aquilonem intelligi ſtatum reproborum, ſive (omiſſis variis expoſitionibus, quarum nulla Hæreticis favet) in Dei inimicitia morientium; per Auſtrum verò ſtatum electorum ſeu in amicitia Dei decedentium: ab uno autem ſtatu in alium non eſt commutatio. Animæ itaque purgatorii cadunt ad Auſtrum: ſicut & animæ Sanctorum veteris Teſtamenti, etſi non eſſent mox in ſtatu Beatitudinis.

Deinde allegant illud *Matth.* 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Reſp. inde ſolùm probari poſt diem extremi judicii non fore locum aut pœnas purgatorii: quod omnes Catholici profitentur. Quare quod circa tempus judicii diuturnitati temporis deerit, pœnæ gravitate compenſabitur; niſi fortè Sanctorum interceſſionibus miſericorditer condonetur. Attamen quod ante judicii diem non omnes animæ ſint in cælo aut in inferno, patet ex Sanctis veteris Teſtamenti, qui ante Chriſti paſſionem fuerunt carcere quodam concluſi, redemptionem Chriſti expectantes, ipſomet *Calvino* fatente. Similiter diverſi à mortuis excitati fuerunt, tum in veteri, tum in novo Teſtamento, etiam ab ipſo Chriſto; & circa tempus Reſurrectionis Chriſti *multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt Matth.* 27. Eorum autem animæ non fuerunt in inferno, ubì nulla redemptio, neque etiam in cælo: ergo in loco tertio; adeòque pariter ſalvâ Scripturâ poteſt ſtatui locus purgatorii.

Denique urgent quod *Apoc.* 14. generaliter dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Reſp. quòd hoc intelligatur à quibuſdam de Martyribus: ab aliis, de perfectè in Domino morientibus, ſic ut ab omni macula & reatu immunes ſint: ab aliis, de Sanctis novi Teſtamenti, quòd videlicet hi mox à morte & purgatione ſint beati & mercedem laborum accipiant, ſecùs quàm Sancti veteris Teſtamenti. Ab aliis denique generaliter intelligitur de juſtis morientibus, qui mox beati ſunt, ſive re ipſâ, ſive (ſi purgandi ſint) certâ expectatione. Qui nihilominus requieſcunt à laboribus & certaminibus hujus vitæ, quia non eſt deinceps dies in quo laborare valeant merendo; non tamen requieſcunt à pœnis; *opera enim illorum*, utì bona, ſic & mala necdum expurgata, *ſequuntur illos*, utì ſubditur.

Objiciunt II. quædam loca Patrum, in quibus ſignificant poſt mortem non eſſe locum ſatisfactioni, emendationi aut pœnitentiæ. Sic loquitur *Cyprianus Tract. contra Demetrianum in fine. Chryſoſtomus* & alii. 13.

Sed manifeſtè loquuntur de ſatisfactione & emendatione, quâ quis ex malo & injuſto fiat bonus & juſtus. Quàm clarè autem aſſerant purgatorium videre eſt in *Cypriano Epiſt.* 52. *poſt med.* aliàs *lib.* 4. *Ep.* 2. Et *Epiſt.* 66. aliàs *lib.* 1. *Epiſt.* 9. *Chryſoſtomo in ſua Liturgia, Homil.* 32. *in cap.* 9. *Matth. poſt med.* & alibi ſæpè. *Explicantur nonnulla loca Patrum.*

De Auguſtino cavillantur Hæretici, quòd de purgatorio dubitaverit *Enchiridii cap.* 68. Et *lib.* 21. *de Civit. cap.* 26. Et *lib. de Fide & Operibus cap.* 16. Verùm ibi ſolùm dubitat de modo purgationis, an ſcilicet quædam animæ ibi purgentur à vitioſis affectibus, quibuſcum diſceſſerunt, ſicut in hoc ſæculo multi purgantur igne tribulationis ab amore rerum ſæcularium.

De ſubſtantia tamen purgatorii adeò *Auguſtinus* non dubitavit, ut *Serm.* 32. *de verbis Apoſtoli* dicat: *Orationibus verò Sanctæ Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari & eleëmoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt: hoc enim à Pa-*

tribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut &c. Porrò *ſi quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt,* inquit idem *Epiſt.* 118. *ad Januar. cap.* 5. Vide eumdem ſine dubitatione aſſerentem poſt hanc vitam *ignem purgationis, lib.* 2. *de Geneſ. contra Manichæos cap.* 20. Item *temporarias pœnas,* 21. *de Civit. cap.* 13. & alibi. Sanè etſi orationes pro defunctis jam olim ab *Aërio* hæretico (cujus hæreſis ſtatim extincta fuit) oppugnatæ ſint; de pœnis tamen purgatoriis animarum non legitur quiſquam dubitationem moviſſe (tantùm abeſt, ut moverit ipſe *Auguſtinus*) uſque ad ætatem *Bernardi*: quo nimirum tempore obſcuri quidam homines (ut teſtatur ipſe *Serm.* 66. *in Cant.*) purgatorium negarunt.

14. Objicitur III. Non conſtat, quo loco ſit purgatorium, dum alii in aëre, alii plerique ſub terra, alii diverſa loca diverſis animabus purgandis aſſignant. Igitur ipſum quoque purgatorium incertum redditur. Reſp. de loco ſatis conſtare, quòd ſit de lege communi ſubterraneus, ut patet ex *quæſt. præced.* Et quàmvis non conſtaret, non ideò dubitandum eſſet de ipſo purgatorio aut pœnis temporalibus alterius vitæ. Sicut non dubitamus, quin fuerit paradiſus, dubitamus tamen ubi fuerit, & an ſit: non dubitamus quin ſit futurum judicium, etſi nec tempus omnino, nec locum certò ſciamus: non denique dubitare poſſemus de pœnis inferni ſeu damnatorum, etſi non pari certitudine conſtaret de loco pœnarum.

Incertitudo de loco non ſufficeret ad dubitandum de ſubſtantia pœnarum purgatorii.

QUÆSTIO III.

Qualis, quanta, quàm diuturna ſit pœna purgatorii: & an animæ ibidem ſint impeccabiles ac ſecuræ de ſalute?

15. Dico I. Animæ in purgatorio patiuntur pœnam ignis. Eſt communis ſenſus Theologorum & piorum Fidelium. Eadem fuit conſtans ſententia Latinorum in *Concilio Florentino ſeſſ.* 1. ubi allegatur illud *Apoſtoli* 1. *ad Corint.* 3. *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Et concordat ſententia Patrum paſſim interpretantium hunc locum de igne purgatorii. Neque ullatenus probanda eſt Reſponſio Græcorum in eodem Concilio ex *Chryſoſtomo* dicentium Apoſtolum loqui de damnatis, qui erunt ſalvi, id eſt, perpetuò viventes in igne infernali: nam repugnat communis ſenſus Patrum intelligentium de ſalvandis. Repugnat quoque proprietas vocis *ſalvus*; & quod dicitur, *quaſi per ignem*; aliàs enim dicendum fuiſſet: *ſalvus erit in igne.* De damnandis quoque Apoſtolus *eodem cap.* non dicit eos ſalvandos, ſed oppoſitum; *diſperdet* (inquit) *illum Deus.* Neque etiam cum *Cajetano* confugiendum eſt ad tropum in voce *ignis*: etſi enim in ſacris Litteris interdum generaliter ſignificet gravem afflictionem, ut *Pſ.* 65. *Tranſivimus per ignem & aquam*: tamen ad tropum non eſt recurrendum ſine neceſſitate; quæ hic nulla eſt. Unde particula *quaſi* hic eſt ſpecificativa pœnæ, non comparativa; perinde ac ſi dictum fuiſſet: *Sic tamen, ut per ignem.* Prout ſumitur *Joannis* 1. *Gloriam quaſi unigeniti.* Et 1. *ad Corinth.* 3. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus*; quales verè erant, ut ex ſequentibus patet. Et 1. *ad Corinth.* 7. *Conſilium do tamquam miſericordiam conſecutus.* Quòd ſi quis urgeret dictum prius Apoſtoli intelligendum eſſe comparativè, erit comparatio hominis ſalvandi per verum ignem cum rebus inanimatis, v. g. auro à fæcibus expurgando, ad cujus inſtar homo purgabitur & ſalvabitur, detrimentum paſſus per ignem.

Animæ in purgatorio patiuntur pœnam ignis,

Nihilominus Concluſio non eſt de fide aut omnino certa. Quare in *Concilio Florentino ſeſſ.* 1. Græci mentem ſuam exprimentes dixerunt: *Nam ipſi purgatorium obſcurum quemdam locum, laborum plenum eſſe cenſemus, in quo exiſtentes animæ divinâ luce privantur, donec coadjuvante Eccleſiâ expientur atque liberentur.* Et ſub finem Synodi contendente Pontifice, ut de quibuſdam adhuc quæſtionibus, ſignanter de purgatorio ageretur, *Beſſarion* & alii quidam Græcorum deputati dixerunt, ſe carere commiſſione ad hoc, tamen ex ſe ipſis proferre, *pœnas medias in purgatorio eſſe: quod quidem ſive ignis, ſive obſcuritas, ſive turbo, ſive id genus aliud ſit, non putamus referre.* Tandem urgente Græcos Pontifice, ob perfectiſſimam unionem, ipſi quæſtiones ſibi propoſitas, exceptâ illâ de panis tranſmutatione, concluſerunt, ſignanter illam de purgatorio, de quo (ut præmittitur) Ferrariæ circa initium Concilii benè actum fuerat. Quæ cùm Latinis mirum in modum placuiſſent, mox ad Litteras Unionis proceſſum eſt, in quibus determinato purgatorio, Græcorum opinio de qualitate pœnæ manſit intacta, Pontifice & Latinis ſatisfactionem habentibus. 16.

Quod tamen necdum eſt ab Eccleſia determinatum.

Dico II. Animæ in purgatorio patiuntur temporalem pœnam damni, ſeu carentiam 17.

Patiuntur

etiam pœnam damni.

tiam viſionis & fruitionis Dei. Eſt de fide ex obviis Auctoritatibus, quæ docent animas ante ſufficientem purgationem non eſſe beatas; prout eſſent, ſi viderent Deum eove fruerentur. Unde Eccleſia precatur ipſis *quietis beatitudinem & luminis claritatem.*

Differentia quoad hoc inter lymbum & purgatorium.

Eſt autem differentia inter animas Sanctorum in lymbo, & animas in purgatorio: quòd in his carentia temporanea beatitudinis ſit pœna peccatorũ actualium, eaſque affligat: in iſtis autem non, ſed dilatio beatitudinis in iis ſolùm fuerit ob necdum perſolutum pretium redemptionis, & eatenùs generalis quidam effectus peccati Adæ, quo cælum erat obſeratum, nec niſi ſanguine ſecundi Adæ reſerandum; adeò ùt etiam anima Deiparæ ad lymbum properaſſet ex lege communi uſque ad tempus hoc, ſi ante Filium obiiſſet. Ideoque non fuit differentia temporis ob differentiam vel peccata eò intrantium; ſed illæ animæ diutiùs manſerunt, quæ diutiùs ante Chriſti paſſionem intrarunt.

18. *Pœna purgatorii eſt gravior pœnis hujus vitæ.*

Dico III. Pœna purgatorii eſt gravior omni pœnâ hujus vitæ. Ita *D. Bonav.* 4.*d.*20.*p.*1.*art.*1.*qu.*2.*in corp.* *D. Thomas* & alii communiter. Et probatur auctoritate plurium Patrum. Sufficiant nobis verba *Auguſtini* ſcribentis *in Pſal.*37. paulò poſt initium: *Dicitur enim, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, ſalvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quàmvis ſalvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Et *Gregorii in Pſal.* 3. *pœnitentialem, in princip.* ubi ait: *Illum tranſitorium ignem, omni tribulatione æſtimo præſenti intolerabiliorem.*

Ratio hujus gravitatis deſumitur ex eo, quòd tempus futuri ſæculi ſit juſtitiæ, præſens autem ſit tempus divinæ clementiæ; quæ cùm ſatisfactiones ac faciliora media pœnas ſubſequentes evadendi nobis conceſſerit, meritò ſeveriores pœnas relinquit per juſtitiam infligendas iis, qui hic faciliora remedia neglexerunt. Accedente eo, quòd ibi animæ tantùm poſſint materialiter ſatiſpati, hîc autem etiam voluntariè ſatisfacere: ideoque modica pœna voluntariè inflicta in præſenti plus ſatisfacit, quàm per pœnam longè majorem poſtea ſatisfiat divinæ juſtitiæ; ut rectè *D. Bonavent. ſup.* Quod *ibid.* confirmat exemplo debitorum materialium: *Creditor enim* (inquit) *plus acceptat marcam auri quàm decem marcas argenti: & pœna præſens illi comparata multò pretioſior eſt in conſpectu Dei, quàm ſit aurum argento in conſpectu hominum.*

Ejuſdem acerbitatis judicium ſumitur ex ſolicitudine ſingulari, quâ Eccleſia inſtigat filios ſuos ad ſuffragandum, tum ſibi ipſis, tum animabus purgatorii per preces, ſacrificia, indulgentias, eleemoſynas, & afflictiones voluntarias.

Eſt autem & relinquitur dubium apud Doctores, an minima pœna purgatorii ſit major maximâ pœnâ hujus ſæculi; ut ſentit *D. Thomas*, & videtur ſignificari Sententiis relatis Patrum nudè poſitis: an verò eatenus ſit illa major, quatenus maxima pœna purgatorii eſt major maximâ pœnâ hujus ſæculi, ut ſentit *D. Bonaventura ſupr.* & alii. *Sicut enim dicit B. Gregorius, Quibuſdam revelatum eſt, quaſdam animas in umbra eſſe punitas*, inquit *D. Bonavent. ſup.* Nos dubium in medio relinquentes, ſtudeamus hîc timere & vitare pejora quælibet. 19.

An etiam hoc ſenſu ut pœna indigentis minimâ purgatione, ſit gravior quâvis pœnâ vitæ præſentis, dubitatur.

Eſt etiam dubium, an pœna damni ſit gravior ſeu acerbiùs affligens animas purgatorii, quàm pœna ignis. Nam iſta videtur gravior exemplo damnatorum, in quibus pœna damni eſt gravior pœnâ ignis, ut Doctores paſſim tradunt, & expreſsè *Chryſoſt. Homil.* 24. *in Matth.* & alibi. Aliundè verò videtur pœna ignis magis affligere: eò quòd Sancti exaggerantes gravitatem pœnæ purgatorii, de igne ſeu flamma loquantur, ut notat *D. Bonavent. ſup.* De damnatis eſt aliud, eò quòd nulla ſpes aut reſignatio mitiget afflictionem illorum: ſicut mitigat animas in purgatorio indubitata ſpes ſecuturæ poſt exiguum tempus gloriæ, & pleniſſima reſignatio. Spes quidem quæ differtur affligit animam, ſed videri poteſt animas ſuam afflictionem temperare, atque ex continua Dei contemplatione ac amore, ſpeque inſtantis gloriæ conſolationem hauriri, eò ampliorem, quò fortior eſt dilectio, & ſperatum bonum propinquius. Adde non certò conſtare, an ipſi damnati ex carentia gloriæ, ceſto majori damno ſecundùm ſe, graviùs affligantur. Quare hoc quoque dubio in medio derelicto, 20.

Utra pœna graviùs animas in purgatorio affligat, damni, an ſenſûs, incertum.

Reſtat tertium dubium, an animæ in purgatorio, torqueantur à dæmonibus? Ad quod Reſpondetur probabiliùs Neg. cum *D. Bonavent. ſup. quæſt.* 5. tum quia indecens videtur, ut ſanctæ iſtæ animæ vexentur à dæmone, quem finaliter vicerunt: tum quia animæ puniuntur, ut purgentur & in cælum introducantur; abhorret autem dæmon peccatorum purgationem & animarum liberationem: tum quia dæmon non exercet hominem, de quo non ſperat victoriam. Vide *S. Bonav. ſup. in Argumentis & in corp.* ubi addit, *credendum, quòd in egreſſu animæ aſſiſtunt Spiritus bonus & ſpiritus malus, unus vel plures, & tunc ſecundùm veritatem ferri ſententiam; & ſi bona ſit, per miniſterium boni Angeli vel adducitur in cælum, vel in purgatorium, quouſque poſtquam purgata fuerit per ejus miniſterium educatur. Si verò mala, per miniſterium dæmonum deducitur ad infernum.* 21.

Animæ in purgatorio non torquentur à dæmonibus, ſaltem regulariter.

Dico IV. Incertum eſt quantæ durationis ſit præciſè pœna purgatorii ſingularum 22.

rum perſonarum aut culparum: cùm id nullibi ſit revelatum: certum tamen eſt apud omnes, non duraturas ultra diem judicii, in quo omnibus juſtis dicetur: *Venite benedicti* &c. Certum ſimiliter eſt, quòd animæ non detineantur in pœnis purgatorii poſt ſufficientem purgationem; ut fides docet, & ratio juſtitiæ vindicativæ dictat. Neque etiam ante perfectè expiatum per pœnas totum reatum inde liberabuntur, niſi aliundè juventur, ut eadem fides & ratio juſtitiæ vindicativæ præſcribit; quam expreſſit *Auguſtinus* (vel quiſquis eſt auctor) *Sermon.* 41. *de Sanctis*, dicens: *Tam diu in illo purgatorio igne moras habebimus, quàm diu ſupradicta peccata minuta, tamquam ligna, fœnum, ſtipula conſumantur.* Et conſonat illud Chriſti apud *Matth. cap.* 5. ubi juxta multorum Patrum expoſitionem de carcere purgatorii ait: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*, ſolvendo ſcilicet integrè pœnam etiam pro minutiſſimis peccatis.

Quàm diuturna præcisè ſit ſingularum pœna, non conſtat.

23\. Hinc ſequitur, non omnium pœnam fore in purgatorio æqualis durationis; ut congruit inæqualitati reatûs pœnæ in diverſis, & communi ſenſui Doctorum & Fidelium, quem expreſſit *Auguſtinus lib.* 50. *Homiliarum Homil.* 16. dicens: *Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora.*

Conſtat durationem non eſſe æqualem,

Quare improbandum omnino eſt, quòd omnes animæ detineantur lege ordinariâ, & ſeclusis Eccleſiæ ſuffragiis, uſque ad diem judicii; prout indicare videtur *Beda lib.* 5. *Hiſtor. cap.* 13. Quâ enim æquitatis ſpecie mortuus cum uno peccato veniali ante mille annos detineretur per ſe loquendo in pœnis tam diu, quàm qui mille annis poſt ipſum moritur cum longè maioribus & pluribus culpis, adeòque majori reatu? Eſtque id alienum à ſenſu Fidelium, neque conſonat Hiſtoriis ac revelationibus.

Nec ordinariâ lege extendi uſque ad diē judicii.

24\. Non eſt quoque probandum, quod *Dominicus Soto* 4. *diſt.* 19. *q.* 3. *art.* 2. *in fine* opinatur, neminem in purgatorio detineri ultra viginti annos, immo nec ultra decem: nam id gratìs eſt excogitatum contra communem ſenſum Fidelium, qui ſibi à longiore tempore timentes, ſuffragia & anniverſaria (quæ etiam tempore *Tertulliani* in uſu fuerunt) pro longiori tempore ordinant, non ſolùm ut amicis, ſed principaliter, ut ſibi provideant. Ipſeque *Auguſtinus* 9. *Confeſſ. cap.* 13. pro Matre Monica (quæ ſanctiſſimè vixerat, & ante triginta vel eò ampliùs annos obierat) Deum orat, tametſi fidens illam eâ oratione non indigere, non tam ob temporis lapſi diuturnitatem, quàm ob vitæ ejus ſanctitatem. Immo & Lectores rogat, ut utriuſque parentis ſui ad altare Domini meminerint. Repugnat idem Hiſtoriis & revelationibus: nam ſpecialiter de quodam Pontifice vitâ & geſtis præclariſſimo refert *Spondanus ad ann.* 1216. *num.* 13. eſſe revelatum, pœnam purgatorii in eo fuiſſe per ſententiam Judicis protenſam uſque ad diem judicii. Quod ſanè nobis, & maximè Prælatis Eccleſiæ aut Religionum, vel Præfectis reipublicæ, magnum deberet incutere timorem judiciorum Dei, & ſtudium vitæ inculpatæ.

Poteſt excedere tempus decem aut viginti annorum.

Fruſtrà verò non credibile viſum fuit *Soto*, Deum detinere prolixiori tempore animas, quas pœnarum accumulatione citiùs poſſet liberare. Nam eâ ratione non deberent expectari decem anni: ſufficere enim poſſent decem dies, aut horæ, ut quod diuturnitati deeſt, cruciatuum acerbitate compenſet. Itaque divinæ providentiæ placuit certa pœnarum extenſio ſeu duratio, uti certa earumdem intenſio. Nec id adeò mirum: cùm etiam amicos ſuos plenè purgatos uſque ad paſſionem Chriſti tanto tempore à viſione ſui excluſerit, ac etiamnum amiciſſimos ſibi Eliam & Henoch ad ſui conſpectum non admittat.

Dixi in Concluſione *niſi aliundè juventur*: nam per ſuffragia Eccleſiæ, videlicet preces, ſacrificia, eleëmoſynas, jejunia citiùs liberari poſſunt; ut docet *Florentinum, Tridentinum*, antiquæ *Liturgiæ*, perpetuaque praxis Eccleſiæ, ac unanimiter Patres; de quo *præced. quæſt.* & latiùs alibi. Sufficit hîc addi teſtimonium *Dionyſii Areopagitæ*, qui ea, quæ ſe hac de re teſtatur accepiſſe à divinis præceptoribus, id eſt, Apoſtolis, ſcripto mandat *Eccleſ. Hierarch. cap. ultim.* dicens: *Accedens Antiſtes ..... precibus quidem à divina benignitate contendit, ut & omnia peccata quæ humanâ fragilitate imbecillitateq; admiſſa ſunt ei, qui exceſſit è vita remittat, & eum in lucem ac regionem vivorum, in ſinus Abrahæ, Iſaac & Jacob deducat, in locum à quo fugit dolor, triſtitia & gemitus.* 25.

Suffragiis Eccleſiæ ante tempus liberari poſſunt.

Putant verò Nonnulli per ſuffragia Eccleſiæ non minui etiam ipſam pœnarum acerbitatem, ſed ſolam durationem, eò quòd animabus id ſit commodius. Incertum tamen id eſt, ac pendens à beneplacito Dei, qui ſicut intenſionem & extenſionem certam pœnarum ſtatuit, ſic etiam annectere potuiſſet ſuffragiis utriuſque proportionatam diminutionem. Idque videtur magìs conſonum, tum communi ſenſui, tum Hiſtoriis & revelationibus.

Per quæ etiam remitti videtur pœnarum acerbitas.

Dico V. Animæ in purgatorio ſunt incapaces meriti, uti & demeriti, ac omnino ſecuræ de ſua ſalute. Concluſio eſt certa apud omnes. Prima pars (quam *Cajetanus*, *Roffenſis*, & *Sotus* apud *Suarez Tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 47. *ſect.* 2. *num.* 2. cenſent de fide) probatur: quia tempus merendi morte finitur; ut in materia 26.

Animæ ſunt in purgatorio incapaces meriti.

teria de Merito ex profeſſo oſtenditur. Deinde quiſque judicabitur prout geſſit in corpore juxta Apoſtolum 2. *ad Corint.* 5. dicentem: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, bonum vel malum.*

Vel & demeriti, Secunda pars eſt contra *Lutherum*, qui antequam purgatorium negaret, aliquando docuit animas in purgatorio continuò peccare fugiendo & horrendo pœnas, quas patiuntur. Verùm nullus fidelis dubitare poteſt, cum hac vita finiri pericula peccandi, ut docet *Auguſtinus lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap.* 14. poſt *Cyprianum* (quem citat) *Serm. de Mortalitate*, qui totus eſt hac de re. Patet inſuper ex Apoſtolo 2. *ad Corinth.* 5. relato. Et ex eo, quòd ſtatus demeriti, utì meriti, claudatur vitâ præſenti. Confirmatur ad hominem contra *Lutherum*: quia ſi continuò peccant & demerentur animæ in purgatorio, adeòque novum reatum pœnæ acquirunt; quis erit purgationi locus aut finis, ubi non eſt finis peccandi & demerendi? Eò uſque autem progreſſa eſt *Lutheri* inſania, ut etiam animas ibidem graviſſimè peccare deſperando de ſua ſalute aſſereret. Incapacitas porrò graviter peccandi ab eis potiori jure excludenda eſt, ex dicendis ſtatim.

27. *Ac omnino certa de ſalute.* Tertia pars eſt ſimiliter contra *Lutherum articulo* 38. damnato per *Leonem X.* Et quidem animas carere periculo lapſûs ac damnationis, adeòque habere à parte rei certitudinem ſalutis, manifeſtum eſt ex Scriptura: *Matth.* 10. *Qui perſeveraverit* (in amicitia Dei) *uſque in finem, hic ſalvus erit. Apocalypſ.* 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Eccle.* 10. *In quocumque loco ceciderit*, lignum, *ibi erit.*

Quòd autem etiam ipſæ animæ ſecuritatem ex parte cognitionis habeant, patet ex ſententia ſalutis aut damnationis; quam mox à morte anima quælibet accipit, ut fides docet, & conſonat Apoſtolus ad *Hebr.* 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.* Idemque patet ex gloria & pœna, quæ ſanctis ſufficienter purgatis & reprobis ſine mora confertur, juxta fidem. Ut proinde erroneum ſit dictum *Lactantii lib.* 7. *divinarum Inſtitut. cap.* 21. *Nemo putet animas poſt mortem protinus judicari.* Qui etiam non rectè *ibidem* cenſet de retributione præmii, quam uſque ad diem judicii differendam arbitratus fuit, ſubdens: *Omnes in una communiq́ue cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen.* Ex ſententia itaque judiciaria innoteſcit animæ ſalus ſecutura. Immo cùm decretum Dei ſit æternum, catenus ſolùm anima ſententiam accipere cenſetur, quatenus Deus ei æternum ſuum decretum notificat.

Patet præterea: quia fideles hic per fidem norunt, animas purgatorii non poſſe à ſalute excidere; ergo non minùs id noſcent in purgatorio. Inſuper vident animæ ſe non damnatas, nec Deum odiſſe, ſed è contrà diligere, & fiducialiter ejus conſpectum expectare; pœnas quoque ſolorum damnatorum ſciunt eſſe æternas: ergo certò ſciunt ſe conſecuturas ſalutem. Et hic eſt ſomnus pacis, in quo animæ iſtæ ſine turbatione animi dormiunt, juxta Eccleſiam in Canone Miſſæ. Confirmatur ad hominem contra *Lutherum*, qui vult omnes fideles eſſe per fidem certos ſuæ ſalutis; cur enim certitudinem, quam exigit à fidelibus viventibus, adimit mortuis, ſaluti viciniori- bus? Immo cùm juxta ipſum fides in hac certitudine conſiſtat, & hæc à charitate juxta eumdem inſeparabilis ſit, ſequeretur animas certitudine carentes fidem charitatemque amiſiſſe.

Quare quod in quibuſdam revelationibus inſinuari videtur, nonnullas animas manere incertas de ſalute, vel negandum eſt, vel cautè interpretandum, v.g. pertinere ad extraordinaria judicia Dei. Quo modo intelligi poteſt exemplum, ſi verum eſt, & ut ſonat accipiendum, quod narrat *Gregorius libro* 4. *Dialog. cap.* 36. ſententiam videlicet cujuſdam Stephani mortui à quodam in extaſi viſam fuiſſe, quaſi adhuc pendentem. Exemplum enim particulare non facit regulam. Prout etiam extraordinariè ſuſpenſa creditur ſententia & judicium illorum, qui ſtatim poſt mortem fuerunt ad vitam mortalem reſuſcitati. Fortaſſe etiam quibuſdam gravioribus peccatoribus in ſtatu gratiæ mortuis, indicatâ ſententiâ ſalutis, & pœnâ purgatorii, non notificatur tempus determinatum pœnæ; vel irremiſſibiliter ipſa pœna uſque ad judicii diem injungitur, præſertim ſi verum ſit (quod quidam docent) ſuffragia & indulgentias non infallibiliter aut æqualiter, ſed juxta congruam determinationem Dei prodeſſe defunctis, iis præſertim, qui viventes id ſpecialiter ſunt promeriti. 28. *Explicantur viſiones apparenter contrariæ.*

QUÆSTIO IV.

An pœna infernalis incipiat à morte, ſitq́ue æterna?

DICO I. Animæ defunctorum in ſtatu peccati mortalis ſtatim poſt ſeparationem puniuntur pœnâ infernali. Eſt de fide ex *Florent.* in *Litteris Unionis* definiente, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Idem patet ex Hiſto- 29. *Animæ impiorum mox à ſeparatione puniuntur pœnâ infernali.*

ria

ria divitis Epulonis *Luca* 16. quàm etſi *Theophylactus* & *Euthymius* putent ſolùm eſſe parabolam, admonentem ſcilicet quid futurum aut faciendum ſit: veram tamen eſſe hiſtoriam rectè docent reliqui ferè Patres *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Gregorius* & alii. Quod etiam docetur; tum quòd Evangeliſta non præmiſerit, ut aſſolet, nomen parabolæ, uti neque præmittitur in Miſſali Romano: tum quòd præter morem in parabolis conſuetum expreſſerit nomen proprium Lazari: tum denique quòd ſolum narret tamquam exemplum, ac deſit applicatio parabolica narrationis, qualis in parabolis ſolet eſſe. Eſt equidem hiſtorica parabolica, id eſt, apta ad ſalutaria documenta: in qua etiam tropicè capi oportet, quod de oculis, linguâ, digitis, ſicut & de ſinu Abrahæ dicitur, utpote quæ animabus ſeparatis non conveniunt, niſi metaphoricè. Denique etſi tantùm parabola eſſet, evidens eſt ſenſus parabolæ de pœnis impiorum, quòd eas ex nunc ſcilicet patiantur. Eadem veritas ſupponitur vel docetur à Patribus & Doctoribus unanimiter. Sufficiat illud *Gregorii* 4. *Dialog.* 28. *Si eſſe Sanctorum animas in cælo ſacri eloquii ſatisfactione credidiſti, oportet ut per omnia eſſe credas & iniquorum animas in inferno .... Nam ſicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quòd à die exitûs ſui ignis reprobos exurat.* Denique patet ex judicio particulari cujuſque hominis poſt mortem; quod utique propter pœnas aut præmia indicenda & infligenda ordinatum eſt.

30. *Juxta inæqualitatem demeritorum inæquali,*

Dico II. Pœna impiorum eſt inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. Eſt de fide. Patet ex Scriptura *Matth.* 11. *Tyro & Sidoni remiſſius erit in die Judicii, quàm vobis.* Similia habentur *Luca* 10. Et *Luca* 12. dicitur: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et *Sapient.* 6. *Potentes potenter tormenta patientur ..... fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Et 2. *ad Corinth.* 5. *Ut recipiat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Apocalypſ.* 18. *Quantum glorificavit ſe & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Denique juſtitia vindicativa exigit, ut pro menſura peccati, ſit & plagarum modus. Unde *Hieronymus in cap.* 30. *Ezechielis* ait: *Sicut bonorum apud Patrem diverſæ ſunt manſiones, ita & Ægypti ſuppliciorum diverſa judicia.* Et *Gregorius* 4. *Dialog.* 43. *Unus quidem eſt gehenna ignis, ſed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuſcujuſque etenim quantum exigit culpa, tanta illic ſentitur pœna.*

31. Dico III. Pœna impiorum eſt æterna. Patet ex Scriptura *Matth.* 28. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum ... Et ibunt hi in ſupplicium* (vox Græca ſignificat punitionem) *æternum, juſti autem in vitam æternam*; quia videlicet non ſolùm ignis, ſed etiam ignis ſupplicium ſeu combuſtio perpetua erit, uti frequenter obſervavit *Auguſtinus.* Et *Marci* 9. de gehenna ignis tertiò repetitur: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et *Apoc.* 20. *Ubi & Beſtia & Pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Et alibi ſæpè. *In omnibus æternâ.*

Idem patet ex *Symbolo Athanaſii*, ac ſenſu Patrum, ac Eccleſiæ, in qua unanimi conſenſu oppoſita doctrina *Origenis* mox rejecta fuit tamquam fidei Chriſtianæ adverſa; ut etiam patet apud *Epiphanium*, *Auguſtinum* & alios qui de hæreſibus ſcripſerunt. Et ob hoc Eccleſiæ conſenſus & conſuetudo declarat non licere pro damnatis orare magìs quàm pro diabolo; quia videlicet irremiſſibilis & interminata eſt eorum damnatio. Eſtque deſperatio de liberatione umquam futurâ ex præcipuis damnatorum pœnis ſeu miſeriis.

Nec contrario Errori favet *Hieronymus*; utpote qui eumdem ex profeſſo inſectatur *in Apologiis adversùs Ruffinum*, & *in Epiſt. contra Errores Joannis Hieroſolymitani*, & *in cap.* 25. *Matth.* Dum autem alibi eumdem Errorem allegat in Commentariis, reſpondet ipſe ſcribens adversùs *Ruffinum*, ſe in Commentariis, ut habet lex & conſuetudo Commentariorum, multa ex aliorum ſententiis, non approbando, ſed referendo tantùm dixiſſe.

Hinc patet hæreticas eſſe fabulas eorum, qui olim aſſeruerunt omnes homines impios tandem ſalvandos, aut ſaltem baptizatos, vel in Eccleſia Catholica uſque in finem permanentes. Quas refert *Auguſtinus* 21. *de Civitate cap.* 17. uſque ad 23. & inde uſque ad finem Libri refutat.

Objiciuntur contra Concluſionem variæ Hiſtoriæ, in quibus Sancti leguntur oraſſe pro mortuis in malo ſtatu, eorumque ſalutem impetraſſe, atque adeò jam damnatos ex inferno liberaſſe. Prout de infante meritis ſancti Stephani invocati ad horam ut baptizari poſſet redivivo, narrat *Auguſtinus Serm.* 33. *de diverſis.* Similia facta ad invocationem Deiparæ Hallenſis refert *Lipſius lib. de Miraculis ejuſdem cap.* 19. & 21. Similiter (ut plura alia exempla omittam) S. Agnes filium Præfecti in infidelitate & ſtupri voluntate mortuum revocavit ad vitam, qui mox cœpit veri Dei laudes contemptis ſimulacris prædicare. Immo quidam ſic mortui leguntur ſalvati ſine revocatione ad vitam: prout de Trajano apud inferos jam 32. *Objiciuntur hiſtoriæ tradentes extraordinariam quorumdam extra ſtatum gratiæ mortuorum ſalutem.*

jam damnato & per preces *S. Gregorii* ſalvato refertur apud *Damaſcenum Orat. de Fidelibus defunctis.* Ubi ſimiliter legitur Falconillam quamdam in infidelitate mortuam fuiſſe ſalvatam precibus primæ Martyris, id eſt, Theclæ.

Verùm hæc contigit præviâ revocatione ad vitam & juſtificatione, ſuſpenſo extraordinariè judicio mortem ſequente.

Reſpondetur Sanctos pro iis, quos damnatos ſcirent, non oraſſe. Ad hiſtorias autem allegatas, quatenus veræ ſunt, dicendum eſt, ejuſmodi mortuos non fuiſſe ſimpliciter damnatos, ſed extraordinariè ſententiam damnationis eorum à judice fuiſſe ſuſpenſam (prout ſententia ſalvationis ſuſpenſa fuit in juſtis ad vitam præſentem miraculosè revocatis) Sanctos autem divino quodam inſtinctu, quo etiam miracula faciebant, oraſſe pro iis, ut ad vitam revocati per fidem & pœnitentiam ſalvarentur. Unde credibile eſt, animas talium interim manſiſſe in loco corporum aut prope illa, eaſque ſolùm per imaginem quamdam cœpiſſe experiri pœnas & ſtatum futuræ vitæ. Quo modo explicari poteſt, quod *Gregorius*, 1. *Dialog. cap.* 12. refert de quodam per S. Severum presbyterum ſuſcitato, qui jam à valde tetris hominibus & ignem ſpirantibus, ſcilicet dæmonibus, ducebatur.

33. Quæ verò referuntur de ſalvatione quorumdam ſine revocatione ad vitam, in qua, priuſquam denuò moriantur, Chriſto per fidem, ſpem & charitatem ſint conjuncti, prorſus rejicienda ſunt tamquam inimica fidei Chriſtianæ. Quod igitur de Trajano adſertur, velut fabuloſum à quovis docto hodie reſpuitur. Et pulchrè admodum refutatur à *Spondano in Epitome Annal. Baronii ad annum Chriſti* 119. Neque eſt ullo modo veriſimile *S. Gregorium* pro homine jam dudum damnato oraſſe; qui 4. *Dialog. cap.* 44. apertè docet id omnino non eſſe faciendum. Sed neque Orationi, quæ titulum *Damaſceni* gerit, fides habenda eſt: cùm manifeſtè fallat in eo, quòd dicit totum Orientem & Occidentem illam de Trajano hiſtoriam pro indubitata recipere. Prout etiam fabuloſum eſt, quod de Falconilla ibidem refertur; ac nonnulla inſuper in eadem referuntur à fabulis non multùm abhorrentia. Mentionem quidem facit Joannes Diaconus, trecentis ferme annis Gregorio poſterior, in vita ejuſdem, de ſalvatione Trajani; ſed ita, ut dicat hiſtoriam ab incertis auctoribus eſſe profectam, nec apud Romanos probatam.

Fabula de ſalute Trajani refellitur.

34. Dico IV. Nulla erit in damnatis pœnarum intermiſſio, aut per viciſſitudinem alterumve modum mitigatio. Concluſio eſt apud omnes indubitata. Prima pars probatur: quia ejuſmodi interpoſitæ per intervalla feriæ repugnant æternitati ſeu perpetuitati ſupplicii ignis ſeu combuſtionis (quam Scriptura tradit) quod enim perpetuum, etiam continuum eſt. Unde *Cyprianus Tract. contra Demetrianum: Non erit* (inquit) *unde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando vel finem*; quia videlicet *beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*, ut dicitur *Apoc.* 20. Deinde principalis pœna impiorum eſt damni, juxta *Chryſoſtomum* variis locis: cùm igitur hæc numquam ſit intermittenda, patet non eſſe ſimpliciter pœnarum intermiſſionem. Nec obſtat, quòd *Prudentius in Libro Cathemerinon Hymnô* 5. cecinit:

Nulla in damnatis erit pœnarum intermiſſio,

Sunt & ſpiritibus ſæpè nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ,
Illâ nocte ſacer quâ rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ab Acheronticis.

Nam (ut in margine notatur) id cautè legendum eſt, cùm ex placitis Theologiæ nullum verè refrigerium unquam ſit animabus damnatorum in inferno. Forſan *Prudentius* poëtico more aluſiſſe tantùm voluit ad indicandam lætitiam diei Reſurrectionis Domini. Vide *Sixtum Senenſem lib. 6. Bibliothecæ annot.* 47. & *Bellarm. lib. 2. de purgat. cap.* 18.

Secunda pars de mitigatione (quæ eſt 35.
contra *Præpoſitivum* & vetuſtam *Gloſſam* in *c. Cùm Marthæ, de Celebrat. Miſſ.*) colligitur ex *Aug. Enchirid. cap.* 110. dicente: *Pro valde malis* (id eſt damnatis) *etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt.* Quod autem mox ſubdit: *quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio*; id eſt, punitio purgatorii. Nam etiam ad pœnas temporales hujus vitæ dicitur quis damnari vel eſſe damnatus. Eoque ſenſu *Lucæ* 23. bonus Latro dixit: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.* Quòd enim pro damnatis in inferno non poſſint ſuffragia fieri, clarius eſt ex ſenſu Eccleſiæ, quàm ut *Auguſtinus* id ignorare potuerit: qui hoc ipſum *ſup.* expreſsè aſſerit; uti etiam *l. 21. de Civit. c.* 24. Quamquam oppoſitum de aliquali pœnarum mitigatione certis temporum intervallis futurâ ipſe hæreſeos damnare noluerit, ut colligitur ex *Enchir. cap.* 112. & 113.

Neque ulla mitigatio.

Eadem pars probatur: tum quia Scriptura talem mitigationem non agnoſcit; quin potiùs (ut ex præmiſſis colligi poteſt) excludit; utpotè non congruentem ſtabilitati iſtius ſtatûs, & perpetuitati pœnæ, quæ ex ea parte, quâ remittitur, æterna non foret; qualis tamen eſt omnis propria damnatis. Tum quia ne parvulum quidem refrigerium, quod Epulo petiit, obtinuit. Tum denique quia quâ ratione per ſuffragia poſſet tolli pars pœnæ, poſſet tolli ſimiliter tota. Accedit illud *Proverb.* 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultrà ſpes.* Hiſtoria autem quæ refertur apud *Damaſcenum Orat. de Fidel. defunctis* de cranio arido idololatræ, quòd reſpondiſſet *S. Macario* ſeſe aliquod levamen

levamen ejus precibus ſentire; eſt inter fabulas rejicienda cum Doctoribus præſertim modernis; aut certè dicto dæmonis (non enim anima idololatræ erat extra infernum) ita reſpondentis fides non eſt habenda. Adde Auctorem Orationis præfatæ non exprimere, quòd fuerit cranium idololatræ. Nec ulla hujus rei mentio fit in *Hiſtoria Lauſiaca Palladii* (ut teſtatur *Scholion*) ad quam tamen ſe refert.

36. *Quoad pœnas mortalium non remiſſorum.* An autem pœnæ temporales reſtantes poſt culpas remiſſas, aut etiam venialium necdum remiſſorum, cum quibus contingit damnatos frequenter decedere, ſint in eiſdem per accidens ratione ſtatûs æternæ, an autem eis ſatispaſſis remittantur, & hâc ratione pœna ejuſmodi damnatorum, ſublatis poſt ſatispaſſionem talibus temporalibus pœnis, mitigetur, in materia de Peccatis dicetur. Neque hac de re pars Concluſionis præmiſſa quidquam decernit; utpote agens de pœnis, quæ reſpondent cauſis per ſe damnationis, videlicet peccatis mortalibus quoad culpam non remiſſis.

QUÆSTIO V.

Qualis ſit pœna damnatorum?

37. *Quæ conſideranda ſint in pœna damni.* DUPLEX ab univerſis Theologis diſtinguitur pœna damnatorum, ſcilicet damni, & ſenſûs. Quarum illa conſiſtit in privatione beatitudinis, omniumque bonorum beatitudini annexorum. Hæc pœna exprimitur 1. *ad Cor. 6. Iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* Et *Matth. 25. Diſcedite à me maledicti.* In illa conſideranda in primis eſt æterna privatio viſionis & fruitionis boni infiniti, luminis gloriæ, tentionis & gaudii beatifici. Item amiſſio cæleſtis patriæ, excluſio à contubernio & ſocietate Chriſti, Deiparæ, ſanctorum Angelorum & beatorum hominũ, privatio intuitionis, quam habebunt beati intuendo pulchritudinem cæli Empyrei, mutuorum corporum, rerumque ceterarum, denique privatio gloriæ corporis & dotium ejus. Quorum quidem damnorum perpetua conſideratio mirum in modum cruciabit damnatos, juncto verme ſeu remorſu conſcientiæ jugiter & vivaciſſimè ingerentis culpas præteritas, velut cauſas horum malorum; junctâ præterea deſperatione ea umquam evadendi. Unde ſequetur maledictio contra ſe ipſos, contra parentes, contra dæmones, & contra omnem Dei creaturam. De hac pœna, qualiter inæqualis eſſe poſſit in damnatis proportionatè ad demerita patet ex dictis *Parte* 1. *Tract.* 3. *diſp.* 5. *qu.* 6. *num.* 45.

Pœna ſenſûs quid? Pœna ſenſûs conſiſtit in afflictione proveniente à cauſis poſitivis & extrinſecis; nimirum igne, ſulphure, tetterrimo odore &c. De hac plura reſtant dicenda.

Primò itaque indubitata omnium Catholicorum doctrina tradit, damnatos puniri in inferno pœnâ ignis corporalis. Patet ex plurimis Scripturis, quas indicaſſe ſuffecerit; ut *Matth.* 3. & 13. & 25. Et *Marci* 9. frequens eſt ignis inextinguibilis mentio. *Apoc.* 14. & 20. & 21. *Eccli.* 7. *Pſal.* 10. & 20. & 139. & alibi paſſim. Immo generatim Scriptura agens de pœnis inferorum ſemper meminit ignis. 38. *Impii in inferno puniuntur igne corporali.*

Unde non ſunt audiendi Hæretici recentiores, qui ignem inferni intelligunt non verum, ſed metaphoricum, id operante diabolo, ut non credentes ſupplicia ſenſibilia, & minùs curantes ſpiritualia, pertinaciùs in ſordibus ſuis detineantur. Verborum enim proprietas, cùm nihil abſurdi ſequatur, eſt tenenda; idque eò magìs in præſenti propoſito, quòd tam conſtanter ubique pœna inferni per ignem exprimatur. Accedit quod *Matth.* 10. dicitur: *Timete potiùs eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*; utique ignis corporalis. Ridiculum namque eſt intelligere hîc tormentum ſeu cruciatum & horrorem malæ conſcientiæ (prout ignem gehennalem interpretatus eſt *Calvinus*) quomodo enim corpus mitteretur in illam gehennam? Corporea igitur gehenna eſt intelligenda.

Hinc pariter indubitatum eſt apud omnes Catholicos, animas impiorum, ſicut juxta fidem, mox poſt ſeperationem à corpore ad infernum deſcendunt, ſic quoque ibidem pati tormentum ignis corporalis: adeò ut jam olim inter articulos Pariſiis Anno 1270. damnatos octavus eſſet, *quòd anima ſeparata poſt mortem non patitur ab igne corporeo.* Inter Veteres idem clariſſimè expoſuit *Greg.* 4. *Dialog.* 28. *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quòd à die exitus ſui ignis reprobos exurat.* Et infrà: *Certè reprobis veritas in fine dictura eſt: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Si igitur diabolus ejuſq; angeli, cùm ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi, quid mirum, ſi animæ, & antequam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta?* Quòd autem 15. *Moral. cap.* 17. legitur ignis gehennæ eſſe incorporeus, eſt error typographicus, cùm legendum ſit *corporeus*, ut indicat contextus, & Varii obſervarunt. Aut certè incorporeus vocatur, quòd corporeis non indigeat fomentis. Prout etiam *Damaſcenus lib.* 4. *de fide cap. ult.* dicit non eſſe materialem, inſtar ignis noſtri, quia nimirum non debet ali novâ materiâ, & à noſtro in quibuſdam proprietatibus differt. Ad prædicta accedit hiſtoria divitis Epulonis in inferno ſepulti quoad animam, & conquerentis: *Crucior in hoc flãma, Luca* 16. 39. *Immo & animæ ſeparatæ.*

Nec

Nec dicas, flammam intelligi metaphoricè, uti oculos & linguam Epulonis, ac digitum Lazari: nam id de membris, quibus caret anima, per ſe manifeſtum eſt; nec tamen ideo veritas & proprietas quoad cetera neganda eſt: cùm etiam per inſtrumentum corporeum poſſit Deus animas affligere, uti per ſenſibilia ſymbola ſanctificare. Quâ verò ratione id fiat, petendum eſt ex dictis de cruciatu dæmonum ab igne corporali *Parte 1. Tract. 3. diſput. 5. quæſt. 5.*

40. *Ignis infernalis eſt ejuſdem ſpeciei cum elementari,* Dubitatur autem, an ignis infernalis ſit ejuſdem ſpeciei cum noſtro elementari, à quo ſaltem nonnullis qualitatibus ſeu proprietatibus differt? Reſp. Aff. cum *D. Bonav. 4. d. 44. p. 2. a. 2. qu. 1. in corp.* & aliis paſſim: non enim adeſt ſufficiens indicium diſtinctionis ſpecificæ; quæ tamen non ſupponitur, niſi probetur. Diverſitas etenim proprietatum v.g. coloris, ſaporis & operationum, invenitur quoque in variis fontibus ſive aquis ſpecie eiſdem. Sic teſte *Auguſtinus 21. de Civitate cap. 5.* apud Garamantas perhibent eſſe fontem tam frigidum diebus ut non bibatur, tam ferviđum noctibus ut non tangatur. Item in Epiro eſſe alium fontem in quo faces, ut in ceteris, extinguuntur accenſæ, ſed, non ut in ceteris, accenduntur extinctæ. Quare non obſtat identitati ſpecificæ, quòd infernalis ignis acriùs urat, minùs luceat &c. Non denique, quòd pabulo non indigeat, ſed inextinguibilis ſit. Sicut (inquit *D. Bonav. ſup. ad 2.*) corpora damnatorum eadem ſunt cum noſtris ſecundùm ſpeciem, & tamen ſunt immortalia. Habet itaque hoc ignis iſte, non per naturam, ſed per vim ſuperadditam; vel certè ex eo quòd ſub terra concluſus poſſit naturaliter non deficere. Sicut (inquit *D. Bonav. ſup.*) dicunt aliqui, qui experti ſunt, quòd ſi ignis cum ſulphure includatur in vaſe, ex quo nulla evaporatio poſſit fieri, in æternum duraret ſine nutrimenti appoſitione, ſi locus in æternum permaneret.

41. *Erit ſulphureus,* Secundò erit in inferno ſulphur. Ignis enim & ſulphuris, ſeu ſtagni ignis & ſulphuris frequens eſt mentio in *Apocalypſi*; neque eſt ratio ſuſpicandi metaphoram. Deinde exēplum ignis æterni fuit ſubverſio Sodomæ & Gomorrhæ, ut patet ex *Canonica Judæ*; illas autem Dominus ſubvertit pluendo ignem & ſulphur de cælo. Facit quoque ſulphur ad augmentum pœnæ, tum fœtore, tum urendi acrimoniâ.

Intiméq; pervadet corpora, Porrò ignis ſulphureus non ſolùm extimas corporis partes aduret, ſed intimè pervadet ipſa corpora, ſic ut intùs & extrà penitùs ardeant; prout in variis viſionibus repræſentatum fuit: non enim eſt ratio, cur partes interiores ſint immunes ab hoc igne. Et huic conſonat, quod *Marci 9.* damnati dicantur igne ſaliendi.

42. Diſputatur verò inter Doctores utrimque probabiliter, an ignis affligat corpora damnatorum ea urendo per phyſicam actionem ſive realem immutationem in eis producendo calorem vehementem, qui ex ſe natus eſſet diſſolvere ea corpora, & penitùs conſumere, niſi Omnipotens perpetuo influxu illa conſervaret: an verò ſolùm immutando intentionaliter ſenſum tactûs, & cum eo concurrendo per ſe aut ſpeciem ad ſenſibilem ſui perceptionem. Qua in re *Scotus 4. d. 44. qu. 3.* eſt problematicus, præferens tamen *num. 4.* poſteriorem ſententiam (quam plures alii docent) eò quòd ſufficiat cruciatui actio intentionalis, non ſufficiat autem ſine illa realis productio caloris quantumvis vehementis, quo etſi corpus exuratur, non dolet, ſeclusâ actione intentionali, ut patet in lethargicis; illâ inſuper adjunctâ multiplicetur perpetuum miraculum conſervationis vitæ in corpore tam intemperato ardore ferventi. *Et affliget actione intentionali,* Nihilominus oppoſita ſententia (quam tenent Varii) meritò cenſetur à *Scoto ſup. num. 7.* probabilis; utpote conformis vulgari conceptui in Auctoritatibus fundato, quæ aſſerunt damnatos uri, ardere, cremari, ire in combuſtionem æternam. *At inſuper reali, valde probabiliter.* Ut proinde non gratìs admitti poſſit miraculum perpetuæ cōſervationis corporis extremè calidi; quod videri poſſet velut connaturale iſti ſtatui, in quo equidem plura opera alioquin miraculoſa non deerunt; & ſpecialiter aſtrui deberet perpetua ac violenta impeditio caloris per ignem connaturaliter producendi. Itaque per omnipotentiā juſtiſ Judicis corpora ſervari poſſent illæſa in afflictione, ſive cum ſive abſque immoderata calefactione, tamen ſine conſumptione. Ad cujus rei faciliorem intelligentiam varia exempla allegat *S. Auguſtinus 21. de Civit. cap. 2. & ſeqq.* Et *D. Bonav. 4. d. 44. p. 2. a. 3. q. 1. in corp.*

43. *Erunt in inferno tenebræ,* Tertiò in inferno, qui terra dicitur caliginis, miſeriæ & tenebrarum, erunt tenebræ, juxta *Baſilium*, *Gregorium* & omnes Theologos. Et ſignificatur in Scriptura variis locis, ut 2. *Petri* 2. *Quibus caligo tenebrarum reſervatur.* Et *Eccli. 21. Via peccantium complanata lapidibus* (quia nimirum talis apparet hîc ipſis peccantibus) *& in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.* Erunt autem in inferno tenebræ, partim defectu luminarium cæleſtium, partim ratione ſulphuris igne mixti, partim ratione fumi nebuloſi. *Et fumus* Fumum namque ſtatuunt Doctores paſſim: etſi in Scriptura non extet firmum fundamentum; cùm ubi de fumo tormentorum eſt ſermo *Apoc. 14.* aperta ſatis ſit metaphora. Deinde fumus eſt exhalatio conſequens reſolutionem materiæ humidioris vi ignis cauſatam, quæ ibi non erit. Potens eſt tamen Deus fumum fœtulentum & nebuloſum excitare perpetuoque conſervare, ad majorem

Cum ſubobſcuro lumine. majorem impiorum cruciatum. Porrò tenebræ non erunt denſiſſimæ, ſed relinquetur ſubobſcurum lumen, ut damnatorum viſus proprio tormento crucietur, dum mutuorum corporum aliorumque objectorum fœditatem coguntur intueri: ſic ut ignis ille tantùm ad hoc luceat, ut ſuas ſuorumque pœnas videant & augeant: juxta *Greg. 9. Moral. cap.39.* aliàs 48. & 49.

Cur tenebræ inferni dicantur exteriores. Vocat autem Chriſtus *Matth.* 8. infernum tenebras exteriores, non quia materiales ſint extremæ ſeu ſummæ; ſed partim quia ſunt extra lucem, domeſticam, ſeu lucem cœnaculi cæleſtis, ab eoque remotiſſimæ (ſumitur enim ſimilitudo à cœna, quæ olim erat noctu ſolita celebrari in tricliniis multâ luce ſplendidis; unde ejecto extra domum aſſimilatur projiciendus in infernum) partim quia defectu lucis ſpiritualis, ſeu interioris Dei lucis erunt ibi ſummæ ſeu extremæ tenebræ ſpirituales ſeu mentis cæcitas, ut explicat *Auguſt. in Pſal. 6.* ubi de hac mentis cæcitate loquitur dicens: *In eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur: ſed nondum penitùs cùm in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magìs ad diem judicii pertinere intelliguntur: ut penitùs extra Deum ſit, quiſquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit. Penitùs enim eſſe extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſumma cæcitate.*

44. *Erit ibidem fletus & ſtridor dentium,* Quartò erit in inferno fletus & ſtridor dentium; ut in Evangelio dicitur *Matth.* 8. *Lucæ* 13. & alibi. Fletus quidem erit quantùm ad ejulatum, & tetricam oris, oculorum, totiuſque vultûs compoſitionem, idque ex vehementia doloris; ſed non quantùm ad reſolutionem lacrymarum: quia tunc ceſſabit generatio & corruptio; & ex continua reſolutione lacrymarum tandem ſequeretur conſumptio corporum. Stridor autem dentium ibi erit, non quidem ex frigore, ut Nonnulli putant, ſed ex dolorum acerbitate, partim etiam ex rabie & furore iracundiæ erga Deum vindicem, & Dei electam civitatem.

45. *Afflictiva quoque ſocietas.* Quintò ad pœnam ſenſûs etiam ſpectat perpetua ſocietas cum dæmonibus & damnatis, qui nullo compaſſionis affectu tanguntur, ſed potiùs odio: oderunt enim omnem Dei creaturam, ſignanter autem ſocios & complices in peccatis, velut cauſas ſuæ damnationis. Quam pœnam augent maledicta, furiæ, aliaque impatientiæ ſigna. Adeoque nullum erit ibi ſolatium, habere ſocium in pœnis; ſed id potiùs cedet ad pœnarum augmentum.

46. *Singuli damnatorum ſenſus ſpecialiter affliguntur.* Ex quibus facilè colligitur, omnes ſenſus damnatorum ſpecialiter eſſe affligendos; utì Beati in ſingulis ſenſibus ſive membris congruas habebunt in cælo oblectationes. Et quidem credibile eſt in iis ſenſibus plus paſſuros, in quibus hîc peccando ſe magìs oblectarunt. Viſus itaque affligetur tenebris, & aſpectu ſtagni ardentis & horribilis, item ſuimet ac ſociorum, fortè & aliorum ſpectrorum: auditus, horrendâ muſicâ ejulatuum, blaſphemiarum, convitiorum; & fortè turbinibus, ſimilibuſque ingratis ſonis: guſtus, ex ſulphure & aliis fœditatibus palatum occupantibus, item ex maxima fame & ſiti: odoratus, ex teterrimo odore ſulphuris, aliarumque ſordium: tactus denique affligetur ab igne ſulphurato. Cui accedit compreſſio & anguſtia mutua corporum.

Addunt præterea non pauci afflictionem provenientem ex jugi corroſione corporum per ſerpentes corporales & horribiles. Quos in inferno futuros ſignificat *Baſilius in illud Pſal.* 33. *Timorem Domini docebo vos. Prudentius in Hamartigeneia,* & alii. Et conſonat Scriptura, ut ſonat intellecta; quæ *Marci* 9. igni jungit vermem, & tertiò repetit eumdem ſermonem dicens: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Similis eſt locutio *Iſaiæ 66.* Præterea *Judith.* 16. dicitur: *Dabit ignem & vermes in carnes eorum.* Et *Eccli.7. Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* 47. *Varii putant in inferno fore vermes corporales;*

Nihilominus alii Patres & communiùs Scholaſtici cenſent vermem tropicè accipiendum pro remorſu conſcientiæ: quantumvis enim juxta omnium Fidelium ſenſum ignis propriè accipiatur, non idem ſequitur de verme: tum quia Scriptura de pœnis inferni loquens ſemper ignem nominat, rariùs vermem. Tum quia in voce *vermis* magìs frequens eſt iſta metaphora. Tum denique quia vermis propriè dicti morſus non videtur æſtimabilis in eo qui acerrimo igne cruciatur; ac proinde quando in Scripturis vermis jungitur igni, videtur ſignificari cruciatus graviſſimus, qui valeat igni comparari; iſte autem eſt cruciatus conſcientiæ jugiter rodentis, qui indubiè eſt in damnatis, & congruè vermis nominatur, eò quòd naſcatur ex putredine peccati & rodat animã, ſicut vermis corporalis naſcitur ex putredine carnis & rodit carnem. Hic etenim cruciatus damnatorum graviſſimus eſt: ex hac namque continua (Deo divinitùs determinante) conſcientiæ accuſatione naſcitur inenarrabilis triſtitia, & ſumma indignatio, ac velut rabies, dum conſiderant ſe ob momentaneum & leve quod delectabat, culpâ ſuâ non ſolùm amiſiſſe æterna & cæleſtia bona, ſed inſuper ſe in æternos & graviſſimos ſenſûs cruciatus præcipitaſſe. Tribuuntur autem in Scriptura interdum vermes carnibus impiorum: tum quia iſti remorſus mentis redundant in carnem, prout contingit in hac vita: tum quia caro per Synechdochen poteſt intelligi ſumpta pro toto homine: tum deniq; quia retribuũtur pro carnalibus operibus impiorum. *Sed communiùs Scholaſtici contradicunt.*

Poſtremò

48. *Nonnulli denique cẽſent futurum ibidem aſperrimũ frigus,*

Postremò nonnulli Patres & Doctores in inferno ſtatuunt aſperrimum frigus, quaſi viciſſitudine quadam impii tranſituri ſint ab uſtione ignis ad cruciatum horrendi frigoris. Quibus favere videtur illud *Job* 24. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium.* Sed rectiùs hanc viciſſitudinem negat *Abulenſis*, *Janſenius in Concordia c.* 45. *Soto*, *Maldonatus*, *Suarez* & alii paſſim:

Sed rectiùs negatur.

eò quòd Scriptura agens de pœnis inferni ſemper meminerit ignis tamquam perpetuæ & inceſſabilis pœnæ. Unde damnati non tantùm dicuntur ire in ignem æternum, ſed etiam in ſupplicium æternum, ignis videlicet, ſeu in ambuſtionem æternam, ut legit *Auguſt. Serm.* 14. *de verbis Apoſtoli c.* 3. & alibi. Accedunt etiam incommoda ſpectantia ad modum tranſlationis tot millionum corporum in diverſa iſta ſtagna ignis & gelu. Locus *Job* ſolùm continet imprecationem temporalis pœnæ in adulterum, quâ hîc uratur æſtû & frigore ceteriſque hujus vitæ incommodis, uſque dum deſcendat ad inferos, æternùm ibi cruciandus gravioribus tormentis, niſi citò ſe à peccatis emundet. Quæ utinam ob oculos frequenter verſet Chriſtianus. Defectu enim vivacis æternorum conſiderationis, tam immenſa multitudo peccat & perit; ut meritò cecinerit, immo planxerit *S. Bruno* Carthuſianorum Fundator:

Sic vivunt homines, tamquam mors nulla ſequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Concludo proinde præſentem de Æternitate Tractatum aureis & cujuſvis pectoris inſculpendis de Æternitate verbis religioſiſſimi Patris *Adami Saſboldi Homil. in Domin.* 1. *Quadrageſ.* O ÆTERNITAS, *quàm raò verſaris in mentibus hominum. Iterum dico, quàm rarò verſaris in mentibus noſtris* ÆTERNITAS. O ÆTERNITAS, *heu* ÆTERNITAS. *Quid dicam, aut quomodo dicam? Quàm rarò verſaris in cogitatione filiorum Adam* ÆTERNITAS. *Quis exprimat, quid ſit* ÆTERNITAS? *Quis concipiat, quid ſit* ÆTERNITAS? *Cogito mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot ſunt momenta, ſeu puncta in toto tempore à condito mundo uſque ad ejus conſummationem, & de* ÆTERNITATE *nihil adhuc habeo.* O ÆTERNITAS, *heu* ÆTERNITAS. *Quis poterit par eſſe* ÆTERNITATI *in tormentis? Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum. Quid eſt in ſecula ſeculorum? Volo dicere, & neſcio dicere. Quàm diu Deus erit Deus, tam diu durabunt tormenta. Quàm diu hoc erit? Non eſt effari, non eſt concipere, non eſt invenire iſtud,* QUAMDIU. *Hoc unum invenire, concipere & effari poſſumus, miſeros eſſe, & heu nimium miſeros, quos reſpicit iſtud,* QUAMDIU. *Reſpicit autem omnes ſine diſcrimine, qui peccant, nec pœnitentiam agunt, dum licet; licet autem quàm diu præſens hoc tempus agitur, hoc tempore decurſo nemini licebit.* 49. *Concluſio Tractatûs.*

TRACTATUS II.
DE
LIBERO ARBITRIO, ACTIBUS HUMANIS ET PECCATIS.

DISPUTATIO PRIMA.
De Voluntario & Involuntario.

QUÆSTIO I.
De Voluntario.

1. *Variæ deſcriptiones voluntarii.* VOLUNTARIUM deſcribi ſolet ex *Philoſopho* 3.*Eth.*1. *Cujus principium eſt in ipſo agente cognoſcente ſingula in quibus eſt actio*, id eſt, ſingulas actionis circumſtantias. Ubi quidem deſcribitur actus omni ex parte voluntarius: ſi enim aliqua circumſtantia agentem lateat, actus quoad illam non eſt voluntarius; etſi poſſit eſſe voluntarius quoad ſubſtantiam objecti, aut alias circumſtantias non ignoratas. Aliter paulò deſcribi ſolet Voluntarium, *Quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione.* Vel clariùs, *quod procedit à potentia appetitiva ex prævia cognitione*, objecti, videlicet, in quod voluntarium tendit, & in quod ipſa potentia appetitiva, utpote cæca, manuduci debet.

Voluntarium imperfectum competit brutis. Volũtarium ſic ſumptum coincidit cum Spontaneo. Unde etiam competit brutis, utpote agentibus ſponte ex inclinatione appetitûs ſenſitivi, præviâ face cognitionis phantaſticæ. Meritò tamen dicitur voluntarium ſolùm imperfectum eis convenire; cùm operentur ex cognitione ſolùm imperfecta, phantaſiæ videlicet, quâ etiam ſolâ materialia repræſentantur, non autem proponitur finis formaliter, aut proportio mediorum ad illum.

2. *Strictè ſumptum deſcribitur.* Voluntarium ſtrictè ſumptum eſt, *quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva.* Et hoc patet ſoli agenti rationali competere. Non omnes tamen operationes agentis, etiam intellectualis, ſunt voluntariæ, ut patet in prima cognitione finis ſeu objecti: hæc enim tamquam conditio ad voluntarium prærequiritur. Quàmvis autem omnes motus voluntatis, etiam primi ſeu indeliberati, ſint aliquo modo phyſicè voluntarii, ſimiliter operationes externæ inde exortæ; utpote procedentes à principio intrinſeco, ſcilicet voluntate, idque non ſine prævia aliqua cognitione, ſine qua voluntas nil agere poteſt: non ſunt tamen hi propriè & perfectè voluntarii; ad hoc enim requiritur prævia cognitio perfecta ſeu deliberata. Unde ſimiliter motus ſemideliberati ſunt tantùm ſemivoluntarii; eò quòd non dirigantur per cognitionem ſatis perfectam. Soli itaque actus voluntatis deliberati (ſubintellige etiam deliberatas omiſſiones) ſunt propriè & perfectè voluntarii, & ſimiliter operationes inde conſequentes.

3. *Differentia inter voluntarium & volitum.* Nota non coincidere voluntarium propriè & volitum: voluntarium enim debet eſſe principiativè ſeu effectivè à voluntate; volitum autem non. Sic homicidium ſine ullo meo influxu aut notitiâ commiſſum, in quo mihi poſtea complaceo, non eſt mihi voluntarium, & tamen eſt objectivè volitum; quod Nonnulli vocant voluntarium objectivè. Sic etiam proceſſio Filii divini eſt objectivè volita, non tamen voluntaria propriè ſeu principiativè; prout inſuper voluntaria eſt proceſſio Spiritus ſancti. E contrà non omne voluntarium eſt directè aut reflexè volitum. Actus quidem aliarum potentiarum à voluntate imperati ſunt ita voluntarii, ut ſimul ſint expreſsè voliti. Similiter actus voluntatis eliciti poſſunt eſſe ab eadem expreſsè voliti per alium actum. Hoc tamen nõ eſt neceſſe. Nil enim ita volitum, quin ſit præcognitum; non omnis autem actus elicitus voluntatis eſt præcognitus, etſi præcognoſcatur objectũ; cujus nimirum cognitio ſufficit, ut appetatur, etſi appetitio ipſa nullatenus cognoſcatur.

catur. Si quis tamen contendat omnem volitionem, præſertim liberam, eſſe quodammodò volitam ſeipsâ, quaſi virtualiter & interpretativè, quatenus volitio ſic afficit voluntatem, ut hæc ipſam vellet, ſi id foret ad ipſam eliciendam neceſſarium; non eſt magnopere repugnandum. Qui enim vult v.g. ſalutem æternam, vult quodammodò ſalutem eſſe volitam, adeòque & ipſam ſuam volitionem, utpote neceſſariam, ut ſalus ſit volita.

4. *Voluntarium aliud eſt tale voluntate propriâ, aliud voluntate alienâ,*

Voluntarium dividitur primò in voluntarium voluntate propriâ; & voluntarium voluntate alienâ, quod nimirum, etſi procedat ab alterius voluntate, moraliter tamen imputatur noſtræ voluntati, utpote commiſſæ alieno arbitrio. Hoc autem fit, ſive auctoritate divinâ, prout in ordine ad originale peccatum volũtas Adæ tamquam capitis nobis imputatur: ſive auctoritate publicâ, prout actus tutorum ſunt quodammodò voluntarii pupillis, quorum voluntas eſt per leges tranſlata in voluntatem tutorum; ſive auctoritate privatâ, prout actus procuratoris ſunt voluntarii procurationem danti in ordine ad certa negotia. Poſtremum tamen membrum recto ſenſu dici poteſt voluntarium etiam voluntate propriâ.

5. *Aliud neceſſarium, aliud liberum.*

Secundò dividitur in voluntarium neceſſarium, & voluntarium liberum, libertate ſcilicet indifferentiæ, quæ, in materia morali præſertim, ſtat ſimpliciter pro libertate. Voluntarium neceſſarium eſt, quod non procedit ab appetitu indifferente ad volendum & non volendum; prout eſt amor increatus quo Deus amat ſe, proceſſio Spiritûs ſancti, motus neceſſarii voluntatis. Voluntarium liberum eſt, quod procedit ab appetitu ſic indifferente. Ejuſmodi ſunt volitiones & operationes deliberatæ viatoris. Immo dum de actibus humanis & meritoriis eſt ſermo, interdum voluntarium uſurpatur pro libero libertate indifferentiæ, ut videre eſt apud *S. Bernardum l. de lib. arbitr.* ipſumque *Auguſtinum* frequenter confundentem hæc duo, agere liberè & agere voluntate, ſcilicet liberâ & indifferenti.

6. Hinc patet voluntarium liberum nõ eſſe perfectionem ſimpliciter, factâ cõparatione ad quodvis objectum: cùm magna foret imperfectio in Deo, ſi liberè amaret ſeipſum. Colligitur etiam voluntarium liberum ſaltem ordinariè eſſe perfectius in ratione voluntarii: nam ceteris paribus actus eò eſt magìs voluntarius, quò eſt magìs conformis interno impetui & propenſioni voluntatis; cùm eò magìs cenſeatur proficiſci à principio interno: determinatio autem & neceſſitas faciunt actum magìs procedere à principio extrinſeco determinante, contra inclinationem naturalem voluntatis. Quòd ſi arguas, inconvenienter admitti, quòd amor increatus, quo Deus ſeipſum neceſſariò amat, excederetur ab amore noſtro, quantùm ad perfectionem voluntarii; Reſponderi poteſt cum Nonnullis admittendam eſſe exceptionem à præfata regula (quæ ſolùm allegatur tamquam ordinariè vera) in amore increato, in quo oritur neceſſitas ex intrinſeca propenſione ipſius divinæ voluntatis. Non eſt tamen quod hanc exceptionem urgeat: cùm exceſſus in perfectione voluntarii fundatus in defectu libertatis ſit ſolùm exceſſus perfectionis ſecundùm quid, qui argueret imperfectionem in Deo, ſi liberè ſe amaret. Neceſſitas præterea amoris increati oritur ex infinitate objecti amati; quod etſi identificetur ipſi amori, quatenus tamen objectum eſt, quodammodò extrinſecè ſe habet. Propenſio verò intrinſeca voluntati divinæ non ſufficit in præſenti ad majorem perfectionem voluntarii; utì nec ſufficit propenſio intrinſeca appetitui ſenſitivo, qui in objectum fertur neceſſariò, & tamen minùs perfecto voluntario, quàm ſit voluntarium liberum.

Liberum eſt regulariter neceſſario perfectius in ratione voluntarii.

Tertiò dividitur voluntarium in directum, & indirectum. Cum voluntario directo confundi ſolet voluntarium explicitum, & in ſe; quod aiunt eſſe volitum in ſeipſo: cum voluntario indirecto confunditur voluntarium implicitum, & in cauſa. Sic inebriatio volentis ſe inebriare eſt directè & explicitè ac in ſe voluntaria: rixæ autem & homicidium, quæ ex ebrietate ſecutura prævidentur, ſunt voluntaria indirectè, implicitè & in cauſa. Eadem poſſunt dici voluntaria interpretatiuè. Quamquam voluntarium interpretativum aliquando ſumatur pro eo, quod adeſſe præſumitur ex aliquo ſigno externo, ſive poſitivo, ſive negativo; v.g. aliquando ex ipſa taciturnitate, conformiter ad illud: *Qui tacet, conſentire videtur*, ut habetur *de Reg. juris in 6.* & habet locum in foro externo. Aliquando etiam, non pro voluntario, quod de facto eſt, ſed prudenter conjectamur ſeu interpretamur futurum, ſi adeſſet, & ſciret is, cujus conſenſus deſideratur. Prout Religioſus Superiore abſente & inſcio interdum aliquid facit vel recipit, ſciens gratum fore ſuperiori, ſi ſciret, & conſenſus peti poſſet. 7. *Voluntarium inſuper aliud eſt directum, aliud indirectum.*

Notandum verò non ſoli actioni poſitivæ voluntatis, ſed etiam omiſſioni convenire rationem voluntarii. Nam ipſa quoque omiſſio eſſe poteſt ſuo modo à voluntate ſeu principio intrinſeco cum cognitione; non ſolùm quando adeſt expreſſa volitio omittendi, ſed etiam quando voluntas purè omittit. Quocirca poteſt eſſe voluntarium abſque omni actu, voluntatis videlicet (quod Nonnulli voluntarium omiſſivum vocant) ſuppoſito quòd poſſibilis ſit pura omiſſio libera, prout habet magìs recepta & vera Opinio. 8. *Omiſſio poteſt eſſe voluntaria.*

Hinc etiam rectè omiſſio libera dicitur volun- *Etiam directè,*

voluntarium directum & in ſe (quamquam Nonnulli aliter loquantur) cùm ſecundùm ſe ſit libera, & (ut ita dicam) negativè volita, ſi ſit omiſſio pura; utpote ſecundùm ſe pendens à voluntate liberè non ponente actum oppoſitum: cùm voluntas etiam liberè non agat. Dixi *omiſſio libera*: pura enim omiſſio quæ libera non eſt, nequit eſſe omittenti voluntaria; utpote nullatenus procedens ſeu pendens à voluntate, quod tamen ad voluntarium requiritur: non aliter enim ab illa pendere poteſt, niſi quatenus voluntas illam vellet, aut ſaltem in illius poteſtate eſſet actus cui omiſſio opponitur, ratione cujus etiam ipſum non agere ſeu omittere ſuo modo à voluntate pendere cenſeatur. Eventus autem conſequens omiſſionem rectè comprehenditur ſub voluntario indirecto, utpote volitus in ſua cauſa, ſaltem privativâ, ſcilicet omiſſione.

Si ſit libera:

9. Petes I. An ut omiſſio cenſeatur voluntaria, requiratur præceptum ſeu obligatio faciendi id quod omittitur? Reſp. Neg. cum *Scotiſtis, Maldero, Prapoſito* & aliis ferè communiter contra Nonnullos præſertim *Thomiſtas*: etſi enim ad voluntarium culpabile requiratur, ut quis non faciat, quod facere poterat & debebat, ſimpliciter tamen & abſolutè ad voluntarium ſufficit, ut quis deliberatè omittat opus, quod poterat facere ſeu non omittere: tam enim eſt in poteſtate ſcientis & volentis, adeòque tam voluntarium, omittere id ad quod non obligatur, quàm id ad quod obligatur. Deinde tam liberè quis omittit v. g. ſacrum ad quod non tenetur, quàm ad quod tenetur; omne autem liberum eſt voluntarium. Confirmatur: quia Deus voluntariè non dat quibuſdam gratias ſingulares; & tamen eas dare non obligatur.

Etiam citra præceptum actus omiſſi,

10. Petes II. An ut eventus poſitivus conſequens omiſſionem liberam cenſeatur voluntarius requiratur obligatio impediendi eventum? v. g. videt quis navem periclitantem, &, niſi opem ferat, ſubmergendam; an ſubmerſio ſubſeqnens ſit voluntaria non ferenti opem, ſi ob proprium periculum aut aliam juſtam cauſam ferre opem non tenebatur? Reſp. quæſtionem videri de modo loquendi: in qua tam pars affirmans (quā tenet *Zanches, Salas* & plures alii) quàm pars negans (quam tenet *Vaſques, Wiggers, Sylvius* & Recentiores frequenter) probabilis apparet. Pars autem negativa probatur: quia citra obligationem impediendi eventus ipſe non videtur procedere à voluntate omittentis, ſive immediatè, ut patet, ſive mediante omiſſione; utpote quæ phyſicè in eventum non influit, neque etiam ſemotâ obligatione cum illo moraliter connectitur. Unde colligitur diſcrimen inter omiſſionem etiam puram & eventum ipſam cōſequentem: volūtas namque eſt cauſa omiſſionis quaſi phyſica, immediata & per ſe, eſtque adeò omiſſio voluntaria hoc ipſo quòd in poteſtate voluntatis ſit agere & non agere: operis autem omiſſionem conſequentis non eſt cauſa per ſe quaſi phyſica, ſed moralis dumtaxat, adeòque requiritur aliquid quod opus ſeu eventum ipſum moraliter nectat cum omiſſione & omittente; quod non eſt aliud, quàm obligatio impediendi, quæ facit, ut non impedienti imputetur effectus. Hinc etiam patet Deo eſſe quidem voluntariam omiſſionem conſiſtentem in non impeditione peccati, peccatum tamen ipſum non eſſe Deo voluntarium; eò quòd ipſum non teneatur impedire. Similiter non cenſentur Magiſtratui voluntaria peccata, quæ juſtis de cauſis per ipſum non impediuntur.

Secùs eſt de eventu per accidens ſubſequente omiſſionem;

Dices I. Talis poteſt impedire & non impedire ejuſmodi eventum; ergo eventus conſequens non impeditionem eſt liber, atque adeò voluntarius omittenti impedire. Reſp. Neg. Seq. nam ex Antecedente ſolùm ſequitur, non impeditionem eſſe liberam; non autem eventum inde ſequentem, qui à voluntate non pendet, nec ei connectitur, niſi adſit obligatio cauſans nexum moralem.

Dices II. Si talis citra obligationem impediret ſubmerſionem v. g. navis, eſſet verè cauſa non ſubmerſionis: ergo ſi non impediat eſt cauſa ſubmerſionis. Reſp. Neg. Seq. quia impediendo verè influit per ſe in non ſubmerſionem: at non impediendo non influit in ſubmerſionem, ſive phyſicè, ſive (ſi abſit obligatio) moraliter, ſed illam merè permittit. Unde ſubmerſio non eſt ipſi libera, ſive immediatè, ut patet, ſive mediante omiſſione: nam effectus externus non participat libertatem ab interno, niſi hic in illum influat, omiſſio autem in ſubmerſionem non verè influit. At ſi adſit obligatio, jam omiſſio auxilii debiti eſt cauſa per ſe moralis ſubmerſionis inde conſequentis, quatenus non ſubmerſio debebat produci ab auxilio omiſſo.

Qui verò oppoſitum loquendi modum amplecti maluerit, dicat omiſſionem citra præceptum eſſe cauſam privativam eventûs ſubſequuti, v. g. ſubmerſionis, partim phyſicam, partim quaſi moralem, id eſt, à libera facultate omittentis eatenus pendentem, quatenus poſſet cauſare v. g. non ſubmerſionem; non eſſe tamen moralem hoc ſenſu, quaſi eventus ei imputetur in culpam, idque defectu præcepti. Itaque omittens dici poterit cauſa per accidens permiſſiva eventûs, & quidem libera, at inculpabilis. Et hoc ſenſu etiam poterunt peccata dici Deo permiſſivè voluntaria, uti dicuntur permiſſivè volita. Cautelâ tamen hîc opus eſt, ut circumſtantiæ excludant omnem falſi dogmatis ſuſpicionem. 11.

Quàmvis non ſit improbabile etiam citra præceptum bono ſenſu ejuſmodi eventum cenſeri poſſe voluntarium.

QUÆST.

QUÆSTIO II.

An violentia cauſet involuntarium, eaq; poſſit voluntati inferri?

12. *Quid involuntarium.* NOTA I. Involuntarium propriè convenire actibus, quibus quidem poſſet per ſe loquendo convenire ratio voluntarii, tamen aliquid deeſt hîc & nunc quod ad voluntarium requiritur. Sic v.g. comeſtio carnium die veneris eſt involuntaria quantùm ad circumſtantiam prohibitionis, ſi comedens illam omnino ignoret, aut de ea nil cogitet. Et hoc à Nonnullis dicitur involuntarium negativè ſeu privativè. Aliud autem dicitur involuntarium poſitivè ſeu contrariè, quod & noluntarium dici poſſet, quia nimirum eſt contra expreſſam inclinationem voluntatis. Et quidem ſi voluntas repugnet efficaciter & abſolutè omnibus conſideratis, dicitur involuntarium ſimpliciter; ſi autem aliqualiter quidem ipſum nolit, omnibus tamen ſpectatis ſimpliciter velit, dicitur involuntarium ſecundùm quid.

13. *Quid violentum.* Nota II. Violentum dici, quod eſt ab extrinſeco, ſeu (ut loquitur *Philoſophus* 3. *Eth.*1.) *Cujus principium eſt extrà non conferente vim paſſo*; id eſt, contranitente paſſo, ſeu contra inclinationem paſſi, ut rectè exponit *Scotus* 2.*d.*18.*q. unic. n.*6. Diſtinguiturque à coacto (cum quo interdum confunditur) quòd coactum propriè tantùm dicatur illud quod repugnat inclinationi elicitæ appetitûs, adeòque ſolùm quadret in res appetitu rationali aut ſenſitivo præditas: violentum autem etiam vocetur, quod repugnat appetitui innato, ſeu ponderi & inclinationi naturæ. Unde calefactio eſt aquæ violenta, ſimiliter lapidi motus ſurſum; neutrùm tamen propriè cogitur. *Quid coactum.* Solet etiam coactum apud Patres & vetuſtiores Theologos interdum ſumi pro neceſſario, ideoque dum aiunt voluntatem non cogi, ſignificant eam non neceſſitari. Solet denique coactum quandoque ſumi pro invito ſeu involũtario ſecundùm quid. Quo ſenſu quis dicitur eſſe coactus ad vovendum, contrahendum &c.

Nota III. Actus voluntatis alios eſſe elicitos, qui videlicet immediatè ab ea producuntur, ut amor, odium &c. alios imperatos, qui procedunt à voluntate mediante imperio, quo imperat potiſſimùm actus aliarum potentiarum, v.g. ambulationem, comeſtionem &c. Subinde tamen etiam actus proprios, v.g. pœnitentiam ſeu contritionem peccatorum voluntas imperat.

14. *Violentia cauſat involũtarium ſimpliciter.* DICO I. Violentia cauſat involuntarium ſimpliciter. Patet: quia facit ut opus non ſit ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, contranitente voluntate. Deinde quia ſicut violentia repugnat naturali, facitque contranaturale in carentibus appetitu; ſic in præditis appetitu facit contravoluntarium.

DICO II. Voluntas poteſt pati violentiam vel coactionem in actibus aliarum potentiarum, quibus nata eſt & ſolet imperare; qui proinde actus erunt ſimpliciter involuntarii. Patet: quia contra voluntatis inclinationem poteſt ab extrinſeco applicari v. g. manus ad tangendum, oculus ad videndum &c. Qui actus proinde ſunt involuntarii. Et quàmvis ſi ſpectentur hæ potentiæ ſecundùm particulares inclinationes non patiantur vim, cùm concurrunt ad actũ ſui perfectivum: ſunt tamen actus ſimpliciter ipſi homini violenti; utpote contra inclinationem voluntatis, quæ eſt ſupremus & univerſalis ſuppoſiti appetitus, cui ceteræ potentiæ ſubordinantur. 15. *Violentiam poteſt voluntas pati in actibus aliarum potentiarum,*

Quod dictum eſt de actibus, etiam locum habet in carentia ſeu omiſſione illorum: ſic enim poteſt voluntas violentari in auditu, olfactu, viſu &c. ſi videlicet volens audire, olfacere, videre &c. impediatur. Nec tamen tunc etiam ipſæ potentiæ externæ patiũtur violentiam ratione ſui: nam oculus v.g. (idem eſt de ceteris) non petit videre, niſi objectum propoſitum; adeòque ſi alter impediat, etiam violentè clauſis palpebris, ne videatur objectum, non fit contra inclinationem oculi, ſed ad ſummum ipſius hominis. *Aut eorumdem omiſſione,*

DICO III. Non poteſt tamen voluntas pati violentiam in actibus ſuis elicitis vel de facto ab ea imperatis. Ratio eſt clara: quia eo ipſo quo actus à voluntate eliciuntur, procedunt à principio intrinſeco. Similiter eo ipſo quo voluntas actum aliquem imperat, profluit actus imperatus à voluntate imperante; adeòque excluditur violentia, quæ requirit ut actus non procedant ab intrinſeco ſeu voluntate. 16. *Non tamen in actibus à ſe elicitis aut de facto imperatis.*

Dixi *de facto ab ea imperatis*: nam, ut Concluſione præcedenti dictum eſt, bene poteſt voluntas pati violentiam in actibus natis imperari. Nec aliud volunt Doctores, dum ſubinde indiſtinctè docent voluntatem poſſe pati violentiam in actibus imperatis. *Secùs eſt de actibus natis ſeu ſolitis ab ea imperari.*

DICO IV. Poteſt voluntas violenter impediri, ne actum ponat; cujus proinde omiſſio erit ei violenta. Ita *Tannerus*, *Malderus*, *Prepoſitus* & plures alii contra Nonnullos. Ratio eſt: quia poteſt Deus negare concurſum voluntati ad agendum paratæ & inclinatæ, immo poſitivè deſideranti agere; quæ tunc pateretur violentiam; ſicut ignis violentè à Deo impediretur à combuſtione ligni ei applicati. Sunt tamen, qui advertunt hanc violentiam eſſe quidem aliqualem, non tamen omnino ſtrictam: eò quòd voluntas aliave cauſa creata, quantumvis omnibus principiis ex parte ſui ad operandum requiſitis inſtructa, necdum ſit in actu primo completè potens operari, niſi adſit omni- 17. *Poteſt etiã violenter impediri voluntas ne actum ponat,* *Si non ſtrictâ omnino violentiâ,*

omnipotentia Dei ejuſque concurſus paratus,adeòque hoc deficiente actus ſecundus ſeu operatio non debeatur, & conſequenter illius carentia nequeat eſſe ſtrictè loquendo violenta. Aliqualis equidem infertur violentia; eò quòd cauſæ ſecundæ ex parte ſua habenti requiſita ad operandum ſit quaſi debita jure creationis applicatio divinæ omnipotentiæ, & ſimiliter debitus concurſus,ſic ut alioquin fieret contra naturam cauſæ ſecundæ, etiam liberæ,ac proinde inferretur aliqua violentia.

Saltem aliquali.

18\. *Poteſt denique violentari quoad illa quæ poteſt recipere,*

DICO V. Poteſt voluntas pati violentiam in illis, quæ poteſt recipere. Patet: quia poteſt Deus ei repugnanti infundere gratiam alioſque habitus: ad quos licèt habeat inclinationem naturalem, repugnat tamen per elicitam, quæ præponderat, & ſufficit,ut voluntas vim pati cenſeatur.

Similiter poteſt Deus ſe ſolo infundere amorem voluntati nolenti, & quantùm eſt in ſe efficaciter renitenti. Qui actus eſt involuntarius & violentus; præſertim ſi inſit voluntati non vitaliter,uti lapidi. Si autem Deus ad actum aliquem eliciendum determinaret voluntatem, quantùm in ſe eſt reluctantem, actus ille eſſet abſolutè voluntarius; utpote à principio intrinſeco cum cognitione: ſecundùm quid autem eſſet involuntarius & coactus, partim quatenus ab extrinſeco voluntas determinatur, partim quatenus antecedenter voluntas abſolutè illum noluit,ac de facto quantùm eſt in ſe non vult.

19\. *A nullo tamen agente creato poteſt phyſicè cogi aut neceſſitari.*

Pro fine adverte, à nullo agente creato voluntatem ipſam poſſe phyſicè cogi aut neceſſitari. Quare cùm peccatum in voluntate conſiſtat, & ſine illius conſenſu in ipſa aut potentiis inferioribus eſſe nequeat,cōſequens eſt,neminem poſſe ad peccandum cogi, etſi poſſit ſollicitari & cum involuntario ſecundùm quid induci. Unde rectè dixit *S. Auguſtinus relatus* c. *de pudicitia* 32. q.5. *Corpus mulieris non vis maculat, ſed voluntas.* Violentia autem quæ potentiis volūtati ſubditis in ordine ad opera exteriora peccaminoſa fieri poteſt, non præſumitur facta,niſi probetur, c. *cauſam matrimonii,de Off. judicis delegati*,& l. *pro merito* ff. *pro ſocio.* Si enim delictum numquam præſumitur; à fortiori neque hoc delictum, quod naturæ adeò adverſatur,eſt præſumendum. Atque ita tradit *Menochius, Alciatus*, & alii, quos refert & ſequitur *Maſcardus*, & hoc relato *Caſtro Palao.parte* 1.*Tr*.2.*d*.1.*puncto* 4.*n*.3.

Violentia autem potentiis inferioribus facta non præſumitur,niſi probetur.

QUÆSTIO III.

An Metus cauſet involuntarium?

20\. *Quæ fiunt ex metu ſunt ſimpliciter voluntaria & libera.*

DICO I. Ea quæ fiunt ex metu ſive timore mali imminentis, ſunt per ſe loquendo abſolutè & ſimpliciter voluntaria, immo libera. Ita omnes Doctores. Ratio eſt:quia quæ metu quis agit,abſolutè & efficaciter vult ſpectatis omnibus circumſtantiis; ergo agit voluntariè. Quòd etiam operetur liberè, patet: quia etſi metus impellat voluntatem, non tamen neceſſitat. Unde certum eſt metum per ſe non excuſare à peccato: ut patet in eo, qui metu mortis aut tormentorum deficit à profeſſione fidei, fornicatur &c.Et *Joan*.12. vituperantur ii, qui metu mortis non confitebantur Chriſtum. Dixi *per ſe*;per accidens enim aliquando poteſt ex conſideratione mali imminentis ita perturbari ratio,ut libertas, præſertim perfecta, impediatur. Deinde metus gravis aliquando facit,ut lex,præſertim humana, non obliget alioquin obligatura extra metum: adeòque tunc liceat facere opus,quod aliàs eſſet malum, ad evadendam mortem aliudve grave incommodum imminens; quod ex conditione materiæ & circumſtantiis eſt colligendum. Hinc etiam patet contractus metu initos non eſſe eo ipſo irritos jure naturæ defectu voluntarii ſeu liberi; quàmvis dum metus gravis injuſtè incutitur ad extorquendum contractum, is fit ipſo facto irritus,ut contractus matrimonialis:aut ſaltem in irritum revocabilis,ut reliqui contractus communiter. De quo ex profeſſo agitur in materia de contractibus, & in materia matrimoniali.

Per accidēs tamē metus excuſat à culpa.

DICO II. Ea quæ metu fiunt, ſunt frequenter involuntaria ſecundùm quid. Ita Doctores communiter. Ratio eſt: quia homo ſæpè illa facit cum tali diſplicentia, ut vellet non facere, niſi malum timeret; ergo tunc ſunt involuntaria ſeu repugnantia voluntati ſecundùm quid. 21.

Quæ fiunt ex metu ſunt ſæpè involuntaria ſecūdùm quid,

Dixi *frequenter:* non omnis enim metus habet adjunctum involūtarium ſecundùm quid,ſed ſolus ille, qui ſic totaliter & efficaciter impellit hominem ad opus faciendum,ut relinquat in eo voluntatem inefficacem non faciendi opus ſi metus non impelleret. Cujuſmodi eſt metus naufragii, qui ſic impellit hominem ad ejectionem mercium,quas amat, ut in eo relinquat voluntatem illas,quantùm in ſe eſt,retinendi. Idque inde oritur,quòd voluntas alicui bono affecta frequenter nō deponat affectum illius, niſi quatenus eſt neceſſarium ad malum evadendum.Unde cùm affectus internus mercium non afferat periculum naufragii, ſed ſolum pondus actualiter retentarum, idcirco quidem excludit affectum efficacem illas retinendi, non tamen conditionatum;qui remanens cauſat involuntarium ſecundùm quid.

Non tamen ſemper

Aliud in primis eſt, quando metus non eſt totum motivum operis. Sic enim multi Chriſtiani metu pœnarum ſic moventur ad pœnitentiam de peccatis faciendam, ut tamen ſimul, & quidem principaliter, hoc agant propter Deum ſeu bonitatem illius. Ubi cùm nulla intercedat voluntas quâ placeat peccatum, non intercedit quoque aliquod 22.

Idq; variis de cauſis.

quod involuntarium, ſed potiùs dupliciter voluntarium.

Secundò, quando res quam ex metu aggredimur eſt talis, quòd etiamſi abeſſet metus, eſſet nobis indifferens aggredi illam; utpote quam non apprehendimus nobis malam.

Tertiò, quando ipſa voluntas conditionata oppoſita eſt etiam cauſativa mali, quod ex metu deſideramus evadere: non enim poſſum planè efficaciter velle fugere malũ, & tamen ponere actum ſimiliter cauſativum ejuſdem mali imminentis. Unde dum quis ex metu gehennæ efficaciter deteſtatur peccata, non poteſt ſimul habere voluntatem conditionatam permanendi in peccatis, ſi pœna non eſſet: cùm hæc ipſa voluntas, utpote peccaminoſa, ſit ejuſdem pœnæ cauſativa. Quare ſi voluntas conditionata retinendi merces in naufragio onus adferret navi, ſicut ipſæ merces, indubiè etiam hanc voluntatem excluderet metus. Nihilominus poſſet dari metus aliquis gehennæ in ſe quidem non malus, ſed quia non plenè efficax, habens conjunctam voluntatem conditionatam peccandi. Quod ſupponit *Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.* idcirco ad odium peccati ex metu conceptum, diſpoſitivum ad gratiam in Sacramento, ſignanter requirens, ut excludat voluntatem peccandi. De quo etiam timore frequẽter agit *Auguſtinus*; qui etſi promiſcuè timorem gehẽnæ vocet utilem, bonum & ſalutarem, ſignificat tamen in eo ſubinde latere aliquod peccatum per accidens conjunctum, ſcilicet internum deſiderium peccandi, ſi pœna abeſſet. Ipſe nihilominus timor de ſe potiùs natus eſt impellere ad fugam omnis peccati pœnæ inductivi; adeòque etiam talis deſiderii interni.

Quartò denique fieri poteſt, ut voluntas conditionata oppoſita non adſit ex mera voluntatis libertate; quæ ſimilem affectum, etſi compatibilem cum metu, poteſt ad libitum rejicere. Et hoc modo poteſt quis ex metu ita projicere merces in mare, ut nequidem habeat voluntatem conditionatam retinendi; idque ex ſua libertate, ex qua ſicut amorem mercium continuare, ſic & deponere poteſt.

23. *Nec ipſe metus propriè illud involuntariũ cauſat, quod operi frequenter miſcetur.*

DICO III. Quando opus metu factum eſt involuntarium ſecundùm quid, metus per ſe & propriè loquendo non cauſat hoc involuntarium, ſed tantùm impropriè & per accidens. Ratio eſt: quia metus potiùs eſt cauſa voluntarii; cùm ſit ratio ob quam voluntas abſolutè velit opus facere. Hoc tamen ſenſu dici poteſt ſubinde cauſa per accidens involuntarii, quia cauſat opus, quod aliundè eſt contra inclinationem voluntatis, quæ actum, qui fit ex metu retardat, eumque ſecundùm quid involuntarium reddit.

QUÆSTIO IV.

An Concupiſcentia cauſet involuntarium?

NOMINE concupiſcentiæ hîc intelligitur quælibet paſſio ſeu motus appetitûs ſenſitivi, qui habet ſe per modũ proſecutionis alicujus objecti delectabilis, vel per modum fugæ mali oppoſiti. Alia voluntatem antecedit, eamque movet & excitat: Alia ſubſequitur, quæ nimirum excitatur ab ipſa voluntate. Concupiſcentia conſequens non auget nec minuit voluntarium; cùm voluntatis actum ſubſequatur. Eſt tamen ſignum vehementis affectûs præcedentis. Deinde eſt cauſa ulterioris affectûs vehementioris & diuturnioris volũtatis circa ſuum objectum, reſpectu cujus tamen ulterioris progreſsûs & intenſionis eſt antecedens. Unde de ea eſt idem judicandum, quod de concupiſcentia antecedente. De qua 24.

Concupiſcentia ſeu paſſio appetitus ſenſitivi, alia eſt antecedens alia conſequens.

De antecedente hic agitur.

DICO I. Concupiſcentia non cauſat involuntarium etiam ſecundùm quid, ſed potiùs cauſat voluntarium. Ita communiter Theologi. Ratio eſt: quia concupiſcentia ſuaviter allicit voluntatẽ, ut feratur in idem objectum, mediante propoſitione delectabilitatis & commoditatis objecti, ac occultatis communiter iis, quæ voluntatem poſſent retardare: ergo non cauſat ipſa aliquod involuntarium, ſed voluntarium.

Ipſa potiùs voluntarii cauſat, quàm involuntarium.

DICO II. Concupiſcentia minuit libertatem. Ita communiter omnes. Ratio eſt: quia per concupiſcentiam voluntas magis determinatur ad id, in quod fertur appetitus ſenſitivus; adeòque indeterminatio ſeu indifferentia voluntatis minuitur. Deinde concupiſcentia impedit, ne ratio tam bene attendat varias objecti circumſtantias, quæ voluntatem à conſenſu abſtraherent. Immo ſubinde tanta eſt indeliberatio ſeu rationis perturbatio orta ex concupiſcentia, ut libertas ad peccandum ſufficiens plenè tollatur; ut patet in motibus primò primis voluntatis. Regulariter tamen relinquitur libertas ad peccandum ſufficiens, quia regulariter adeſt ſufficiens uſus rationis conſiderantis malitiam objecti; item indifferentia voluntatis, quam quidem poteſt concupiſcentia ſollicitare, non tamen nolentem cogere ad conſenſum. Ideoque in Scriptura vituperantur, qui poſt ſuas concupiſcentias euntes malè operantur; *Dan. 13. Concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Jac. 1. Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Nihilominus ſicuti minuitur libertas, ſic & malitia peccati ex concupiſcentia orti: ideoq; ſic peccantes ſunt magis veniâ digni, quàm ſi ex malitia peccaſſent. Si tamen concupiſcentia conſequens unum actũ ſit præviſa, & ſpõte excitata, quamquam minuat phyſicè propriã liberta-

25. *Minuit libertatem,*

Relinquit tamen regulariter ſufficientem ad peccandum.

actûs inde ſubſequentis; non minuit equidem malitiam ſeu imputabilitatem, ſed taliter peccans eſt æquè dignus ſupplicio, ſive dignitas tota pœnæ conſideretur in actu ſequente, ſive partim in illo, partim in cauſa libera. Unde talis non cenſetur ex paſſione, ſed potiùs ex malitia peccare. Secùs eſt, ſi paſſio conſequens unum actum, & antecedens alium non ſit præviſa, aut certè oriatur ex alia paſſione ſeu infirmitate antecedente.

26. *Minuit etiam perfectionem voluntarii*

DICO III. Concupiſcentia etiam minuit perfectionem voluntarii. Ita multi Doctores, etiam recentiores; etſi non pauciores contradicant. Ratio eſt: quia (ut quæſtione primâ diximus) voluntarium liberum regulariter eſt perfectius neceſſario; adeòque quo aliquid eſt minùs liberum, eſt imperfectius voluntarium: ſed opus ex concupiſcentia eſt minùs liberum; ergo etiam minùs perfectè voluntarium. Deinde concupiſcentia facit, ut objectum minùs perfectè conſideretur ſeu cognoſcatur: facit etiã ut voluntas, velut ab extrinſeco inclinetur; adeòque non ita determinetur à ſeipſa ſeu ab intrinſeco: ergo ex his capitibus minuit voluntarium.

Etſi frequẽter faciat ipſum intenſius.

Concupiſcentia equidem ſæpè eſt cauſa vehementioris & intenſioris actûs voluntatis, quæ cæco velut impetu & ſummâ vehementiâ ſubinde rapitur in objectum, in quod concupiſcentia ipſam inclinat. Et hoc ſenſu verificari poſſet oppoſita ſententia docens voluntarium ex concupiſcentia augeri. Quæ tamen ſimpliciter loquendo minùs arridet; eò quòd aliud ſit actum voluntarium eſſe intenſiorem, aliud ipſum eſſe perfectiorem in ratione voluntarii: cùm unus gradus volitionis planè deliberatæ ſit multò perfectius voluntarium, quàm motus indeliberatus intenſiſſimus.

27. *Facta ex cõcupiſcentia ſunt interdum aliundè involuntaria ſecundùm quid.*

DICO IV. Ea quæ fiunt ex concupiſcentia ſunt aliquando involuntaria ſecundùm quid. Ratio eſt: quia etſi concupiſcentia mirabili quâdam ſympathiâ inclinet voluntatem ad amplectendum objectum tãquam per ſe amabile; nec ordinariè inveniatur affectus actualis in contrarium, prout ſæpè invenitur in metu: nihilominus ſubinde cum ipſa paſſione, etſi graviſſimâ, ſentiunt peccatores magnas moleſtias & conſcientiæ remorſus, ob quos deſiderant ſubinde à concupiſcentiis, etiam dum illas ſequuntur, liberari, maximè cùm aliquando illos oporteat gravia, etiam hujus vitæ, mala tolerare, ſi concupiſcentiis ſuis frui velint.

Idem quod de concupiſcentia dictum eſt non pauci Doctores extendunt ad habitus: nam etiam hos minuere libertatem patet in illis, qui pravo habitu vel conſuetudine laborant, quibus frequenter difficillimum apparet agere oppoſitũ. Quamquam quod minus eſt ex parte libertatis proximæ in ordine ad peccatum, abundè compenſari ſoleat, ſive quatenus habitus ex voluntate ortum habent, ſive ex vehementia, diuturnitate, & frequentiâ actuum, circa quos conſuetudo inolevit.

QUÆSTIO V.

An Ignorantia cauſet involuntarium?

28. *Ignorantia alia prava diſpoſitionis, alia neſciẽtia, alia privativa. Hæc, alia juris, alia facti.*

IGNORANTIA alia eſt poſitiva, quæ dicitur pravæ diſpoſitionis, ſeu error; alia eſt merè negativa, ſeu pura neſcientia: alia denique (quæ ad præſens inſtitutum pertinet) eſt carentia cognitionis debitæ; poteſtque vocari privativa. Eſtque hæc alia juris, v. g. in eo qui neſcit diebus feſtis eſſe audiendum ſacrum: alia facti, v. g. in eo qui quidem jus ſeu legem de auditione ſacri novit, neſcit tamen hodie eſſe diem feſtum.

Item alia antecedens, alia conſequens.

Eadem ignorantia dividitur in antecedentem, quæ antevertit liberum voluntatis conſenſum: & conſequentem, quæ ſequitur conſenſum expreſſum vel tacitum; expreſſum quidem, ut ſi quis volens aliquid facere, nolit inquirere de conditione objecti, ne fortè, ſi illam noverit, retardetur ab operatione: tacitum verò, ut ſi quis negligit adhibere diligentiam, quam poteſt & tenetur adhibere.

Alia voluntaria, alia involuntaria.

Coincidit hæc diviſio cum altera *Nyſſeni* vel potiùs *Nemeſii* (hic enim putatur auctor) *l.* 5. *Philoſophiæ cap.* 2. in voluntariam & in involuntariam; omnis enim antecedens eſt involuntaria, & omnis conſequens eſt voluntaria.

29. *Alia invincibilis*

Similiter ignorantia antecedens coincidit cum invincibili (quam aliqui probabilem, juſtam, aut inculpabilem vocant) quæ videlicet humano modo ſeu adhibitâ morali diligentiâ non poteſt depelli. Quando autẽ ſufficiens diligentia cenſeatur adhibita, petendum eſt ex Prudẽtis æſtimatione. Illa in genere eſt ſufficiens, quam vir prudens judicabit eſſe talem ſpectatâ conditione actionis, qualitate operantis, ejus ſcientiâ, aliiſque circumſtantiis; & quam in ſimili negotio prudentes & boni ejuſdem conditionis ſolent adhibere. Quò etiam pertinet naturalis inadvertentia; ut ſi quis comedat carnes non advertens eſſe diem veneris. Cùm autem difficile ſit recordari omnium, quæ habitualiter ſcimus, fit, ut in humanis actibus non paucæ naturales inadvertentiæ occurrant. Et hinc qui ſunt timoratæ conſcientiæ ſæpè poſſunt excuſari, ſi quid per inadvertentiam cõmittant contra præceptum, quod ſciunt & volunt ſervare. Poſſunt etiam frequenter excuſari homines rudes ſeu ſimplices, qui etſi communem diligentiam ad depellendam ignorantiam non adhibuerint, penitus tamen ignorant aut nullatenus advertũt ſe ad ampliorẽ diligẽtiam obligari. Unde omnium illorum adeſt ignorantia ſeu inadvertẽtia invincibilis, quo-

Ad quam revocatur omnimoda inadvertentia.

lis,quorum neque ſcrupulus, neque dubitatio, aut incidentia ulla occurrit: talis enim ignorantia nequit humano modo depelli, nec obligationis, de qua ne quidem aliquid incidit,ſcientia haberi.Eſtque perinde quoad forū conſcientiæ, ſive ſit ignorantia facti,ſive juris; juris,inquam,ſive poſitivi,ſive naturalis: nam hujus quoque in certis materiis & perſonis reperiri poſſe invincibilem ignorantiam, ſatis manifeſtum eſt, & alibi tradetur. Denique frequenter advertentia eſt tam parva & tenuis, ut etſi non excuſet à toto ſeu ab omni culpa, excuſet tamen à tanto, ſeu culpâ mortali; quemadmodum ex imperfecta deliberatione peccatum grave fit leve, juxta dicenda in materia de peccatis.

30. *Alia vincibilis* Ignorantia conſequens coincidit cum vincibili(quam Aliqui improbabilem,injuſtam vel culpabilem vocant)ſive eâ,quæ humano modo vinci poteſt, & non vincitur; quia nimirum voluntariè negligitur moralis & communis diligentia, quâ poterat depelli.Et quidem dum ipſa nullo negotio tolli poteſt ab operante,ne parvam quidem diligentiam cupiēte adhibere,dicitur craſſa & ſupina;*Quæ interdum eſt craſſa ac ſupina* quia videlicet more craſſi & pinguis hominis operans eſt deſes & piger in ea depellenda, vel more jacentis ſupinè in lecto, qui de nulla re curat, ignorantiam negligit expellere. Quando autem ipſe operans cupit ſeu affectat ignorare, vocatur ignorantia affectata,*Interdum etiam affectata.* quæ eſt directè voluntaria,& frequentiùs contingit, ut ſic homo liberiùs peccet, qui nolens operari contra agnitam veritatem non cupit ſcire, ſitne actio licita nec ne. Et hâc ignorantiâ ſæpè laborant addicti iniquis contractibus vel alicui opinioni erroneæ à quibus divelli non cupiunt. Ad eamdem etiam revocari poteſt, quando meritò quis dubitat, num aliquid liceat, & ut liberiùs procedat, non vult de veritate inquirere.

Ignorantiam antecedentem & conſequentem Nonnulli paulò aliter explicant, addentes concomitantem. *D. Thomas* & paſſim alii paulò aliter loquuntur de ignorantia antecedente & conſequente; quibus addunt concomitantem. Ignorantiam antecedentem vocant, quæ non eſt volita,& eſt cauſa operis, quatenus opus non fieret,ſi ignorantia abeſſet. Hanc habet,qui interficit hominem,quem inculpabiliter putat eſſe feram, & alioquin non interfeciſſet.Concomitantem vocant, quæ quidem non eſt voluntaria, tamen non eſt cauſa operis,quatenus opus æquè bene fieret, etſi ignorantia abeſſet. Talem habet occidens inimicum, quem invincibiliter putat eſſe feram, ſed equidem occidiſſet, etſi inimicum eſſe ſciviſſet. Conſequentem denique vocant, quæ eſt expreſsè vel tacitè voluntaria.Quæ explicatio hoc ſenſu tolerari poteſt, quòd ignorantia antecedens ſit cauſa vel potiùs cōditio ſine qua non operis. Ignorantia autem concomitans non ſit talis conditio ſine qua non: quàmvis utraque meritò vocetur antecedens reſpectu voluntatis (reſpectu enim operis antecedit etiam ignorantia conſequens) cujus conſenſum antevertit; ſicque utraque eſt cauſa, cur opus hîc & nunc non ſit voluntarium. Juxta hanc igitur explicationem loquendo cum multis

Dico I. Ignorantia antecedens cauſat 31. *Ignorantia antecedens cauſat non voluntarium.* ſimpliciter involuntarium negativè,id eſt, non voluntarium; non tamen poſitivè ſeu noluntarium. Ita communiter Doctores. Ratio eſt:quia opus conſequens nec eſt volitum in ſe,utì nec cognitum; immo ſi cognitum fuiſſet,voluntas illud noluiſſet.Neque etiam eſt volitum in cauſa; cùm & ipſa cauſa, ſcilicet ignorantia, ſit involuntaria: ergo opus conſequens nec directè nec indirectè eſt volitum. Quia tamen fieri poteſt, ut operans conditionem operis ignoratam poſitivè non nolit,immo numquam de ea cogitaverit, idcirco ignorantia antecedens cauſat involuntariū negativè:quàmvis operans in præparatione animi ſit ita conſtitutus,ut ſi ſciviſſet, facere noluiſſet. Propter quod Nonnulli vocant involuntarium poſitivè,moraliter ſeu quâdam interpretatione.

Ex dictis ſequitur id quod fit ex tali 32. *Excuſatq; à culpa.* ignorātia non imputari in culpam;cùm prava conditio operis nullatenus ſit volūtaria. Prout patet in occiſione hominis, qui putabatur fera:hæc enim ſolùm eſt voluntaria, quatenus eſt exploſio & trajectio feræ, non quatenus eſt occiſio hominis.Unde quando actioni vel circumſtantiæ pœna excommunicationis,irregularitatis, aut alia eſt impoſita,non incurritur ab operāte ex tali ignorantia. Quare talis non debet puniri tamquam homicida, nec fit irregularis etiam irregularitate homicidii caſualis, aut reſtitutioni obnoxius. Et ita de multis aliis eſt judicandum; quæ prudens confeſſarius diligenter conſiderare debet.

Dico II.Ignorantia concomitans ſimi- 33. *Idem eſt de ignorantia concomitante.* liter facit opus non eſſe volūtarium; quàmvis non cauſet poſitivè involuntarium. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia opus conſequens non poteſt procedere à voluntate illud expreſsè intendente, cùm ſit voluntati incognitum: neque etiam ab intendente illud interpretativè ſeu in ſua cauſa, cùm ipſa quoque cauſa,ſcilicet ignorantia, non ſit voluntaria, ſed conſenſum voluntatis antevertat. Quare etiam excuſat à culpa: ut enim ab hac excuſet,non requiritur,ut opus ſit poſitivè nolitum,ſed ſufficit, ut nōn ſit voluntarium. Si tamen re cognitâ operās poſtea ſibi in opere complaceat,v.g.in occiſione inimici,peccat peccato interno homicidii. Quòd ſi etiam ante ipſum opus deſideraret hoc modo:occiderem,etſi ſcirem inimicum;peccaret quidem affectu interno,non tamē actu externo homicidii; adeóq; non ſubjaceret pœnæ,à qua juxta omnes excuſat ignorantia invincibilis facti,quæ hîc ſupponitur. Cōfirmatur,quia

ſi in

ſi in iſtis circumſtantiis occideretur alius, non committeretur homicidium externum; ergo nec ſi occidatur inimicus.

Nec refert, quòd ejuſmodi occiſio placeat, & eſſe volita ſupponatur: nam etſi ſit volita inſtar objecti, non tamen per modum actionis humanæ, in quam voluntas hîc & nunc influat efficaciter; adeòque non procedit actio à voluntate tamquam principio illius intrinſeco cum ſufficienti cognitione: voluntas enim quæ in opus influit, non eſt ſimplex rei deſiderium, ſed efficax intentio: quæ in præſenti non habetur; cùm ſatis caveatur, ne homo occidatur.

34. *Ignorantia conſequens cauſat voluntarium*

Dico III. Ignorantia conſequens non cauſat involuntarium, ſed voluntarium, ſcilicet in cauſa. Ita omnes Doctores. Ratio eſt: quia ipſa ignorantia eſt voluntaria, ſive directè, ſive interpretativè, adeòque & opus conſequens: nam qui vult antecedens ex quo ſcit malum ſequi, cenſetur etiam velle ipſum conſequens malum; quantumvis non adſit phyſica advertentia actionis aut circumſtantiarum ejus, quæ equidem adeſt interpretativè, quatenus operans voluntariè negligit cognitionem. Unde qui incautè ſagittam emittit, convincitur velle homicidium, cujus ſecuturi periculo volens ſe exponit, eſto ipſum homicidium expreſsè nolit. *Nec tollit culpam,* Quare ignorantia hæc non tollit peccatum, quia operans illam tollere poterat & debebat, idque ſupponit Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quoniam ignorans feci.* Et 1. *ad Cor.* 14. *Si quis ignorat, ignorabitur.*

Fieri nihilominus poteſt, ut ignorantia quæ pro aliquo tempore erat vincibilis, poſtea fiat verè invincibilis, quantacumque diligentia adhibeatur ad illam depellēdam. Tunc autem culpa formalis conſideranda eſt pro tempore quo adhuc ipſa ignorantia ſuberat libertati. Quare deinceps opus conſequens cenſetur effectus peccati: ſicut de opere in ebrietate commiſſo, vel cōſequente omiſſionem liberam, dum ipſum ampliùs non ſubjacet libertati, dicetur. *diſp.* 5.

Dico IV. Ignorantia conſequens cauſat ſubinde involuntarium ſecundùm quid, aut certè voluntarium minuit. 35. *Interdum tamen cauſat involuntarium ſecundùm quid,* Prima pars patet, dum v.g. quis occidit hominem ex ignorantia culpabili, quem, ſi cognoviſſet, nullatenus occidere voluiſſet: immo quem de facto non vult, etſi inefficaciter, occidere. *Aut ſaltem voluntarium minuit.* Secunda pars patet: quia cognitio ſeu notitia, quæ in tali opere concurrit, eſt longè imperfectior; ergo ceteris paribus eſt imperfectius voluntarium. Quod maximè locum habet in ignorantia vincibili non affectata. Alioquin ſi opus ex ignorantia affectata perpetratum conferatur, ut communiter ſolet, cum alio facto ex concupiſcentia vel ignorantia culpabili, indubiè illud, ceteris paribus, eſt pejus opere, quod communi & ordinario modo perpetratur: qui enim affectat ignorare, id facit, ut tantò liberiùs exerceat opus, in quod propendet. Quamquam collatum cum alio opere, quod perpetratur ex plena advertentia malitiæ, ſit eo minùs voluntarium: quia cùm ad rationem voluntarii requiratur ſcientia, ceteris paribus, ignorantia cauſat in opere diminutionem aliquam voluntarii. Aliundè tamen majori intenſione & cæco impetu homo fertur in opus, dum laborat ignorantiâ affectatâ, quàm ferretur, ſi malitia plenè cognoſceretur. Unde ex hac parte poteſt peccatum ex ignorantia affectata commiſſum eſſe gravius commiſſo ex certa ſcientia. Eò ampliùs, quòd ejuſmodi peccator ſcintillam conſcientiæ conetur extinguere, quam tamen menti noſtræ Deus indidit, ut eſſet frænum retrahens à peccando. De talibus proinde graviter conqueritur Scriptura *Pſal.* 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

DISPUTATIO SECUNDA.

De Libertate Actuum humanorum.

Opportunè hîc de Libertate agitur: tum quia illius frequenter facta & facienda eſt mentio: tum quia actus liber eſt quid minùs commune actu voluntario, de quo hactenus ſermo. Tum denique: quia libertas eſt maximè conſiderabilis conditio actûs humani; immo actus humanus ſubinde cum libero confunditur, quatenus nimirum conſideratur in ordine ad meritum & demeritum, ſive ad laudem & vituperium. Quàmvis generaliùs loquendo actus humanus appellari poſſit quilibet perfectè voluntarius, eſto non liber; cùm eo ipſo, quo procedit à voluntate deliberatè agente, procedit ab homine humano modo ſeu non competente brutis.

QUÆSTIO I.

An Homo, etiam lapſus, ſit præditus libero arbitrio?

Nota I. Triplicem diſtingui potiſſimùm libertatem, à ſervitute videlicet, à coactione, & à neceſſitate. 1. *Triplex libertas.* Juxta primum modum cenſentur liberi, qui non ſunt mancipia, ſeu non ſubditi ſervituti propriè dictæ. *A ſervitute* Juxta ſecundum, qui in operationibus ſuis ſponte procedunt ſeu non patiuntur violentiam aut coactionem. Quo modo coincidit cum ſpontaneo,

A coactione taneo, & convenit etiam brutis, quæ etſi determinentur neceſſariò ad agendum, nõ tamen cogũtur. Cogi enim propriè dicitur quis ad aliquid, quod procedit ab extrinſeco contra appetitum paſſi. Quidquid autem bruta agunt, procedit ab intrinſeco ſeu proprio appetitu. Etſi hic interdum per minas ad ſponte agendum determinetur. Quo ſenſu interdum dicuntur bruta compelli ſeu cogi. Immo & homines in actionibus voluntariis & abſolutè liberis, dum adiguntur metu, dicuntur lato ſenſu (qui non eſt ad propoſitum) cogi. Quin & ipſe Deus dicitur interdum cogi, id eſt, inclinari, v.g. à ſua bonitate, juxta quod canit Eccleſia: *Ipſa te cogat pietas, ut mala noſtra ſuperes parcendo.* Juxta tertium modum liberi *A neceſſitate.* cenſentur, qui non ſolùm ſponte agunt, ſed inſuper nullâ conſtringuntur neceſſitate ad agendum, ſed pro libitu poſſunt agere & non agere. Hic tertius modus intenditur in præſenti quæſtione, & eſt controverſus inter Hæreticos & Catholicos. Poſſent quidem & alii modi libertatis recenſeri, ut libertas à peccato, à morte, à miſeria, à diabolo; item à lege, à juſtitia. Quorum omnium meminit Scriptura, ut *Joan.* 8. *Ad Rom.* 6. 7, *&* 8. Et 2. *Petri* 2. & alibi. Sed hi modi ferè ſunt metaphorici, & facilè revocantur ad libertatem à ſervitute propriè dictâ: cùm cenſeatur quædam ſervitus peccati & diaboli, item mortis ſeu corruptionis & miſeriæ, ac denique legis veteris. Immo etiam eſt ſervitus Dei; à qua ſe eximere ſtudent, qui liberi ſunt juſtitiæ, conjicientes ſe in miſerrimam ſervitutem peccati; cùm tamen Dei ſervitus ſit vera, immo regia libertas.

2. *Veteres non ſemper exactè diſtinxerunt inter nõ coactum & non neceſſarium.* Nota II. Veteres non exactè ſemper diſtinxiſſe inter non coactum & non neceſſarium. Plerumque enim ſic loquuntur, ut dicant voluntatem non cogi, ſed volũtariè agere, ut patet ex *Auguſtino* in ſcriptis ſuis contra *Manichæos* & aliis Patribus. Quo nil aliud intelligunt, quàm voluntatem nullâ neceſſitate naturali conſtringi, ſed ipſam agere tamquam voluntatem, ſeu proprio nutu, poteſtate ac dominio, prout ſibi placet. Nam iiſdem in locis indifferentiam voluntatis ad utrumlibet patentiſſimè exprimunt. Et alioquin non fuiſſent locuti ad rem, quæ erat controverſa. *Manichæi* ſiquidem, *Stoici* & ſimiles non aſſerebãt voluntatem hominis propriè violentari & cogi, ſed neceſſitate naturali ſtringi. Sufficiat unicus locus *Auguſtini l. 2. de actis cum Felice Manichæo*, ubi poſtquam *c.* 3. dixiſſet, *eſſe liberum arbitrium, atque inde peccare quemq; ſi velit, non peccare ſi nolit, etiam in verbis ipſius Manichæi tibi probo.* Verba hujus ſubjicit *c.* 5. quibus *Manichæus* fatebatur animas ob negligentiam, inobedientiam & indebitam ſui gubernationem puniri, & *quia legem ſibi a Deo liberatore datam pleniùs ſervare noluerint.* Hinc arguit *Aug. c.* 5. *Qui ſervare legem non vult, in poteſtate ejus eſt ſi velit. Non enim dixit, non potuerint; ſed, noluerint: hoc certè quòd nolunt ſervare legem, non à Gente tenebrarum cogũtur: ſi enim coguntur, non nolunt, ſed non poſſunt. Si autem nolunt, non utique coguntur ut non faciant, ſed voluntate ſuâ nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate eſt ut nolint, peccatum eſt certè ſine aliqua neceſſitate gentis tenebrarum &c.* Unde ipſe *Felix* (qui tandem fuit convictus) apud *Aug. ſup. c.* 12. *Si* (ait) *in arbitrio noſtro ſumus, nemo neminem cogat. Quando voluero, ero Chriſtianus: voluntas nobis ſubjacet, aut eſſe Chriſtianum, aut non eſſe.*

Nota III. *D. Thomam, D. Bonav. Scotum* & plures veteres Scholaſticos interdum appellare voluntatem liberam, etſi neceſſariò agat, dum tamen non coactè. Tunc autem liberum confundunt cum perfectè voluntario; quale reperitur in amore neceſſario, quo Deus amat ſeipſum. Unde hoc ſenſu Pater & Filius liberè ſpirant Spiritum ſanctum. Sed non agũt de libero prout requiritur ad bonos mores & malos, ſive ad meritum & demeritum, præmium & ſupplicium; ut rectè obſervavit *Eſtius, Bellarm.* & alii paſſim, contra Hæreticos, præfatorum Auctoritatibus peſſimè abutentes. Unde phraſi *Scotiſtarum* prior libertas dicitur eſſentialis, & phyſica; eſtque ſolùm lubentia quædam: poſterior autem accidentalis, ac ab actu volũtatis ſeparabilis, item moralis: quæ etiam ſola ſimpliciter hodie ſtat pro libertate. Phraſi autem *D. Bonaventuræ* à priori dicitur arbitrium liberum, à poſteriori verò deliberãs. Phraſi denique *D. Thomæ* à priori dicitur voluntas libera, à poſteriori verò liberum arbitrium. Alioquin *Scotus* luce meridianâ clariùs admittit in voluntate noſtra indifferentiam ad oppoſita, ut videre eſt 1. *d.* 38. *q. un.* Idemque validiſſimè probat 2. *d.* 25. *q. un.* Et 3. *d.* 17. *q.* 1. *n.* 3. ait: *Dicitur autem libera voluntas, in quãtum in poteſtate ejus eſt, ita elicere actum oppoſitum ejus inclinationi, ſicut conformem, & non elicere, ſicut elicere.* Similiter *D. Bonav.* 1. *d.* 38. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* ubi ait: *Quidam dixerunt, quòd præſcientia neceſſariò, cùm ſit infallibilis, imponit neceſſitatem, & ideo abſtulerunt liberum arbitrium & peccatum. Iſta poſitio fuit hæretica & iniqua, quia deſtruit bonos mores. Alia poſitio fuit, quòd divina præſciẽtia, ſi eſſet, neceſſitatem imponeret, & ſic omnis virtus & laus periret. Et quia dilexerunt rempublicam, ideo abſtulerunt à Deo præſcientiam, & à propoſitionibus de futuro abſtulerunt veritatem. Et hæc hæretica fuit & impia, quia derogavit nobilitati divinæ. Tertia poſitio eſt Catholica, quæ Deum honorat, & bonos mores conſervat: & ideo juſta, pia & vera: quia divina præſcientia eſt, & tamen non imponit rebus neceſſitatem &c.* Et 2. *d.* 41. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* libertatem a neceſſitate requirit etiam ad peccandum venialiter. Vide eumdem *d.* 28. *ar.* 2. *q.* 2. Et clariſſimè *Breviloquii par.* 2. *c.* 9. *in fine.* Poſtremò ejuſdem *Brevi-*

3. *Principes Theologorum interdum cõfundunt liberum cum perfectè voluntario, & quo ſenſu.*

Breviloquii par.5.c.3. Longum foret immorari clariſſimis *Doctoris Angelici* teſtim oniis. Unum è multis ſufficiat. *Qu.6.de malo a.un.* quærit, *Utrùm homo habeat liberam electionē ſuorum actuum, aut ex neceſſitate eligat?* Reſpondet autem in corp. *Dicendum, quod quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id cujus principiū eſt extrà. Hæc autem opinio* (NOTA) *eſt hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur eſſe demeritoriū vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit ut vitare non poſſit.* Qui plura deſiderat, adeat *Alexandrum Sebille* in *Libris de lib. arbitrio* operosè contra *Janſenium* conſcriptis, & *Stephanum DeSchamps l.3.contra eumdem à c. 19. uſque ad 25.* qui pleroſque alios Scholaſticos ab errore eis falsò impoſito vendicant.

4. *Liberum arbitrium deſcribitur.* Nota IV. Liberum arbitrium ſeu à neceſſitate communiter & rectè deſcribi facultatem agendi & non agendi, vel agendi hoc & ejus oppoſitum, poſitis prærequiſitis ad agendum. Soletq; ejuſmodi libertas etiam dici indifferentiæ vel ad oppoſita. Et quidē ſi ſit præcisè ad contradictoria, id eſt, agendum aliquid & idem non agendum, dicitur libertas exercitii vel contradictionis: Si verò ſit ad volendum aliquod objectum, & idem nolendum, vel ad agendum plura oppoſita ſeu contraria, dicitur ſpecificationis vel contrarietatis.

5. *Generaliter ſumptum non requirit facultatem ad malum,* Nota V. Etſi liberum arbitrium in communi non requirat libertatē contrarietatis ad bonum & malum; Scripturam tamen & Patres frequenter explicare libertatem noſtram per facultatem eligendi bonum & malum. Agunt ſiquidem de libertate viatorum, adhuc peccare, uti mereri valentium. Alioquin Deus eſt liberrimus in eligendis bonis, quatenus poteſt bonum aliquod decernere vel omittere, aut unum è pluribus pro libitu amplecti: ſimiliter Beati, quos peccata delectare nō poterunt. *Magis quippe erit liberum* Beatorum arbitrium (ut ait *Aug.22.de Civit.c.ult.*) *à delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum,* per felicitatem nempe beatitudinis. His ita notatis, ac præfatâ liberi arbitrii notione ſuppoſitâ,

6. *Dari ipſum in homine lapſo fides docet.* DICO: Fide certiſſimum eſt, dari in homine, etiam lapſo, liberum arbitrium. Eſt contra *Manichæos* (quorum auctor *Manes*, nomine ſuo præferēs maniam ſeu inſaniam in tot à ſe excogitatis figmentis relucētem) qui delirabant in uno homine eſſe duas animas, unam bonam, quæ ſit fragmentū divinæ ſubſtantiæ, & neceſſariò bona operetur, niſi quando polluitur ſeducta ab altera anima mala, cui nequeat reſiſtere. Hanc verò eſſe deciſam à malo principio dicebant, & ſive Carnem, ſive Gentem tenebrarum vocabant, nec niſi malum ex natura ſua ſeu neceſſariò arbitrabantur. Eſt etiam contra *Priſcillianiſtas*, & quoſdam Aſtrologos judiciarios, qui voluntatem hominum alligarūt fato ſive fatali neceſſitati, fatum ſtatuentes vim poſitionis ſiderum. Quod etiam de quibuſdam *Stoicis* teſtatur *Aug.5. de Civit. c.1.* quàmvis alii fatum ſtatuerint in divina præſcientia & præmotione, ſive in ſe neceſſariâ, ſive ſaltem nos neceſſitante. Idem quoque fecerunt poſt *Abailardum* Wicleffiſtæ dicentes omnia evenire de neceſſitate abſoluta.

Eſt inſuper contra *Lutherum, Calvinum* & eorum ſequaces, dicentes liberum arbitrium hominis lapſi eſſe titulum ſine re. Quod poſtea *Lutherus* ita mitigavit, ut in naturalibus ſive civilibus fateatur nos eſſe liberos, ſecùs in iis quæ ad pietatem vel ſalutem ſpectant.

Eſt denique contra quoſdam Hæreticos poſteriores, qui (teſte *Eſtio 2.d.24.§.2.*) dum cum *Martino Luthero* liberum arbitrium apertè negare non audent, ut *Calvinus* & *Bucerus*, ita vocabulum liberi arbitrii retinent propter Sanctorum Patrum Auctoritatem, ut tamen propriam ejus rationem jam à nobis explicatam tollant, ac proinde rem ipſam deſtruant. *Nonnulli Hæretici illud nominetenus admittentes rem deſtruunt.* Docent enim libero arbitrio non repugnare neceſſitatem naturalem, ſed ſolam neceſſitatem coactionis. Et hac ratione hominem poſt peccatum fatentur eſſe liberi arbitrii, quia non coactè, ſed ſponte & voluntariè operatur. Hactenus *Eſtius.* Iſti ſunt imitati in hac doloſa cautela Wicleffiſtas, de quibus Waldenſis *l.1. Doctrinal. fidei ar.1.c.22.* *Profitentur liberum arbitrium ſalvare, & ſalvant quidem exemplariter, ſed deſtruunt in effectu.* Nam (ut habet *c.ſeq.*) *Reſpondent communiter, quòd Deus non neceſſitat neceſſitate coactionis ad bonum vel malum futurum, quia illa ſola tollit arbitrii dignitatē, non autem alia neceſſitas præveniens abſolutè futuritionem effectûs.* Sed ſicut hoc nō obſtante Eccleſia eos velut liberi arbitrii everſores jure damnavit, ſic indubiè damnavit in *Calvino* etiam illos, qui indifferentiâ negatâ libertatem nominetenus concedunt. Hi ſiquidem à parte rei non differunt à *Calvino* & ſimilibus expreſsè liberum arbitrium negantibus. *Hanc enim voluntatis libertatem, quæ coactionem excludit, & externum motum, quo violenter trahitur volūtas, nec Manichæi, nec Valla, nec ulli Hæretici negaverunt: noverunt enim inſeparabilē eſſe à voluntate,* ut inquit *Ruardus Tapperus art.7.* in *reſponſ.* ad argum. *Calvini* contra liberum arbit. *Ideoq; de hoc libertatis modo nūquam fuit aut potuit eſſe quæſtio, quam omnes evidentiſſimè in ſe ſentiunt, & ſine quo natura voluntatis aliter cōcipi non poteſt,* inquit *Cunerus Petri* Epiſcopus Leowardienſis *l.de lib. arbitr.c.5.* Unde *Martinus Bucerus l.de Concordia doctrinæ* ait: *Pax eſt Catholicos inter & Lutheranos, ſi ſola coactio libertati repugnet.* Idemque profitentur non ſolùm *Calviniſtæ*

recentiores, ipſorumque *Synodus Dordrechtana*, ſed etiam ipſe *Calvinus*; tum alibi, tum *l. 2. de lib. arbitr. contra Phigium* dicens: *Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor & conſtantiſſimè aſſevero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecùs ſentiat: ſi hoc (inquam) ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſuâ, nihil moror.* Itaque *ſtatus controverſiæ eſt, an ad liberum arbitrium conſtituendum requiratur libertas à neceſſitate, an verò ſufficiat à coactione; Papiſtæ negant, nos affirmamus,* inquit *Scharpius Calviniſta l. 2. de lib. arbitr. c. 2.* Eodemque ſenſu omnes Catholici tractatores eos impugnant, inter ceteros, *Ruardus, Cunerus, Eſtius, Bellarminus, Malderus, Felſius, Horantius* & alii; adeòque & nos impugnabimus.

7. *Veritas Catholica probatur ex Scriptura,*

Probatur I. Veritas Catholica ex Scriptura, in qua innumera occurrunt loca, in quibus fit mentio electionis, conſilii, vel poteſtatis agendi utrumlibet oppoſitorum; adeòque clarè ſignificatur, homini competere facultatem agendi & non agendi citra neceſſitatem, & in illa ſitam eſſe libertatem arbitrii. Sic *Gen. 4.* dicitur: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Num. 30. In arbitrio viri erit ſive faciat, ſive non faciat. Deuteronom. 30. Teſtes invoco hodie cælum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, ut & tu vivas & ſemen tuum. Joſue 24. Optio vobis datur, eligite quod vobis placet. 2. Regum 24. Trium tibi datur optio, quodcumque volueris elige. Eccli. 15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui: adjecit mandata & præcepta; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te . . . . . . appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, quod placuerit ei, dabitur illi.* Cujus loci claritas convicit *Calvinum*, ut admitteret liberum arbitrium in primo homine ante lapſum. Sed ex verbis relatis & contextu ſatis patet Eccleſiaſticum alloqui homines etiam tunc viventes. Nec eſt cur per lapſum libertas periiſſet: cùm efficax motio divinæ voluntatis ad quævis opera hominis (ob quam *Calvinus* negat liberum arbitrium) non inceperit cum lapſu Adami. Item *Eccli. 31. Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Denique multis aliis omiſſis *Matth. 12. Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum.* Circa quæ verba *Aug. l. 2. de Actis cum Felice Manich. c. 4.* ait: *Cùm ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam . . . . . habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*

Probatur II. Ex definitionibus Eccleſiæ. 8.

Ex definitionibus Eccleſiæ,

Nam noviſſimè quidem *Innocentius X.* Bullâ *Cum occaſione* declaravit eſſe hæreticam, & uti talem damnavit hanc *Janſenii Iprenſis Epiſcopi* (qui prô dolor! incautè nimis ad dogma Hæreticorum acceſſerat, ſubmiſſis tamen ſententiis ſuis judicio S. Matris Eccleſiæ, in fine operis) propoſitionem: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Ubì à fortiori idem ſupponitur (quod nec *Janſenius* negavit) de ſtatu naturæ integræ, ut proinde ſenſu quaſi accumulativo definiatur libertatem indifferentiæ requiri etiam in ſtatu naturæ lapſæ. Antea verò *Pius* V. *Gregorius* XIII. & *Urbanus* VIII. damnarunt hos *Michaëlis Baii* articulos: *Quòd voluntariè fit, etiamſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit.* Et: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et adhuc antea *Trid. ſeſſ. 6. Can* 4. definivit *liberum arbitrium cooperari aſſentiendo Deo excitanti, & poſſe diſſentire, ſi velit.*

Signanter ex Tridentino.

Ubì clariſſimè ſupponit, quòd iſtud velle, adeòque diſſentire ſit in poteſtate hominis. Si enim gratia Dei vocantis ſit neceſſitans, non rectè diceretur: poteſt homo gratiæ ipſum neceſſitanti diſſentire, ſi velit, quia videlicet ſi vellet (quod ſupponitur impoſſibile) jam diſſentiret. Aliàs etiam dici poſſet: poteſt Deus peccare, ſi velit: poteſt Pater non ſpirare Spiritum ſanctum ſi velit: poteſt brutum peccare, ſi velit. Qui modi loquendi ſunt ineptiſſimi: dum enim ita loquimur, ſupponimus iſtud velle eſſe in noſtra poteſtate, adeòque particula *ſi* non ſumitur merè conditionaliter aut concomitativè, nec merè vim conſequentiæ habet, ſed importat habitudinem principii ſeu potentiæ reſpectu velle aut diſſentire. Et propterea *de quocumque poſſum dicere, quòd homo poteſt facere, ſi vult, poteſt etiam dici ſimpliciter, quòd homo poteſt facere illud*; ut optimè *D. Tho. quodl. 5. q. 2. a. 4.* Nec refert, quòd *Tridentinum ſup.* addat, *hominem non veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere*; ſcilicet contra *Lutherum*. Nam hujus ineptum loquendi modum ſic damnat, ut inſuper declaret hominem cooperari, & quidem liberè contra *Calvinum*, & ipſos *Lutheri* aſſeclas, qui duriorem *Lutheri* locutionem mitigarunt, ut *Melanchton* & reliqui dicentes cum *Calvino* hominem cooperari, ſed neceſſariò. Quem loquendi modum interdum etiam adhibet ipſe *Lutherus*: ut proinde ſint non ſolum Catholici, ſed etiam Sectarii (inter quos *Chemnitius in Examine Tridentini ad ſeſſ. 6.*) qui arbitrentur eum diverſo loquendi modo ſolùm voluiſſe excludere cooperationem liberam, phraſi Theologorum dicentium voluntatem ad motus gratiæ prævenientis ſe habere paſſivè, illoſque Deum operari in nobis ſine

ne nobis, ſcilicet liberè cooperantibus. Idem *Trid. ſup. can.* 5. definit *liberum arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum non eſſe, neque eſſe titulum ſine re.* Loquitur autem de libero non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate, prout loquebantur Hæretici, quorum dogmata, immo verba damnat; & prout liberum arbitrium communiter accipitur, & acceptum fuerat, dum contra antiquiores ejuſdem hoſtes propugnatum ac declaratum fuit. Aliàs ſanè dogma *Calvini* (qui non ſemel proteſtatur ſe nolle de nomine diſputare) quod rem ipſam attinet, manſiſſet à *Tridentino* intactum, quod abſurdiſſimè dicitur, & communi ſenſui non ſolùm Eccleſiæ ac Doctorum, ſed etiam ipſorum Sectariorum repugnat.

9. *Inſuper ex communi ſenſu Patrum,*

Probatur III. Ex innumeris & clariſſimis Patrum teſtimoniis, quæ recitat *Bellarminus l. 4. de grat. & lib. arbit. c. 9.* Et *l. 5. c. 25. & ſeqq.* Sed cùm ipſe *Calvinus* fateatur tam Græcos quàm Latinos Patres ſibi adverſari, unico potiſſimùm *Auguſtino* inaniter gloriatus, de cujus mente ſimiliter fuit hiſce temporibus in Belgio & Gallia diſceptatio: idcirco ex ſolo *Auguſtino* pauca proferenda duxi. Is itaque tribus Libris de lib. arbitrio totus quaſi eſt in probando libertatem arbitrii. Item *l. 2. de actis cum Felice Manichæo c. 3. & 4.* Et *l. de fide contra Manichæos c. 10.* Et *l. de quantitate animæ c. 36.* & in aliis ſcriptis ante ortam hæreſim Pelagii. Unum referre ſufficiat, qui etſi clarus, tamen cavillationi, à qua eſt liberandus, patet. *L. de duab. animab. c. 11. Peccatum* (inquit *Auguſtinus*) *eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere ..... Nec hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant &c.* Dixerunt porrò aliqui *Calviniſtæ* S. Doctorem ibi definire ſolum Adæ ſeu hominis integri peccatum, eò quòd *l. 1. Oper. imperfecti*, nunc perfecti ex editione noviſſimi ſupplementi, *cap.* ſeu *num.* 47. dicat: *Ipſe eſt Adam, quem noſtra definitio intuebatur.* Et infrà: *Scias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque ...... peccatum iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque*; prout ſunt peccata hominis lapſi, videlicet & peccatum & pœna peccati. Equidem clariſſimum eſt ex ipſo *Auguſtino*, non ſolius hominis integri peccatum ibi definiri; ſubdit enim: *Multa quippe ſunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere; ſed nulli tam liberum eſt, quàm illi* (Adamo) *fuit.* Et *c.* 105. *Cùm igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodò peccata ſunt* (En phraſi Auguſtinianâ hominis lapſi peccata, quæ non cenſeantur ſimul pœna peccati) *unde ab eis liberum eſt abſtinere &c. quomodo dicis,* Juliane, *definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inveniri &c.* Et *l. 6. Oper. perfecti c. 17. Illud quod peccatum ita eſt, ut non ſit etiam pœna peccati, definitio iſta determinat; quod maximè* (non ergo ſolùm) *ad illum pertinet*, Adamum ſcilicet. Et *l. 1. cap. 60.* ait: *Ubi autem dixiſti; Nihil eſt peccati in homine, ſi nihil eſt propriæ voluntatis, vel aſſenſionis* (utique liberæ, prout *Julianus* intelligebat) *pleniùs verum diceres, ſi adderes, vel contagionis*, id eſt originale in parvulis, ut ex contextu liquet. Accedit, quòd libertatem præfatam eſſe ad peccandum neceſſariam juxta *Auguſtinum l. de duab. animab. cap.* 11. omnis mens apud ſe divinitùs conſcriptum legat: immo deſuper appellet ad totum genus humanum, dicens: *Nonne iſta cantant, & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Qui omnes utique iſta non cantant de ſolo primi hominis peccato, ſed potiùs de ſuis, ſuique ſimilium peccatis. Denique (ut alia prætercam) *Auguſtinus* contra *Manichæos* procedit ſic, ut hi vincerentur, etſi ignorantia & difficultas ſeu concupiſcentia forent naturæ primordia, ut patet 1. *Retract. cap. 9.* & *l. de dono perſev. cap.* 11. adeòque non intendit complecti definitione præfatâ ſolum peccatum hominis integri, ſeu concupiſcentiâ & ignorantiâ carentis.

Signanter Auguſtini,

10. *Etiam in ſcriptis adverſùs Pelagium.*

Sed quia Sectarii provocare conſueverunt ad ſcripta *Auguſtini* contra *Pelagianos*, pauca etiam inde delibanda ſunt. Tantum porrò abeſt, *S. Doctorem* diverſam contra ipſos doctrinam tradidiſſe, ut graviter atque indignè tulerit, à *Pelagianis* ſibi objici, quòd liberum arbitrium immodicâ gratiæ defenſione deſtrueret; eamque calumniam ſtudioſè depulerit, *l. 2. de Nupt. & Concupiſc. c. 3. L. 4. contra Julianum c. 8. L. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 2.* & alibi. Quin immo doctrinam negantem liberum arbitrium poſt exortum *Pelagii* dogma non minùs quàm antè retulit ad hæreſim Manichæorum *Hereſi* 46. Et *l. 4. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 4.* Præterea cum Monachi Adrumetini ſentirent per gratiam deſtrui liberum arbitrium, ea de cauſa expreſsè ſcripſit *Librum de grat. & lib. arbitr. ad Valentinum.* Ipſumque probat ex præceptis, uti fecerat contra *Manichæos*, atque etiam facit *Epiſt. 46. ad Valentinum.* Et *l. de grat. & lib. arbitr. c. 2.* ubi ait: *Quia ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret.* Et infrà: *Quomodo jubet* Deus, *ſi non eſt liberum arbitrium?*

Denique *Auguſtinus* numquam reprehendit *Pelagianos*, quòd defenderent liberum arbitrium, ſed quòd nimias ei vires tribuerent. Unde *l. 2. de Nupt. & Concupiſc.*

c. 3.

Cum quo non fuit Auguſtino lis de voce aut veritate, ſed de viribus liberi arbitrii.

c. 3. *Liberum in hominibus eſſe arbitrium ...... utrique dicimus, non hinc eſtis Caleſtiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei ..... hoc vos dicitis, hinc eſtis Caleſtiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum eſt nomen?* Id igitur diſcrimen erat, quòd *Pelagiani* poſſe gratiæ attribuerent ipſi naturæ, quaſi ſufficienti ad operandam juſtitiam, & complenda mandata; cui fides Catholica in hoc contradicit: nam hæc neque liberum arbitrium negat, neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia valeat aliquid.

Unde *B. Aug. l. de gratia Chriſti c.* 31. virgâ cenſoriâ notans verba hæc *Pelagii*, quibus ſe nititur purgare apud *Innocentium I.* Epiſt. ad eumdem, *Ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio*, ſolùm movet *Auguſtinus* quæſtionem de qualitate adjutorii: *Quærimus* (inquit) *quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne fortè, ſicut ſolet, velit intelligi legem atque doctrinam.* Alioquin admiſsâ neceſſitate veræ Chriſti gratiæ ad non peccandum & mandata implenda, ſublata fuiſſet diſſenſio, dextræque jungendæ, ut videre eſt *lib. cit. c.* 7. 29. 44. & 47.

11. Ex quibus clarè patet non fuiſſe quæſtionem inter *Auguſtinum* & *Pelagianos* de libertate indifferentiæ ad merendum & peccandum requiſitâ; ſed quoad hanc fuiſſe utriſque commune dogma, atque adeò in eodem ſenſu ſeu acceptione vocis. Quod ulteriùs declaratur: nam *l. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c.* 18. docet agnoſcendum arbitrium *quod huc atque illuc liberum flectitur.* Et *ibid. ſuprà.* præmiſerat: *Ipſa ratio quemlibet noſtrum vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur &c.* cùm tamen nulla ſit anguſtiæ occaſio, ſi liberum arbitrium non ſumatur pro libero libertate indifferentiæ: nam libertatem à coactione facillimè etiam idiota cum gratia concordare valeret. Nec ſanè credibile eſt Monachos Adrumetinos adeò deſipuiſſe, ut putaverint per gratiam lædi libertatem à coactione; cùm oppoſitum quiſque evidenter in ſe experiretur: ſed putabant tolli libertatem à neceſſitate; quam proinde *Auguſtinus* operosè toto *l. de grat. & lib. arbitr.* ex ordinariis (quibus contra *Calviniſtas* utimur) Scripturis, & (ſicut fecerat contra *Manichæos*) ex præceptis declarat. Quæ optimè obſervavit *Ruardus art. 7. in reſponſ.* ad arg. Calvini *contra lib. arbitr.*

Quòd ſi ſolam coactionem excluderet, facillimè cum gratia concordaretur.

12. Probatur IV. ratione. In primis: quia ſi homo non eſſet liber, fruſtrà ponerentur præcepta, cùm iis homo non eſſet obligatus, ſicut idcirco præceptis non ligantur pueri vel phrenetici. Deinde quia alioquin homines non poſſent mereri vel demereri: quid enim mereri vel demereri poſſumus per illud, quod nullo modo ſitum eſt in noſtra poteſtate, ut ponamus vel vitemus? Ex quo ulteriùs ſequitur, deſtrui præmia & ſupplicia, quæ meritis & demeritis correſpondent. Similibus argumentandi modis utitur *Auguſtinus l. de gratia & lib. arbitr. c.* 2. Et *l. de fide contra Manichæos c.* 10. ubì ait: *Quis non clamet, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere; & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?*

Ratio demùm naturalis arbitrii libertatem oſtendit.

Denique quia in homine eſt conſultatio de pluribus mediis, eamque ſubſequitur electio alicujus medii ad libitum, ut experientia quaſi palpabiliter docet; adeò ut ſi homo verè liber eſſet (prout de facto eum eſſe Scriptura, omnis antiquitas & Eccleſia & gentes fere ſentiunt) non alia quàm quæ nunc libertatis experientia haberetur. Confirmatur: quia alioquin ſi à voluntate medium neceſſariò eligatur, cur *Calviniani*, mox ut læduntur ab aliquo, iraſcuntur, ſi ex animo ſentiant alios neceſſariò ad id eligendum compelli? Quòd ſi dicant ſe ſimiliter iraſci neceſſariò: cur non ſimiliter iraſcuntur, ſi à puero aut phrenetico vel à bruto ſimilem injuriam patiantur, niſi quia his deeſt libertas? Unde *Scotus* 1. *d.* 39. *n.* 13. dicit, *negantes libertatem exponendos eſſe tormentis, quouſque credant, poſſibile eſſe, eos non torqueri.*

Ex quibus fundamentis etiam ſatìs refutatus manet *Lutherus*, qui non admittit liberum arbitrium in iis quæ ſpectant ad pietatem & obſervantiam legis divinæ, ſeu (ut *Lutherani* ajunt) in moralibus. Pleræque enim auctoritates & rationes generaliter loquuntur & probant, aut in ſpecie agunt de ſimilibus actionibus.

Objiciunt I. Hæretici argumenta deſumpta ex Scripturis aſſerentibus Deum omnia noſtra opera operari, ipſumque corda noſtra efficaciter tangere, inclinare &c. *Reſp.* Deum ſecundùm Scripturam non ſic omnia noſtra operari, quaſi nos quoque eadem non operemur, etiam liberè; ſed quia nobis liberè operantibus cooperatur. Efficaciter inclinat quoque voluntates noſtras pro ſuo beneplacito, ſed per illuſtrationes & excitationes prævenientes, quæ etſi non ſint in noſtra poteſtate, tamen voluntatem ad efficacē conſenſum non neceſſitant; ſed ad illum alliciunt efficaciter ſeu infallibiliter perſuadendo, ſalvâ hominis libertate, qui poſſet diſſentire ſi vellet. Quàmvis autem hoc explicatu difficile ſit, & pauci id intellectu penetrare valeant, fatente *Auguſtino l. 2. contra Litteras Petiliani c.* 84. Et *l. de gratia Chriſti c.* 47. ad aſſerendum tamen movet efficaciter, *quod revelavit Deus* 13.

Deus operatur opera noſtra liberè inclinando etiam efficaciter noſtras voluntates.

per Scripturas ſuas ſanctas eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium, ut utar verbis *Auguſtini l. de grat. & lib. arbitr. cap.* 2. quòdque idem ſimiliter per eaſdem revelavit efficacem motionem voluntatis noſtræ per ſuam omnipotentiſſimam voluntatem. Utrumque autem efficaciſſimè *Auguſtinus* contra adverſatios fidei demonſtravit, indeque optimè concluſit firmiter credendam utriuſque concordiam; minùs ſolicitus de modo concordiæ curioſiùs indagando. Unde etiam S. Sedes Apoſtolica ob controverſias de concordia gratiæ & liberi arbitrii exortas, & alioquin ſine fine exorituras prudenter cavit, ne quis ſine ſpeciali ejuſdem S. Sedis licentia hanc materiam prælo committere præſumeret.

14. Objiciunt II. Argumenta deſumpta ex præſcientia & providentiâ Dei. Quæ tamen ſolvenda ſunt ipſi *Calvino* ceteriſque Hæreticis noſtri temporis, qui admittunt libertatem in primo homine ante lapſum; contra quam libertatem hæc argumenta æquè militant. Reſp. autem præſcientiam & providentiam Dei non obeſſe libertati, quia inde non ſequitur opera prævifa & præordinata neceſſariò fieri neceſſitate abſolutâ, aut ex ſuppoſitione antecedente liberam determinationem creati arbitrii; ſed ſolùm neceſſitate illam conſequente (cùm actio libera futura objectivè præſupponatur divinæ præſcientiæ) aut ſaltem concomitante: prout divina providentia ordinavit concurrere concomitanter ad determinationem creati arbitrii; immo arbitrio creato Deum determinante ad ſpeciem actionis. Sanè cùm opera neceſſariò ſint talia, qualia prævidit & providit Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: ſequitur potiùs opera noſtra manere libera, cùm talia prævideris & providerit Deus, qui diſpoſuit concurſum ſuum attemperare noſtro arbitrio, illius agendi modo naturali minimè immutato.

Præſcientia & providentia divina noſtra non officit libertati.

15. Objiciunt III. *Auguſtinum* variis locis aſſerentem, periiſſe peccato liberum arbitrium: *Enchirid. cap.* 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit & ipſum ..... cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium.* Et *l. de perfect. juſtit. cap.* 4. *Victâ vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura.* Et *Epiſt.* 107. *ad Vitalem: Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* Reſp. *Auguſtinum* iſtis locis non loqui de nativa libertate indifferentiæ, ſed tum de libertate à peccato & miſeria, tum de libero arbitrio omnibus ad diligendum Deum viribus inſtructo, ſeu de completa bene agendi poſſibilitate, quæ Adami peccato amiſſa eſt etiam juxta *Caleſtinum Epiſt. ad Gallos cap.* 4. Et non niſi per Chriſti gratiam reparatur. Libertas enim bene agendi perire potuit humanâ voluntate, nec tamen redire niſi divinâ voluntate; ut rectè *Auguſtinus l.* 6. *Oper. poſtremi contra Julianum cap.* 11. & alibi. De cujus aliundè mente nimis manifeſtè conſtat. Unde ipſe *lib.* 1. *contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 2. ait: *Quis noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino: ſi vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*, ſcilicet à peccato, & expediti ad ſerviendum Deo ac bene agendum. Propter quod phraſi *Auguſtini* liberum arbitrium tale dicitur liberatum. Adde *Auguſtinum Enchirid. cap.* 30. dicere, quòd homo ſeipſum perdiderit peccando, utique non quoad ſubſtantiam ſeu veritatem naturæ humanæ; adeòque pariter non vult liberum arbitrium in rei veritate periiſſe.

Liberum arbitrium quo ſenſu à B. Auguſtino dicatur perditum & amiſſum per peccatum.

Objiciunt IV. Loca *Auguſtini* in quibus videtur non exigere indifferentiam voluntatis ad libertatem. Nam *l. de nat. & grat. c.* 46. dictum Pelagii, *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quicquid naturali neceſſitate conſtringitur*, ſic caſtigat: *Et hîc nonnulla quæſtio eſt. Perquam enim abſurdum eſt, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem noſtram, quòd beati eſſe volumus, quia id omnino nolle non poſſumus* (per quod excludit indifferentiam contrarietatis) *Nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare*: certiſſimum autem eſt, Deum eſſe omnino determinatum ad juſtitiam & carere indifferentiâ contradictionis. Reſp. (omiſsâ reſponſione *Eſtii* 2. *d.* 24. §. 2.) cum *Bellarmino*, *Coninck* & aliis, *Auguſtinum* dumtaxat improbare dictum *Pelagii* acceptum in tota ſua generalitate, quia nimirum non quælibet neceſſitas adimit libertatem; idque probat duplici exemplo, in quo eſt neceſſitas quoad ſpecificationem quantùm ad contraria, & manet libertas quoad exercitium ſeu indifferentia contradictionis. Sic enim volumus liberè beatitudinem. Sic etiam Deus etſi non poſſit velle iniquitatem ſeu injuſtitiam, liberè tamen quoad exercitium quædam juſta vult & facit, aut non vult & omittit, ac liberè quoad ſpecificationem ex pluribus juſtis certa eligit. Conſtat enim ad generalem veræ libertatis rationem non requiri facultatem ad bonum & malum; prout contra *Julianum* frequenter arguit *Auguſtinus*, ſignanter in poſtremo adverſùs eumdem opere; adducto exemplo libertatis Dei, qui non poteſt peccare. Quamquam ejuſmodi ſit libertas viatorum; quæ eatenus eſt imperfecta 16.

Caſtigatur ab Auguſtino dictum Pelagii: Voluntatis arbitrio privatur quidquid naturali neceſſitate conſtringitur.

perfecta ſeu defectuoſa, ut rectè *Anſelmus Dialog. de lib. arbitr. c.* 1. obſervat. Quia hoc non obſtante locus eſt perfectiſſimæ libertati in eligendis bonis, juxta *Aug. Enchirid. c.* 105. Et *l.* 22. *de Civit. c. ult.* Manet itaque dictum *Pelagii* verum, nec ab *Auguſtino* negatur, hoc ſenſu, quòd voluntatis arbitrium libertate privetur in iis rebus ad quas omnimodâ neceſſitate naturali omnem indifferentiam etiam contradictionis tollente conſtringitur.

Difficilior videri poſſet locus *Auguſtini* 5. *de Civit. c.* 10. ubi contra *Ciceronem* (qui divinam præſcientiam velut inimicam humanæ libertatis negabat) ita diſſerit: *Si illa definiatur neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis: neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus, neceſſe eſſe, Deum ſemper vivere, & cuncta præſcire*: vita verò Deo non competit liberè libertate indifferentiæ. Reſp. cum *Bellarmino*, *Eſtio* & aliis Catholicis Scriptoribus *Auguſtinum* ibi agere de neceſſitate conſequenti & ſenſûs compoſiti, qualis ſolùm ex præſcientia naſcitur, & quæ libertati non obeſt. Idque probat tribus exemplis. Primum ſumit ex vita Dei, ſcilicet in actu ſecundo; etſi enim Deus neceſſariò ſemper vivat, liberè tamen vita Dei, ſcilicet intellectio & volitio, ad multa terminatur. Similiter ex hypotheſi divini decreti de futuritione rerum, Deus neceſſariò illas præſcit, quas tamen non præſciviſſet; ſi liberè eas non voluiſſet. Eſtque hoc ſecundum exemplum. Tertium eſt, quòd neceſſe ſit, ut homo quidquid vult velit libero arbitrio; & tamen non propterea ponitur liberum arbitrium ſub neceſſitate infensâ libertati. Et conſequenter nec obeſt libertati neceſſitas orta ex præſcientia; utpote conſequens ac ſupponens ipſam libertatem. Abſurdum alioquin foret, vitam Deo eſſentialem quà talem ſubdere divinæ libertati. Et pari jure etiam Deus libere eſſe Deus dicendus foret. Quod præterea ad ſcopum diſputationis minimè conducebat. *Cicero* namque non contendebat per præſcientiam inferri voluntati violentiam, ſed neceſſitatem, & per hanc auferendam eſſe libertatem; quæ ſaltem Philoſophorum more à *Cicerone* ſumebatur pro indifferentia agendi & non agendi. Extra metam proinde ſaltaſſet *Auguſtinus*, ſi tam operosè adſtruxiſſet libertatem à coactione, quæ nec judicio *Ciceronis*, nec ullius ratione utentis per præſcientiam lædebatur. Sed verbo unico controverſia fuiſſet componenda, dicendo videlicet *Ciceronem*, etſi adſtruxerit ſecuturam ex præſcientiâ agendi neceſſitatem, non rectè negaſſe libertatem, utpote ad quam ſufficiat libertas à coactione, quæ per præſcientiam non violatur. Quâ tamen viâ *Auguſtinus* contra *Ciceronem* nequaquam proceſſit.

B. Auguſtinus contra Ciceronem ſalvat cum præſcientia libertatem indifferentiæ.

Prout ex ſcopo diſputationis eſt manifeſtum.

Objiciunt V. Libertatem Dei in amore ſui, Beatorum in amore Dei, dæmonum in peccando, Chriſti denique in adimpletione præceptorum à Patre: in quibus exemplis tamen deficit indifferentia, & ſubeſt neceſſitas phyſica. Reſp. quòd tam certò in iis exemplis deficiat libertas, quàm quòd adſit phyſica neceſſitas. Quæ quidem adeſt indubiè in amore quo Deus amat ſeipſum, & paſſim à Doctoribus ſupponitur adeſſe in fruitione Beatorum (de veritate non diſputo) & juxta Nonnullos ſimiliter in malis dæmonum actionibus; qui conſequenter propriè non peccant. Quoad hos tamen rectiùs dicitur ipſos ſimpliciter & phyſicè eſſe liberos, tum in electione variorum peccatorum, tum in electione & omiſſione peccati: quamquam de facto ſemper peccent, aliquibus ſaltem peccatis, ex voluntaria obſtinatione, quæ ſtatuit ſolùm neceſſitatem moralem & conſequentem. Unde verè peccant: etſi, quia ſunt extra ſtatum viæ, non demereantur. Hinc è contrà de facto non peccant omittendo actum aliquem ſupernaturalem, utpote ipſis impoſſibilem defectu principii ſupernaturalis. Quoad Chriſtum denique certum eſt, ipſum præditum fuiſſe libertate indifferentiæ, quæ requiritur ad meritum. Hoc autem difficultatem ſpecialem habet, tractandam in materia de Incarnatione. 18.

Libertas in Deo, Beatis, dæmonibus, Chriſto, nulla eſt ſine indifferentia.

Objiciunt VI. Si indifferentia volendi & non volendi requiratur, non videtur adhuc ſufficienter ſalvari libertas Dei: qui hoc ipſo quo ſemel aliquid voluit, ratione immutabilitatis ſuæ ſemper neceſſariò perſeveraret in eodem velle: adeòque non eſſe, ſed potiùs fuiſſe liber, uti indifferens, eſt dicendus; immo nequidem fuiſſe indifferens, cùm ſemper & ab æterno fuerit ad unam partem determinatus. Reſp. de libertate ſeu indifferentia divinæ voluntatis non poſſe dubitari; quam ex Fide contra Nonnullos hæreticos tradidimus *P.* 1. *Tract.* 1. *d.* 7. *q.* 1. Ad præſens verò argumentum eſt duplex Reſponſio probabilis. Prima *Capreoli*, *Zumel* & aliorum, qui ſpectant divinas volitiones prout in aliquo tempore reali vel imaginario exiſtentes, earumque durationem indiviſibilem metiuntur quibuſdam quaſi ſucceſſivis inſtantibus, quibus coexiſtit aut coexiſtere poteſt ſeu concipitur, in quorum primo Deus liberè vult, in aliis verò liberè non continuat ob immutabilitatem. Itaque Deus ſe determinavit ad unam partem ab æternitate, ſic ut in priori naturæ ſigno eſſet ſummè indifferens; etſi non ſit indifferens ad volitiones ſuas continuandas, eò 19.

Libertati divinæ non officit æterna immutabilitas.

quòd ad id neceſſariò determinetur ſuâ immutabilitate. Quod tamen non obſtat, quin tota divina volitio ſit libera, utpote menſurata æternitate, quæ tota eſt inſtar puncti, adeòque ſimiliter duratio intrinſeca divinæ volitionis indiviſibilis eſt & tota ſimul; & conſequenter tota libera, hoc ipſoquo in priori naturæ æternitatis ad eam divina voluntas ſe liberè determinavit: ſicut ob ſimilem cauſam tota volitio noſtra eſſet libera, quæ uno tantùm inſtanti temporis duraret. Secunda Reſponſio eſt, Deum omnibus inſtantibus temporis eſſe indifferentem ad volendum & non volendum, quatenus in priori naturæ indiviſibilis æternitatis nunc v. g. exiſtentis (idem eſt de aliis inſtantibus, in quibus eſt eadem indiviſibilis æternitas) nihil eſt quod antecedenter Deum ad volendum determinet. Pro hac Reſponſione refert *Deſchamps l. 3. d. 2. c. 15. n. 11. D. Thomam, Alenſem, Albertum, Scotum 1. d. 4. q. un. ad 4.* (ubì tamen nil habet ad propoſitum) *Richardum, Durandum, Occam, Gregorium Vega, Driedo, Corduba* & plures alios.

Poſſent & alia quædam hîc objici deſumpta ex ignorantia & concupiſcentia hominis lapſi: quæ tamen propriis locis commodiùs tradi videntur; præſertim cùm præſens quæſtio mole ſuâ ſat ſuperque excrevetit. Prolixitatem tamen aliqualem exegit ratio temporis, quo quæſtio de Libertate à *Janſenio* & nonnullis ejus Sequacibus tantis animis denuo ventilata fuit, poſt tot Eccleſiæ deciſiones; quæ (niſi vehementer fallor) novam controverſiam ſatis manifeſtè diremerunt, antequam exorta fuiſſet.

QUÆSTIO II.

Qualem indifferentiam agendi & non agendi exigat libertas?

20\. *Ad libertatem non ſufficit indifferentia in ſenſu diviſo, ſed in ſenſu compoſito.*

DIcò I. Ad libertatem non ſufficit, quòd voluntas ſecundùm ſe ſit potens agere & non agere: ſeu quòd ſit ad utrumlibet indeterminata ex ſe, & prout abſtrahit à prærequiſitis ad actionem, adeòque in ſenſu diviſo: ſed requiritur, ut poſſit agere & non agere, etiam poſitis prærequiſitis, adeòque in ſenſu compoſito. Ita communiter Catholici Doctores, qui contra Hæreticos noſtri temporis ſcripſerunt. Colligitur ex vulgata libertatis deſcriptione, videlicet quòd ſit quædam conditio agentis rationalis, per quam, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, & eodem modo ſe habentibus, poteſt agere & non agere, quæ dicitur libertas quoad exercitium ſive contradictionis; cui libertas contrarietatis ſive quoad ſpecificationem ſuperaddit, quòd agens poſſit agere hoc & ejus oppoſitum, ſive poſſit eligere tam hoc quàm illud. In iſta namque deſcriptione ſenſus compoſitus involvitur; ut inſpicienti patet.

Probatur ulteriùs Concluſio: quia indeterminatio altera in ſenſu diviſo poteſt ſubſiſtere, quantumvis voluntas neceſſariò agat; cùm equidem verum manere poſſit ipſam eſſe indeterminatam ad utrumlibet, præſcindendo à prærequiſitis.

Probatur III. Quia alioquin falſum eſſet, agens liberum poſſe agere & non agere: quando enim deſunt prærequiſita ad agendum non poteſt agere: ſi autem iis poſitis non poſſit actionem omittere, nec eorum ablatio ſit in ſua poteſtate, falſum eſt, quòd tale agens poſſit non agere. Confirmatur: quia quòd agens non agat defectu prærequiſitorum, non oritur ex interna diſpoſitione & eminenti dominio in actum, ſed potiùs ex defectu alicujus neceſſarii; uti ex ſimili defectu, & non ex libertate oritur, quòd ignis (qui eſt agens neceſſarium) non agat combuſtibili non applicato.

Probatur IV. Quia nec ipſi Hæretici talem indeterminationem in ſenſu diviſo voluntati negarent, ſed facilè concederent: utpote quæ optimè conſiſtit cum præmotione divina voluntatem neceſſitante.

Itaque oportet ut actus liber ſic egrediatur à voluntate, ut priùs naturâ quàm ponatur poſſit non poni, ſeu ut voluntas, quatenus concipitur necdum eſſe ſub actu qui dicitur liber, poſſit non ponere, etiam poſitis prærequiſitis. Non quaſi poſſit agere & non agere ſimul, ſic ut ſimultas afficiat actum & non actum; id enim implicat; ut patet; ſed quòd ſimul ſeu pro eodem tempore ſit potentia ad actum & omiſſionem actûs. *Sic ut potentia agendi & non agendi ſit ſimul, etiam poſitis prærequiſitis.*

Petes, An voluntas ſit libera in eo inſtanti in quo operatur? Reſp. Aff. cum *Scoto, Suarez* & aliis communiter contra *Nominales*. Ratio eſt: quia eo inſtanti ſic ab ea procedit operatio, ut poſſit non procedere; quatenus videlicet priùs naturâ quàm ſit operatio, eſt voluntas, utpote cauſa, indifferens ad operationem & non operationem. Quod clarum eſt in Deo quoad æterna ſua eaque libera decreta; ante quæ nullum inſtans durationis realis fuit. Deinde ipſa operatio iſto inſtanti eſt libera; ergo & voluntas ſeu cauſa illius. Præterea ſi voluntas iſto inſtanti non eſt libera, numquam elicit actum liberè; adeòque numquam eſt libera in exercitio: nam inſtanti vel tempore præcedenti non eſt exercitium libertatis, ut ſupponitur. Denique quo pacto cauſa dici poterit libera, quæ numquam actionem habet liberam? Si dicas, voluntatem actu operantem liberè operari, quia adhuc remanet indifferens ad eum continuandum vel non continuandum. Contrà: id non ſufficit, ut hoc inſtanti liberè operetur: immo nec ut ſequenti inſtanti, quo foret voluntas determinata ad continuationem, ſicut hoc inſtanti ad productionem. 21. *Idq; eo inſtanti quo ponitur operatio.*

Nec

Nec refert, quòd voluntas eo inſtanti, quo operatur, ſit determinata; adeòq; non indifferens, & conſequenter nec libera. Nam in primis priùs naturâ quàm ſe determinet, adeòque eodem inſtanti temporis, eſt indifferens; & conſequenter libera. Deinde non quævis determinatio aut ſublatio indifferentiæ officit libertati: non enim illa, quæ eſt ipſiſſimus libertatis uſus, & oritur ab ipſa voluntate quà liberâ. Cum hac enim determinatione manet, voluntatem non eſſe determinatam ab aliquo prærequiſito ſeu purè prævio; adeòque eatenus retinere indifferentiam, quantùm eſt ex parte antecedentium ſeu præviorum ad actionem.

22. *Et quidem hoc ſenſu, ut prærequiſita poſſint componi cum non actione.*

DICO II. Ad libertatem requiritur indifferentia voluntatis in ſenſu compoſito taliter, ut poſſint prærequiſita componi cum non actione, id eſt, ut poſſint adeſſe omnia prærequiſita & non eſſe actio. Ita communiter Doctores contra *Didacum Alvarez*, & recentiores *Thomiſtas*, qui veriti recedere à communi Doctrina de indifferentia voluntatis in ſenſu compoſito, excogitarunt alium ſenſum compoſitum, juxta quem fiat compoſitio inter prærequiſita ad agendum & ipſam non agendi potentiam; idque potiſſimùm propter phyſicam prædeterminationem, quam ad operationes liberas, gratiæ præſertim, prærequirunt, nec in poteſtate operantis conſtituunt, quâ poſitâ (inquiunt) non poteſt quidem non poni actio, manet tamen potentia non ponendi.

Prædeterminatio phyſica improbatur.

Probatur I. Quia ſi non requireretur indifferentia in Concluſione aſſerta, eſſet ratione divinæ præmotionis phyſicæ ad omne opus liberum neceſſariæ, cum qua abſolutè incompoſſibilis eſt non actio, ut ajunt *Thomiſtæ*: atqui gratis aſſeritur neceſſitas ejuſmodi præmotionis; ergo ſimiliter gratis negatur libero arbitrio indifferentia in Concluſione aſſerta. Minor probatur: quia fundamentum illius foret ſubordinatio perfecta cauſæ creatæ, etiam liberæ, ad cauſam primam; quæ tamen abſque ea optimè ſubſiſtit, per hoc quòd creatura nil poſſit agere, niſi coagente Deo, quòdque Deus poſſit pro libitu omnem creaturæ actionem impedire, omnem etiam liberum conſenſum voluntatis pro libitu, ſive ſuadendo, ſive permittendo obtinere, etſi non per phyſicam præmotionem. Deinde hæc non congruit divinæ ſanctitati circa opera mala, etiam quoad materiale ſpectata: ſi enim ei repugnet conſilio ſeu ſuaſione ad opera mala, etiam quoad materiale ſpectata (quibus tamen malitia infallibiliter erit annexa) inducere; quantò magis repugnat id agere per tam infallibilem & phyſicam præmotionem? Confirmatur: quia etſi poſſet aliqualiter & ſanctitas Dei & libertas creaturæ ſalvari, non obſtante phyſicâ prædeterminatione; adeò tamen difficulter, ut imeritò ad illam recurratur, ubi communis & facilior longè eſt via libertatem explicandi juxta tenorem noſtræ Concluſionis. Accedit, quòd ſic faciliùs reſiſtatur Hæreticis, & longiùs ab eorum ſententia recedatur.

23. *Suppoſitâ motione cauſæ primæ debet poſſe voluntas diſſentire, ſi velit.*

Probatur Concluſio II. quia de eo, qui actu liberum opus facit, adeòque motioni Dei (non loquor ſpecialiter de motione gratiæ, ſed generatim ad hominem contra *Thomiſtas*) conſentit, verum eſt dicere, quòd poſſit diſſentire iſti motioni ſi velit: ergo poteſt diſſenſum, adeòque non actionem componere cum iſta motione; aliàs enim non poſſet huic diſſentire ſi vellet. Confirmatur: quia ſi implicaret ſimul ſtare hæc duo, Petrum mihi aliquid ſuadere & me ei non aſſentiri, non rectè diceretur, me poſſe diſſentire actuali ſuaſioni Petri, ſi velim; ergo requiritur, ut poſſint componi ſimul, ſuaſio Petri, & meus diſſenſus. Idem proinde eſt in præſenti.

Eſſeq; indifferens etiam ad non actionem,

Probatur III. Quia potentia libera debet eſſe indifferens ad utrumque poſitis prærequiſitis: atqui voluntas non eſt indifferens ad non actionem, poſitâ prædeterminatione phyſicâ, quæ ſupponitur à *Thomiſtis* unum è prærequiſitis; utpote per hanc ſic determinata ad actionem, ut implicet non actio; ergo non eſt libera.

24. *Ad quam tamen non haberet requiſitam potentiam, ſi adſtruatur phyſica prædeterminatio.*

Probatur IV. Quia voluntas poſitâ prædeterminatione (quæ contenditur eſſe ex prærequiſitis) non habet potentiam non agendi: cùm non actio ſit impoſſibilis, poſitâ prædeterminatione; ad impoſſibile autem non detur potentia. Confirmatur: quia ſi dicatur voluntatem habere potentiam non agendi mandandam executioni ſublatâ prædeterminatione; ergo dum liberè agit, non habet potentiam proximam & expeditam ad non agendum, ſed impeditam per prædeterminationem. Ejuſmodi autem potentiam Hæretici facilè concederent, qui non negarent voluntatem, dum agit, habere potentiam non agendi, ſed ligatam per divinam præmotionem, cum qua ſimul ſtare nequeat diſſenſus ſeu non actio. Immo etiam in brutis ſimilis potentia non agendi reperiri poteſt: dum enim neceſſariò operantur habent potentiam non operandi, ſic tamen ut non operatio componi nequeat cum prærequiſitis ad agendum; prout nec in homine ſecundùm *Thomiſtas*. Idem eſt de amore beatifico, qui ſecundùm ipſos eſt neceſſarius; & tamen egreditur à voluntate habente potentiam non amandi, mandandam executioni abſente viſione prærequiſitâ ad amandum, & neceſſariò inferente amorem.

25. *Effugia recentiorum Thomiſtarum adferuntur.*

Dices: Facultas libera voluntatis ad agendum & non agendum, nil aliud eſt, quàm ipſiſſima potentia voluntatis, quatenus connotans objectum indifferenter propoſitum per judicium intellectûs indifferens, quo proponitur objecti bonitas ut non neceſſariò amanda, adeòque ut reſpui-

bilis; quatenus ſic proponitur, ut ſimul appareat aliqua ratio mali vel defectus boni, ſaltem in ipſo exercitio actûs: hic enim judicii indifferentiâ ſuppoſitâ, voluntas eo ipſo ex ſe eſt proximè potens agere & non agere, quocumque alio ſecluſo, & conſequenter ſeclusâ prædeterminatione. Quare eamdem potentiam proximam indifferentem retinet, prædeterminatione ſuppoſitâ. Nec ſimile eſt, de amore beatifico (idem à fortiori, de operationibus brutorum) quia voluntas non habet potentiam expeditam ſeu proximam non amandi, defectu judicii indifferentis prævii, quod ad proximam ejuſmodi potentiam requiritur. Secùs quàm prædeterminatio, quæ non requiritur ex parte actûs primi, ſeu ut potentia agere poſſit, ſed ex parte actûs ſecundi, ſive ut de facto agat; uti prædeterminationis abſentia, ut non agat. Quemadmodum judicium indifferens præfatum requiritur quidem ex parte actûs primi ſeu potentiæ: judicium autem determinatè dictans eſſe conveniens ut objectū ametur; vel è contra eſſe conveniens ut nō ametur, requiritur ex parte actûs ſecundi; neque tollit hoc priorem judicii indifferentiam ex parte actûs primi requiſitam. Simili itaque modo prædeterminatio non tollit indifferentiam judicii & innatam voluntatis facultatem, movens quidem infallibiliter ſed convenienter naturæ liberæ. Unde libertatem potiùs cauſat, quàm deſtruit; utpote quâ præmovet Deus creaturam, non tantùm ad ſubſtantiam actionis, ſed etiam ad modum libertatis. Sicut enim impoſſibilitas orta ex ſuppoſitione conſequenti libertatem non deſtruit illam, ſed ponit, veluti effectus illius: ſic quoque facit ſuppoſitio antecedens, quæ ſimul eſt cauſa libertatis, uti eſt præmotio phyſica: implicat enim, quòd cauſa propria deſtruat, & non potiùs ædificet ſuum proprium effectum. Quòd verò non actio ſit incompoſſibilis cum præmotione ſeu qualitate phyſicè præmovente, adeòque hac ſuppoſitâ, & in tali ſtatu impoſſibilis, nil refert: cùm ſufficiat ad potentiam etiam proximam non agendi, ut non actio ſit ſimpliciter & abſolutè poſſibilis. Sicut dum loquor habeo potentiam proximam non loquendi, etſi ſuppoſitâ locutione impoſſibilem: & ſicut Deus habet potentiam proximam creandi alios mundos, etſi ſuppoſito decreto moderno impoſſibiles: & ſicut denique anima ſeparata ſeu extra totum exiſtens habet verè potentiam ad componendum, etſi ipſi ſic manente actualis compoſitio ſit impoſſibilis. Hæc ſumma eorum, quæ fusè allegat & iterat *Alexander Sebille l. 3. de lib. arbit. ſect. 4. & 5.* agens contra *Richardum* (aliàs *Deſchamps*) & *Petavium.* Nonnulla quoque eòdem ſpectantia habet *l. 2. c. 2. & c.* 18. Unde apparet à multis non ſatis lectam aut intellectam, aut penitiùs diſcuſſam opinionem *Thomiſtarum.*

In quam ob hæc aut quævis alia fortaſſis allegabilia nullatenus equidem propendeo. Nam per illa non ſatisfit præallegatis noſtræ Concluſionis probationibus, præſertim primæ & ſecundæ. Deinde ad eadem

Reſp. Non aliter requiri aut ſufficere ad 26.
potentiam voluntatis liberam judicium indifferens, quàm quatenus non niſi illo ſuppoſito, & tunc ſemper, eſt indifferens ad agendum & non agendum. Unde ſi cum eo non ſit indifferentia intrinſeca voluntatis, non erit libertas: v. g. ſi judicio indifferenti prævio Deus voluntatem alliget neceſſariò uni parti; quod poſſibile cenſet *Suarez* & alii paſſim. Poſitâ autem prædeterminatione non manet indifferentia voluntatis, utpote per illam antecedenter determinatæ ad unam partem. Neque Hæretici negaſſe credendi ſunt judicii indifferentiam, quam experientiâ palpamus, ſed indifferentiam voluntatis ex motione divina ſublatam criminabantur. Eſt quidem diſparitas inter actiones viatorum, & amorem beatificum, qui ponitur neceſſarius (idem cum proportione eſt in operationibus brutorum) quòd huic non præluceat judicium indifferens, uti actionibus noſtris, æqua tamen, ſeu potiùs nulla utrobique erit voluntatis indifferentia, utpote quam non minùs tollit prædeterminatio, quàm viſio beatifica. Utrobique deerit potentia proxima & expedita non agendi. Nam (quidquid *Thomiſtæ* dicant) prædeterminatio ſeu qualitas prædeterminans non ſolùm requireretur ex parte actûs ſecundi, ſeu ut agat, ſed etiam ut agere poſſit voluntas, ſicut requiritur habitus ſupernaturalis, ut ſupernaturaliter agere poſſit; item approximatio agentis naturalis ad paſſum. Et quidem requiritur tamquam comprincipium præviè determinans ipſam voluntatem ad agendum. Unde ſicut ipſa ſine habitu ſupernaturali non eſt potentia proximè expedita ad credendum, & ſicut ignis abſente combuſtibili non eſt proximè expeditus ad comburendum; ſic nec voluntas ad agendum abſente prædeterminatione: ipſa autem præſente non eſt proximè expedita ad non agendum, ſicut nec ignis ad non comburendum, applicato combuſtibili. Perinde igitur eſt, an voluntas ex ſe ſit naturaliter determinata ad unum, an per aliud ei præinſertum, quod & ipſum determinatum eſt ad unum, & voluntatem præviè ad unum determinat.

Sed præcluduntur.

Nec juvat, quòd dicunt Deum qualitate 27.
iſtâ præmovere voluntatem, ut agat modo naturæ conſentaneo, adeòque præmovere etiam ad modum libertatis. Nam aliundè auferentes ita voluntatis indifferentiam, auferunt modum libertatis; ſicque pugnantia dicere videntur. Quare negandum eſt, ejuſmodi præmotionem eſſe libertatis cauſam: nam ſanè cauſa effectum non deſtrueret, prout illa libertatem. Aliud eſt de exemplis

Exempla, quæ Thomiſtæ allegant, non ſunt ad rem.

plis quæ allegant, in quibus eſt ſuppoſitio (uti & impoſſibilitas) conſequens exercitium libertatis, adeòque hanc rectè probans: cùm è contrà ſuppoſitio prædeterminationis ſit merè antecedens, tollatque compoſſibilitatem non actionis, adeòque expeditam potentiam non agendi. Verum quidem eſt, poſſe dari potentiam ad aliquid ſimpliciter poſſibile, etſi pro certo ſtatu & ſuppoſitione impoſſibile. At contendimus libertatem exigere non ſolùm potentiam ad non actionem tamquam ſimpliciter poſſibilem (quæ etiam competit brutis, & voluntati neceſſariò agenti) ſed tamquam poſſibilem pro ſtatu & ſuppoſitione prærequiſitorum ad agendum: ad quod propoſitum exempla allegata nil faciunt, ut patet. Unde nec ad rem facit exemplum animæ ſeparatæ ſeu formæ actu aptæ componere totum, quod non niſi in toto exiſtens componere poteſt. Eatenus enim habet potentiam, quatenus cauſa efficiens habet potentiam uniendi illam materiæ. Ipſius autem formæ potentia nil aliud eſt, quàm poſſibilitas ad hoc, ut ſtatum ſeparationis amittendo per unitionem fiat pars. In quo involvitur ſenſus diſparatus, ſicut dum videns dicitur poſſe eſſe cæcus: cùm tamen in propoſito requiratur ſenſus compoſitus, in quo ſit potentia componendi actionem & non actionem cum prærequiſitis.

28. *Diſtinctio facienda inter liberum arbitrium impeditum & non impeditum.* Sanè contra ſimiles modos explicandi libertatem actionis optimè advertit *Malderus diſp.* 62. quòd non ſatis diſtinguant liberum arbitrium impeditum à non impedito: nam eſto, quòd prædicta ſufficerent ad liberum arbitrium impeditum concipiendum, non tamen ad concipiendum liberum in actu ſecundo, vel in ordine ad actum ſecundum, ad quod requiritur indifferentia in ſenſu compoſito ſeu poſitis prærequiſitis, modo à nobis explicato. Unde eſt diſtinguendum liberum arbitrium à libertatis uſu; item libertas remota, quæ nudam dicit & nativam virtutem potentiæ, à libertate proxima, quæ inſuper connotat prærequiſita ad agendum: de qua hac quæſtione agimus.

QUÆSTIO III.

An liberum arbitrium ſit potentia, & qualis, & an debeat activè ſpectari?

29. *Liberum arbitrium non eſt actus* DIco I. Liberum arbitrium non eſt actus, neque habitus, ſed potentia. Eſt communiſſima Doctorum ſententia. Prima pars probatur: quia liberum arbitrium eſt inſitum à natura, & inamiſſibile juxta Patres, ac unicum: actus autem eſt naturæ ſuperadditus, amiſſibilis, & multiplex. Confirmatur: quia alioquin careret libero arbitrio, qui caret actu, illudque toties repeteret quoties actum repetit. Probatur ſecundò: quia liberum arbitrium dicitur poſſe agere & non agere; hoc autem non dat actus, ſed principium illius. Atque ita uſus communis etiam apud Patres obtinuit, ut quàmvis liberum arbitrium juxta Ethymologiam ſignificet actum quemdam (quo ſenſu *Hervæus* ipſum dicit eſſe aliquem actum) tamen non accipiatur ſimpliciter, niſi pro principio hujus actus.

Secunda pars probatur: quia habitus ſimiliter non eſt à natura, ſed comparatur per actus, poſſumuſque eo carere, & ſemel acquiſitum amittere: quæ convenire nequeunt libero arbitrio. Deinde habitus naturaliter & quantùm eſt de ſe determinat potiùs ad unum, non inclinando ad oppoſitum; liberum autem arbitrium tribuit indifferentiam ad oppoſita. Denique habitus non agunt, niſi determinentur à potentia; quæ ſi ſit naturalis, determinabit naturaliter, & ſic actus non erit liber: ſi ſit libera, jam præter habitum dabitur potentia libera, in qua proinde, & non in conficto habitu conſiſtit liberum arbitrium. *Nec habitus.*

Nec obſtat, quòd *Bernardus l. de grat. & lib. arbitr. paulo poſt init.* definiat liberum arbitrium per habitum: non enim intelligit propriè dictum habitum, ſed habitudinem ad actum, qualis eſt ipſamet potentia. Similiter intelligendus eſt *D. Bonav.* 2. *d.* 25. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 4. (quem immeritò refert & refutat *Arriaga diſp.* 5. *n.* 3. quaſi re ipsâ differentem à communi Sententia) ut clarè patebit, quæſtiones præſertim connexas ejuſdem articuli inſpicienti. Docet enim *q.*2. liberum arbitrium non eſſe potentiam ab intellectu & voluntate diſtinctâ. *Quæſt.*3. docet ipſum utramque complecti. *Quæſt.*4. docet ipſum non tam eſſe potentiam, quàm facultatem (vocat latè habitum ſeu habitudinem) reſultantem ex conjunctione utriuſque, eligendi ſcilicet aut reſpuendi; quæ tamen facultas (ut habet *q.* 5.) nil ſuperaddit diſtinctum ipſi potentiæ rationis & voluntatis; ſic ut in voluntate quidem conſiſtat principaliter, formaliter & conſummativè ipſum liberum arbitrium (ut tradit *Quæſt.6.*) in intellectu autē ſeu ratione inchoativè, minùs principaliter & quaſi materialiter. Quæ omnia veriſſima ſunt.

Tertia pars probatur: quia excluſo tum actu, tum habitu, nil aliud, quàm potentia ſupereſt, in quo cum apparentia conſtitui poſſit. Deinde ita habet communis conceptus, quo concipi ſolet liberum arbitrium inſtar principii à natura inſiti ad exercendas operationes liberas. *Sed potentia.*

Cùm autem liberum arbitrium ſic conveniat homini, ut eo careant animalia rationis expertia, ſequitur ſtatuendum eſſe in potentia, quæ convenit homini quatenus eſt rationalis. Nec poteſt eſſe controverſia niſi de intellectu & voluntate: de tertia enim potentia non eſt apparentia; cùm ſit abſque *Rationalis.*

abſque fundamento conficta, nec ullus ſit actus ei proprius.

30. *Eadem cum voluntate, qua ſola eſt formaliter libera.*

DICO II. Liberum arbitrium ſimpliciter & abſolutè eſt potentia eadem cum voluntate. Ita Doctores communiter cum *Scoto quodl.* 18. *n.* 9. Et coincidit reipsâ *D. Bonav. ſup. q.* 6. Et *D. Thomas* 1. *p. q.* 83. *a.* 4. & alibi. In quo tamen *Arriaga d.* 5. *n.* 10. ſibi videtur ferè evidenter deprehendiſſe contrarium *q. cit. a.* 1. Et paulò poſt conatur eidem adſcribere ſententiam *Durandi* libertatem formalem adſcribentis intellectui. Sed *S. Doctor* ſolùm requirit benignum interpretem, qui non difficulter loca conciliabit, præſertim ex principiis Scholæ Angelicæ. Quod quidem neceſſarium: cùm loco ſuprà citato tam maniſeſtè communem Doctrinam tradat Doctor communis.

Concluſio eſt ita intelligenda, quòd voluntas ſic ſibi vendicet libertatem, ut ipſa ſola propriè & abſolutè operetur liberè, etſi non in omnibus actibus; ceteræ autem operationes tantùm cenſeantur & denominentur liberæ in ordine ad voluntatem.

Colligitur ex Scriptura quæ libertatem paſſim explicat per velle, placere, & ſimiles actus voluntatis. Et ſignanter 1. *ad Cor.* 7. dicitur. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Similiter Concilia & Patres ſic tribuunt voluntati libertatem, ut eam appellent nomine liberi arbitrii, ut *Concilium Arauſic.* 11. *Can.* 13. *Ambroſius l.* 2. *de fide c.* 3. *Auguſtinus l. de gratia & lib. arbit. c.* 2. & alibi paſſim; ſic ut *Damaſcenus l.* 3. *de fide c.* 14. dicat: *Patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt.*

Ratio eſt: quia in manu ſolius voluntatis eſt agere & non agere etiam poſitâ propoſitione objecti: ipſaque ſola habet immediatè actus ſuos in ſua poteſtate & dominio, ſic ut de illis diſponat prout vult. Confirmatur: quia *non niſi voluntate peccatur & bene vivitur* juxta *Auguſtinum l. de duabus animab. c.* 10. & alibi, adeòque non niſi voluntate quis meretur præmium vel pœnam: ergo in ipſa ſola conſiſtit formaliter libertas.

31. *Vt proinde non rectè Durandus in intellectu etiam principaliter ſtatuerit libertatem.*

Hinc refutata manet opinio *Durandi* qui cenſet liberum arbitrium conſiſtere etiam, immo præcipuè in intellectu: cùm tamen conſtet ipſum neceſſariò operari. Quàmvis enim ſit potentia univerſalis extendens ſe ad varios & oppoſitos actus, diverſiſſimaque objecta intelligibilia; tamen non operatur circa illa ad ſuum libitum, ſed ad nutum voluntatis, vel prout ab objectis occurrentibus fuerit determinatus: ſola autem voluntas eſt determinativa ſui ipſius ad agendum & non agendum, atque ad diverſos agendi modos. Unde in ipſo Deo libertas ſoli voluntati convenit: nam divinus intellectus neceſſariò intelligit omnia intelligibilia; nec aliter eſt ei liberum quædam non intelligere, quàm quatenus eſt in poteſtate divinæ voluntatis facere, ut quædam aliquâ ratione non ſint intelligibilia, nimirum quæ voluit numquam eſſe futura. Confirmatur: quia ſi intellectus ſit formaliter liber, cur non peccamus ante conſenſum voluntatis? cur contractus non tam bene confirmantur intelligendo, quàm volendo ſeu conſentiendo? cur non peccat homo bis, ſemel intelligendo & ſemel volendo?

Dices, Voluntas neceſſariò ſequitur ultimum judicium intellectûs: ergo libertas debet eſſe in ipſo intellectu. Varii, præſertim *Thomiſtæ*, admittunt Antecedens. Sed ſi tale judicium ſit voluntati ad operandum neceſſarium, illudque voluntas neceſſariò ſequatur; difficulter apparet, quomodo libertas ſita ſit in voluntate. Reſp. igitur Neg. Antec. quàmvis enim ad omnem operationem voluntatis requiratur operatio intellectûs, & quidem ordinariè adſit judicium, non tamen requiritur tale, quod voluntatem determinet, ſed hæc etiam poſito judicio eſt omnino libera, ut amplectatur quod maluerit: intellectus autem ſolùm eſt neceſſarius, ut objectum voluntati repræſentet, eò quòd ignoti nulla cupido.

32. *Et pessimè Cajetanus appetitui noſtro ſenſitivo libertatem ad veniale ſufficientem conceſſerit.*

Similiter refutata manet opinio *Cajetani q.* 74. *a.* 4. qui putavit in appetitu ſenſitivo hominis poſſe reperiri libertatem ſufficientem ad peccatum veniale. Quæ opinio eſt contra commune judicium Doctorum & ceterorum hominum. Similiter repugnat Patribus docentibus ſola voluntate peccari. Ideoque *Tridentinum ſeſſ.* 5. *can.* 5. definit motus concupiſcentiæ in baptizatis non poſſe nocere non conſentientibus per voluntatem. Confirmatur ratione ſpeciali: quia appetitus ſenſitivus noſter & brutorum eſt ejuſdem rationis; atqui in brutis nullam habet libertatem etiam imperfectam, uti nec culpam: ergo nec in hominibus. Nec juvat conjunctio appetitus noſtri ſenſitivi cum voluntate: hæc enim conjunctio relinquit naturam utriuſque potentiæ invariatam, uti & ſenſuum ac potentiæ locomotivæ: unde ſicut in his tantùm reperitur libertas extrinſeca & participata à voluntate imperante aut permittente, ſic etiam in appetitu noſtro ſenſitivo.

33. *Divinitus poſſibilem eſſe intellectum formaliter liberum cenſuit Arriaga. Quod tamen difficile eſt.*

Petes, An divinitùs dari poſſit potentia intellectiva libera? Affirmat *Arriaga diſp.* 5. *ſect.* 3. eò quòd non appareat in hoc repugnantia. Sed non ſatis ſolidè hoc ſolo titulo aſſeritur rei poſſibilitas, quando meritò Prudens ſuſpicatur latere repugnantiam, eſto fortaſſe nobis non clarè apparentem: prout in præſenti contingit. Nam difficulter concipitur libertas ſiſtendo intrà terminos potentiæ intelligentis, utpote exigens ut potentia pro nutu & libitu ſuo (in quo mox involvitur conceptus potentiæ volitivæ) aliquid operetur aut omittat. Deinde liberæ potentiæ competit electio; hæc autem eſſentialiter eſt actus voluntatis. Præterea

terea

tetea eodem fundamento admittendum foret divinitùs eſſe poſſibilem phantaſiam liberam, aut appetitum ſenſitivum liberum, item externos ſenſus liberos. Unde rectiſſimè accipitur univerſaliter illud *Auguſtini l. de duab. animab. c.* 11. *Peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe, omnis mens apud ſe divinitùs conſcriptum legit.* Peccatum proinde definitur eſſentialiter per *voluntarium*; utique non rectè, ſi poſſibilis ſit eſſentia libertatis, adeòque ratio peccati extra voluntatem.

34. *Voluntas eſt libera quatenus activa.* Dico III. Voluntas eſt libera, non quatenus paſſiva, ſed quatenus eſt activa. Ita *Scotus* 2. *d.* 25. *n.* 2. *Suarez*, *Bellarminus*, *Poncius diſp.* 64. *Philoſophia n.* 29. dicens eſſe communem.

Colligitur ex Scriptura, Conciliis & Patribus: dum enim agunt de libertate voluntatis, explicant illam per poteſtatem volendi & non volendi, faciendi & non faciendi. Et ſpecialiter *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. declarat, nos gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponi ad juſtificationem. Et *Can.* 5. dicit anathema eis, qui dicunt liberum arbitrium in juſtificatione nihil omnino agere, ſed merè paſſivè ſe habere. Cenſet ergo voluntatem eſſe liberam, quatenus eſt activa.

Idem colligitur ex vulgata libertatis deſcriptione, videlicet quòd ſit facultas agendi & non agendi. Confirmatur ex *Scoto ſup.* quia paſſio non eſt libera, niſi quatenus libera eſt actio correſpondens; ergo nec potentia paſſiva ut ſic eſt libera, niſi mediante activâ.

Nec obſtat, quòd in potentia paſſiva poſſit etiam reperiri quædam indifferentia ad varios actus recipiendos: nam ad libertatem inſuper requiritur vis quædam interna, quâ poſſit ſuam indifferentiam determinare; quod competit potentiæ activæ, quæ ſeipſam poteſt determinare ad actum ponendum vel non ponendum. Sicut materia prima, etſi ad varias formas indeterminata, non eſt libera, ſed neceſſariò illam recipit, ad quam ab agente determinatur.

Dices, Poſſet adhuc voluntas reſiſtere receptioni actûs vel non reſiſtere, atque adeò eſſe libera paſſivè. Reſp. Neg. Aſſ. cùm enim voluntas non habeat repugnantiam cum aliquo actu ejuſve carentiâ, non poteſt aliter reſiſtere, quàm agendo, vel concurſum neceſſarium ſubtrahendo; adeòque quatenus eſt activa. Unde *Trid. ſup. cap.* 5. probat; quòd homo recipiens inſpirationem aliquid agat, ex eo quòd poſſit illi reſiſtere ſive illam abjicere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter liberum arbitrium prærequirat cognitionem intellectivam?

DIco I. Liberum arbitrium in omni operatione ſua neceſſario movetur ſeu dirigitur per cognitionem intellectivam, ſic ut ferri nequeat in incognitum. Ita communiſſimè Doctores cum *D. Bonaventura* 2. *d.* 25. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 6. *in corp.* dicente: *Non movetur appetitus, niſi præambulo cogitatu: nequaquam enim poſſumus amare, niſi cognoſcamus.* Unde non eſt deferendum iis, quæ in oppoſitum (quod quidam Myſtici tenent quoad amorem perfectiſſimum, præſertim extaticum, hominum contemplativorum) referuntur ex *Myſtica Theologia*; quæ etſi circumferatur ſub nomine *S. Bonaventuræ*, Auctorem tamen habet incertum, ut ante initium ejuſdem Tractatûs obſervatur. 35. *Debet dirigi per notitiam intellectivam in omni operatione.*

Probatur I. ex Patribus, *Auguſtino l.* 10. *de Trin. c.* 1. per totum, ubì inter cetera ait: *Rem prorſus ignotam amare omnino nullus poteſt.* Et infrà: *Illud enim fieri poteſt, ut amet quiſque ſcire incognita: ut autem amet incognita, non poteſt. Anſelmo l. de Concordia præſcient. c.* 16. *Bernardo l. de grat. & lib. arbit.* in princip. Et inde oritur vulgatum apud omnes: *Nihil volitum niſi cognitum.* Quod etiam non latuit ethnicum Poëtam canentem:

Ignoti nulla cupido.

Probatur II. Tum quia per notitiam ſiſtitur objectum voluntati. Tum exemplo appetitûs ſenſitivi, qui nequit agere, niſi objectum ei applicetur per notitiam ſenſitivam ſive phantaſticam. Tum quia non eſſet alioquin ratio, cur etiam communiter voluntas indigeat propoſitione objecti per intellectum; vel cur non poſſit amare Deum in ſomno. Tum quia amor patriæ, qui eſt perfectiſſimus, ſequitur cognitionem; adeòque non minùs ei inniti debet amor viæ, quantùmvis extaticus ac perfectus. Tum quia in ipſo Deo non eſt actus voluntatis, niſi intellectus ſuo modo præeat; adeò ut *Anſelmus monol. c.* 48. probet Deum ſe intelligere, quia ſe amat. Tum denique (eſtque ratio à priori) quia voluntas nullum eſſe objecto tribuit, ſed eſt mera in objectum inclinatio: ergo debet illud præſupponere; non quidem à parte rei, cùm tendat etiam in verè impoſſibilia & mala tamquam poſſibilia & bona: ergo debet illud præſupponere ſecundùm apprehenſionem ſeu formam apprehenſam, ſicut inclinatio naturalis præſupponit & ſequitur formam naturalem: & conſequenter notitia neceſſariò eſt prævia. 36.

Ex quibus patet notitiam non tantùm requiri 37.

Sive inchoandũ ſive continuandâ;

requiri ad actum voluntatis inchoandum, ſed etiam ad continuandum: cùm objectum continuò debeat eſſe voluntati applicatum, utique intentionaliter & ſecundùm eſſe apprehenſum. Idque etiam probant cetera mox adducta. Ita Doctores unanimiter contra paucos.

Colligitur præterea cum Doctoribus ferè communiter ſubordinationem iſtam eſſe tantam, ut ne quidem divinitùs poſſit voluntas ferri in incognitum: cùm nequeat ferri in objectum, niſi objectum ſupponatur; non poſſit autem ſupponi niſi ſecundùm eſſe intentionale ſeu formam apprehenſam. Unde ſi Deus voluntati paſſivè ſe habenti infunderet actum voluntatis (prout probabilius poteſt) ipſa per illum non perciperet vitaliter objectum, niſi per notitiam applicatum; alioquin haberet ſe actus iſte modo mortuo, ſicut ſi poneretur in lapide, videlicet defectu ſubjecti proportionati, quod eſt voluntas cognitione inſtructa. Quare vitalis tendentia voluntatis reſpicit objectum quatenus intentionaliter præſens in genere cauſæ formalis, aut conditionis eſſentialiter requiſitæ. Quemadmodum ad conſtitutionem totius phyſici requiritur intima ac mutua præſentia materiæ & formæ tamquam conditio eſſentialiter requiſita; cujus defectus nequit ullatenus per aliud ſuppleri. Similiter itaque eſt in præſenti. Cujus ſignum eſt, quòd ne quidem Deus ſe vel aliud quidpiam poſſit amare, niſi cognoſcat, & quidem priùs naturâ ſeu ratione.

Adeò ut nequidem divinitùs ferri queat in incognitum.

38. Objiciunt Myſtici I. Auctoritatem *Dionyſii Areopagitæ c. 1. Myſtica Theologiæ* & alibi docentis ſupremam unionem cum Deo eſſe interdum per doctam ignorationem ſeu ablationem omnium operationum ſenſuum & intellectûs. Conſimilia ex *D. Dionyſio* habet *S. Bonaventura Itinerarii mentis in Deum c. 7.* Reſp. *Dionyſium* non excludere omnem notitiam à perfectiori Dei contemplatione, ſed potiùs exigere. Dupliciter namque docet Deum cognoſci. Primò per affirmationes, v. g. dum concipimus, quòd ſit ſapientiſſimus, optimus, pulcherrimus, lux, bonitas &c. Secundò per negationes, id eſt, negando omnes perfectiones quæ & prout à nobis concipi poſſunt; v. g. quòd non ſit homo, non Angelus, immo non ſapiens, non ſubſtantia, non vita, non bonitas &c. qualem ſcilicet nos habemus aut concipimus, ſed longè diſſimilis ac eminentior, citra omnem imperfectionem; qualem intellectus noſter nequit perfectè concipere. Poſteriorem itaque cognitionem (quam doctam ignorationem vocat) præfert priori, docens ſimulachra objectiva perfectionum poſitivarum, qualia nos formare ſolemus, minùs congruere ſublimiori cum Deo unioni. Videri poteſt *ſup. cap. 2. & ſeqq.* Nec aliud vult *D. Bonav. ſup.* utens verbis *Dionyſii.* Adde in divina contemplatione à myſtico excludendam eſſe pugnam irruentium phantaſmatum.

Myſticis quibuſdam non favet S. Dionyſius.

Objiciunt II. experientiam, quâ conſtat interdum perſeverare amorem inſtar cujuſdam caloris impreſſi, ceſſante contemplatione; ſicut calor perſeverat amotâ luce. Confirmatur: quia intellectus non advertit ſe quidpiam ampliùs de deo cogitare. Reſp. Neg. Aſſ. ſemper enim dum adeſt amor, adeſt notitia; etſi non adeò operoſa (quæ hominem fatigat, & contemplationi potiùs obeſt) aut reflexa. Unde fit, ab aſſuetis præſertim, non adverti interdum ipſam contemplationem; etſi verè adſit, & quidem eò major, quo intellectu per actum directum immerſo divinis perfectionibus, & voluntate per amorem ferventem in eaſdem abſorptâ, non reflectit intellectus ad ſuam contemplationem aut ea quæ circa ſe ſunt. Poteſt tamen fieri, ut fervor aut ſimilis effectus corporalis ceſſante etiam amore perſeveret; eò quòd animâ flagrante per amorem, etiam in corpore vel parte ſenſitiva aliqui effectus generentur. Quæ etiam habent locum in amore extatico; qui foveri debet per notitiam; non minùs quàm ipſe amor Beatorum. Sanè poſt raptum extatici interdum recordantur variorum actuum; adeòque tempore raptûs non fuerunt ſine omni actu intellectûs circa actus ſuos, & conſequenter à fortiori circa objecta directa. Quòd ſi nil recordentur, tollitur indicium experientiæ; quæ nequit eſſe abſque notitia. 39.

Neque experientia.

Dico II. Intellectio non movet efficienter ad actum voluntatis, ſed ſolùm tamquam conditio proponens ſeu ſiſtens voluntati objectum. Eſt ferè communis Doctorum contra Nonnullos. Ratio eſt: quia non eſt ſufficiens fundamentum denegandi voluntati completam activitatem in ſuos actus, & partialem tribuendi intellectui, ſicque multiplicandi principia effectiva. Deinde ſubordinatio voluntatis ad intellectum ſufficienter ſalvatur ſine efficientia phyſica; ſicut ſubordinatio ceterarum potentiarum ad voluntatem, item intellectûs ad phantaſiam, phantaſiæ ad ſenſus. Deniq; intellectus ſe habet reſpectu voluntatis inſtar conſulentis; conſulens autem nõ concurrit phyſicè cum accipiente conſiliũ. 40.

Intellectio non efficit volitionem.

Nec obſtat, quòd intellectus non ſit principium completum ſui actûs, niſi ſimul cum objecto vel ſpecie: nam non eſt ratio ſufficiens completam activitatem negandi voluntati, prout eſt ratio (quæ in Philoſophia traditur) negandi illam intellectui. Deinde id quod complet intellectum in ratione principii eſt ipſum objectum; adeòque (ut eſſet ſimilitudo) deberet hoc ipſum complere voluntatem: quod tamen conſtat eſſe falſum; cùm ſolùm metaphoricè illam moveat juxta omnes, & ſæpè non exiſtat, dum voluntatem ad amorem ſive ad actum movet.

Non

Non obſtat etiam, quòd Verbum divinum producat Spiritum ſanctum, qui procedit per voluntatem: nam non concurrit tamquam notitia objecti (prout concurreret ad volitionem noſtra intellectio) ſed ideo præcisè, quòd priùs origine ſeu ratione quàm ſit producta tertia perſona, jam Verbum ſit genitum cum voluntate fecunda ſeu potente ſpirare, utpote pro tunc necdum habente terminum productum ſeu ſpiratum. Alioquin ſcientia divina non aliter quàm oſtenſivè præit volitioni eſſentiali divinæ naturæ.

41. *Ad libertatis exercitium nec requiritur nec ſufficit judicium indifferens.*

DICO III. Ad liberam facultatem voluntatis in operando non prærequiritur, neque ſufficit judicium indifferens intellectûs, quo voluntati proponatur objectum ſub ratione boni cum imperfectione; adeòque ſub ratione boni & mali. Eſt contra *Thomiſtas*, qui hac ratione ſtudent componere libertatem voluntatis cum prædeterminatione phyſica, veluti relinquente ejuſmodi judicium indifferens. Probatur Concluſio: quia in primis, ſi vis fiat in nomine judicii, non ad omnem actum liberum voluntatis requiritur expreſſum & formale. Atque eſto requireretur, ſufficeret tale quo proponeretur objectum ſub ratione boni, etſi non ſimul ſub ratione mali: nam bonum ſic propoſitum non neceſſitaret voluntatem ad exercitium, ſed ſolùm ad ſpecificationem. Deinde gratis conceſſâ neceſſitate judicii indifferentis hîc explicati, illud equidem non ſufficeret ad propriam voluntatis libertatem; niſi voluntas ſtante etiam tali judicio retineat ſuam intrinſecam indifferentiam, prout *quæſt.* 2. explicatum eſt. Quod confirmatur: quia voluntas talem indifferentiam retinens, adhuc non haberet niſi libertatem contingentiæ; igitur ne hanc quidem haberet voluntas tali indifferentiâ ſublatâ, utpote quæ non foret eodem modo libera.

42. *Neque etiam alterum judicium practicum determinatum, voluntatemq; determinans.*

DICO IV. Multò minùs ad actualem electionem aut operationem liberam voluntatis prærequiritur judicium practicum, quo intellectus conſideratâ utrâque parte indifferentiæ dictet determinatè talem partem hîc & nunc eſſe à voluntate amplectendam. Ita communiter Doctores contra varios *Thomiſtas* aſſerentes tale judicium eſſe voluntati neceſſarium, ipſamque non poſſe non illud ſequi. Probatur I. quia experientia aut ratio non ſuadet neceſſitatem talis judicii practici; ſed ad ſummum ſpeculativi, quo voluntati proponatur bonitas & malitia objecti. Secundò: quia etiam ſtante tali judicio voluntas non neceſſitatur illud ſequi: cùm ſæpè eligat contra dictamen rationis judicantis oppoſitum potiùs eſſe amplectendum. Tertiò: quia tale judicium practicum vix poteſt excuſari ab errore; ſi, dum quis v. g. vult fornicari, neceſſariò judicet hîc & nunc ſibi eſſe fornicandum. Quartò: quia iſti Doctores reipsâ libertatem adimunt voluntati: ut enim eſſet libera, deberet poſſe agere & non agere in ſenſu compoſito ſive poſitis prærequiſitis, adeòque etiam poſito iſto judicio practico, quod hi Doctores eſſe volunt unum ex prærequiſitis: unde convincuntur reipsâ formalem libertatem ponere in intellectu; cùm in eo ſolo ponant indifferentiam libertati intrinſecam; cùmque aliundè conſtet intellectum non eſſe formaliter liberum, ſequitur eos reipsâ deſtruere libertatem.

DICO V. Non ad omnem actum voluntatis prærequiritur judicium intellectûs. Ita *Scotus* 2. *d.* 6. *q.* 1. *n.* 4. *& ſeqq. Vaſquez*, *Prapoſitus*, & alii Recentiores contra Nonnullos, & à fortiori contra *Thomiſtas* præcedentibus Concluſionibus refutatos. Probatur Concluſio: tum quia bruta appetunt aut fugiunt, etiam efficaciter, objecta præviâ ſimplici apprehenſione; v. g. ovis fugit apprehenſo lupo: neque enim ſunt capacia judicii, niſi quale in ſimplici apprehenſione poteſt includi. Tum quia id ſuadet experientia, homines v. g. delectari rebus imaginatis & apprehenſis, quas tamen abſolutè judicant ſibi non convenientes, v. g. cùm ſe imaginantur eſſe reges, volare &c. Prout etiam apoſtatæ angeli appetierunt, aut ſaltem appetere inefficaciter potuerunt æqualitatem Dei. Ratio à priori eſt: quia voluntas ſolùm indiget propoſitione pulchritudinis, ſeu convenientiæ objecti (quæ etiam cernitur in ſimplici apprehenſione) quâ propoſitâ, movet ipſum objectum immediatè voluntatem: adeòque hanc movere poteſt etiam ſine prævio judicio intellectûs. 43. *Non omni actui voluntatis prævium eſſe debet judicium.*

Nihilominus experientiâ conſtat voluntatem in quibuſdam arduis operationibus, in quarum exercitio multæ difficultates ſeſe offerunt, non ſufficienter moveri ſimplici apprehenſione objecti convenientis, ſed ulteriùs debere ipſum ab intellectu proponi velut ſuadendo & inculcando rei dignitatem, laboris parvitatem &c. aut velut urgendo, propoſitis minis v. g. ſecuturi alioquin ſupplicii æterni &c. Immo ordinariè (& juxta pleroſque neceſſariò) ad omnem actum efficacem liberum præcedit formale judicium, docente experientiâ: non enim ſolemus efficaciter ſperare aut intendere finem conſequi, niſi præeat judicium de poſſibilitate conſequendi ſaltem per alium; neque eligere medium, niſi priùs judicetur ad finem eſſe idoneum. 44. *Quamvis ordinariè prævium ſit.*

Exiſtimant tamen nonnulli Recentiores ſufficere ad actum, etiam efficacem, appre-

apprehenſionem, quæ judicio æquivaleat, ſeu quæ implicitè contineat judicium: qualem *Leſſius quæſt.* 9. *a.* 1. *dub.* 5. *n.* 21. cenſet eſſe omnem apprehenſionem complexi; ideoque exigit hujuſmodi actum etiam ad ſimplicem complacentiam & diſplicentiam, delectationem & ſimplex deſiderium ſeu optationem; eò quòd alioquin non conciperetur ipſa res, ſed aliqua alia; v. g. ſi apprehendatur Deus impoſſibilis, non apprehenditur verus Deus per tale complexum. De quo quidquid ſit; *Arriaga diſp.* 7. *de Anima ſect.* 4. *ſubſect.* 3. duplicem diſtinguit apprehenſionem; unam talis naturæ, ut non determinet ad judicandum id quod apprehenditur, ſed potiùs ad diſſentiendum, ſeu judicandum eſſe impoſſibile, ut in mox allegato exemplo. Et hæc indubiè non ſufficit ad efficacem amorem. Alteram, quæ nata ſit determinare ad judicium de objecto. Et hanc putat ſufficienter determinare ad efficacem affectum; exemplo appetitûs ſenſitivi brutorum: eò quòd talis apprehenſio æquivaleat judicio in ordine ad voluntatem, & quaſi indubitanter rem proponendo determinet velut immediatè ipſum intellectum ad judicium.

45. *Libertas vulgò dicitur radicari in intellectu,* Ex dictis hâc quæſtione facilis eſt reſolutio dubitationis proponi ſolitæ: an vel qualiter verum ſit, quod ordinariè dicitur, libertatem voluntatis radicari in intellectu. Conſtat enim ex dictis non aliter radicari, quàm quatenus voluntas in operatione ſeu uſu libertatis pendet ab intellectu ejuſque operatione tamquam conditione proponente objectum circa quod voluntas liberè agat; quæ alioquin indifferentiam ſuam aut operationem exercere non poſſet. Proponi autem debere objectum, non quidem per judicium indifferens aut practicum; ſed per notitiam ſpeculativam. Quamquam debeat proponi tam bonitas, quàm malitia, ut voluntas ſit libera ad oppoſita libertate contrarietatis: ac ſpecialiter proponi aliqualiter debeat malitia ſeu inhoneſtas operis vel omiſſionis, ut ſit libera demeritoriè.

Non tamen ſatis propriè. Alioquin ſi proprietatem ſermonis urgere quis velit, videri poteſt locutio minùs propria, quâ dicitur libertas radicari in intellectu; ſicut intellectus non propriè diceretur radicari in ſenſu vel phantaſia: potentia enim ſive innata perfectio non propriè dicitur radicari in conditione operandi. Prout etiam cauſa efficiens non dicitur radicari in applicatione, v. g. calefaciens aut calefactio non dicitur radicari in approximatione ligni ad ignem. Unde magis propriè libertas quoad uſum in ipſa voluntate eique innatâ indifferentiâ dicitur radicari; quæ ulteriùs, uti & intellectus radicatur in natura ipſius animæ rationalis, quæ talis eſt, ut hujuſmodi proprietates neceſſariò exigat. Equidem loquimur, ut multi: *Nec enim de verbis, cùm res conſtat, controverſia facienda eſt*, ut ait *Auguſt. l.* 1. *Retract. c.* 15.

QUÆSTIO V.

Qualiter liberum arbitrium moveatur ab appetitu ſenſitivo ſive concupiſcentiâ?

VOLUNTATEM moveri ab appetitu ſenſitivo, ſive trahi à paſſionibus concupiſcentiæ experientiâ notum eſt; Et docet Scriptura, *ad Rom.* 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Jac.* 1. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Et alibi. 46. *Liberum arbitrium movetur ab appetitu ſenſitivo*

Non ſine prævia notitiâ intellectûs, Appetitus porrò juxta Doctores communiſſimè contra *Medina* non ita movet immediatè voluntatem, ut ipſa feratur in objectum, ad quod impellit appetitus, abſque eo quòd præviè excitetur notitia intellectualis circa idem objectum; cùm juxta ſupradicta non poſſit voluntas ferri in incognitum, & immediata regula voluntatis non ſit ſenſus, ſed intellectus. Ideoque non rectè fundatur hæc motio præciſè in colligatione potentiarum in eadem anima, quaſi propter illam ſolam voluntas immediatè feratur in illud, in quod fertur appetitus ſenſitivus.

Sed eâ ſuppoſitâ per quamdam ſympathiam, Movet itaque appetitus voluntatem ratione quidem connexionis in eadem anima per quamdam ſympathiam ſeu potentiarum conſenſum, ob quem fit quòd dum appetitus ſenſitivus elicit actum circa proprium objectum, voluntas alliciatur ad ponendum actum circa idem objectum, præviâ tamen ſemper intellectûs notitiâ. Quæ facilè habetur; cùm phantaſia proponens appetitui objectum derivet ſpecies illius in intellectum, qui idem objectum proponit voluntati tamquam conveniens & jucundum. Unde fit, quòd voluntas ſic alliciatur, ut deſideret id, quod abſente cupiditate abhorrebat. Interdum autem appetitus ſenſitivus tanto impetu fertur in objectum, ut voluntas vix poſſit reluctari. Immo ſubinde ita ligatur & prævenitur ratio, ut non attentâ conditione inhoneſtatis ſolùm attendat convenientiam naturalem, vel jucunditatem; ut fit in motibus primò primis, qui idcirco defectu deliberationis vel advertentiæ non ſunt peccaminoſi.

Interdum

Interdum autem etiamſi intellectus nectet objectum eſſe diſſonum rationi, difficulter tamen voluntas ab eo dimovetur, durante videlicet vivaci propoſitione jucunditatis aut naturalis convenientiæ objecti.

47. Petes, An motio hæc competat eatenus tantùm appetitui ſenſitivo, quatenus is nil appetit, niſi repræſentatum à phantaſia, hæc autem excitat intellectum, & intellectus voluntatem? Reſp. Neg. ſic enim appetitus verè non moveret, ſed ſola phantaſia. Itaque ipſe actus appetitûs ſenſitivi ſpecialiter movet voluntatem. Primò, quatenus excitatus per phantaſiam, excitat reciprocè ipſam phantaſiam & intellectum tamquam actus v. g. delectabilis, quem intellectus experimentaliter palpat & vivaciter voluntati proponit, ſicque eam vehementer inclinat. Secundò, valde probabiliter etiam immediatè, quatenus paſſio appetitûs ſenſitivi attrahit ipſam animam, eamque valde inclinat in ſuum objectum; & conſequenter accedente cognitione intellectivâ inclinat eamdem, ut in idem objectum tendat quoque per appetitum rationalem ſeu voluntatem. Sicut enim ipſa objecta ſenſibilia trahunt animam ſecundùm appetitum ſenſitivum; ſic æquè aut potiùs ipſe appetitus accedente notitiâ intellectivâ attrahere poteſt animam ſecundùm appetitum rationalem. Mira namque eſt ſympathia utriuſque appetitûs; quamquam verè ignota funditus ſint nobis ea quæ maximè intrà nos ſunt. Equidem quòd dictum eſt fit ex eo credibilius, quod (ut apparet) in ſtatu innocentiæ delectatio appetitûs ſenſitivi non ita attraxiſſet voluntatem, utì nunc, etiam ſtante perfectâ propoſitione intellectivâ delectabilitatis objecti. Immo etiam nunc propoſitâ vivaciter delectabilitate objecti, ſi aliundè frænaretur aut impediretur paſſio appetitûs ſenſitivi, faciliùs frænaretur motus appetitûs rationalis. Qui tamen iſta negaret, difficulter poſſet convinci.

Idq; dupliciter.

Addit *Leſſius quæſt. 9. art. 2. num. 36.* ſimul atque exurgit paſſio appetitus ſenſitivi, intellectum apprehendere objectum ut conveniens, eodemque momento oriri vehementem complacentiam vel diſplicentiam in voluntate; quæ quoniam intrinſecè voluntatem inclinat, omnem difficultatem parit, ideoque difficulter voluntas conſenſum cohibet. Immo exiſtimat hunc voluntatis motum, etiam ratione repugnante, & inhoneſtatem oſtendente, interdum perſeverare, v. g. affectum ulciſcendi ortum ex inopinato aſpectu inimici; ex eò quòd cum judicio de inhoneſtate continuo adhuc perſeveret ſaltem imperfecta quædam apprehenſio intellectûs de convenientia objecti. Attamen ſi velit *Leſſius* motum hunc ſimplicem voluntatis in ea oriri aut perſeverare etiam vigilante ratione, ipſâque voluntate ſimpliciter repugnante, nullatenus probandum cenſeo: ea ſiquidem eſt liberæ voluntatis conditio, ut etiam ſimplicem complacentiam in ſuo nutu poſſideat, non obſtante delectabilitate objecti per intellectum propoſitâ, ſaltem dum ratio ad inhoneſtatem attendit; ideoque ex tunc imputari incipit ad culpam, etiam ulteriore conſenſu ejuſve periculo ſecluſo. Quàmvis voluntate imperfectè repugnante perſeverare poſſet aliqua complacentia ejuſdem, ſicque ipſa deſes velle ſimul quodammodò & non velle.

Sed reſtat difficultas cum Hæreticis recentioribus, an paſſio concupiſcentiæ ſic inclinet voluntatem ad aſſenſum, exiſtente etiam ratione plenè deliberatâ, ut non ſit in poteſtate voluntatis reſiſtere, ſed hæc neceſſariò ductum concupiſcentiæ ſequatur quando reipſa ſequitur. Verùm breviter reſpondetur, quòd uti certum eſt, etiam apud ipſos, peccare hominem, qui poſt concupiſcentias ſuas deliberatè incedit, ſic certum eſſe debeat, poſſe hominem concupiſcentiæ reſiſtere, ſeu non neceſſariò trahi: nam libertas indifferentiæ ad peccandum requiritur, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, ut definivit *Innocentius* X. in Bulla contra *Janſenium*. Et antea à *Pio V. Gregorio XIII.* & *Urbano VIII.* condemnatus fuit hic articulus: *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.* Huc faciunt ea quoque, quæ ad liberum arbitrium adſtruendum allegata ſunt *quæſt.* 1. Et ſpecialiter præterea illud *Trid. ſeſſ. 6. can. 6.* condemnantis, *non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere*; *ſed* (quod conſequens eſſe debet apud *Calviniſtas*) *mala opera ita, ut bona, Deum operari &c.* Et illud *Auguſt. l. de duabus animab. cap.* 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ &c. Si ita coguntur, ut reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant.* Et *l. 3. de lib. arb. cap. 18. Hoc breviſſimum tene. Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur &c. quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.* 48.

Concupiſcentia non neceſſitat voluntatem; utpote quæ alioquin verè non peccaret.

Nec refert, quòd *Auguſt. ibid.* dicat: *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt.* Reſp. enim ipſum loqui de motibus concupiſcentiæ indeliberatis (ut patet ex verbis mox ſubjectis, & ſtatim dicendis) qui improbandi ſunt, velut objectivè & materialiter inordinati: nam utique deſiderium mali, malum eſt objectivè, etiamſi ei non conſentiatur. Non tamen ſunt peccata formalia & propriè: *Nam* (inquit *l. 3. de lib. arbit. cap. 19.*) *illud quod ignorans quiſque* 49.

Motus indeliberati ſunt impropriè peccata ſecundum B. Auguſtinum.

quiſque non rectè facit, aut quod rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libera voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolùm membrum illud quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud quod hujus membri motum conſequitur, id eſt, formam tenoremq; verborum, ſecundùm quem modum alia dicitur lingua græca, alia latina: ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate & ab ſciente committitur, ſed etiam illud quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt. Idemque *Aug. 1. Retract.* 15. disertè explicat dictum ſuum hîc objectum; ſe videlicet loqui de concupiſcentia carnis, eamque non eſſe propriè peccatum, ſed ideo peccatum vocari; *quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt.* Alioquin de propriè dictis peccatis loquens *loco cit. de lib. arbit.* ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis: iſta tua propria peccata ſunt.*

50. *Quoad motus deliberatos naſcitur ex concupiſcentia difficultas à culpa non excuſans.* Itaque concupiſcentia quoad motus indeliberatos cauſat neceſſitatem excuſantem à peccato formali: quoad deliberatos verò neceſſitatem ſecundùm quid, ſeu difficultatem, quæ non excuſat à culpâ propriè dictâ. Et ob hoc *S. Auguſtinus* concupiſcentiam paſſim vocat difficultatem; quia videlicet difficillimè vincitur, etiam ratione ad malitiam advertente. Ejuſque fidelis interpres *D. Thomas quæſt. 24. de verit. art. 12. ad 12.* explicans illud *Auguſtini: Cogenti cupiditati voluntas reſiſtere non poteſt*, ait: *Cupiditas ..... dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate*; & quidem tantâ, ut ſine gratia, permanente phyſicâ libertate, homo infallibiliter cupiditatem trahentem ſequatur, ſi ſaltem vehemens ſit. De quo in *Tract. de gratia.* Alibi quoque frequenter eam comparat conſuetudini. De qua tamen ſimiliter dicit *diſp. 2. contra Fortunatum, voluntatem poſtea non poſſe* illam *vincere*; quia videlicet (ut habet *in Pſ. 30.*) *vincere conſuetudinem, magna pugna.* Et *lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 12. Hanc vincere difficillimum eſt &c.* Quam difficultatem vocat neceſſitatem *8. Confeſſ. cap. 5.* dicens: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me: quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*; intellige cum *D. Thoma quæſt. 6. de malo art. un. ad 24.* non ſimpliciter, ſed in repentinis ſeu indeliberatis *præcipuè. Nam ex deliberatione quantumcumque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere.* Similiter ſæpe & loquere de concupiſcentia, ſi vis ſapere & loqui ad ſobrietatem catholicam. Neque peccatum originis ſufficit ad conſtituendos culpæ perſonalis (qualis utique foret) reos, qui verâ neceſſitate conſtringuntur: aliàs æquè ſufficeret ad idem quoad motus indeliberatos concupiſcentiæ. De quibus etſi ſimiliter inſanè ſentiant *Calviniſtæ*, retundendi tamen ſunt in materia de Peccatis.

Sicut ex prava conſuetudine naſcitur difficultas ſimilis,

Quæ alibi à B. Auguſtino vocatur neceſſitas.

QUÆSTIO VI.

Quomodo moveatur liberum arbitrium ab objecto, Deo, Angelis & aſtris?

51. *Objectum movet metaphoricè.* DICO I. Objectum movet metaphoricè liberum arbitrium mediante cognitione. Patet experientiâ, & ex dictis in Phyſica de cauſa finali.

Non neceſſitat voluntatem. DICO II. Objectum non movet voluntatem noſtram neceſſitando illam ad actum. Patet: quia ſi eſſet aliquod objectum ita neceſſitans voluntatem, eſſet Deus vel beatitudo: ſed neutrum eſt tale pro hoc ſtatu; nam poteſt quilibet ab amando Deo & deſiderandâ beatitudine ceſſare; adeòque eſt liber quoad exercitium actûs. Immo veroſimile eſt Deum, etiam clarè viſum, non neceſſitare phyſicè, ſed tantùm moraliter voluntatem Beati ad amorem; juxta dicta *Tract. præc. d. 2. quæſt. 9.*

52. *Nequit tamen ipſa bonum ut ſic odiſſe, vel malum ut ſic amare.* DICO III. Bonum ut ſic movet voluntatem neceſſariò quoad ſpecificationem actûs: ſimiliter malum ut ſic; quia videlicet bonum quà tale nequit voluntas odiſſe, nec malum quà tale amore proſequi. Ita *D. Thomas, Scotus 4. d. 49. q. 10. n. 8. & 9.* & alibi (quàmvis aliis in locis quaſi fuiſſet dubius nihil reſolverit) & alii communiter, contra *Occam* & reliquos *Nominales*: quibus adhærent nonnulli *Scotiſtæ*.

Probatur I. ex Patribus. *Dionyſius de divin. Nomin. cap. 4. verſus finem* ait: *Nemo propoſito ſibi malo facit, quæ facit.* Seu, ut vulgò citatur: *Nemo ad malum intendens operatur. Auguſtinus lib. de duab. animab. cap. 12.* inquit: *Hoc autem aliquid* (quod appetit voluntas) *aut bonum erat, aut bonum putabatur. Non enim aliter appeti poſſet. Et Enchiridii c. 105.* docet nos ſic velle beatitudinem, ut *eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus.* Et alibi ſæpè. Et *Anſelmus lib. de Concordia cap. 21.* ait: *Nihil vult voluntas ..... niſi aut commoditatem aut rectitudinem. Quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult.*

Probatur

Probatur II. Quia non poteſt amari quod non eſt appetibile propter ſe aut propter aliud. ſed malum quà tale non eſt ſic appetibile; quandoquidem appetibilitas coincidat cum bonitate, quæ proinde per appetibilitatem frequenter deſcribi ſolet: ergo malum quà tale non poteſt amari.

Probatur III. Quia appetitus innatus tantùm fertur per modum inclinationis in ſibi conveniens, ſimiliter appetitus ſenſitivus actu proſecutionis ſolùm fertur in bonum per ſenſum propoſitum, & actu fugæ in malum: ergo ſimiliter appetitus rationalis. Nec obſtat, quòd hic ſit liber: non enim eſt ita liber, ut feratur pro libitu extra proprium objectum, quod reſpectu amoris eſt bonum, reſpectu fugæ malum.

Probatur IV. Quia verum & falſum ſunt objectum aſſensûs & diſſensûs intellectûs, ſicut bonum & malum proſecutionis & fugæ: ergo ſicut intellectus nequit aſſentiri falſo cognito aut diſſentiri vero; ſic & voluntas nequit malum quà tale proſequi, aut bonum odiſſe.

53. *Quàmvis amare poſſit malum ſpectatum ſecundùm rationem boni ſaltem putatitiam.*

Dixi *malum quà tale*: quia voluntas ſæpè fertur in objectum reverà malum, ſed ſpectatum ſecundùm veram aut putatam rationem boni. Quo modo peccatores cupiunt objectum moraliter malum propter bonitatem delectabilem, & multi optant ſibi mortem tamquam conducentem ut liberentur à miſeriis. Similiter qui alterum odit, vult ei malum, ut ei malè ſit; quia hoc ipſum apprehendit ſibi bonum; prout etiam cupientes ſe vindicare apprehendunt in vindicta aliquam ſpeciem boni.

Dices: Deus poteſt à malis haberi odio, & tamen in ipſo nulla mali ratio poteſt relucere: ergo voluntas poteſt etiam bonum odiſſe. Reſp. in primis poſſe per errorem apprehendi in Deo malum ob quod odio habeatur. Deinde ſine errore poteſt apprehendi Deus tamquam incommodus ſeu injucundus; quatenus punit ſuppliciis æternis, præcipit carni incommoda, prohibet jucunda: ſimiliter tamquam non utilis, quatenus non juvat, ſed potiùs obſiſtit pravis hominum deſideriis: & hâc ratione velut extrinſecâ poteſt ipſe Deus odio haberi à malis; quàmvis etiam eatenus juxta rectam rationem ſit ſummè amabilis.

54. *Deus movet voluntatem phyſicè,*

Dico IV. Deus movet voluntatem, partim phyſicè, partim moraliter. Phyſicè quidem: quia concurrit efficienter ad actus voluntatis tamquam cauſa prima; & inſuper quando actus ſunt ſupernaturales, concurrit per habitus infuſos vel auxilium ſpeciale. *Et moraliter,* Moraliter autem movet & allicit voluntatem, præveniendo illam per bonas inſpirationes vel cauſando certas in corpore diſpoſitiones, unde phantaſia & appetitus, ac conſequenter intellectus & voluntas moventur. *Non neceſſitando.* Relinquitur tamen voluntati ſemper libertas ſaltem in actibus deliberatis, ut alibi dicetur; quàmvis Deus libertati præjudicare poſſit ſe ſolo infundendo actum voluntati; quæ tunc libera eſſe non poſſet, utpote ſe habens merè paſſivè. Idem paſſim docent Doctores poſſe fieri, ſi Deus voluntatem phyſicè prædeterminet: quàmvis id eſſe impoſſibile cenſeat *Poncius diſp.* 64. *Philoſophiæ q.* 7.

55. *Angeli ſolùm indirectè voluntatem noſtram movere poſſunt,*

Dico V. Angeli directè quidem non poſſunt movere voluntatem hominis; cùm in ea immediatè nihil poſſint efficere, indirectè tamen & mediatè poſſunt illam movere, quatenus poſſunt movere temperamentum & humores corporis, quibus motis variæ excitantur operationes in phantaſia & appetitu; unde ulteriùs ſequitur motio voluntatis. Similiter poſſunt movere proponendo objecta, concitando ſpecies imaginativas, agitando ſpiritus vitales, exteriùs loquendo. Ita communiter Doctores. Vide dicta in materia de *Angelis diſp.* 4. *q.* 8. *n.* 58.

56. *Uti & aſtra.*

Dico VI. Aſtra movent humanam voluntatem, non quidem directè & immediatè, ſed remotè & indirectè. Prima pars patet: quia voluntas, quæ eſt ſpiritualis potentia, eſt incapax influxûs aſtrorum qui eſt planè corporeus & materialis. Secunda pars patet: quia ex influxu aſtrorum moventur humores, & alteratur corpus humanum, inde autem movetur phantaſia & appetitus, iiſque mediantibus intellectus & voluntas: ſalvâ tamen libertate voluntatis, quæ ſicut poteſt reſiſtere appetitui ſenſitivo, ſic multò magìs reſiſtere poteſt aſtrorum influxui longè remotiori. Unde eſt vulgatum illud *Ptolomei* in Centiloquio: *Sapiens dominatur aſtris.*

Eorum certa irradiatio quid operetur.

Hinc oritur phreneticos & lunaticos magìs furere ſub certa irradiatione ſiderum: eò quòd humores corporis magìs tunc perturbentur, & temperamentum phantaſiæ ad operationes rationales requiſitum diſſolvatur; ex quo ſtulti in majorem rabiem aguntur. Similiter homines habitantes ſub diverſorum ſiderum aſpectu participant diverſas inclinationes: ad quas tamen plurimùm conducunt parentes, educatio, ciborum qualitas, ſimileſque cauſæ extrinſecæ. Denique ipſi dæmones certis temporibus, videlicet quando dominatur plena luna aut aliud ſidus calidum vel humidum, magìs inſaniunt in hominibus arreptitiis, ſolentque tunc maximè dæmones à Necromanticis evocari; quia tunc corpora arreptitiorum ſunt magìs ad inſaniendum diſpoſita. Similiter alia agentia ad effectus ad quos evocantur. Cui diſpoſitioni dæmones ſe liberè accommodant; fortè ut fidem Aſtrologiæ judiciariæ concilient, & ſub prætextu aſtrorum tacitè homines ad fidem dæmoni habendam inducant.

Quòd verò aſtra ne quidem ſint ſigna eventuum liberorum ſatis oſtenſum eſt contra Aſtrologos judiciarios *diſp.* 6. *de Deo Creatore q.* 5.

QUÆSTIO VII.

De actibus elicitis liberi arbitrii.

57. *Actus eliciti voluntatis*

VARII actus ſolent attribui voluntati ſeu libero arbitrio tamquam principio immediatè & phyſicè elicitivo: nempe volitio (ſub qua comprehenditur nolitio) intentio finis, electio mediorum, imperium, conſenſus (ſub quo comprehenditur diſſenſus) uſus & fruitio.

Volitio & nolitio.

Volitio generaliter ſignificat affectum voluntatis, quo ei quidquam placet aut diſplicet. Et ſic includit nolitionem; quæ contra volitionem ſtrictè dictam in eo diſtinguitur, quòd volitio verſetur circa bonum per modum inclinationis, quâ videlicet ipſum ſibi placet: nolitio autem circa malum per modum fugæ ſeu diſplicentiæ. Alia eſt efficax, quæ tendit in objectum cum abſoluto ordine ad executionem. Alia inefficax, quæ abſolutè ad executionem non determinat. Et hæc rurſum eſt duplex. Alia omnino ſimplex, quâ voluntati aliquid placet vel diſplicet abſtrahendo omnino ab executione. Alia eſt conditionata, quæ involvit ordinem conditionatum ad executionem, & reſolvitur in ſimilem orationem: *Vellem hoc conſequi, ſi poſſem, ſi non eſſet adeò difficile &c. Nollem hoc facere, ſi non timerem pœnam &c.* ideoque appllari ſolet velleitas aut nolleitas.

Alia eſt efficax, alia inefficax.

58. *Inefficax etiam conditionata poteſt ferri in impoſſibile cognitum ut tale,*

Poteſt autem volitio inefficax (aliud eſt de efficaci) tam ſimplex quàm conditionata verſari circa impoſſibile, etiam cognitum ut tale. Idque verum eſt, non ſolùm de impoſſibili ſecundùm quid aut ex ſuppoſitione (prout impoſſibile eſt hominem qui peccavit non peccaſſe, damnatos ſalvari) ſed etiam de impoſſibili ſimpliciter, ut docet *Scotus* 2. *d.* 6. *q.* 1. *n.* 4. ubi id exemplificat in Angelis qui appetierunt, vel ſaltem appetere potuerunt æqualitatem Dei, quam ſibi noverant impoſſibilem. Idem docet *Præpoſitus* & plurimi alii.

Probatur ab experientia, quâ conſtat, nos aliquando deſiderare quæ novimus impoſſibilia, ſub conditione, ſi forent poſſibilia; uti pravi aliqui homines deſiderant Deum non eſſe, & boni deſiderant amare Deum amore infinito ſeu quanto dignus eſt. Deinde nihil obſtat, quò minùs affectus ſic tendat circa impoſſibile, dum proponitur ſub conditione poſſibilitatis.

59. Petes, An volitio inefficax conditionata ſit actus præſens voluntatis? Negat *Gregorius* & pauci alii, qui exiſtimant per ly *vellem hoc* vel *nollem hoc* explicari ſolùm actum præſentem intellectûs, quo quis judicat ſe hoc vel illud voliturum vel noliturum, ſi hæc vel illa conditio ſubeſſet; ſicut dum dico, *Amarem Petrum, ſi hoc feciſſet*, non ſignifico amorem qui actu eſt, ſed qui eſſet poſitâ conditione. Nihilominus meritò affirmat *Scotus* 1. *d.* 47. *n.* 2. Et 3. *d.* 15. *n.* 17. & alii communiter: etſi enim ſubinde ſignificari poſſit tali loquendi modo amor ſeu actus efficax ponendus abſque eo quòd aliquis etiam conditionatus de facto ſit poſitus, ſicut Alii explicant: equidem poteſt etiam ſignificare, & communi uſu ſignificat ly *vellem* affectum præſentem, abſolutum quidem ex parte actûs & poſitum extra cauſas, conditionatum tamen ex parte objecti, qui eò quòd non moveat efficaciter ad proſecutionem mediorum, ſed quantùm eſt ex præſenti diſpoſitione moveret, ſi in objecto reperiretur certa conditio, idcirco vult de facto inefficaciter, quod tunc vellet efficaciter. *Eſtq; actus præſens voluntatis.*

. Probatur: quia poteſt quis experiri in ſe affectum aliquem, dum vult inefficaciter aliquid, quod abſolutè non vult conſequi defectu alicujus conditionis. Deinde experimur inde in nobis conſurgere delectationem vel triſtitiam, quæ eſt ſignum affectûs præſentis, ex quo velut paſſio profluit. Denique non eſt ratio, cur ſicut aliquid poſſumus per voluntatem proſequi abſolutè, ſic non poſſimus conditionatè. Unde ejuſmodi affectus conditionati etiam reperiuntur in Deo; ſic v.g. vult ſalvos fieri, etiam illos qui numquam ſalvi fient. Et quàmvis in eo non reperirentur ob ſuperfluitatem, ut Nonnulli prætendunt, ſed non rectè; non eſſent ideo negandi in nobis, qui non refugimus ſuperfluum.

Intentio eſt volitio finis tamquam proſequendi per media. Electio autem eſt volitio mediorum ad finem conſequendum. Unde ſunt ſpecies volitionis efficacis. Ideoque non ſunt impoſſibilium, quæ ut talia cognita ſunt. Præterea ſunt actus collativi reſpicientes diverſimodè mutua objecta. Intentio ſiquidem finis directè reſpicit ipſum finem, ejuſque bonitatem habet pro motivo; indirectè autem & quaſi ex conſequenti reſpicit media neceſſaria. E contrà electio reſpicit directè ipſa media tamquam objectum materiale ad quod terminatur, & pro motivo habet bonitatem finis (cujus utique gratiâ omnia media appetuntur & fiunt) ſeu ipſam mediorum conducentiam & proportionem ad finem. Et hinc bonitas moralis finis vel malitia afficit vel inficit ipſam electionem, adeò ut electio medii alioquin honeſti ad finem inhoneſtum ſit etiam obiectivè inhoneſta. 60. *Intentio & electio ſunt actus collativi mutua objecta diverſimodè conſiderantes,*

Hinc colligitur intentionem & electionem eſſe actus diſtinctos realiter, ratione videlicet diverſitatis objectorum, ſeu modi tendendi in objecta. Quemadmodum diſtinguitur in nobis aſſenſus præmiſſarum ab aſſenſu concluſionis. Unde communiter dicitur intentio finis eſſe cauſa electionis mediorum, & præcedere conſilium, electio autem conſilium ſequi. Accedit intentionem interdum eſſe actum volitionis & proſecutionis, Electionem autem eſſe actum 61. *Ordinariè realiter diſtincti,*

averſionis

averſionis & fugæ. Et hæc quidem vera apparent ſpectato ordinario modo agendi hominum, qui cùm ſit valde limitatus, ſolet eſſe ab uno actu, quo intenditur finis, ad alium diſtinctum, quo directè intenduntur media, præſertim in particulari. Non apparet tamen, cur non poſſet voluntas propoſito ſibi fine, actum intentionis ſuſpendere ex ſua libertate, quouſque conſideratis determinatè mediis uno actu velit finem per iſta media. Quo caſu non videtur neceſſarius aliquis diſtinctus actus. Addo, non facilè apparere, cur non poſſet voluntas eodem actu directè ferri in finem & media propter ipſum. Et fortaſſe ita contingit frequenter in Angelis; prout etiam hi ſine formali diſcurſu frequenter aſſentiuntur principiis & concluſioni. Immo Nonnulli exiſtimant generaliter actum electionis mediorum eſſe ſimul volitionem finis directam ſive ut quod. Quàmvis ſicut hoc ſine urgenti ratione aſſeritur, ſic pati facilitate negetur.

62\. *Intentio nō efficit phyſicè electionem.*

Dubitatur autem, an intentio ſit cauſa phyſicè effectiva electionis? Reſp. Neg. cum Doctoribus communiùs contra *Vaſquez* & quoſdam alios. Ratio eſt: quia non eſt ſtatuenda cauſalitas efficiens unius actûs, ejuſdem præſertim potentiæ, in alium abſque neceſſitate; quæ hîc nulla eſt: cùm voluntas ſufficiat ſola non minùs reſpectu electionis, quàm reſpectu ipſius intentionis. Solùm igitur intẽtio movet ſeu determinat moraliter voluntatẽ ad electionem. Quemadmodũ ipſum objectum ſeu finis determinat voluntatem ad amorem abſque phyſica efficientia. Similiter voluntas per ſuum imperium determinat potentias executivas; quarum tamen actus non coefficit, ut etiam *Vaſquez* fatetur. Ipſa præterea cognitio planè neceſſariò concurrit & determinat ad actum voluntatis; quem tamẽ ipſo *Vaſquez* fatente phyſicè nõ efficit. Deniq; ſecundùm veriorem ſententiam, aſſenſus principiorum non efficit phyſicè aſſenſum concluſionis, ad quem determinat: cur igitur intentio efficeret electionem?

63\. *Nec determinat neceſſariò ad electionem medii melioris,*

Dubitatur II. An intentio finis neceſſariò determinet ad electionem medii melioris? Reſp. Neg. cum *Scoto, Gabriele, Suarez* & pleriſque aliis contra *Vaſquez* & Nonnullos alios. Ratio eſt: quia non neceſſitatur eligere medium utilius; cùm hoc non ſit neceſſarium ad conſecutionem finis: è contrà autem medium minùs utile eſt ſufficiens & verè bonum; ergo poteſt hoc liberè acceptare iſto neglecto.

Nec obſtat, quòd minoritas utilitatis ſeu carentia majoris utilitatis ſit quidam defectus ſeu quoddam malum: non enim movet voluntatem iſta carentia vel defectus, ſed quæ in medio minùs utili reſidet poſitiva utilitas.

64\. Nota, licèt electionem præcedat judicium, & interdum tale, quo unum medium judicatur convenientius, hoc tamen judicium non inferre voluntati neceſſitatem. Hinc etſi unum medium ſpeculativè præferatur, adeòque intimetur voluntati eſſe utilius & præacceptandum; voluntas tamen pro ſua libertate poteſt practicè præferre ſeu aſſumere medium minùs utile, volendo ſeu eligendo illud etiam ſine errore in intellectu: ſcilicet habendo ſe negativè circa medium utilius, quod non acceptat; prout facit in electione unius ex duobus æqualibus. Moraliter tamen id non contingit, ſed ordinariè verum eſt (quod ex *Damaſceno, Nemeſio* & *Ariſtotele* circumfertur) electionem eſſe *voluntatem ejus quod præjudicatum fuit*, ſeu meliùs judicatum: quando nimirum non intercurrit ratio retardans ab utiliori medio. Hinc horror difficultatum aut amor commoditatum alteriuſve boni tantam efficit differentiam in electione ſtatûs. In ea enim cùm ſolùm ſpectari deberet, qui ſtatus eligenti omnibus ſpectatis futurus videatur utiliſſimus ad Dei gloriam & animæ ſalutem, multa alia conſiderantur ad vitam ſolùm præſentem ſpectantia, v. g. fuga difficultatum ſeu aſperitatum, commoditates, humores & ſimilia; ſicque fit, ut medium ſalutis periculoſum & minùs utile plerumque præferatur utiliſſimo ac ſecuriſſimo.

Idq; ex nutu voluntatis citra errorem amplectentis minùs utile:

Solet tunc tamen intercurrere, quod ab utiliori retrahat.

Quòd ſi *Vaſquez* urgeat vim vocis *electio*, quæ importat ut unum alteri præponatur; inutilem de voce excitat quæſtionem: cùm de re conſtet, voluntatem eligere, id eſt, acceptare medium dum vel unicum dumtaxat proponitur; aut unum è multis, quæ proponuntur velut æqualia, aut etiam (ut oſtenſum eſt) ex inæqualibus minùs utile: & tamen tota tunc ſubſiſtit ratio & motivum actûs electivi; eſto Etymologia vocis *electio* ſumpta foret à prælatione unius præ altero. Quod tamen facilè negari poſſet, dicendo id quidem verum de prælectione ſeu comparativa electione (de qua ſimiliter accipi ſolet prædictum vulgatum ex *Damaſceno*) non tamen de electione abſoluta; abſolutè enim eligere eſt *unum è multis legere* juxta *Ariſtotelem* 3. *Eth.* 2. ſive id quod eligitur ſit præpoſitum, ſive ſimpliciter propoſitum ab intellectu.

Qui adhuc ſubſiſtat ratio vera electionis;

Etiam attentâ Etymologiâ vocis.

65\. *An ſuppoſitâ intentione finis neceſſaria ſit electio unici medii,*

Dubitatur III. An ſuppoſitâ abſolutâ & omnino efficaci intentione finis, electio unici medii ad conſecutionem requiſiti ſit neceſſaria? Reſp. Affirm. cum Doctoribus paſſim contra Nonnullos. Ratio eſt: quia talis intentio eſt prævia electioni, & ad hanc ita determinat voluntatem, ut ſit impoſſibile eâ carere, ſuppoſito quòd perſeveret intentio, quæ proximè ad executionem non ſufficiat: ergo ex hac ſuppoſitione neceſſaria eſt talis electio. Confirmatur: quia ad conſecutionem finis ſupponitur medium eſſe neceſſarium, & conſequenter electio ejuſdem; ergo non poteſt eſſe efficax intentio finis, quin neceſſariò ſequatur talis ele-

ctio. Unde ſicut voluntas per ſuum imperium infert neceſſitatem actui hîc & nunc imperato,ſic etiam per intentionem infert neceſſitatem ejuſmodi electioni, quam imperat.

66. Dices: Poſitâ efficaci intentione,& poſito etiam judicio quòd ſit unicum medium neceſſarium, poteſt equidem voluntas ſuſpendere electionem: hanc enim non tenetur voluntas habere antequam exequatur, ſed ſufficit ut illam eliciat,dum hîc & nunc exequitur: ergo etiam electio medii unici eſt libera quoad exercitium. Reſp. ſi ſit efficax intentio hîc & nunc obtinendi finem, neceſſariò conſequitur electio proximè efficax;ſcilicet voluntas hîc & nunc exequendi medium neceſſarium:itaque juxta efficaciam intentionis poteſt eſſe neceſſitas electionis. Unde, ſi communiter poſitâ etiam intentione maneat voluntas indeterminata ad mandandum executioni, poteſt electio quoad hoc manere libera: quia in tantùm intentio infert electionem, in quantùm eſt neceſſaria ad conſecutionem finis;ob quod proinde deficere deberet intentionis efficacia, quæ tamen ſupponitur perſeverare. Igitur ſi hîc & nunc non ſit neceſſaria executio, non neceſſariò hîc & nunc ſit electio. Sic qui intendit cras audire ſacrum, non neceſſariò debet eligere ſtatim domum egredi. Similiter qui efficaciter diligit Deum, neceſſariò quidem habet voluntatem ſervandi mandata pro tempore occurrentia;ſi tamen aliqua tunc non occurrant, ſufficit præparatio animi, & voluntas implicitè in divino amore incluſa.

Et quo ſenſu.

Nec obſtat, quòd intendens ſeu ſperans beatitudinem non neceſſariò velit abſtinere à peccatis;nam ſuppoſito,quòd in ſpe efficaci perſeveret,neceſſariò à peccatis abſtinet, quatenus judicat talem abſtinentiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad beatitudinem conſequendam, ſeu quatenus judicat ſe alioquin beatitudinem non poſſe conſequi. Subinde autem judicat illud non eſſe hîc & nunc omnino neceſſariũ,exiſtimans ſibi poſtea dandum tempus pœnitentiæ.

Neceſſitas hæc non eſt ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione jugiter libera eligenti.

Obſervandum tamen, neceſſitatem electionis unici medii hîc & nunc neceſſarii, non eſſe neceſſitatem ſimpliciter & abſolutam, ſed ſecundùm quid & ex ſuppoſitione quæ manet voluntati libera. Unde etiam talis electio eſt homini ſimpliciter libera; cùm ſemper ſit homini liberum ab electione abſtinere, ſicut ei liberum eſt tollere ipſam ſuppoſitionem. Nec hoc derogat merito electionis:tum quia manet ſimpliciter libera: tum quia voluntas poteſt ferri in id quod aſſumit tamquam medium propter ſuam bonitatem;ſimiliter ferri poteſt majori intenſione & duratione. Adde electionem plerumque non eſſe neceſſariam etiam tali neceſſitate ex ſuppoſitione.

67. *Imperium quid ſit?*

Imperium eſt motio efficax, quâ voluntas ſe aut potentias ſibi ſubjectas movet ad aliquem actum. Eſtque actus indiſtinctus à ceteris actibus efficacibus voluntatis,præſertim electione mediorum.

Sunt nihilominus varii Doctores, qui cum *D. Thoma* contendunt rationem imperii formaliter competere actui intellectûs; quamquam in modo explicandi non omnes conveniant. Verùm ſoli actui voluntatis competere propriè rationem imperii rectè cum *Scotiſtis* docent alii paſſim, inter quos referuntur *D. Bonaventura*, *Henricus*, *Almainus*, *Joannes Medina*. Et favent *Auguſtinus l. 8. Confeſſ. c. 9.* Et *Anſelmus l. de conceptu virginali c.4.* officium imperandi tribuentes voluntati. Probatur tum quia imperium eſt actus moventis ac moderantis ad ſuum nutum;quod eſt proprium voluntati. Tum quia eſt voluntatis, velut dominæ operationum aliarum potentiarum,eas applicare ad opus; adeòque nil ipſi deeſt,quò minùs imperet. Tum quia explicari nequit, cui actui intellectûs competat eſſentialis ratio imperii. Non enim ſtatui poteſt ſimplex apprehenſio; ut apud omnes conſtat. Non etiam judicium, ſive diſcurſivum,ſive non diſcurſivum,quo voluntati proponitur convenientia operationis,v. g. itinerationis, comeſtionis &c. Nam illud judicium non ſolet cenſeri nomine imperii: neque enim qui judicat bonum eſſe v. g. itinerari, eo ipſo itinerationem imperare cenſetur: quin immo adeſſe poteſt judicium & voluntas efficax contraria. Si dicas, electioni inſuper præſupponi diſtinctum actum intellectûs practicum,qui explicetur per ly *fac hoc*,& efficaciter determinet voluntatem; jam illum in ſuperioribus velut ſuperfluum,commentitium, nec libertati congruum rejecimus. Non denique ſtatui poteſt imperium in actu intellectûs conſequente electionem voluntatis, quo intellectus inſinuet potentiis executivis, ſeu quarum actus imperantur, quid voluerit ſeu elegerit voluntas. Tum quia ejuſmodi inſinuatio eſt ſuperflua; cùm potentiæ executivæ non minùs moveri poſſint ab ipſo actu voluntatis: ſimiliter voluntas ipſa faciliùs movebitur ad alium actum imperatum voluntatis ab actu imperante ſeu quo alium actũm vult,quàm ab ejuſmodi inſinuatione,quâ voluntati volenti dicatur v.g. tu vis ambulare. Tum quia ſine aliqua phantaſiæ inſinuatione appetitus ſenſitivus brutorum movet potentiam loco-motivam & ſenſitivas. Tum quia ejuſmodi inſinuatio non tam eſſet imperium, quàm imperii declaratio. Tum denique quia potentia loco-motiva aliæque potentiæ ſenſitivæ non poſſent percipere iſtam ſpiritualem intellectûs inſinuationem.

Eſt actus voluntatis.

Varii actus intellectûs ſigillatim à ratione imperii excluduntur.

Nec obſtat,quòd imperium debeat poſſe intimari ei cui aliquid imperatur; 68. actus autem voluntatis aliter quàm per intellectum intimari nequeat potentiis inferioribus. Nam ſufficit intimatio virtualis,conſiſtens

Voluntas ceteris poten-

tiis imperat citra phyſicum in earum actus influxum.

ſtens in eo quòd voluntate imperante inferiores ejuſdem animæ potentiæ naturaliter & neceſſariò applicentur ad opus: quod fit ob naturalem ſympathiam & conſenſum potentiarum cum voluntate, ſitam in eo, quòd anima (in qua omnes potentiæ radicantur) tamquam primum movens determinet potentias ceteras ad operandum juxta arbitrium voluntatis, quæ eſt univerſalis appetitus ſuppoſiti habens pro objecto bonum univerſale ſuppoſiti : ut rectè docet *Scotus*, & alii ſatis communiter, contra Nonnullos exiſtimantes id fieri per phyſicum voluntatis influxum. Sed hic ſanè eſt ſuperfluus & abſque fundamento confictus : cùm ceteræ potentiæ ſufficiant reſpectu actuum qui imperantur; uti reſpectu eorum, qui non imperantur. Immo apparet impoſſibile, ut voluntas, quæ eſt potentia ſpiritualis agens actione immanente, influat phyſicè in tot actus, etiam corporeos, & ſibi non immanentes. Quod autem ad expreſſam ſeu formalem intimationem attinet, iſtius per intellectum faciendæ non ſunt capaces ceteræ potentiæ. Et talis ſolùm requiritur in imperio Superioris reſpectu ſubditorum, qui ſunt diſtincta ſuppoſita, vel ſaltem habent naturas diſtinctas; prout divina natura imperabat naturæ humanæ Chriſti, quæ ſecum erat in eodem ſuppoſito.

69. *Conſenſus quid ſit.*

Conſenſus generaliter complectitur etiam illum qui inefficax eſt. Alioquin ſumptus pro conſenſu efficaci ſignificat actum efficacem voluntatis, quo ipſa bonum ſibi propoſitum amplectitur: ſicut diſſenſus ſignificat actum, quo voluntas objectum propoſitum non vult. Nec diſtinguitur ab aliis actibus efficacibus voluntatis : nam v.g. intentio finis (idem eſt de ceteris) dicitur conſenſus, quatenus voluntas per illam vult facere quod ab intellectu faciendum proponitur; eatenus enim dicitur intellectui conſentire. Nec ullum alterius conſensûs indicium habetur. Quod tam clarum apparet *Poncio diſp.64. Philoſ. n.52.* ut miretur ullos tenere oppoſitum, prout tenent *Thomiſtæ* communiùs.

Efficax non eſt ſpecialis actus à ceteris diſtinctus.

70. *Vſus conſiderari poteſt ut actus imperatus,*

Uſus eſt applicatio ipſa medii ad ſuum finem. Unde eſt actus imperatus à voluntate, & ſpectat ad potentias executivas, quæ ex imperio voluntatis applicant media. Quando tamen voluntas imperat ſibi ipſi, v.g. quando vult interiùs pœnitere, ipſa interna pœnitentia eſt etiam quidam uſus. Nihilominus idem actus internus voluntatis, etſi imperatus, ſemper quoque eſt quædam intentio, electio aut finis aſſecutio. Si autem per uſum intelligatur actus elicitus voluntatis, quo voluntas imperando applicat media ad acquiſitionem finis, talis uſus eſt propriiſſimè quædam electio, & quidem proximè efficax : nam eo ipſo quo voluntas efficaciter hîc & nunc vult media applicare, applicabit illa abſque ullo alio actu; ut proinde nonnulli *Thomiſtæ* gratìs fingant diſtinctum quemdam impetum in voluntate requiſitum ad executionem mediorum.

Similiter ut elicitus.

Et eatenus eſt electio,

Quàmvis autem omnis hujuſmodi uſus ſit quædam electio, datur tamen electio quæ non eſt uſus, v.g. voluntas cras applicandi media : nam talem volitionem non comitatur ſtatim ipſa mediorum applicatio (quod requirit uſus) ſed illam dumtaxat, quæ hîc & nunc eſt proximè efficax.

Etſi detur electio quæ non eſt uſus.

71. *Fruitio multipliciter accipitur.*

Fruitio interdum ſumitur pro gaudio de fine obtento; eatenus autem eſt quædam paſſio voluntatis. Interdum, & ad ſenſum præſentis loci pro actu, ſcilicet pro amore efficaci finis jam obtẽti. Quàmvis enim circa finem jam obtentum nil ſit efficiendum, ſed obtentio ſolùm conſervanda; fruitio tamen eſt amor ita abſolutus, ut independenter ab omni conditione virtualiter per ipſam deteſtemur omnia fini oppoſita, & amplectamur omnia ad finem requiſita, adeò ut niſi obtentus eſſet, impelleret ad ejus proſecutionem. Interdum autem fit, finem ipſum formaliter obtineri & poſſideri per actum voluntatis: prout poſſidetur Deus in beatitudine, & tunc fruitio eſt ipſiſſima finis aſſecutio & poſſeſſio. Cui jungitur alius actus efficax tentionis, quo finis poſſeſſionem quatenus nobis convenientem concupiſcimus.

72. *Ceteri motus voluntatis, vel coincidunt cum aliquo ex enumeratis actibus, vel ſunt paſſiones.*

Quod attinet ad deſiderium & fugam, ſi ſint actus efficaces, neceſſariò pertinent ad intentionem vel electionem. Aliàs ſpectant ad ſimplicem ſeu inefficacem complacentiam aut diſplicentiam. Similiter & ſpes ſumpta pro actu efficaci, eſt intentio vel electio. Si autem pro paſſione ſumatur, non pertinet ad præſens propoſitum, in quo de actibus eſt ſermo. Ob quod etiam hîc non conſiderantur paſſiones timoris, iræ, triſtitiæ & gaudii, quæ in voluntate reperiuntur.

Exactior aſſignatur partitio actuum voluntatis.

Ex his patet præmiſſam partitionem actuum voluntatis non eſſe exactam. Quare meliùs fieret primò in efficacem & inefficacem: efficacis in intentionem, electionem, & fruitionem; quæ comprehendunt cetera membra volitionis efficacis: inefficacis in ſimplicem omnino complacentiam & volitionem cõditionatam: quorum membrorum explicatio ex dictis conſtat.

73. *Conſilium indubiè eſt actus intellectûs,*

Petes quid ſit Conſilium, & qualiter cõcurrat ad actus elicitos voluntatis? Reſp. Conſilium indubiè eſſe actum intellectûs, qui juxta *D. Thomam* conſiſtit in ipſa conſultatione ſeu inveſtigatione, quâ per ratiocinationes inveſtigamus quid expediat. Quo modo durante adhuc inquiſitione dicitur iniri conſilium. Immo ſecundùm quoſdam Doctores ſententia ſubſecuta ne quidem eſt conſilii pars, ſed effectus.

Verùm

Supponens in nobis conſultationem, formaliter conſiſtens in judicio reſolutivo, Verùm rectiùs dicitur conſilium in nobis quidem præſupponere inquiſitionem ſeu conſultationem, atque hac ratione cenſeri conſilium in inquiſitione inchoatum: formaliter tamen conſiſtere in reſolutione ſeu judicio conſequente: quàm diu enim dubitamus & inveſtigamus adhuc non dicimur cepiſſe conſilium. Deinde dum aliquis dicitur petere aut dare conſilium, id intelligitur de judicio reſolutorio; prout etiam ſumitur 1. *ad Cor.* 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Similiter in Deo non habet locum conſultatio, qui tamen eſt capax conſilii: immo *qui* (ut ait Apoſtolus *ad Epheſ.* 1.) *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, id eſt, ſecundùm voluntatem conſequentem conſilium, ut locutio ſit cauſalis.

Capitur quidem ordinariè de mediis per nos exequendis, Non ſolet tamen juxta *D. Thomam* conſultatio fieri niſi de mediis, iiſque per nos exequendis; & quidem quæ ſunt alicujus momenti, & aliquam ambiguitatem vel indeterminationem habent: nam de iis quæ ſunt parvi momenti vel jam determinatè noſcuntur neceſſaria, non ſolet inſtitui conſultatio.

Interdum tamen etiam de finibus inter ſe comparatis. Nihilominus de ipſis quoque finibus inter ſe comparatis poſſe quandoque inſtitui conſultationem, & capi conſilium rectè docet *Scotus* 3. *d.* 36. *n.* 19. & alii, idque non ſolùm de finibus intermediis, aut (ut quidam loquuntur) contractis ad materiam particularem; uti ſuppoſito deſiderio ſcientiæ poſſumus deliberare quod genus ſcientiæ ſit amplectendum: verùm etiam de aliis finibus, etſi rariùs: ſic enim poſſet aliquis deliberare, quodnam bonum ſectari velit, honeſtum an delectabile, utrùm velit ſtatum eligere, aut à ſtatu capeſſendo abſtinere.

QUÆSTIO VIII.

De Actibus à voluntate ſeu libero arbitrio imperatis.

74. *Voluntas imperare poteſt ſibi ipſi,* DICO I. Voluntas imperat ſibi ipſi; ut proinde aliqui actus ſint à voluntate eliciti, & ſimul ab ea imperati. Ita concorditer Doctores abſtrahendo à quæſtione de nomine *imperium*, & per illud intelligendo actum voluntatis, quo ipſa movet ſe aut alias potentias ad actûs exercitium.

Concluſio patet experientiâ: ſæpè enim in nobis experimur talia imperia, ſive virtualia, prout intentio finis determinat ad electionem; ſive expreſſa; ut cùm reflexè volo amare Deum, nolo odiſſe virtutem; & quotieſcumque volo ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, etiam volo conteri ſeu atteri, quod eſt Sacramenti pars. Idem cernitur in actibus inefficacibus: nam poſſum expreſsè velle mihi complacere in objecto bono vel malo. Ratio eſt: quia quod eſt in dominio ſeu poteſtate noſtra, hoc ſubjacet noſtro imperio ſeu volitioni; ipſi autem actus voluntatis maximè ſunt in poteſtate noſtra, ut inculcat *S. Aug. l.* 3. *de lib. arb. c.* 3. ergo poteſt voluntas illos imperare; & de facto imperat, quando ex uno actu ſe movet & applicat ad alium actum. Primus tamen actus efficax voluntatis quà talis non poteſt per actum reflexum imperari quoad primam ejus poſitionem: nam deberet jam ſupponi actus imperans illo prior; qui cùm etiam foret efficax, alter non eſſet primus. Idem eſt de aliis motibus inefficacibus voluntatis, quatenus præcedunt actus efficaces.

DICO II. Voluntas poteſt imperare intellectui. Eſt communis & certa. Sic enim poteſt quis habere affectum efficacem credendi; & per pium affectũ credulitatis imperat volũtas intellectui, ut conſideret motiva credulitatis fidei. Ratio eſt: quia intellectus quoad exercitiũ actûs ſubeſt motioni voluntatis. Non omnis tamen actus intellectûs poteſt imperari; ſed ille ſolùm, qui ſubeſt poteſtati volũtatis: eatenus enim tantùm poteſt imperari aliquid, quatenus ſubeſt volũtatis dominio. Unde ſi non ſubſit quoad inchoationem, ſubſit autem quoad progreſſum, poteſt quoad progreſſum tantùm imperari: ſi non ſubſit quoad ſubſtãtiam, ſubſit autem quoad modum intenſionis, poteſt quoad hunc ſolùm imperari. Idemq; eſt de ſimilibus cõditionibus. Quare non poteſt imperari prima cogitatio, utpote præcedens omne volũtatis imperium; poteſt tamen imperari quoad continuationem. Similiter poteſt voluntas imperare intellectui ut pergat cognoſcere, & ex confuſa rei notitia excitare ad diſtinctam illius rei & cauſæ ac circumſtantiarum (quæ apprehenduntur latere) cognitionem; & ſi multa cognoſcantur, efficere, ut aliis relictis, intellectus unius cognitioni inhæreat, & ſimilibus modis movere ipſum ad exercitium actûs. 75. *Et intellectui;*

Dico *ad exercitium actûs*: non enim poteſt pro ſuo libitu voluntas movere intellectum, ut etiam ſine fundamento judicet quod voluntas cupit, aut judicet falſum, quod evidenter apparet verum. Nihilominus quando intellectus non convincitur propter evidentiam rationum & neceſſaria fundamenta, cenſet *D. Thomas* voluntatem poſſe imperare intellectui etiam quoad ſpecificationem actûs, nempe ut aſſenſum præſtet vel diſſẽſum, huic vel illi parti aſſentiatur. Quod Aliqui ſic intelligunt, ut cenſeant voluntatem in obſcuris ſeu inevidentibus poſſe directè imperare intellectui, ut aſſentiatur huic parti, vel etiam iſti parti, prout voluntati placet. Sed omnino verius eſt, quod docet *Scotus, Præpoſitus* & alii paſſim; nempe voluntatem eo caſu non aliter poſſe imperare 76. *Non tamen ut is pro libito voluntatis præſtet aſſenſum vel diſſenſum.*

imperare intellectui,quàm ipſum divertendo à conſideratione rationum alterius partis, & movendo ad inveſtigandas rationes pro ea parte,ad quam magìs inclinatur, ita ut appareat probabilior; & hoc modo verum eſſe, quòd in ſimilibus quiſque judicet prout eſt affectus. Ratio eſt:quia intellectus non eſt formaliter liber, ſed eſt potentia naturalis; uti viſus: unde eodem modo determinatur ad ſpeciem & exercitium actûs objecto ſufficienter propoſito, ſicut viſus. Ex quo ſequitur, quòd ſicut determinatur ad firmiter judicandum objectum propoſitum tamquam neceſſarium aut evidens; ſic determinetur ad judicandum eſſe probabiliùs verum, quod tãquam tale ſufficienter propoſitum manet. Quod etiam confirmat experientia: ſæpè enim elicimus aſſenſus vel diſſenſus etiam contranitente voluntate,quando objectum,cui mallemus diſſentire,apparet magìs veroſimile. Denique idcirco, dum apparent rationes æquè probabiles, intellectus hæret, & inveſtigat rationes, quibus pars probabilior appareat, ut illi præ altera poſſit aſſentiri.

77. *Imperat quoque ſenſualitati & locomotivæ,* Dico III. Voluntas poteſt etiam imperare appetitui ſenſitivo,ſenſui communi ſeu phantaſiæ,& potentiæ locomotivæ.Patet:quia poteſt voluntas harum potentiarum actus habere in ſua poteſtate, ipſaſque potentias determinare ad agendum.Sic applicat phantaſiam & appetitum ſenſitivum,ut occupentur circa objectum delectabile voluntati propoſitum.Similiter applicat potentiam locomotivam ad motum, imperando motum totius corporis vel membrorum, aut ceſſationem à motu.

78. *Sed locomotivæ deſpoticè,* Notandum membra dici deſpoticè ſeu ſerviliter obedire imperio voluntatis;appetitum verò ſenſitivum politicè ſeu civiliter: nam potentia locomotiva non poteſt reluctari voluntati imperanti,ſed ei ad nutum obedit, & proinde paret, ſicut ſervus ſeu mancipium,quod non poteſt refugere imperium ſui domini: appetitus autem ſenſitivus ita obedit,ut quandoque reluctetur & reſiſtat voluntatis imperio; prout cives ita ſubſunt imperio Principis,ut aliquando *Senſualitati politicè.* poſſint reſiſtere,uti in multis ſunt ſui juris. Quod non fit ideo, quòd appetitui ſenſitivo inſit aliqua libertas, per quam poſſit liberè acceptare ſeu recuſare id quod voluntas vult:ſed quia phantaſia ei frequenter propoſuit tam vehementer objectum appetitui ſenſitivo proprium,ipſeque proinde tam fortiter in illud fertur, ut difficulter flectatur ad ſequendum id, quod voluntas ſecundùm rationem vult. Immo interdum ipſam voluntatem incautam flectit, & niſi dominetur ratio, paulatim in ſuas partes pertrahit. Ex quo etiam in ipſa voluntate (quæ alioquin ſecluſis impedimentis ſibi ipſi maximè dominatur, adeòque deſpoticè imperat) tanta frequenter lucta cernitur, ut etiamſi ſibimet imperet, aliundè tamen per appetitum ſenſitivum inflexa reſiſtat; ut eleganter exponit *Aug.*8.*Confeſſ.c.*9.

Excipit autem *D. Thomas* membrum genitale, quod etſi ſubſit deſpoticè voluntati, in quantùm movetur ad motum totius corporis: ſpecialis tamen motus illius non eſt totaliter in poteſtate voluntatis, quin eâ renitente eſſe poſſit. Similiter motus ſpecialis cordis & arteriarum, uti eſt planè naturalis, & ſecundùm ſe nullatenus in poteſtate voluntatis, ſic nec ſubjacet illius imperio.

Dico IV. Potentiæ ſenſitivæ externæ atque etiam vegetativæ ſubjacent imperio voluntatis mediante motivâ, ſeu quatenus dependent à motiva. Sic enim potentia vegetativa quantùm ad nutritivam requirit appoſitionem nutribilis,& ſimiliter approximationem activi ad paſſivum. Et ſecundùm hoc etiam potentia generativa eſt in poteſtate noſtra, & in eâ poteſt peccatum eſſe materialiter ſeu participativè,in quantùm ad actum inordinatũ præcedit potentia motiva,quæ eſt in poteſtate voluntatis. Idem eſt de potentiis ſenſitivis, quatenus operationes earum dependent à motiva.Unde *Aug.*11.*de Trinit.c.*8. dicit, quòd quia operatio palpebrarum neceſſariò requiritur ad viſionem,& motus localis palpebrarum obedit animæ, eatenus viſio eſt in poteſtate voluntatis. Sic ferè ad verbum *Scotus* 2.*d.*42.*q.*4.*n.*18.Et concordant reliqui omnes. 79. *Senſibus externis ac potentiis vegetativis imperat mediante motivâ.*

Addit tamen ſubtiliter *Scotus ſup.* actus potentiarum ſenſitivarum aliter adhuc eſſe in poteſtate voluntatis, quàm mediante potentiâ locomotivâ, quatenus perfectiùs poſſunt in ſuum actum ex hoc quòd voluntas habeat certum actum circa idem objectum. Et allegat experiẽtiam viſûs,qui (ut verbis ferè *Scoti* utar) ſtante eâdem diſpoſitione objecti & oculi poteſt imperari à voluntate, ut abſque novo motu locali intueatur nunc aliquem punctum perfectiùs quàm priùs, & hoc in eadem pyramide & infra eamdem baſem propter copulationem voluntatis. Ex cujus etiam deſiderio, cupientis res diſſitas aut ſubtiliſſimas viſu diſcernere, viſus ipſe tam vehementer interdum applicatur, ut pænè deficiat,ac velut palpitet, id eſt, ſæpiùs reſumat viſionem intenſiorem,quam non poteſt ſub eo gradu continuare. Quâ verò ratione id fiat, *Doctor Subtilis* ulteriùs non expreſſit. Non rectè autem refertur, tum locus, tum ſententia ejuſdem apud *Oviedo Tract.* 2. *Controv.*5.*n.*20. quaſi ſentiat potentiam quoque nutritivam pendere quoad perfectionem actûs ab imperio ſeu affectu voluntatis; quod *Doctori Subtili* numquam in mentem venit.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

De Bonitate & Malitia actuum humanorum.

QUÆSTIO I.

Quid ſit bonitas & malitia moralis?

1. *Moralitas actûs non diſtinguitur à libertate.*

PRÆMITTENDUM breviter (quod tractant Varii fuſiùs, quàm par eſt, aut quæſtio de nomine mereatur) quid ſit actûs moralitas. Omiſſis autem variis opinionibus ſeu dicendi modis, exiſtimo cum *Scoto* 2.*d.*40.*q.un.*3. & alibi, *S. Bonaventurâ, Præpoſito* & aliis, moralitatem eſſe ipſam actûs libertatem, non ſolùm fundamentaliter (quod ſaltem fatentur ceteri) ſed etiam formaliter, ſeu tãquam rationem conſtitutivam. Nam eo ipſo præciſè quòd actus eſt liber, pertinet ad mores, eſt dirigibilis per rationem, & capax laudis ac vituperii, ceterarumque affectionum moralium.

Quæ eſt ex advertentia honeſti aut non honeſti.

Intelligitur autẽ libertas, quæ eſt ex advertentia honeſti aut non honeſti vel turpis: quæ proinde in materia proportionata ſufficeret ad peccandum, ſaltem venialiter. Et hinc actus voluntatis neceſſarius quantumvis deliberatus non eſt moralis, etſi generali quadã ratione poſſet dici humanus: è contrà actus liber in individuo indifferens (ſi detur) eſt moralis: eſt enim liber, cum advertentia, quâ judicatur non eſſe honeſtus aut turpis. Quare procedit à potentia tam plenâ libertate, quàm actus bonus aut malus: adeòque ex modo procedendi eſt capax laudis vel vituperii, etiamſi neutro ſit dignus ex eo, quòd deſint aliæ conditiones, videlicet objectum bonum vel malum.

2. *Superaddit utraque entitati actûs denominationem extrinſecam.*

Hinc patet moralitatẽ, utì & libertatem, ſubſtantiæ phyſicæ actûs ſuperaddere extrinſecam denominationem deſumptam à potentia libera, quæ illũ producit cum ſufficienti advertentia explicata, ſic ut poſſet non producere ſtantibus eiſdem prærequiſitis. Unde actus ex non morali poteſt fieri moralis, utì ex non libero liber, v.g. motus primò primus, dum continuatur accedente ſufficienti advertentiâ rationis. Non eſt tamen moralitas relatio rationis, utì nec ceteræ denominationes extrinſecæ. His præmiſſis, & variis de bonitate morali opinionibus prætermiſſis.

3. *Bonitas moralis deſcribitur,*

DICO I. Bonitas moralis eſt convenientia actûs liberi cum natura rationali, ut eſt talis, ſeu quatenus operatur ex ratione. Ita *Scotus ſup. n.*3. *D. Thomas q.*19.*a.*3. *Præpoſitus* & plures alii. Probatur: quia bonum relativè ſumptũ idem eſt, quod alicui conveniẽs: ergo bonum morale actûs idem eſt, quod conveniens illi naturæ, quæ moralis denominationis eſt capax (qualis eſt ſola natura rationalis ut talis) & conſequenter bonitas moralis eſt prædicta convenientia.

Unde in brutis non ſunt actus moraliter boni, etſi operentur conformiter naturæ ſuæ. Similiter actus indeliberati etſi materialiter ſive ex objecto poſſint eſſe boni, non tamen habẽt bonitatem moralem; quia non fiunt à natura rationali ut tali. Idem generaliter eſt de actibus neceſſariis, etſi deliberatis; eò quòd illis deſit moralitas ſive libertas. Porrò ille actus convenit naturæ rationali, qui convenit illi ut operanti ſecundùm prudentem & rectam rationem.

Nomine actûs hîc poteſt etiam comprehendi omiſſio libera, ſi & ipſa detur moraliter bona citra omnem actum poſitivum, ut Nõnulli putãt: de quo tamen alibi.

Nil intrinſecum ſuperaddit entitati actûs.

Hinc patet bonitatem moralem nil intrinſecum ſuperaddere phyſicæ entitati actûs boni: nam advertentia rationis & libertas ad bonitatem moralem requiſitæ ſunt actui extrinſecæ, ipſa autem convenientia eſt intrinſeca actui; cui ultra præfata extrinſeca nihil diſtinctum addit. 4.

Non eſt denominatio merè extrinſeca, aut ens fictum.

Unde non rectè Quidam exiſtimant bonitatem eſſe denominationem merè extrinſecam. Non rectè etiam Alii cenſent eam formaliter eſſe ens rationis: cùm à parte rei, & citra omnem fictionem intellectûs veriſſimum ſit, actum, qui bonus dicitur, convenire naturæ rationali ut tali: denominationes autem libertatis, & advertentiæ intellectûs, etſi extrinſecæ, non ſunt tamen fictæ, ſed maximè reales. Confirmatur: quia ipſa formalis ſive moralis bonitas actûs eſt radix & cauſa meriti, atque adeò præmii: infundatum autem apparet, hanc vim tribuere figmento, ſive enti rationis. Deinde in decretis Dei liberis fuit ab æterno moralis bonitas; quando tamen nemo erat, qui entia rationis confingeret. Non negaverim tamen intellectum humanum ſubinde confingere aliquem reſpectum quaſi reſultantem ex convenientia actûs liberi cum natura rationali: ſicut frequenter in aliis materiis ſimilia entia rationis quaſi formas intrinſecas & ſuperadditas ſolet fabricare. Et hoc modo explicari poſſent nonnulli Auctores interdum loquentes de bonitate morali quaſi ente rationis.

Unde ſortiatur actus convenientiam cum natura rationali.

Petes unde ſortiatur actus hanc convenientiam? Reſp. breviter (de quo latiùs infrà, ubi oſtendetur quomodo bonitas actûs ex objecto aliiſque capitibus deſumatur) cũ *Scoto ſup.* & alibi, eam exurgere ex collectione omnium, quæ ad integritatem actûs rationabilem requiruntur, ſeu quæ actui ſecundùm rectam rationem ſunt debita; videlicet quòd verſetur circa debitum objectum, cum debitis circumſtantiis, cum probabili ſeu prudẽti judicio rationis. Quæ actûs integritas (per quam etiam ipſe *Scotus* 5.

quodlib.

*quodlib.*13. *n.*3. bonitatem deſcribit) à quibuſdam vocatur bonitas abſoluta; quia nimirum eo ipſo quo actus ita integer & in ſe perfectus eſt, convenit naturæ rationali ut tali. In qua convenientia nos conſtituimus bonitatem, quam Quidam reſpectivam appellant.

6. *Quid malitia moralis.* DICO II. Malitia moralis eſt diſconvenientia ſeu repugnantia actûs liberi cũ natura rationali quatenus tali. Ita Doctores paſſim, & cõcordat *Scotus quodl.*18.*n.*8. Probatur: quia malitia moralis eſt conſtituenda per ordinem ad eumdem terminum, ad quem oppoſita ei bonitas, idque oppoſito modo; hoc autem fit in præmiſſa deſcriptione. Confirmatur: quia ſicut bonum, tũ phyſicum, tum morale, relativè ſumptum ſtatuitur per ordinem ad naturam cui eſt conveniens; ſic & malum per ordinem ad naturam, cui diſconvenit: adeòque malum morale eſt, quod repugnat ſeu diſconvenit homini quà homo eſt; prout diſconvenit quidquid diſconvenit rectæ rationi, quæ eſt immediata regula actuum humanorum.

7. *Quid malitia objectiva ſeu fundamentalis.* Porrò ſicut in actibus bonis reperitur quædam objectiva & fundamẽtalis bonitas ſeu convenientia, cui ſi accedat advertentia rationis, & libertas voluntatis, mox conſurgit formalis ſive moralis bonitas: ſic etiã in actibus malis invenitur quædam materialis ſeu fundamentalis malitia, eò quòd actus ſecundùm ſe ſint difformes rectæ rationi ſive ex natura præcisè actuum (quales ſunt, qui repugnant legi naturali) ſive tantùm ex poſitiva prohibitione accedente, v.g. comeſtio carnis in die jejunii. Nihilominus ut in exercitio ſint moraliter mali, debet iſta difformitas adverti ſive judicari per rationem operantis, ipſeque operans debet illos liberè ponere; alioquin ſi exerceantur indeliberatè, aut aliàs non liberè, non erunt moraliter ſive formaliter mali, nec imputabiles in peccatum. Deindè ſicut in actu bono conſideratur quędam integritas reſultans ex habitione omnium requiſitorum, quæ dicitur bonitas abſoluta, & comitatur inſeparabiliter bonitatem relativam, quæ per convenientiam deſcribitur: ſic quoque in actu malo conſiderari poteſt quædam malitia abſoluta, quæ ſcilicet ſit defectus ſeu carẽtia integritatis neceſſariæ ad bonitatem; carentia (inquam) talis, quæ fundet ſeu inferat repugnantiam cum recta ratione. Quod addo: nam in actu indifferenti eſt quædam abſentia integritatis, atque adeò bonitatis, non tamen defectuoſa, ſeu deformis, quæ ſcilicet inferat contrarietatem cum natura rationali ſeu rectâ ratione.

8. *Malitia formalis nõ conſiſtit in oppoſitione ad legem Dei aut finem ultimum.* Ex dictis in Concluſione colligitur primò, non rectè conſtitui formalem malitiam per oppoſitionem cum Deo tamquam legiſlatore. Quàmvis enim de facto omnis actus malus repugnet quodammodo legi divinæ, ſaltem mediatè; tamen malitia moralis formaliter & præcisè loquẽdo nequit in ejuſmodi oppoſitione conſiſtere: Tum quia nonnulli actus ſunt moraliter mali eo ipſo quòd ſunt liberi etiam citra ſpecialem Dei legem eos prohibentem, v.g. odium Dei, blaſphemia, & ſimiles juri ſtricto naturæ repugnantes; de quibus dici ſolet, quòd ſint à Deo prohibiti, quia mali, cùm è contrà actus repugnantes juri tantùm poſitivo dicantur mali, quia prohibiti. Tum quia malitia formaliter debet conſiſtere in oppoſitione cum bonitate; cùm malum formaliter ſit bono oppoſitum: bonitas autem non conſiſtit in cõformitate cum lege divina, ut patet ſignanter in operibus bonis ſupererogatoriis ſeu cõſilii. Idem eſt de oppoſitione ad ultimũ finem: cùm neque bonitas formaliter conſiſtat in cõformitate ad illum, neque malitia tolleretur ab odio, blaſphemiâ &c. etſi ſecluderetur omnis ultimus finis.

Colligitur II. Rationem formalẽ peccati non præcisè coincidere cũ formali ratione malitiæ moralis: nam formale peccati eſt oppoſitio ſeu diſconvenientia cũ lege, ut rectè *Scotus* 2.*d.*37.*q.*1.*n.*7.*&* 11. & patet ex vulgatis apud Patres & Doctores peccati deſcriptionibus, communique conceptu; formalis autem malitia conſiſtit in oppoſitione actûs vel omiſſionis ad naturam rationalem. 9. *Diſcrimen inter formale peccati & malitiæ.*

Petes, quidnam ſit iſta diſconveniẽtia, in qua ſtatuimus malitiam? Reſp. in primis nõ eſſe entitatẽ poſitivam actui malo ſuperadditam; ne alioquin Deus ſit auctor malitiæ, qui eſt auctor omnis entis poſitivi. Non eſſe etiam reſpectum rationis: nam etſi nemo illum fabricaret, equidem furtum v.g. eſſet moraliter malum, Deo diſplicens ac pœnâ dignum. Non eſſe prętereà reſpectũ realem: tum quia ille, utpote ens phyſicum & reale, Deum haberet auctorem, qui proinde eſſet cauſa formalis ſive moralis malitiæ. Tũ quia malitia moralis pro parte fundatur ſuper denominationibus extrinſecis; ad quas tamen nõ poteſt in re denominata ſequi reſpectus, niſi rationis; uti non poteſt oriri alius in pariete v.g. ex eo quòd videatur. 10. *Diſconvenientia non eſt entitas actui ſuperaddita, Aut reſpectus rationis, Vel realis,*

Duplex itaque & ſatis probabilis reſpõſio ſupereſt. Prima ſtatuit præfatam diſconvenientiã in privatione vel quaſi privatione morali. Eſt plurimorũ Doctorum: Et cõſonat *Scotus* 2.*d.*37.*q.*1.*n.*6.*&* 7. Conſonãt etiã Patres, *Dionyſius*, *Damaſcenus* & alii: quorũ teſtimonia videri poſſunt apud *Vaſquez d.*95.*c.*4. & alios. Sufficiant nobis verba *Anſelmi l. de Cõceptu Virginali c.*5. *Injuſtitia omnino nihil eſt, ſicut cæcitas.* Et *l. de caſu diaboli c.*9. ait: *Quod, malum, nihil aliud dicimus eſſe, quam boni privationẽ &c.* Vide eumdem *l. de Cõcord. præſc.*7. Cõſonat denique, tum quòd malitia tranſcendentalis ſit quidã defectus ſeu carentia bonitatis: tum quòd vulgò malũ inſtar cujuſdã privativi concipere ſoleamus, immo videamur non niſi incluſâ negatione cõcipere poſſe; quouſque enim in furto v.g. non concipitur carẽtia conformitatis cũ lege aut ratione vel natura rationali, nõ concipitur ipſũ eſſe malũ: conceptâ verò iſtâ carentiâ concipitur eo ipſo quòd actus ſit malus. *Sed negatio quædam.*

I Caren-

11. *Seu quaſi privatio,* Carentia porrò hæc conſiderari non debet inſtar privationis phyſicæ & ſtrictè dictæ, quæ eſt abſentia formæ à ſubjecto capaci: nam actus poteſt eſſe malus, etſi oppoſitæ bonitatis non ſit capax. Eſt itaq; privatio mo. alis, cõſiſtens in hoc, quòd bonitas, quæ deeſt, ſit debita. Debita, inquiunt Nõnulli, ipſi potentiæ, quæ deberet verſari circa Deum v.g. amando, non odiendo, poſito quòd velit circa ejuſmodi objectum verſari: vel (ut alii) debita ipſi actui v.g. odii; cui etſi competere ſimpliciter nequeat convenientia, ſeu bonitas amoris, debetur tamen ex ſuppoſitione quòd informare velit (ut ſic dicam) volũtatem liberam. Sicut pauper non debet ſimpliciter habere veſtês cultiores; debet tamen ex ſuppoſitione quòd cupiat ſe ingerere convivio aut conſortio honeſtiori. Paulò aliter dici poſſet diſconvenientiam eſſe negationem convenĩetiæ ſeu conformitatis in actu vel omiſſione cum natura rationali ſeu rectâ ratione, fundatam in eo, quòd actus liberè eliciatur, cùm ratio dictat debere omitti, vel omittatur, cùm dictat debere elici. Hæc autem negatio poteſt abeſſe ab actu, dũ ſcilicet abeſt vel libertas, vel advertentia ad conditiones objecti & circumſtantiarum, in quibus objectivè radicatur dictamen rationis judicãtis debere actum elici vel omitti. Quomodolibet denique explicetur, indubitatum eſſe debet aliquam tandem negationem actui malo peculiarem convenire: quæ quò minùs vocetur malitia formalis non obſtat.

12. *Vel potiùs eſt indiſtincta ab actu ſeu omiſſione mala.* Secunda reſponſio (quam adhibet noſter *Poncius* & varii Recentiores) ſtatuit diſconvenientiam eſſe indiſtinctam ab ipſo actu malo vel omiſſione actûs debiti: ſed malitiã cõmiſſionis eſſe denominationem actûs liberi cõtra dictamen rectæ rationis exerciti; malitiam autem omiſſionis eſſe ipſam carẽtiam liberã & irrationabilem actûs debiti. Ratio eſt: quia formalis bonitas ſeu convenientia ultra libertatẽ & rationis advertentiam nil ſuperaddit actui circa tale objectũ in talibus circumſtantiis elicito; adeòque pariformiter formalis malitia ſeu diſconvenientia nil ſuperaddit actui libero aliter quàm recta ratio dictat elicito. Deinde ipſe actus v.g. furti ſeu ipſum furari ſeipſo formaliſſimè opponi videtur rectæ rationi dictanti: *Non eſt furandum*; opponi enim eſt facere oppoſitũ ejus quod ratio dictat. Negatio autem ſeu privatio videtur potiùs eſſe quid concomitans ſeu conſequens. Quemadmodum in actu bono etiam conſiderari poteſt negatio quædam connexa bonitati; & tamen bonitas non ſtatuitur ob hoc in negatione.

Neque idcirco metuendum eſt, ne Deus ſit auctor peccati, potiùs quàm ſi malitia formaliter ſtatuatur in privatione annexa: nam ſicut modus ſpecialis cõcurrendi cum creatura libera facit, ut Deus coefficiendo actum phyſicũ non cenſeatur moralis cauſa privationis annexæ, ſic idem modus ſufficit inſiſtendo præſenti reſponſioni ſeu ſententiæ, quia videlicet Deus non eſt cauſa actûs prout eſt formaliter malus; hoc enim non cõvenit actioni quomodocumque ſpectatæ, ſed prout procedit à creatura cõtra rectam rationem ipſius, ſive lege & cõſcientiâ prohibente. Quod quidem rectè obſervavit *Smiſing de Deo Tr.3.d.3.n.91.* ubi præter materiale phyſicum peccati ſtatuit materiale morale, conſiſtens in denominatione actûs liberè exerciti contra legem & cõſcientiam (quæ denominatio nil ſuperaddit actui libero) & hujus cauſam ſtatuit ſolam volũtatem creatam, ſicut privationis annexæ. Attamen non apparet ſufficiens ratio, cur illud ipſum materiale morale non cenſeatur & vocetur ipſum formale peccati, privatio autem dicatur eſſe velut effectus conſequẽs. Proinde hic modus dicẽdi ſatis placet. Modus, inquam, dicendi: nam de re ipsâ vix poteſt eſſe difficultas; cùm conſtet adeſſe, & negationem ſeu privationem, & ſubſtratum ſeu fundamentum proximum illius, ſolùmque ſit lis, cui nomen formalis malitiæ rectiùs tribuatur; ac denique parum referat, quo quis modo loquatur: adeò ut immeritò res tam parvæ utilitatis tam tædiosâ prolixitate à Nonnullis tractetur.

QUÆSTIO II.

An Bonitas & Malitia ſint differentiæ eſſentiales Actuum humanorum?

AFFIRMANT plures *Thomiſtæ* etiam de actu humano ſecundùm entitatem phyſicam ſpectato. Quibus quantùm ad bonitatem conſentit *Becanus*. Si autem actus humanus ſpectetur in eſſe moris ſeu quatenus liber eſt, conſentiunt etiam *Vaſquez* & quidam alii. 13.

Sed meliùs negat *D. Bonav.* & ſupponit *Scotus* 1.*d.*17.*q.*3 *n.*4. Idemq; tenet *Valentia*, *Tannerus*, *Præpoſitus* & alii paſſim. Probatur de actu humano ſpectato ſecũdùm eſſe phyſicum: quia bonitas & malitia poſſunt ab actu ſeparari, manẽte eâdem entitate actûs, ſi videlicet actus deſinat eſſe liber: cùm ſine libertate non ſubſiſtat moralitas; adeòque nec moralis bonitas aut malitia. Ex quo patet, illas non tantùm non eſſe eſſentiales differentias, ſed ne quidem proprietates, adeòque tantùm eſſe accidentia communia actus humani in eſſe phyſico. *Bonitas & malitia moralis non ſunt differentiæ eſſentiales actûs, ſive in eſſe phyſico,*

Probatur II. de actu humano in eſſe moris ſpectato: quia actus etiam moralis poteſt de bono fieri indifferens aut malus; ut de actu externo eſt certum; de interno autem probabiliùs, juxta dicẽda *quæſt. ſeq.* ergo bonitas & malitia ne quidem ſunt differentiæ eſſentiales actûs humani in eſſe moris. Cõfirmatur: quia eſſe morale actûs cõſtituitur per libertatem; ſed libertati (utpote formaliter *Sive in eſſe moris.*

liter conſiſtenti in ipſa voluntate) accidit bonitas & malitia; ergo & actui ſecundùm morale ſpectato: quod enim accidit formæ conſtitutivæ actûs in eſſe morali, etiam accidit actui ita conſtituto. Sicut rectè ſequitur, albedinem accidere homini ut ſic, quia accidit rationali, quod eſt differentia hominis ut ſic conſtitutiva.

14. *An idem ſit de veritate & falſitate, actuum intellectûs.*

Dices I. Veritas & falſitas ſunt differentiæ per ſe actûs intellectûs; ergo ſimiliter bonitas & malitia reſpectu actûs voluntatis. Reſp. I. Neg. Antec. quia etiam veritas & falſitas ſunt accidentia actûs judicativi ut ſic, qui probabiliùs poteſt de vero tranſire in falſum, & contrà. Reſp. II. Neg. Conſeq. quia veritas & falſitas ex ſolo objecto; bonitas autem & malitia inſuper ex libertate & conſcientia operantis aliiſque circumſtantiis pendent.

Dices II. Etiam malitia, & maximè bonitas actûs humani deſumitur ex objecto. Reſp. non deſumi à ſolo objecto. Unde etſi conditio actûs deſumpta à ſolo objecto ut tali foret ei eſſentialis; non tamen ſi ſimul dependeat ab aliis entitati actûs extraneis: prout eodem objecto permanente actûs bonitas vel malitia dependet à libertate, lege &c. Quod clarius eſt in malitia, quæ etſi debeat cognoſci, non tamen expreſsè intendi, cùm ſufficiat appeti bonum v.g. delectabile, cui malitiam eſſe conjunctam cognoſcitur, aut vincibiliter ignoratur. Unde eadem entitas actûs maneret, etſi nulla penitùs cognitio malitiæ haberetur.

15. Dices III. Aliqui actus humani ſunt eſſentialiter & intrinſecè boni, ut actus virtutum Theologicarum, Religionis &c. alii intrinſecè & eſſentialiter mali, ut odium Dei, blaſphemia &c. Reſp. ſaltem non omnes eſſe tales. Neque etiam hi ſunt ita neceſſariò boni vel mali, ut nequeant bonitate vel malitiâ morali carere, cùm poſſint deſinere eſſe liberi. Dicuntur tamen paſſim priores intrinſecè boni ob bonitatem illorum objectivam, ex qua fit, ut eo ipſo quòd liberè exercerentur, ſint conformes rectæ rationi, nullâ circumſtantiâ extrinſecâ requiſitâ, v.g. lege poſitivâ eos præcipiente. Quamvis hoc ſaltem requiratur ut non ſint reflexè prohibiti: poſſet enim Deus prohibere alicui, ne actum internum, etſi ex objecto optimum, hîc & nunc eliciat; ac proinde malè ageret, qui contra divinam prohibitionem ejuſmodi actum eliceret vel continuaret. Poſteriores autem dicuntur intrinſecè mali: quia eo ipſo quòd exercentur liberè, ſunt neceſſariò moraliter mali; etiam ſeclusâ lege poſitivâ per quam prohiberentur. Utrùm autem reſpectu talium ſaltem actuum conſideratorum in eſſe moris poſſit dici, bonitatem & malitiam eſſe conditiones eſſentiales aut ſaltem neceſſariò conſequentes, parum refert; nec de hoc eſt inter nos & alios Auctores ſpecialis controverſia.

Quo ſenſu dicatur actus eſſentialiter boni vel mali.

QUÆSTIO III.

An eidem actui poſſit ſimul vel ſucceſſivè competere bonitas & malitia?

DICO I. Eidem actui externo poteſt ſimul competere bonitas & malitia reſpectu diverſorum operantium: immo etiam reſpectu ejuſdem operantis. Prima pars patet: quia v. g. donatio eleëmoſynæ, quatenus procedit à Domino ex fine vanæ gloriæ, eſt mala; quatenus autem procedit à famulo ex pio affectu miſericordiæ, eſt bona. Similiter paſſio Chriſti erat mala reſpectu crucifigentium & bona reſpectu Chriſti patientis. 16.

Eidem actui externo cōpetere poteſt ſimul bonitas & malitia reſpectu diverſorum.

Secunda pars videtur eſſe contra communem Sententiam. Eam tamen docuit *Almainus*, nec omnino improbandam cenſet *Wiggers*, & abſolutè ſequitur *Arriaga diſp. 21. ſect. 2.* dicens eſſe inter Recetiores communiſſimam. Conſentit etiam *Oviedo Tr. 4. controv. 8. pu. 5.* referẽs *Navarrum, Granado, Ripalda* & alios. Probatur: quia poteſt idem actus externus imperari per diverſos actus internos, quorum unus eſt bonus & alter malus: ergo in iſto opere externo ſimul erit bonitas extrinſeca & participata actus interni boni, & malitia extrinſeca alterius actûs interni mali: adeòque opus externum habebit bonitatem, quatenus ſubſtat actui interno bono, & malitiam, quatenus ſubſtat actui interno malo.

Immo & reſpectu ejuſdem operantis.

Quomodo autem ſimpliciter ſit denominandus ejuſmodi actus externus, eſt quęſtio de nomine; in qua *Arriaga ſup. n. 22.* cenſet fore denominandum abſolutè malum, eò quòd denominatio boni ex integra cauſa, & mali ex ſingulis defectibus oriatur. Quod equidem non obſtat, quò minùs tam bonitas quàm malitia utriuſq; actûs interni verè, etſi extrinſecè afficiat actum externum imperatum; ſicuti verè ab utròque imperatur: & ſicut frigori remiſſo, quod ſubinde in aqua intensè calida reperitur, non obſtat, quòd ſimpliciter non denominet aquã frigidam. 17.

Qualiter is eſſet ſimpliciter denominandus.

Nihilominus ſicut formæ, ſingulæ ſufficientes ad tribuendam denominationẽ ſcilicet bonitas & malitia (exemplum proinde frigoris remiſſi non eſt ad rem) poſſunt extrinſecè eumdẽ actum afficere, & in eum ſimul derivari; ſic rectiùs dicitur poſſe ſimiliter ſingulas eidem tribuere proportionatam denominationem. Quod conſequenter etiã ſentit *Oviedo ſup. n. 58.* Nec ulla prorſus eſt difficultas, quòd idẽ actus externus quatenus dicitur affici à bonitate adeòq; integritate actûs interni, eatenus dicatur participatè bonus; & quatenus ſubſtat actui interno malo, dicatur malus ſeu habens carẽtiam integritatis propriam actui interno. Sicut ſi in eodem intellectu ſit ſimul actus evidens & inevidens, haberet remotè evidẽtiam ab uno

uno actu, & carentiam evidentiæ ab altero, in quo proximè reperitur. Aliud eſſet, ſi conſideraretur denominatio aliqua propria actui externo quæ deſumeretur ex integra cauſa ſeu integritate ei intrinſecâ vel cõſurgente ex omnibus ei competentibus, prout videtur conſideraſſe *Arriaga*.

18.
Quo ſenſu ſimul idem actus placebit & diſplicebit Deo,

Dices I. Inde ſequeretur, quòd idem actus externus placebit & diſplicebit Deo, quatenus nimirum informatur, & ſubſtat utrique actui interno imperanti, ſcilicet bono & malo. Reſp. Concedendo totum: nam hoc nihil eſt aliud, quàm actum externum procedere à duobus internis, & ex his unũ Deo placere, & alterum diſplicere.

Item præcipietur & prohibebitur.

Dices II. Sequeretur eumdem actum externum, v.g. auditionem ſacri, præcipi aut conſuli à Deo, & ſimul ab eodem prohiberi quatenus eſt mala. Reſp. ſi actio exterior ſit indifferens ex ſe, Deus illam nec conſulit, nec præcipit, nec prohibet. Si autẽ ſit bona, illam quidem præcipit, aut ſaltẽ ordinariè cõſulit, ſed dum arguitur, eam ſimul à Deo prohiberi, quatenus ab actu interno malo procedit; hoc nihil aliud eſt, quàm prohiberi, ne fiat ob talẽ finem: quod in re eſt, prohiberi actum internum imperantem.

Poteſt quis mereri cælum, & ſimul purgatorium, non tamen infernum.

Dices III. Sequeretur aliquem eodem tempore poſſe mereri & demereri vitam æternam. Reſp. Neg. Seq. quia nemo poteſt eſſe ſimul amicus & inimicus Dei. Eſto autem, quòd mereretur vitam æternam, & ſimul demereretur pœnam purgatorii, parum refert: cùm hoc fieret mediantibus diſtinctis actibus internis. Porrò certum eſt, id fieri ſimul poſſe per diſtinctos actus; & in caſu præſenti fieret, quantumvis actus externus imperatus (in quo ſecundùm ſe non reſidet meritũ formaliter) non adeſſet, ratione videlicet actuum internorum, quorum unus eſt bonus, alter venialiter malus.

19.
Eidem actui interno nequit ſimul convenire bonitas & malitia intrinſeca,

Dico II. Eidem actui interno nequit ſimul competere bonitas & malitia intrinſeca, benè tamen extrinſeca ſeu participata ab aliis actibus internis; ſi nimirum idem actus internus imperetur ſimul ex bono affectu & pravo affectu. Prima pars eſt cõmunis. Probatur: tum quia impoſſibile eſt, eumdem indiviſibilem actum in ſe & immediatè habere ſimul integritatem & integritatis carentiam, conformitatem & conformitatis defectum, convenientiam & diſconvenientiam cum natura rationali: hæc enim ita videntur repugnare, ſicut veritas & falſitas repugnant ſimul eidem propoſitioni. Tum quia alioquin eadem indiviſibilis entitas poſſet ſimul à Deo ſecundùm ſe & immediatè ſuaderi ac prohiberi: nam ratione bonitatis ſuaderetur, ratione autem malitiæ prohiberetur: ergò repugnat eumdem actum ſimul habere bonitatem & malitiam propriam ſeu intrinſecam. Aliud eſt de actu externo, qui ſicut ſimul poteſt affici à diverſis actibus internis, ſic poteſt participare utriuſque conditionem, & ab utroque quodammodo denominari, ſive abſolutè, ſive cum aliquo reſpectu. Similiter conſilium ſive præceptum & prohibitio non cadunt immediatè ſuper actum externum, in quo ſimul bonitas eſſet & malitia; ſed ſuper illum ut affectum à diverſis actibus internis, ſeu potiùs ſuper ipſos actus internos.

20.
Secùs eſt de extrinſeca ſeu participata ab alio actu imperante.

Secunda pars videtur ſatìs ſequi ex Concluſione præcedẽti: nam actus internus imperatus participat extrinſecè conditionem imperantis: ergo ſi imperetur per plures alios actus internos, quorum unus eſt bonus & alter malus, participabit utriuſque bonitatem & malitiam, ſicut actus externus. Cùm autem eatenus ſit tantùm ſubjectum remotum & quaſi extrinſecum bonitatis & malitiæ, reſpectu illius hæ conditiones alioquin repugnantes verè non repugnant: nam etiam contradictoria ſimul ineſſe poſſunt eidem ſubjecto remoto & extraneo. Immo id à parte rei non eſt aliud, quàm eumdem actum imperatum inſtar objecti ſeu effectûs affici à duobus actibus, uno formaliter bono, altero formaliter malo, adeòque ab utriuſque bonitate & malitia.

Poteſt ſimiliter idem actus externus ſucceſſivè eſſe bonus & malus.

Dico III. Idem actus externus poteſt ſucceſſivè eſſe bonus & malus. Patet: nam poteſt v.g. inchoari viſio, comeſtio &c. ex bona intentione, adeòque eſſe bona; deinde continuari accedente prohibitione aut ex mala intentione, & ſic fieri mala.

Similiter & internus loquendo de bonitate & malitia extrinſeca.

Dico IV. Idem actus internus poteſt ſucceſſivè eſſe bonus & malus. Ita *Scotus quodlib.* 18. *n.*16. & alii Doctores ſatis frequenter. Probatur I. quia idem actus internus poteſt primò imperari reflexè per aliũ actum internum bonum, adeòque eſſe bonus; deinde imperari per pravum affectum, & fieri malus. Hoc exemplum admittunt varii Doctores, qui equidem negant Concluſionem intellectam de bonitate & malitia intrinſeca actibus elicitis voluntatis. Contra quos 21.

Immo etiã intelligendo de intrinſeca.

Probatur Concluſio II. quia habenti deſiderium v.g. caſtè vivendi ob honeſtatem caſtitatis poſſet Deus reflexè præcipere, ut à tali actu interno, etſi ſecundùm ſe honeſto, abſtineat; qui ſi equidem perſeveret in priori deſiderio continuando, fiet illud malum; non quidem ex parte objecti, quod honeſtiſſimum manet, & cujus honeſtas adhuc amatur; ſed ex parte prohibitionis iſtius actûs.

Dices: Tale deſiderium nõ videtur poſſe continuari: nam quo pacto fieri poteſt, ut voluntas ſciens ſe malè operari, nihilominus operetur ex affectu honeſtatis moralis? Reſp. id nullatenus repugnare; cùm per tale deſiderium voluntas non afficiatur reflexè honeſtati ipſius actûs, ſed honeſtati objecti. Poteſt autem quis peccare amando honeſtatem, ſi talem amorem elicere ſit ei illicitum: peccare, inquam, poterit pec-

rit peccato inobedientiæ amando honeſtatem caſtitatis.

22. Probatur III. Quia poteſt actus honeſtus vitiari per mutationem ſolius cõſcientiæ, ob quam tamen non neceſſariò mutari debet entitas phyſica actûs. v. g. ſacerdos vult celebrare miſſam, planè inſcius interdicti, de quo deinde aliquid intelligẽs imprudẽter negligit inquirere veritatem, perſeverans tamen in priori voluntate, quæ priùs erat honeſta, & poſtea fit mala.

Nec obſtat, quòd tunc cognitio mutetur, aut potiùs nova cognitio accedat: tum quia equidem ſufficienter manet cognitio, quâ objectum & ratio motiva proponebatur voluntati, adeòque nec ipſe actus voluntatis neceſſariò mutatur: tum quia etſi cognitio aliqualiter immutaretur, non ſequitur neceſſariò mutandum actum voluntatis.

Non obſtat etiam, quòd ob notitiam interdicti videatur impoſſibile voluntatem poſſe appetere celebrationem tali loco agẽdam ex motivo honeſto; cùm eo ipſo celebratio ita circumſtantionata ſit inhoneſta: nam notitia poteſt eſſe adeò levis, ut intellectus non aſſentiatur, ſed maneat in oppoſito judicio, etſi imprudenter: aut certè poteſt vincibiliter ignorare quòd in tali loco celebrare ſit peccatum.

Ex dictis facilè colligitur, actum internum ſimiliter de malo poſſe tranſire in bonum (quàmvis Nonnulli ſpecialiter hoc negent) cùm ſit par ratio. Nam poteſt actus internus priùs imperari per actum malum deinde per bonum. Inſuper poteſt mutatio, ob quam actus bonus fit malus, deſinere, & ſic præcedens bonitas reſtitui. Fatendum tamen cum *Scoto ſup.* communiter iſtam mutationem non fieri. Et ſecundùm hoc explicandus eſt idem *Doctor 2. d. 37. q. 1. n. 6.* ubi alioquin videri poſſet oppoſitum Concluſionis indicare.

QUÆSTIO IV.

An omnis actus humanus ſit bonus vel malus, ſive an detur actus indifferens?

23. *Datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem,*

SAtis conveniunt Doctores in eo quòd detur actus indifferens ex objecto & circumſtantiis, ſive (ut dicunt) ſecundùm ſpeciem; cujuſmodi ſunt ſpuere, ambulare, & ſimiles actus, naturæ quidem commodi, non tamen ex objecto honeſti aut inhoneſti. Ita communiter Doctores, tam *Thomiſtæ*, quàm *Scotiſtæ*; etſi à quibuſdam refeſeratur *Scotus 2. d. 7. num. 11.* tamquam aliter ſentiens: ſed malè, ut rectè *Vaſquez diſp. 52. c. 2.* & alii notarunt.

Et in individuo nec meritorii

Satis etiam conveniunt Doctores poſſe dari actus indifferentes in individuo defectu libertatis. Item dari indifferẽtes quoad bonitatem meritoriam, & malitiam demeritoriam. Sic enim opera merè naturalia, etiã moraliter bona, præſertim peccatoris, non ſunt meritoria apud Deum, & ob carentiam malitiæ non ſunt etiam demeritoria. *nec demeritorii*

Ac per accidens nec boni nec mali,

Denique ſatis conveniunt Doctores, excepto *Lorca*, & paucis aliis, poſſe ſaltem per accidens dari actus liberos in individuo indifferentes quoad bonitatem & malitiam moralem in eo, qui in operando ſe conformaret ſententiæ probabili affirmanti tales actus eſſe, ſe calefacere ad depellendum frigus, ſpuere ad exoneranda excrementa &c. talis enim nec peccabit; quia accommodando ſe ſententiæ probabili prudenter crederet ſe in hoc non malè agere: neque etiam bene operabitur, quia nullam in objecto honeſtatem amat; immo nec agnoſcit. Et quidem ſimilis operandi modus apparet ſatis communis; cùm pauci ſint, qui credant ſe eſſe obligatos in operando ad poſitivè apponendum finem bonum, vel de hac obligatione cogitent, antequam in ſcholis audiant hanc quæſtionem agitari. His præmiſſis

24. *Immo etiã per ſe & ex natura rei.*

Reſp. poſſe dari actus humanos perfectè liberos, qui per ſe & ex natura rei ſunt indifferentes etiam in individuo. Ita poſt *Alexandrum Alenſem*, *D. Bonaventura 2. d. 41. art. 1. q. 3. Scotus eâdem d. q. un. n. 4.* & alibi. *Gabriel*, *Almainus*, *Vaſquez*, *Gamachæus*, *Averſa*, *Oviedo*, *Arriaga* & plurimi alii, contra *Albertum*, *D. Thomam*, *Caietanum*, *Durandum*, *Præpoſitum*, *Becanum* & alios.

Id ſatis expreſſit S. Hieronym.

Probatur I. ex Patribus. Varios citat *Vaſquez diſp. 52. c. 3.* Nobis ſufficiant verba *Hieronymi Epiſt. ad Auguſtinum* (quæ eſt II. inter Epiſtolas *Auguſtini*) ubi ait: *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis naribus purgamenta projicere, ſputis rheumata jacere, hoc nec bonum nec malum eſt: ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis nec injuſtitiam.* Nec poſſunt hęc verba intelligi de operibus ex objecto ſeu ex genere ſuo indifferentibus: nam loquitur S. Doctor de iis, prout de facto in individuo fiunt ſeu exercẽtur, dicens: *Sive enim feceris, ſive non feceris &c.* Non etiam poſſunt eadem verba explicari de operibus meritoriis aut demeritoriis: nam ſi non ſint indifferentia, ergo vel bona vel mala. Si mala, ſunt eo ipſo demeritoria pœnæ. Si bona, id militat contra alios, qui ferè omnes ſupponũt non eſſe bonos. Deinde alioquin eſſent opera virtutum moralium, & recenſerentur ab *Hieronymo* inter bona, quæ faciens juſtitiam habet, utì recenſetur continentia, quæ ſimiliter eſt opus moralis virtutis; præſertim cùm Auctores alterius ſententiæ pro comperto ſupponant, opera bona juſtorum procedere à virtutibus infuſis, eſſeq; adeò ſupernaturalia & meritoria.

Non rectè adducitur

Solet etiam adduci quòd Conciliũ Conſtantienſe *ſeſſ. 15.* damnaverit articulos *Joannis Hus*,

Auctoritas Concilii Conſtantienſis. *nis Hus*, inter quos XVI. ſic incipit: *Diviſio immediatè humanorum operum eſt, quòd ſint vel virtuoſa vel vitioſa.* Sed non eſt veroſimile Concilium voluiſſe præjudicare Doctrinæ adeò celebri prȩſtantiſſimorũ Theologorum, præſertim *D. Thomæ*; quod etiam ad intentum ſuum non erat neceſſarium. Solùm itaque damnavit illum articulum ad mentem *Joannis Hus*, qui (ut ex verbis ſequentibus patet) cenſebat non dari opera media inter bona & mala ratione ſtatûs operantium, exiſtimans omnia opera juſti eſſe opera viva & bona, & omnia opera peccatoris eſſe peccata: quod falſiſſimum eſt, & meritò damnatum; cùm juſtus manens juſtus poſſit venialiter peccando malè agere, & peccator manens peccator bene operari.

25. *Probatur aſſertio ratione.* Probatur II. Quia datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem; ſi ergo actus talis ſpeciei in individuo exerceatur, etiam erit indifferens: ex individuatione enim aut exercitio non poteſt ei accedere malitia particularis.

Dices: Quando actus ſecundùm ſpeciem indifferens exercetur in individuo, fit malus, eò quòd deſit ei circumſtantia finis honeſti, quem actui individuo obligatur homo prȩfigere. Reſp. in primis gratìs aſſeri talem obligationem, ut poſtea magìs patebit. Deinde dupliciter poteſt finis præfigi ejuſmodi actui, v. g. internæ volitioni ambulandi, ſcilicet vel tamquam finis proprius, ut ſi quis velit ambulare ad gloriam Dei; vel tamquã finis extrinſecus in quem dirigatur per actum reflexum imperantem; ut ſi interna volitio ambulandi ad ſanitatem reflexè imperetur ex amore Dei. Quòd ſi priori modo fiat, volitio iſta ambulandi non erit indifferens ſecundùm ſpeciem, ſed honeſta ex objecto, ſcilicet motivo. Si poſteriori modo fiat, adhuc ille actus formaliter ut elicitus erit intrinſecè indifferens. Et quàmvis ejuſmodi relatio in finem bonum adeſſet, non ſequeretur actum elicitum ex motivo intrinſeco indifferẽti eſſe in ſe malum; ſed ad ſummum malam fore omiſſionem talis relationis ſive directionis extrinſecæ, adeòque non dirigentem ita opus ſuum peccare peccato omiſſionis, non commiſſionis. Ad ſummum autem ex omiſſione directionis ejuſmodi derivaretur in actum elicitum voluntatis & indifferentem malitia quædam extrinſeca, ſicut derivatur in actum imperatum: unde ſicut actus bonus voluntatis reflexè imperatus per alium malum retinet bonitatem ſuam intrinſecam, ſic & præfata volitio retinet ſuam indifferentiam intrinſecam.

26. *Altera ratio allegatur.* Probatur III. Quia obligatio præfigendi finem honeſtum omni actui humano, nec poteſt ſufficienter deduci ex natura rei, nec etiam ex præcepto divino poſitivo: ut autem adſtrueretur, deberet, & quidem efficaciter poſſe oſtendi; præſertim cùm obligatio iſta minùs congruat humanæ infirmitati: cui proinde indultum eſt (ut rectè *D. Bonav. ſup. in corp.*) ut non teneatur ſingula opera in Deum aut finem honeſtum referre. Confirmatur: quia opera humanæ neceſſitatis aut utilitatis, præciſo omni fine & circumſtantiâ extrinſecâ, non ſunt virtuoſa, ut etiam fatentur alii Doctores velut unanimiter; cùm non fiant ex motivo honeſtatis, ſed ob neceſſitatem, commoditatem aut utilitatem naturalem, nec aliquis idcirco cenſeatur laude dignus, ideoque non ſint etiam materia voti. Similiter non ſunt vitioſa; cùm nuſquam Scriptura aut Patres ea improbent, nec fideles apprehendant peccare ſe vel alios, ſi v. g. emunxerint nares, quia incrementa erant ſibi moleſta. Accedit, quòd juxta *Prepoſitum* & alios diverſæ opinionis Auctores detur indifferens omiſſio, actûs videlicet non præcepti: quid ni ergo & actus indifferens? ſi enim omittere ſit indifferens, etiam velle omittere erit tale; uti ſi omittere ſit bonum vel malum, etiam tale eſt velle omittere. *Confirmatur aſſertio.*

Objicitur I. illud Apoſtoli 1. *ad Cor.* 10. *Omnia in gloriam Dei facite*; ſcilicet actualiter vel virtualiter. Quod fit ſive per expreſſam relationem operis in Deum, ſive ex natura objecti ſeu ipſius operis, quod cùm honeſtum ſit, eo ipſo cedit in gloriam Dei. Reſp. cum *D. Bonaventura* & *Scoto ſup.* Deum ad hoc nos non obligaſſe, ſed ſolùm id conſuli ab Apoſtolo. Solùm itaque præceptum eſt negativum, ne quid faciamus contra gloriam Dei, vel quod in illam referri nequeat. Similiter ex vi præcepti charitatis obligamur aliquando per actum expreſſum diligere Deum ſuper omnia appretiativè, & numquam aliquid facere dilectioni repugnans. Denique ex vi providentiæ ſupernaturalis ac juſtificationis ſolùm obligamur ad finem noſtrum per actus aliquos tendere, & per nullos ab eo deviare. 27. *Omnia in gloriam Dei facienda ex conſilio; & quo ſenſu ex præcepto.*

Objicitur II. illud Chriſti *Matth.* 12. *Dico vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*; id eſt, ratio exigetur, ſcilicet tamquam de re mala, ut ex ſcopo Chriſti patet; & conſequenter etiam exigetur ratio de operibus otioſis: nam (ut rectè *Hieronymus in Pſal.* 16.) *Si de verbo otioſo redditur ratio, quantò magìs de operibus?* Atqui verbum otioſum eſt, quod caret honeſto fine: ergo quidquid honeſto fine caret, eſt malum, & cõſequenter non datur actus indifferens in individuo. Reſp. Neg. Min. poteſt enim in primis per verbum otioſum intelligi cum nonnullis Patribus & Expoſitoribus verbũ malum & pernicioſum; idque magìs conſonat diſcurſui & ſcopo Chriſti: Deinde cum aliis communiùs intelligi poteſt verbum fruſtrà prolatum; hoc eſt (ut *S. Hieronymus* *Quid intelligatur per verbum otioſum.*

ronymus ait) quod ſine utilitate & loquentis dicitur & audientis; vel, ut *Gregorius*, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ utilitatis caret; vel, ut *Bernardus*, quod caret fine rationabili. Dico tamen non eſſe otioſum, nec ita vocari à Patribus, quod naturalem utilitatem aut neceſſitatem habet; neque illud fruſtrà aut irrationabiliter proferri. Ejuſmodi autem utilitatem vel neceſſitatem ſeu commoditatem habent opera in individuo indifferentia; quâ ſi carerent, forent otioſa. Frequenter etiam juxta *D. Bonav. ſup. ad* 2. illa verba quæ videntur eſſe inutilia, utilia fiunt, immo honeſta, dum ordinantur ad recreationem aliquam ſpiritûs, & excluſionem acediæ. Secundùm quod refertur *D. Bernardus* dixiſſe, cùm quemquam fecit ceſpitare: *Otioſum* (inquit) *fuit factum, ſed non otioſè factum.* Fecerat enim hoc ad lætificandum illum quem viderat mœſtum. Sic *D. Bonaventura.*

28. Objicitur III. *Auguſtinus Epiſt.* 19. dicens: *Cavendum, ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum.* Et *lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c.* 18. ait: *Quamquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona nec mala ſit &c.* Reſp. ad priorem locum, *Auguſtinum* ibi potiùs favere noſtræ doctrinæ; iſta enim verba ſibi objicit velut repugnantia doctrinæ, quâ contra *Hieronymum* defendebat legis ceremonias poſt Chriſti mortem aliquo tempore fuiſſe licitas: & in ſequentibus ſatis ſignificat, ſe dictum iſtud Philoſophorum non improbare; dum ait ſe Philoſophorum exemplum Apoſtolis aut ſibi non timere, quando veri aliquid dicunt.

Auguſtinum alteri ſententiæ patrocinari cenſet Vaſquez; ſed non rectè.

Ad poſteriorem locum reſpondet *Vaſquez Auguſtinum* fuiſſe in contraria opinione, eique opponit auctoritatem *Hieronymi*. Verùm inde non duci ſolidum pro altera Opinione argumentum meliùs docent ceteri, & fatetur ipſe *Præpoſitus* alioquin tenens oppoſitum Concluſionis. Itaque *Auguſtinus* ibi non loquitur de actu, ſed de ipſa potentia voluntatis, & tantùm vult eam eſſe conditionem noſtræ voluntatis, ut vel bona ſit vel mala; cum quo tamen rectè conſiſtit, ut ipſa alioquin bona vel mala exerceat aliquos actus indifferentes, quibus nec bona conſtituatur, nec mala. Sanè *Auguſtinus* voluntatem malam appellat, quæ omnino juſtitiam non diligit, eamque dicit ſine dubio eſſe peſſimam voluntatem: quo tamen nomine nullatenus appellari poteſt actus voluntatis indifferens, aut voluntas illum eliciens, ut patet.

29. Objicitur IV. Homo debet actiones ſuas dirigere in finem ſeu motivum conſentaneum rectæ rationi (cùm recta ratio ſit regula actuum humanorum) quòd ſi faciat, bene aget; ſin autem non, malè: ergo non datur actus indifferens in individuo. Reſp. ad Antec. hominem, ut non peccet, ſatisfacere dirigendo actiones ſuas in finem rectæ rationi conſentaneum permiſſivè, adeòque ſufficere, ut recta ratio actiones non improbet, etiamſi poſitivè non approbet. Unde actus indifferentes ſunt conformes ſuæ regulæ, ſcilicet rationi judicanti illos eſſe convenientes naturæ, nec diſconvenientes eidem, quatenus rationalis eſt. Quàmvis, quia non ſunt poſitivè conformes naturæ rationali ut tali, poſſent dici mali negativè; non tamen contrariè, utpote non repugnantes rectæ rationi. Hominem porrò ad amplius obligari in ſuis actionibus, ex nullo capite probatur.

An vel qualiter debeat homo præfigere motivum conſentaneum rectæ rationi.

Poſſunt acquiri habitus indifferentes, uti boni & mali.

Objicitur V. Non dantur habitus indifferentes: ergo nec actus. Reſp. cum *Scoto ſup. num.* 5. Neg. Antec. ſicut enim ex actibus bonis & malis relinquitur in anima quædam facilitas maior ad ſimiles actus; ſic etiam ex actibus indifferentibus. Quàmvis ſit minor in his neceſſitas: eò quòd actus indifferentes plerumque non habeant tantam difficultatem, ad quam ſuperandam habitus acquiſiti ſolent pro parte aſſignari: ſi tamen aliqui in voluntate dentur.

Objicitur VI. cum *Præpoſito* & paucis aliis contendentibus, quòd actiones, quæ prætenduntur eſſe indifferentes, ſint honeſtæ: Recta ratio dictat ambulandum eſſe, aut moderatam recreationem appetendam v.g. ob ſanitatem conſervandam, quàm decet ab homine etiam quà tali ſervari. Idem eſt de ſimilibus: ergo ſi ejuſmodi actio fiat tali reſpectu ſeu quia recta ratio illam dictat, erit honeſta. Reſp. tunc non ſiſti in bono naturæ quatenus ſenſitiva eſt commodo, prout quæſtio ſupponit, ſed in honeſto. Quæritur enim, an calefacere v.g. præcisè quia frigus corpori moleſtum eſt, ſit moraliter bonum. Idem eſt de aliis. Quæritur, inquam, de bonis naturæ ſenſitivæ ut ſic; quæ, uti & ipſa natura, ſunt brutis communia. Alioquin ſi in iis ſiſtere abſque altiori reſpectu ſit honeſtum: jam opera præfata nequidem forent indifferentia ſecundùm ſpeciem, ſed ex objecto honeſta, ſicut orare & jejunare. Immo procederent in juſto à virtutibus infuſis (ut ad hominem loquar) eruntque adeò meritoria apud Deum, etiam de condigno; quod tamen negat *Valentia* in verbis quæ *Præpoſitus* pro ſe adducit.

QUÆSTIO V.

An bonitas & malitia primariò & formaliter competat actui interiori, an verò exteriori?

ADVERTE I. Actum interiorem ſive voluntatis ſæpè, non tamen ſemper, habere pro objecto actum aliquem exter- 30.

Actus interior ſæpè, non ſemper.

habet actū exteriorem pro objecto. num, id eſt, alterius potentiæ à voluntate diſtinctæ; puta intellectûs, appetitûs ſenſitivi, ſenſûs interni aut externi, potentiæ locomotivæ. Et quidem ſi actus interior ſit efficax, non ſolùm reſpicit actum externum tamquam objectum circa quod verſatur, ſed etiam quodammodo tamquam cauſa ſuum effectum, quatenus eumdem efficaciter imperat.

Adverte II. Actum externum objectivè ſeu in ratione objecti conſideratum nō ſemper eſſe bonum vel malum, ut patet in actibus indifferentibus. Nihilominus idem poterit fieri bonus vel malus in ratione effectûs, quatenus videlicet ex fine bono vel malo per actum interiorem voluntatis imperatur, v. g. ambulatio ex fine luxuriæ. Et hinc *D. Thomas* & alii dicunt bonitatem deſumptam ex fine derivari ab actu interiori in exteriorem: eò quòd actus exterior ſecundùm ſe ſpectatus tantùm reſpiciat materiam circa quam verſatur; non autem finem, intellige extrinſecum, ad quem ſcilicet præter exigentiam actûs ab operante ordinatur. His notatis

31. *Bonitas & malitia objectiva frequenter reperitur in actibus externis, & quidem primò ac per ſe.* Dico I. In actibus externis objectivè ſpectatis frequenter reperitur bonitas vel malitia objectiva & fundamentalis, eaque primò ac per ſe competit actibus externis. Probatur: quia actus externi objectivè ſpectati ſunt frequenter rationi conſentanei vel diſſentanei, v. g. ſacrificium, adulterium &c. Immo ſunt cauſa & fundamentum propter quod actus interni ſunt boni vel mali: cùm hi ideo ſint boni vel mali, quia tendunt in objectum conſentaneum vel diſſentaneum rationi. Et hæc objectiva bonitas vel malitia etiam eſt, quando actus externi non ponuntur. Ideoque ſimplex complacentia trahit ab actu externo, quem inſtar objecti reſpicit, bonitatem aut malitiam.

32. *In ratione effectûs tamen priùs convenit actui interno.* Dico II. Si actus externus conſideretur in ratione effectûs ſive in executione, bonitas & malitia priùs competit actui interno. Ratio eſt: quia actus interior eſt cauſa imperans actum exteriorem velut effectum; bonitas autem & malitia reipſa priùs competit cauſæ quàm effectui, ſicut prior eſt cauſa quàm effectus.

Ex his colligitur actum voluntatis efficacem eſſe bonum vel malum ex duplici capite; ſcilicet quia reſpicit objectum bonum, & quia eſt cauſa effectûs boni. Unde *Cur effectus efficax ſit melior ſimplici complacentiâ.* affectus efficax, ceteris paribus, eſt melior ſimplici complacentiâ objecti honeſti: hæc enim tantùm eſt actus bonus propter reſpectum ad objectum bonum; ille inſuper quia eſt productivus boni effectûs, quantùm eſt de ſe & ſepoſitis impedimentis.

23. *Bonitas & malitia formalis ſimpliciter cō-* Dico III. Bonitas & malitia formalis abſolutè loquendo cōpetit primò & per ſe actui interno voluntatis; ſecundariò autem & per participationem actui externo, quatenus ſcilicet ab interno quodammodò informatur ſeu afficitur. Ita *D. Bonav. 2. d. 42. art. 1. q. 1. Scotus ibid. q. 4. n. 1. 16. &* 18. & alii paſſim, contra Nonnullos exiſtimantes formalem bonitatem & malitiam competere primariò actibus externis, aut ſaltem non ſolis internis; & contra *Vaſquez*, qui etſi nobiſcum ſentiat quoad bonitatem, diſſentit tamen quoad malitiam deſumptam ex objecto & circumſtantiis, quam cenſet, adhibitis quibuſdam limitationibus, formaliter & primariò competere actui exteriori. *petit primò & per ſe actui interno.*

Probatur Concluſio: quia bonitas formalis competit actui ex eo quòd feratur in objectum propter honeſtatem: atqui hoc primariò & per ſe competit ſoli actui interno; ergo etiam formalis bonitas.

Ex quo idem infertur de malitia: nam ipſa eſt conditio actûs humani directè oppoſita bonitati: oppoſitorum autem eadem eſt ratio & ſubjectum; adeòque ſi ſola voluntas ſit per ſe & primariò capax bonitatis, erit & malitiæ.

Confirmatur I. Quia eſſe bonum & malum eſt proprietas actûs humani, ſeu actûs naturæ rationalis; ſed quod propriè & per ſe eſt talis, ſcilicet humanus, actus, eſt actus interior: ergo quod propriè & per ſe habet bonitatem & malitiam, eſt actus interior; exterior verò ſicut dicitur humanus per accidens & ſecundariò per derivationem ab interiori, ſic quoque tantùm dicetur formaliter bonus & malus.

Confirmatur II. Quia ratio voluntarii per ſe & formaliter tantùm competit actui interno; ergo & ratio malitiæ ſeu peccati: in tantùm enim peccatum eſt formaliter peccatum, in quantùm eſt voluntarium. Unde ab actu exteriori ſemper tollitur malitia, dum tollitur interna voluntas; non tamen tollitur à voluntate, dum impeditur opus. Similiter malitia & bonitas actuū exteriorum augetur vel minuitur, prout actus interior eſt magìs vel minùs intenſus aut liber. Mirum proinde foret, omnia malitiæ formalis principia ſe tenere ex parte actûs interni, & tamen ipſam primariò convenire actui externo. Deinde etſi fortè non repugnaret concipere, quòd ratio voluntarii, ſe tenens ex parte actûs interni, indeque communicanda actui externo, ſit conditio, ut malitia in hoc naſcatur primariò: quî ſaltem concipi id poteſt de intenſione, quæ actui externo non communicatur? Igitur actio exterior tam mala quàm bona formaliter redditur per malitiam & bonitatem primariò reſidentem in actu interiori. Sicut eadem eſt albedo, quæ primò afficit & denominat ſuperficiem, ſecundariò parietem. Et ſicut eſt eadem longitudo, à qua primò linea, deinde ipſum lignum denominatur longum.

Dices I. Ipſa externa actio eſt primariò & per ſe diſſona rationi: ergo formaliter 34. *Actio externa citra*
mala. Reſp. Diſt. Antec. eſt diſſona objectivè

internam eſt diſſona objectivè, non formaliter. ctivè & fundamentaliter, concedo, formaliter, nego: donec enim interna actio accedat, externa non intelligitur formaliter conſona vel diſſona ſeu peccaminoſa, uti nec voluntaria vel humana. Accedente verò internâ actione, nulla eſt malitia in actione exteriori, quæ non ſit in interiori, ab eaque derivetur; ut proinde eadem ſit utriuſque, primariò ſcilicet interioris, ſecundariò exterioris.

Dices II. Id quod primariò & per ſe prohibetur, eſt actio, non interna, ſed externa, ut patet in prohibitione furti, homicidii &c. ergo actio externa eſt primariò & per ſe formaliter mala. Reſp. idem argumentum poſſe retorqueri contra *Vaſquez* de bonitate hoc modo: Id quod primariò & per ſe præcipitur eſt actio externa; ergo ipſa eſt primariò & per ſe formaliter bona. *Qualiter actio externa cadat ſub prohibitionem.* Deinde ſicut in aliquibus præceptis prohibitio cadit ſuper actus externos, ſic in aliis cadit directè ſuper ſolos internos correſpondentes; ut cùm dicitur: *Non concupiſces*; Et, *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Qui actus interni idcirco ſeorſim prohibentur, ne exiſtimetur interior voluntas excuſari impedita ab opere. Dico itaque actionem externam non prohiberi præcisè, minùs primariò, ſed ut informatam actione internâ: aliter enim non erat materia præcepti. Intendit namque legiſlator prohibere, ne actum externum faciamus; facere autem nos intelligimur quando voluntariè facimus: ideoque actûs interni prohibitio intrinſecè involvitur in prohibitione actûs externi (qui exprimitur frequenter tamquam notior, & cujus abſtinentiâ vel poſitione tollitur vel ponitur finis ultimò intentus) ex quo proinde non poteſt concludi, eſſe in eo propriam ac formalem malitiam. Et hinc homicidia involuntaria non puniuntur; uti nec motus concupiſcentiæ, quos non operamur nos ipſi, ſed qui in nobis habitat fomes peccati.

QUÆSTIO VI.

An actus externus ſuperaddat interno formalem bonitatem vel malitiam?

35. *Actus exterior ordinariè auget bonitatem occaſionaliter.* CERTUM eſt actum externum ſæpè eſſe occaſionem majoris aut extenſioris bonitatis vel malitiæ. Primò: quia homo ſæpè aliquid interiùs proponit, & ob impedimentum ſimileinve occaſionem non facit, quod tamen facit poſtea propoſito innovato: quamquam tunc non tam augeatur bonitas vel malitia prioris actûs qui deſinit, quàm ſuccedat nova in novo propoſito ſeu actu interno. Secundò ratione diuturnioris moræ creſcit extenſivè bonitas, & conſequenter meritum: ſive quia actus externus diutiùs durat, adeòque diuturniorem actûs interni durationem exigit; ſive quia (ut experimur) faciliùs continuatur voluntas, quæ exteriùs occupatur. Tertiò ratione majoris intẽſionis: ob delectationem enim vel difficultatem, quæ in actûs externi exercitio reperitur, voluntas frequenter magis accenditur & intenſiùs in objectum fertur. Et hac ratione regulariter plus meretur qui v.g. martyrium patitur, quàm qui illud etiam efficaciter deſiderat: hâc enim occaſione frequenter ac ferventer actus internos repetit, & quidem neceſſariò; cùm plerumque fortior voluntas requiratur ad ſuſtinenda patienter tormenta, quæ reipsâ inferuntur, quàm dum ſolùm mente proponuntur. Idem eſt de ſimilibus.

Sed quæritur an per ſe & omnibus præſciſis opus externum addat aliquam bonitatem vel malitiam interiori; adeò ut major malitia, adeòque demeritum reperiatur in eo, qui v.g. opere mentitur, quàm in eo qui ſolùm interiùs vult mentiri; & ſimiliter major ſit bonitas, adeòque meritum, in eo qui opere dat eleëmoſynam, cæteris paribus, quàm in eo qui tantùm vult dare, vult, inquam, affectu efficaci, ſcilicet quantùm eſt in ſe, adeò ut voluntas ſepoſitis impedimentis poneret opus externum. De ſimplici enim complacentia nemini eſt dubium, quin minùs bona vel mala, meritoria vel demeritoria ſit, quàm actus habens opus adjunctum. Ad hanc igitur quæſtionem 36.

Reſp. Negativè cum *D. Thoma q.20. ar. 4.* & pleriſque aliis. Et conſonat *Scotus 2. d.42. q.4. n.2.16.17. & 20.* conſtituens in ſolo actu voluntatis malitiam ſeu peccatum formaliter; hoc ſenſu nimirum, quòd actus exterior diſtinctam formalem malitiam nõ ſuperaddat. *Non tamen per ſe loquendo,* Dum autem *quodlib. 18. art. 3.* oppoſitum reſpõſionis indicat (quod proinde docent plures *Scotiſtæ*) partim loquitur non reſolutivè utens ſuo ſolito *poteſt dici*; partim explicari poteſt de bonitate & malitia objectiva, quam ſpecialem addit actus exterior interiori.

Probatur Reſponſio I. ex Scriptura *Gen. 22. Quia feciſti* (id eſt, facere paratus fuiſti) *hanc rem, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, benedicam tibi &c.* ubi Deus voluntatem Abrahæ pro facto reputat, nec minùs gratam habet, quàm ſi opere (quod Deus impediebat) compleſſet. 37. *Quod colligitur ex Scriptura.* *2. ad Cor. 8. Si voluntas prompta eſt, ſecundùm quod habet accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.* ubi, ut plures Patres indicant, & apertè *Theodoretus* ac *Anſelmus*, Apoſtolus videtur docere, quòd voluntas efficax ſit ejuſdem apud Deum meriti, atque operi conjuncta, etſi hoc propter impedimentum non ſequatur. Aliis tamen videtur non deſumi hinc ſolidum argumentum, qui explicant Apoſtolum hoc modo: Volũtas non acceptatur ſecundùm id quod non habet, id eſt,

id eſt, non ampliùs ab ea petitur quàm valeat complere: eò quòd Apoſtolus ibi hortetur Corinthios, ut ſicut habuerũt promptam voluntatem dandi eleëmoſynam, ſic opere perficiant, pro quantitate & menſura facultatum; nec loquatur de eo caſu, quo omnes voluerunt æqualiter dare, unus autem plus dederit quia plus potuit.

38. *Ex Patribus,* Probatur II. ex Patribus. *Auguſtinus l.1.de lib.arbit.c.3.* de eo qui cupit adulterari, & ſolùm omittit defectu occaſionis vel facultatis, ait: *Non minus reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Et *Epiſt.49. q.4.* explicans illud *Matth.7. In qua menſura menſi fueritis,* dicit *affectum voluntatis eſſe omnium factorum meritorumq́ menſuram.* Item in *Pſal.57.* ſcribens, generaliter inquit: *Quidquid vis & non potes, factum Deus computat. Leo Papa Serm.4.de Jejunio decimi menſis: Novit Dominus omnium vires, & ſcit juſtus inſpector, de qua menſura quiſque quid tribuat. Diſſimiles quidem ſubſtantia, ſimiles erogationes habere non poſſunt. Sed æquatur plerumque merito, quod diſtat impendio.* Huc etiam facit illud *Bernardi Epiſt.77. Quid planius, quàm quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas?*

39. *Et ratione.* Probatur III. ratione: quia juxta dicta *quæſt. præced.* actus externus tantùm eſt bonus vel malus denominatione extrinſecâ deſumptâ à bonitate vel malitia actûs interni imperantis, quæ ſecundariò & remotè illum afficit; utì albedo quæ proximè afficit ſuperficiem, remotè afficit ipſum parietem: ergo non poteſt actui interno ſuperaddere diſtinctam bonitatem vel malitiam formalem.

Probatur IV. quia alioquin minùs peccaret, qui jam jam elevaturus manum ad alterum occidendum divinitùs impediretur, quàm ſi impeditus non fuiſſet. Similiter is, qui coactè detineretur domi ne ſequatur occiſio alterius ad quam omnino anhelat. Similiter minùs mereretur, cui ſe paranti ad dandam eleëmoſynam ligarentur manus, vel qui non reperit pecuniam quam penes ſe habere putabat. Nec dici poteſt hîc eſſe opus externum, nempe applicationem manûs ad burſam: quid enim motus ille materialis ad meritum? an ergo ſi antequam manum applicaſſet, ei dictum fuiſſet non eſſe pecuniam, idcirco minùs mereretur?

40. *De augmẽto ſatisfactionis multi aliter opinantur.* Adverte I. nõ moveri præſentem quæſtionem de augmento ſatisfactionis: Multi enim putant (inter quos *Suarez, Lugo, Oviedo:* pluribus idem negantibus, teſte *Dicaſtillo de Pœnit. diſp.13.n.87.* quibus ipſe *ibid.* adhæret) opus externum etſi non augeat apud Deum rationem meriti, augere tamen rationem ſatisfactionis: eò quòd etſi meritum fundetur in morali honeſtate operis, quæ tota reſidet in opere interno: tamen ſuppoſitâ æquali bonitate & merito poſſit plurimùm creſcere ſatisfactio operis ex ejuſdem pœnalitate, quæ in opere externo potiſſimùm reperitur: ſatisfactio enim ſupplet & prævenit pœnam alioquin infligendam à Deo vindice, ad pœnam autem judicialem maximè confert ipſa pœnalitas ſeu afflictio. Immo juxta *Lugo* & alios ad hoc ſufficit opus externum liberum, quod ſit effectus præteriti actus liberi voluntatis: quale poſſet etiam perſeverare in homine dormiente, cui proinde in ſatisfactionem propriè & per ſe cedat ipſum incommodum, quod corpus v.g. dormientis humi aut cum cilicio ex inde patitur. Nihilominus poſtremum hoc meritò refutat *Dicaſtillo ſup. & n.n.ſeqq.* Satisfactio enim utì & meritum debet eſſe opus voluntarium & humanum; cujuſmodi non eſt opus externum, quod eſt effectus liberæ volitionis merè præteritæ, ac ne quidem virtualiter permanentis; prout non permanet in ſomno, utì nec in ebrietate vel amentia.

Adverte II. actum externum puniri legibus humanis, non autem internum ſolitariè ſumptum; cùm de internis non judicet Eccleſia, ut in Jure habetur. Immo punitio etiam Eccleſiaſtica ſæpè dependet ab evẽtu reipsâ ſubſequuto, etſi diu poſt opus (cujus utique malitiam formalem non auget, utì eſt indubitatum) non quòd puniat eventum; ſed quia peccatum v.g. homicidii non punit v.g. pœnâ irregularitatis, niſi eventus v.g. mors adſit. Quia nimirum Eccleſia non meliùs cognoſcit internæ voluntatis efficaciam & gravitatem, quàm ex opere externo vel effectu; ratione cujus etiã potiſſimùm obeſt bono politico, quod reſpublica ſenſibilis reſpicit. 41. *Cur Eccleſia puniat actus ſolùm externos, etiam ſæpè dependenter ab eventu.*

Præterea Chriſtus actiones quaſdam externas & ſenſibiles elevavit ad effectum gratiæ ex opere operato independenter ab eorum formali & propriâ bonitate, ut patet in Sacramentis novæ legis. Prout etiam evexit Deus martyrium externum & completum ad ſimilem effectum, quàmvis non ſuperaddat internæ volũtati per ſe loquendo formalem bonitatem. Similiter externis operibus annexuit quædam præmia accidentalia, v.g. aureolam martyrio re ipsâ tolerato; nolens hominem affectum martyrio niſi dependenter ab externo effectu (qui tamen potiùs eſt tyranni, quàm illius qui martyrium ſubit, & plerumque non eſt in hujus poteſtate) hujuſmodi laureâ coronare. Denique Beati gaudebunt de bonis operibus externis, prout & nos hic gaudemus: quemadmodum etiam gaudebunt de aliis bonorum operum effectibus ſubſecutis. Ex quibus tamen idcirco non creſcit iſtorum actuum bonitas. *Nonnullis operibus quatenus externis quædam privilegia ſunt annexa.*

Dices I. *Auguſtinus 13. de Trinit. cap.5.* ait: *Malâ voluntate quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis impletur.* Reſp. malum verè reddi 42.

miſe-

miſeriorem poteſtate occaſionaliter, eò quòd operis exercendi facultas occaſionem tribuat, ut illud velit frequentiùs, intenſiùs & efficaciùs; cùm alioquin advertens ſibi deeſſe vires complendi, ab efficaci illius deſiderio, immo & à cogitatione ejuſdem deſiſtere ſoleat. Actus quoque externus ſæpè habet moleſtias ac miſerias, v.g. damnum proximi &c. quibus internus caret.

Furtum & concupiſcentia alieni cur & quomodo prohibeantur diverſis præceptis.

Dices II. Opus externum & internum prohibentur diverſis præceptis, ut patet in his: *Non furtum facies*; Et, *non concupiſces rem proximi tui.* Igitur ſignum eſt, quòd habeant diſtinctas malitias. Reſp. Neg. Conſeq. nam juxta *Auguſtinum loc. cit. de lib. arbit.* hoc factum eſt, ut populus rudis Judæorum intelligeret, non ſolùm opus exteriùs perpetratum, ſed etiam intùs latentem voluntatem eſſe peccatum; unde ſemel prohibetur volūtas interior ſimul cum exteriori opere, ſemel ſeorſim. Quòd ſi ponatur aliquis adeò rudis, ut ignoret actum internum eſſe peccatum, ſciat tamen actum externum eſſe malum, id erit per accidens. Quamquam etiam iſte non ignoret malitiam actûs interni quomodolibet, ſed tantùm, quòd internus ſolus non habeat malitiam, adeòque ut ſit malus, requirat conjunctionem actûs externi.

Non fruſtrà ſuadentur opera exteriora.

43. Dices III. Ergo fruſtrà ſuadentur opera externa. Reſp. Neg. Seq. tum quia ſunt occaſio plerumque affectûs interni novi, aut melioris aut diuturnioris, & ſignum ejuſdem; adeò ut fruſtrà quidam ſibi blandiantur de bonis internis deſideriis, quæ in ipſo opere frequentiſſimè apparerent inſufficientia ac inefficacia: tum quia non poteſt perſuaderi interna volitio efficax, niſi ſuadeatur ipſum opus externum per ſe neceſſariò conjunctum; uti eo ipſo quo perſuadetur opus externum, perſuadetur actus internus efficax: tum quia non fruſtrà ſuadetur, quod per leges humanas, immo & quandoque divinas præcipitur, & quo voluntariè omiſſo peccatur; prout præcipitur libera poſitio actûs externi, ſi tempore quo præceptum urget ſit poſſibilis. Adde ſolis internis actibus proximum non juvari, prout exigit charitas; nec reſarciri damna illata, prout exigit juſtitia; nec ſatis coli Deum, prout exigit conditio noſtræ naturæ ex parte ſenſibilis & corporalis. Et ſic de cęteris.

Deſiderando interiùs cur non obtineantur mox merita S. Pauli.

44. Dices IV. Ex noſtra doctrina ſequitur, quòd deſiderans mereri quantum S. Paulus, mereretur tantumdem, etſi nihil operaretur. Reſp. Neg. Seq. nam objectum talis deſiderii non eſt actus aliquis externus præcisè, ſed innumeri actus interni & meritorii S. Pauli, quorum ſinguli habent diſtinctam ac ſibi propriam bonitatem formalem, uti libertatem; ac proinde nullatenus eis comparari poteſt iſtud internum deſiderium. Quod inſuper apparet tantùm eſſe ſimplex ſeu inefficax reſpiciens merita S. Pauli ſolùm tamquam objectum; cùm ex tali deſiderio non ſequantur actus charitatis & reliqui meritorii, quos S. Paulus exercuit.

Hinc etiam deſiderans millies mori pro Chriſto non meretur tantùm, quantum qui reipsâ millies pro ipſo moreretur: mille enim hi actus externi exigerent ſaltē mille actus internos, & quidem valde efficaces; quibus internum illud deſiderium nullatenus valet comparari.

Simile eſt de eo qui unico actu voluntatis deſiderat occidere mille homines: non enim tantum peccat, quantum ſi re ipsâ mille occideret; eò quòd unica occidendi voluntas occiſioni mille hominum non ſufficiat, ſed moraliter plures requirantur; ex quibus proinde creſcit formalis malitia in eo, qui de facto mille occidit. Alioquin voluntas illa ſola tantam habet malitiā, quantam haberet cum actu qui præcisè ex illa ſequi poteſt; & ſequeretur ſepoſitis impedimentis.

Dices V. Sequitur ex noſtra doctrina, quòd ſufficiat in confeſſione exprimere ſolum actum internum, dicendo v.g. volui blaſphemare, pejerare &c. quod tamen eſt contra omnes Doctores & ſenſum Eccleſiæ. 45.

Cur peccatum externum ſit in confeſſione explicandum.

Reſp. Neg. Seq. nam ut omittam varias cauſas extrinſecas ob quas interdum exprimi oportet opus externum; nempe ut appareat ſi adſit reſervatio, cenſura, debitum reſtitutionis, vel ut appareat firma determinatio voluntatis (quæ tamen rationes non ſunt univerſales in omni caſu, nec per ſe neceſſariæ) propria ratio eſt juſſio & inſtitutio Chriſti, ſatis nota in ipſo uſu Eccleſiæ, qui ſic pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, ut voluerit peccatum diſtinctè explicari, ſecundùm totam ſuam ſpeciem & entitatem, quæ integratur ex actu externo & interno velut materiali & formali. Unde etiam opus externum revera eſt & propriè denominatur peccatum, juxta receptam peccati definitionem ex *Auguſtino* deſumptam: *Dictum, factum vel concupitum contra legem Dei.*

Ex his facilè patet reſolutio dubii inter multos controverſi, videlicet an actus internus malus & externus ſint dicenda plura peccata. 46.

Actus internus & externus, quo ſenſu unum, quo ſenſu plura peccata vocari poſſint.

Sic enim Varii loquuntur. Qui tamen per hoc non aliud ſignificare volūt, quàm quòd ſint plures actiones, quæ verè denominantur peccata, etſi ab eadem malitia: ſicut, ſi eadem albedo extet in pluribus parietibus, dicerentur plura alba, id eſt, plura quæ habent albedinem, & hæc quidem rectè dicuntur ſaltem cum addito. Et ſic quidem rectè dicuntur plura peccata, ſaltem cum addito, *denominativè* ſeu *materialiter*. Nihilominus quia in moralibus moraliter loquendum eſt, & ambæ actiones in genere moris cenſentur eſſe unus integer actus; ſic etiam moraliter, adeòque ſimpli-

ſimpliciter cenſentur unum peccatum: cùm ſint unum integrum aggregatum habens in ſe eamdem numero malitiam. Aliud eſt in altero exemplo: eò quòd ſinguli parietes ſint diſtincta ſubjecta, neque integrent unicum ſubjectum. Atque ita loquitur D. *Bonaventura 2.d.42. art.1. q.1.* & alii paſſim. Aliud eſt in inſtantia præallegata: nam iſti parietes ſunt integra ſubjecta, neque pariter integrant unicum ſubjectum.

QUÆSTIO VII.

An & quâ ratione bonitas & matia deſumatur ex objecto?

47. *Actus humani deſumunt bonitatem & malitiam ex objecto.* DICO I. Bonitas & malitia actûs humani deſumitur ex objecto. Ratio eſt: quia objectũ tribuit actui bonitatem & malitiam naturalem ex eo quòd cõveniat vel diſconveniat naturæ agentis; ergo etiam bonitatem & malitiam moralem ex eo quòd conveniat vel diſconveniat cum recta ratione agentis liberi. Confirmatur: quia objectum utrobique ſe habet ad actum tamquam menſura & forma extrinſeca; utì terminus ad motum: adeòque ſicut terminus dat rationem motui, ita objectum actui. Et de actu malo eſt locus egregius *Ozea 9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerũt.*

48. Verùm quia objectum concurrit tamquam forma extrinſeca, non debet bonitatem & malitiam formaliter in ſe habere, ſed ſufficit, quòd habeat cauſaliter, ſeu quòd ſit objectum conveniens naturæ rationali & amandum, aut diſconveniens & fugiendum ſecundùm rectam rationem: quemadmodum medicina dicitur ſana, non quia in ſe ſanitatem habet, ſed quia eſt cauſativa illius; & ſicut habitus dicitur bonus, eò quòd quantùm eſt in ſe ſit principium actûs boni. Et hanc convenientiam habet etiam objectum actûs externi: v. g. ſublevatio miſeriæ proximi objectivè ſumpta, non ſolùm reddit bonam voluntatem dandi eleëmoſynam, ſed etiam ipſam eleëmoſynam externam: talem enim ordinem habent objecta ad rationem, ut aliqua quantùm eſt ex ſe ſint objectum proſecutionis, alia ſint objectum fugæ. Non tamen omnis actûs objectum eſt bonum vel malitiam; ut patet in actibus ex objecto indifferentibus, qui proinde bonitatem vel malitiam, ſi habeant, accipere debent ex fine aut aliis circumſtantiis.

Nec his repugnat, quòd actus externus ſit effectus imperatus ab actu interno, & ab hoc principiativè participet ſuam bonitatem vel malitiam prout eſt in re ſeu in executione: quia equidem ſpectatus objectivè, & ſecundùm quod eſt in apprehenſione, bonitatem vel malitiam moralem actui interno objectivè ſeu terminativè tribuit.

DICO II. Ex objecto rectè dicitur deſumi bonitas generica actûs humani, bonitas verò ſpecifica ex circumſtantiis. 49. *Quo quodam ſenſu rectè dicitur generica.* Declaratur: quia bonitas quæ deſumitur ex objecto eſt quaſi prima, & modificabilis per varias circumſtantias; adeòque rectè dicitur generica ob convenientiam cum genere, eò quòd ſicut genus poteſt contrahi & determinari, ſic bonitas vel malitia ſumpta ex objecto poſſit variè determinari per circumſtantias in actu repertas, quæ proinde tribuunt eidem ſpecificam ac magìs determinatam bonitatem vel malitiam. Sic v.g. actus temperantiæ, juſtitiæ, mendacii, luxuriæ, ſic ſpecificantur ab objectis, ut tamen ab illis ultimam ſuam determinationem & ſpecificationem in genere moris non recipiant, ſed adhuc poſſint determinari ac ſpecificari à circumſtantiis. Ita *Scotus 2.d.7. q. unic. n.11.* & *d. 40. n.3.* Quæ *Scoti* explicatio in re ipsâ eſt commoda, & varii eam amplectuntur, inquit *Prapoſitus q.18. art.2. dub. unic.*

50. *Quodam ſenſu ſpecifica.* DICO III. Bonitas vel malitia actûs quæ ex objecto deſumitur non eſt generica hoc ſenſu, quaſi actus ibi ſiſtens habeat bonitatem ſolùm confuſam, quæ contrahatur ad varias ſpecies bonitatis tamquam ad inferiora eſſentialia, utì animal ad hominem & brutum: ſed quodlibet objectum bonum poteſt ad certam ſpeciem bonitatis determinare actum in bonitatem talis objecti tendentem. Idemque eſt de malitia. Nam ſicut in naturalibus forma ſufficienter conſtituit rem in eſſe ſpecifico, ita objectum per modum formæ extrinſecæ ſufficienter tribuit actui bonitatem vel malitiam ſpecialem, etſi abſint alia determinativa: & ſic objectum amoris, juſtitiæ &c. tribuit actui propter honeſtatem illius elicito bonitatem amoris, juſtitiæ &c. etſi abſint aliæ circumſtantiæ determinantes. Idemque eſt de objecto odii, luxuriæ &c. Hoc modo explicari poteſt *D. Thomas q.18. art.2.* docens, actum deſumere ex objecto ſpecificam bonitatem.

Dices: Actus bonus ſubinde reſpicit objectum valdè generale & tranſcendens, v. g. actus voluntatis quo aliquis generaliter ſtatuit implere mandata, vel bene vivere aut honeſtũ ſectari. Idem eſt de actu malo oppoſito: ergo ſaltem tunc non poteſt objectum dare actui ſpecificã bonitatem vel malitiam: cùm ipſum objectum non ſit in certa aliqua ſpecie. Reſp. Neg. Conſ. 51. nam etſi objectum non ſit in certa ſpecie, poteſt tamen terminare actũ ſpecie unum. *Idq; etiamſi actus reſpiciat objectum generale & tranſcendẽs in ratione entis.* Sic itaque honeſtum & inhoneſtum, debitum & vetitum ſunt quidem rationes generales in ratione entis, quatenus ſunt communes reſpectu diverſorum honeſtorum & inhoneſtorum &c. poſſunt tamen eſſe ſpeciales in ratione objecti, quatenus poſſunt terminare actum voluntatis ſpecie unum, qui in illas ut ſic tendat. Quemadmodum

dum conceptus etiam individuus de ente ſpecificatur ab ente ut ſic tamquam objecto ſpeciali hujus actûs, etſi ipſum ens ſit commune ad omnia entia tamquam inferiora. Unde voluntas obediendi omnibus præceptis, eſt actus ſpecialis obedientiæ, ſimiliter propoſitum ſectandi honeſtum eſt actus virtutis ſpecialis, etſi innominatæ.

52. *Ex affectu honeſti ut ſic generatur ſpecialis habitus.*

Petes, An ex affectu honeſti ut ſic frequentato generetur habitus ſpecie unus? Reſp. Aff. ſuppoſitâ alioqui doctrinâ vulgatâ de habitibus naturalibus voluntatis: nam ſi quis frequenter in ejuſmodi propoſito ſe exerceat, faciliùs eliciet ſimiles actus. Deinde in affectu honeſtè vivendi ut ſic, quando eſt efficax, invenitur difficultas, etiam non deſcendendo ad materias particulares; eò quòd difficile ſit naturæ corruptæ bonũ honeſtum efficaciter anteponere delectabili: adeóque debet dari habitus, qui difficultatem illam ſic indiſtinctè propoſitam ſuperet. Adverte tamen, quòd quia per ejuſmodi actus non proponitur in particulari ullum genus virtutis, neque etiam particulares difficultates in variis materiis ſæpè occurrentes; ideo ex tali habitu homo non ita firmetur ad bene operandum in materiis particularibus, ſicut ex aliis habitibus, qui generantur ex actibus reſpicientibus materias particulares.

53. *Ut objectũ tribuat ſpecialẽ actui bonitatem vel malitiam, requiritur in ipſo ſpecialis cõvenientia vel diſconvenientia objectiva.*

Dico IV. Ut objectum tribuat actui humano ſpecialem bonitatem vel malitiam, debet ipſum per ſe & citra conceptum alterius conditionis objectivæ habere ſpecialem ordinem convenientiæ aut diſconvenientiæ cum natura rationali. Ita *D. Thomas ſup. art.* 10. & reliqui omnes. Ratio eſt: quia aliàs non foret conceptibile, quomodo objectum ſpecialem bonitatem vel malitiam actui tribueret; utpote quam in ſe radicaliter non haberet: ac proinde quando objectum non eſt tale, neceſſariò deſumi debet ex altera ratione objectiva, quæ ſpecialem convenientiam aut diſconvenientiam præfatam habet. Et hinc actui adulterii accedit ſpecialis malitia injuſtitiæ ex eo, quòd complex peccati ſit aliena, ſive diſtincta perſona à conjuge propriâ; quæ tamen ratio ſupponit illam perſonam eſſe non ſuam, quod eſt conſtitutivum malitiæ fornicationis. Similiter in homicidio ſacrilego quatenus tali ſupponitur ratio homicidii, & tamen annexa rei ſacræ violatio tribuit ei ſpecialem malitiam ſacrilegii. Violare namque jus alienum (quod fit in adulterio) aut rem ſacram (quod fit in homicidio ſacrilego) habet ex propria ſua ratione ſeu conceptu objectivo diſconvenientiam, quæ in fornicatione aut homicidio ut ſic non continetur.

54. *Ad actum malum non requiritur, ut malitia ſit volita.*

Dico V. Ut actus ſit malus, non requiritur, quòd ipſa malitia ſit volita, ſive tamquam objectum, ſive tamquam ratio volendi. Ita paſſim Theologi. Et videtur clarum ab experientia. Immo multi peccant, qui remordente conſcientiâ vellent abeſſe malitiam ab actu, quem tamen prædominante concupiſcentiâ volunt propter delectabilitatem ſive bonitatem ab honeſtate diſtinctam, cui inhoneſtas ſeu malitia eſt annexa. Accedit illud vulgatum: *Nemo intendens in malum operatur.* Sufficit igitur, quòd voluntas tendat in objectum pravum aut malâ circumſtantiâ affectum, notando id eſſe rationi diſſonum: eo ipſo enim ſaltem interpretativè volitur ipſa malitia. *Niſi interpretativè.*

Ex quo facilè cernitur, qualiter poſſit in eodem actu eſſe duplex ſive multiplex malitia moralis: quia poteſt voluntas eodem actu velle objectum, cui multiplex malitia eſt adjuncta; ut patet in objecto adulterii &c. Similiter objectum de ſe malum poteſt voluntatem dirigere in finem habentem ſpecialem malitiam; ut ſi quis velit alterum occidere causâ peccandi cum ejuſdem uxore. *In quo reperiri poteſt multiplex malitia.*

55. *Ad actum verò bonum debet ipſa objectiva bonitas movere.*

Dico VI. Ut actus ſit bonus, requiritur, non ſolùm ut objecti bonitas cognoſcatur ſive notetur; ſed inſuper ut non videatur aliqua circumſtantia mala, & præterea ut ipſa objectiva bonitas moveat voluntatem ad actum. Eſt communis. Prima pars patet: quia ſi videretur adeſſe aliqua circumſtantia mala non deceret naturam rationalem, nec objectum ita circumſtantionatum appareret honeſtè appetibile, v. g. ſubventio pauperis ex bonis alienis. Confirmatur: quia malum oritur ex ſingulis defectibus; ergo ut actus ſit bonus, non poteſt adeſſe ulla mala circumſtantia.

Secundam partem expreſſit breviter *D. Thomas q.* 19. *art.* 7. *ad* 3. dicens: *Ut voluntas ſit bona, requiritur, quod ſit boni ſub ratione boni.* Et ante ipſum *Philoſophus* 2. *Ethic.* 4. dicens, actum virtutis debere eſſe à ſciente & eligente propter ipſam virtutem. Ratio eſt: quia alioquin volens ſubvenire pauperi ob finem indifferentem bene ageret; cùm tẽdat in objectum re verâ honeſtum, nec aliquid illi volitioni deſit ad formalem bonitatem, quàm quòd non tendat in objectum ſub ratione honeſti: ergo hoc ipſum eſt neceſſarium. Confirmatur: quia idem objectum poteſt appeti propter varias rationes: adeòque non poteſt actui tribuere moralem bonitatem, niſi exerceatur propter rationem honeſti, ſive ut ſic, ſive ut incluſam in aliqua ratione particulari. Aliud eſt in malo: nam rectitudo naturæ rationalis poſtulat, non ſolùm ne appetatur quod naturâ ſuâ ut tale appetibile non eſt, ſed ut vitetur; non vitatur autem, quando eo modo quo appeti poteſt, ſcilicet ob bonum adjunctum, appetitur, quod re verâ malum eſt.

56. *Sic ut voluntas ſe-*

Obſervandum tamen ad actum honeſtũ non requiri, ut voluntas actu formali & quaſi ſignato appetat particulare honeſtum

ratur in honeſtum, etiam particulare, propter ſe.

ſub ratione honeſti in genere, quaſi dicat: ideo volo largiri eleëmoſynam quia honeſtum eſt; ſed ſufficit, ut actu velut exercito feratur in particulare objectum honeſtum propter ſe. Ita rectè *Malderus diſp.73.Præpoſitus q.18.art.5.dub.1.* Probatur: quia pauci habent hujuſmodi conceptum univerſalem honeſtatis: cùm non niſi per quemdam diſcurſum & abſtractionem cognoſcatur, nec hujuſmodi abſtractiones rationum univerſalium, etiam docti habere ſoleant, niſi poſt multam exercitationem; adeòque valde pauci bene operarentur. Deinde id foret contra communem cōceptum & praxim Doctorū ac piorum hominum: nemo enim talem expreſſam cōſiderationem cenſet ſibi neceſſariam, ut bene agat, v.g. dando eleëmoſynam; ſed quiſque putat ſe bene operari, ſi v.g. det pecuniam ut miſeriam proximi ſublevet ibi ſiſtendo. Similiter ſi amet Deum quia bonus eſt, ſperet in eum quia ſibi concupiſcibilis eſt, credat in illum quia id poſtulat divina auctoritas, faciat cetera opera, ut impleat præceptum ſuperioris, placeat Deo, & ſic de aliis. Ratio eſt: quia in his & ſimilibus rationibus tendendi involvitur ipſa ratio honeſti, ſive eſſe ſecundùm rationem, tamquam ſuperius in inferioribus: unde voluntas tendens in rationem particularem, quæ eſt & notatur honeſta, ibique ſiſtens, cenſetur ferri in rationem honeſtam propter honeſtatem actionis, adeòque bene operari.

57. *Multiplex bonitas reperiri poteſt in eodem actu externo,*

Hinc plures Doctores inferunt non poſſe in eodem actu reperiri duplicem bonitatem formalem: qui tamen loquuntur de actibus internis. Si enim de externis ſermo inſtituatur, patet eumdem actum externum poſſe extrinſecè participare multiplicem bonitatem formalem pro multiplicitate actuum internorum bonorum, à quibus ſimul poteſt imperari. Sic externa datio eleëmoſynæ poteſt imperari ex amore Dei, gratitudine, pietate &c.

Immo & interno imperato.

Nec tamen etiam de actibus internis hęc doctrina eſt generatim vera; cùm etiā idem actus internus poſſit imperari à pluribus aliis internis bonis, quorum proinde bonitatem formalem non minùs participare videtur, quàm actus externus: quàmvis hoc Nonnulli negent. Similiter actus aliquis internus poteſt elici ſub proprio motivo honeſto, & ſimul extrinſecè dirigi in alium finem honeſtum ab actu imperante; v.g. poteſt quis velle elicere actum contritionis ad ſatisfaciendum pro peccatis eorumque pœnis, quo caſu actus ille contritionis ex proprio motivo, ſcilicet bonitatis Dei offenſi, elicitus præter intrinſecam bonitatem contritionis habet bonitatem extrinſecam participatam ab actu imperante, qui eſt virtutis pœnitentiæ aut juſtitiæ vindicativæ.

58. *Quid cenſendum de*

De propria verò & intrinſeca bonitate actûs interni loquendo, major eſt difficultas, an multiplex ejuſmodi bonitas ſpecifica eidem cōpetere poſſit. Nam id Varii negant cum *Vaſquez q.18. art.7. n.48.* qui tamen *ibidem* excipit actum internum adorationis, qui unus & idem tendit in humanitatem Verbi divini ob duplicem excellentiam, increatam ſcilicet & creatā, quæ ambæ uniuntur in eodem ſuppoſito, adeòq; habet actus iſte bonitatem latriæ & hyperduliæ. Verùm cū nihilominus Excellentia divina & creata ſint ſingulæ in ſuo genere & in ratione objecti adorationis completæ, non magis coaleſcere queunt in objectum motivum unius internæ adorationis, quàm quævis aliæ honeſtates diverſiſſimæ, quæ circa eamdem perſonam poſſent per accidens cōcurrere. Unde ſi v.g. in eadem perſona concurreret ratio parentis, creditoris & pauperis, cui is, qui eſt filius, debitor & dives, vult dare eleemoſynam, poſſent pariter omnes bonitates inde reſultantes ad eumdem actum objectivè movere: quod tamen nec ipſe *Vaſquez* admittit.

intrinſeca bonitate actus interni eliciti.

Qui tamen ſentiunt, nec improbabiliter, hoc ipſum non eſſe inconveniens, non laborant in reperiēnda multiplici bonitate formali etiam propriâ actûs interni: nam tot erūt in illo bonitates, quot motiva partialia honeſta; quæ etſi ſingula ſint quaſi in actu primo completè ſufficiētia pro ſingulis actibus, hîc & nunc tamen conficiunt unum adæquatum motivum unius actus.

Quid ſit autem ſentiendum de electione medii boni ob finem etiam bonum ſpeciali honeſtate, an videlicet competat ei duplex formalis bonitas, patebit infrà *n.87.& ſeq.*

QUÆSTIO VIII.

An & quomodo Bonitas & malitia deſumatur ex Circumſtantiis?

CIRCUMSTANS dicitur quod non omnino ineſt, neque tamquam à re alienum prorſus eſt. Unde cōditiones illæ quæ ſubſtantiæ actuum humanorum accidunt, & tamen quodammodo afficiunt, circumſtantiæ dicuntur: quæ enim nullo modo actum afficiunt, nec ad eum pertinent, etſi loco vel tempore conjungantur (v.g. quòd ſol luceat vel non luceat, quādo datur eleemoſyna) non dicuntur circumſtantiæ. Aliæ verò afficiunt quidem & quodammodo immutant actionem ſecūdùm eſſe phyſicum; v.g. quòd pecunia quæ aufertur ſit argentea vel cuprea, quòd ſit gladius vel ſclopetum quo quis occiditur: de iis tamē non eſt quæſtio, ſed de ſolis circumſtantiis moralibus, quæ nimirum afficiunt actum ſpectatum ſecundùm eſſe moris. Et hæ ordinariè recenſentur ſeptem à Theologis 4.*d.*16. *& duabus ſeqq.* & *Primâ ſecundæ q.7. art.3.* comprehenſæ hoc verſiculo: 59. *Quid & quotuplex circumſtantia.*

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Ceteræ

Ceteræ autem, quæ à Nonnullis addi ſolent, vel circumſtantiæ non ſunt, ut *quoties* ſive numerus, qui potiùs eſt ipſa individuatio ſeu multiplicatio ſubſtantiæ actûs boni vel mali; vel ad prædictas facilè revocantur, ut circumſtantia *Circa quid*, quæ continetur ſub circumſtantia *Quid*.

60. *Dantur circumſtantiæ etiam actûs interni.* DICO I. Dantur circumſtantiæ morales actuum humanorum, etiam internorum. Patet: quia accidit v.g. homicidio, quòd locus in quo committitur ſit ſacer, actui carnali quòd peccans ſit adſtrictus voto caſtitatis. Idemque eſt de interno taliũ actuum deſiderio. Immò & in moroſa delectatione circumſtantia ſacerdotii v.g. ſic illam afficit, ut non tantùm ſit contra caſtitatem, ſed etiam contra Religionem. Idem etiam eſt de intenſione & duratione actûs interni. Quàmvis non ſit neceſſarium, ut in ſingulis actibus ſingulæ circumſtantiæ inveniantur; ſed interdum hæc, interdum illa inveniatur, interdum una, interdum plures. Immo etſi nulla adeſſet, actus poſſet ſufficienter habere bonitatem vel malitiam ex objecto, ſive ex iis quæ ad ſubſtantiam actûs concurrunt.

61. *Partim aggravantes,* DICO II. Dari poſſunt circumſtantiæ non tantùm aggravãtes bonitatem vel malitiam intrà eamdem ſpeciem, ſed etiam novam ſpeciem addentes. Ratio eſt: quia circumſtãtia interdum dicit novam & ſpecialem conformitatem vel difformitatem cum recta ratione, interdum non, ſed ſolùm auget & perficit præjacentem; prout actûs vehementia & duratio, item objecti quantitas auget bonitatem vel malitiam actûs intrà eamdem ſpeciem.

Partim novam ſpeciem addentes. Quod autem ad circumſtantias mutantes ſpeciem attinet clarum eſt eas reperiri plurimas in peccatis. Sic v.g. circumſtantia voti, item loci ſacri addit fornicationi malitiam ſacrilegii &c. Unde *Tridentinum ſeſſ.* 14. *can.* 7. definit *in Confeſſione explicandas eſſe circumſtantiàs, quæ ſpeciem peccati mutant.* Idemque docet *cap.* 5.

62. *Quod ſignum diſtinctæ ſpecie malitiæ.* Pro ſigno autem Aliqui ſtatuunt, illam circumſtantiam poſſe tribuere diſtinctam ſpecie malitiam, quæ non præſupponit neceſſariò malitiam in actu; illam verò non poſſe, quæ neceſſariò præſupponit actionem aliundè malam. Sed non rectè: cùm malitia adulterii ſit ſpecialis, & tamen ſupponat in actu malitiam fornicationis ſeu luxuriæ. Unde meliùs recurritur ad ſignum à nobis aſſignatum: nempe ad ſpecialem difformitatem, aut diſconvenientiam cum recta ratione.

Quod verò ad actus bonos ſpectat dari poſſe circumſtantias tribuentes novam ſpeciem bonitatis clarius eſt in actibus externis bonis, quibus accedere poteſt circumſtantia novi finis extrinſeci ſpecialiter boni. Idem patet in actibus internis bonis per alium actum reflexum ſpecialiter bonum imperatis. Utrùm autem idem ſit dicendum poſſe fieri in actibus elicitis; quòd videlicet circumſtantia poſſit eis tribuere novam & propriam bonitatem, patebit infrà agendo de circumſtantia *Cur*, & *Quibus auxiliis n.* 87. *& ſeq.*

Ex quibus patet notitiam circumſtantiarum eſſe Confeſſariis & Paſtoribus animarum neceſſariam. Quod etiam inde conſtat: quia ſubinde ratione circumſtantiæ caſus eſt reſervatus, quæ proinde circumſtantia ſi invincibiliter ignoretur, reſervatio non inducitur; prout etiam tunc non incurritur appoſita cenſura. Unde meritò ſunt redarguendi, qui auſi fuere dicere, conſiderationem circumſtantiarum eſſe rem ſcrupuloſam, & Scholaſticorum inventum.

DICO III. Ut circumſtantia tribuat actui bonitatem vel malitiam, debet eſſe aliquo modo cognita. Eſt communis teſte *Poncio d.* 21. *q.* 2. *concluſ.* 4. quia ut bonitas vel malitia objecti influat debet cognoſci; ergo etiam ut influat bonitas vel malitia circumſtantiæ. Confirmatur: quia alioquin committeret ſacrilegium, qui furatur in loco ſacro, etſi ignoret quòd ſacer ſit, vel quòd pejus ſit ibi quàm alibi furari. Similiter is, qui fornicatur inſcius ſui voti aut obligationis ejuſdem, committeret ſacrilegium; quæ tamen planè falſa ſunt. 63. *Bonitas & malitia circumſtantiæ debet eſſe cognita.*

DICO IV. Bonitas vel malitia circumſtantiæ debet quoque eſſe volita; bonitas quidem directè, malitia ſaltem interpretativè. Eſt etiam communis teſte *Poncio ſup. concluſ.* 5. Prima pars de bonitate contra *Salas & Medina* probatur ex dictis de bonitate objecti, quæ debet eſſe directè volita, ut influat in actum: ergo ſimiliter bonitas circumſtantiæ. Secunda pars patet: quia ſufficit & ſaltem requiritur, quòd objecti malitia ſit interpretativè volita; ergo idem dicendum eſt de malitia circumſtantiæ. 64. *Item volita; bonitas quidem expreſsè, malitia interpretativè.*

Hæc tamen intelligenda ſunt de circumſtantiis extrinſecis, vel tenentibus ſe ex parte objecti: quæ enim ſe tenent ex parte actûs, non debent diſtinctè cognoſci, aut ut etiam augeant bonitatem directè ac velut reflexè velli per modum objecti. Tales ſunt actûs intenſio, duratio, major libertas: hæ enim circumſtantiæ ſunt ſatis volitæ & operanti voluntariæ ipſo actu, qui ſe ipſo totus eſt volitus, ſeu potiùs voluntarius. *Quæ tamen intelligenda de circumſtantiis ſe tenentibus ex parte objecti.*

Idem extendunt Nonnulli ad ſanctitatem operantis, quæ, licèt ignota, cenſetur conferre ad bonitatem actûs. Sed ſanctitas per modum principii dignificantis confert quidem ad meritum condignum; quod non datur in peccatore defectu ſanctitatis. Similiter major ſanctitas juxta plurimos Doctores confert ad augmentum meriti; & ſaltem ex ſanctitate perſonæ Chriſti opera illius traxerunt ſummum valorem: adeò- 65. *Sanctitas operantis ignorata confert ad meritum.*

adeòque hæc conditio etiam ignorata conferre poteſt ad majorem bonitatem, ſeu potiùs acceptabilitatem ad præmium. Non videtur tamen facere ad majorem bonitatem moralem ſeu virtuoſitatem operis: quàmvis enim gratiora ſint opera filiorum aut chariorum; non tamen ideo in ſe meliora. Neque enim pater acceptans potiùs ad præmium operationem filii ſui, v. g. eleëmoſynam ab illo factam, quàm alterius, idcirco exiſtimat quòd magìs virtuosè eleëmoſynam dederit, quàm alter, qui illam dedit cum ſimilibus omnino circumſtantiis, filiatione exceptâ. Confirmatur: quia conditio operantis non auget malitiam moralem niſi cognita, ut patet exemplo illius qui fornicatur inſcius ſui voti; ergo nec bonitatem. Poteſt nihilominus attentâ conditione ſtatûs operantis opus inde trahere excellentiorem bonitatem; quod dum operans ſcit & vult, opus quoque erit melius: prout v. g. laudabilius eſt virum Principem operibus humilibus incumbere quàm plebejum; injuriis laceſſitum benefacere, quàm qui ab altero multis officiis eſt devinctus &c. ſi tamen hæ conditiones ignorentur, nec opus ut iis affectum intendatur, non erit melius ex parte perſonæ operantis.

Non ad augmentum virtuoſitatis ſeu moralis bonitatis.

Ad hoc quomodo interdum conferre poſſit ſtatus operantis cognitus.

66. *Circumſtãtia mutans ſpeciem quo ſenſu maneat circũſtantia, quo non.*

Dico V. Circumſtantia tribuens actui humano novam ſpeciem, manet circumſtantia comparata cum actu & ſpecie quæ deſumitur ex objecto; eſt tamen eſſentialis in genere moris, adeòque non manet circumſtantia, reſpectu novæ ſpeciei quam conſtituit. Patet: quia copulæ carnali cum non ſuâ accidit, quòd altera perſona ſit conjugata ſeu aliena; eſſet enim idem actus fornicationis, etſi hæc circumſtantia abeſſet: quia tamen ipſa tribuit eidem actui malitiam adulterii, eſt eſſentialis illi quatenus eſt adulterium. Similiter circumſtantia loci ſacri eſt quidem accidentaria fornicationi, tamen ſubſtantialis fornicationi ſacrilegæ; eò quòd talis ſacrilegii ſpecies eſſentialiter reſpiciat profanationem loci ſacri. Idem eſt de aliis. Quænam autem malitia in actu ſit major, debet definiri ex diſconvenientia, quæ ex objecto vel circumſtantia adfertur: ſi enim illa, quam adfert circumſtantia, ſit major, actus inde contrahet majorem malitiam, quàm ſit ea quæ petitur ex objecto. Oppoſitum autem continget, ſi deformitas quæ præſupponitur ex parte objecti excedat illam, quam adfert circumſtantia.

67. *Circumſtãtia tribuere poteſt primam malitiam; ſed actûs quà peccaminoſi non manet circumſtantia.*

Petes, An circumſtantia manens talis poſſit actui tribuere primam ſaltem malitiam. Reſp. quòd ſic, aliquo ſenſu. Nam finis v. g. vanæ gloriæ tribuit actui indifferenti, aut etiam ex objecto honeſto, v. g. eleëmoſynæ, primam malitiam; immo bonitatem, quæ antea ratione boni finis intenti ineſſe poterat, deſtruit. Reſpectu tamen ſpeciei conſtitutæ, ſive actûs quà peccatum eſt, non manet circumſtantia. Deſtruitur etiam ſaltem ordinariè prior actûs moralitas. Quàmvis fieri poſſe videatur, ut mutatâ moralitate in ſpeciali quoad indifferentiam, bonitatem vel malitiã, maneat eadem in genere & quaſi ſubſtantiâ moralitas, conſiſtens in notitia & libertate conſequente: prout manet in volitione indifferenti comedendi, inchoatâ ex eo quòd advertatur cibus non adverſus valetudini, & continuatâ poſt habitam notitiam diei veneris, de quo nil ſciebatur aut cogitabatur: iſta enim circumſtantia cognita & interpretativè volita tribuit primam malitiam, manente quoad ſubſtantiam priori moralitate, cui ſolùm ſpecialiter accedit malitia, adeòque ſpecialis & mala moralitas.

QUÆSTIO IX.

Quomodo ſingulæ circumſtantiæ tribuant actui humano Bonitatem vel Malitiam?

HÆc quæſtio eſt maximè neceſſaria, præſertim curam animarum habentibus. De qua in ordine ad Confeſſionem inſtituendam & judicium Confeſſarii debitè formandum fusè agunt nonnulli Recentiores in materia de Sacramento pœnitentiæ; quàmvis ibi non ſit proprius locus. Nos hic paucis eam perſtringemus, & quaſi delibabimus, eò quòd circumſtantiæ in ſingulis materiis conſiderandæ ſoleant in propriis ferè locis diſcuti.

§. I.

De Circumſtantia Quis.

CIRCUMSTANTIA *Quis* indicat qualitatem perſonæ operãtis. Quæ quidem conducere poteſt ad meritum, ut de ſanctitate perſonæ dictum eſt *quæſt. præc.* ſubinde etiam ex perſonæ conditione creſcit operis laudabilitas, ut *ibidem* dictum eſt: ſubinde etiam, quia exempla majorum nata ſunt ceteros ad imitationem trahere, poteſt operi accreſcere bonitas ex iſto effectu prævi ſo & intento. Per ſe tamen & regulariter loquẽdo parum refert, & valde per accidens ſe habet ad bonitatem v. g. amoris Dei, caſtitatis, orationis & ceterorum bonorum operum, qualitas perſonæ, utrùm videlicet ſit Rex, Epiſcopus, Plebejus &c. 68.

Circumſtãtia Quis denotat qualitatem operantis.

Per ſe loquendo parum refert quoad bonitatem.

Similiter quod ad malitiam attinet, eadem perſonæ qualitas non notabiliter aggravat; ut ſit neceſſarium explicare in confeſſione hanc circumſtantiam (quidquid Pauci putaverint explicandum, ſi peccans ſit Epiſcopus aut Prælatus) niſi cùm ex peccato illius ſequeretur aliis peccandi occaſio, quæ non ſequeretur, ſi talem qualitatem non haberet.

Nec notabiliter aggravat malitiam.

Certum

69. Certum nihilominus eſt in hoc genere inveniri circumſtantias quæ mutant ſpeciem peccati, adeòque in confeſſione explicari debent. Sic enim perſona conjugata fornicando committit adulterium; perſona Deo dicata per ordinem ſacrum, profeſſionem religioſam, aut etiam ſimplex votum caſtitatis, committit ſacrilegium; uti & quicumque alius, qui habens votum aut juramentum ſervandi aliquod præceptum, illud violat.

Sæpè tamen mutat peccati ſpeciem.

Quàmvis in ſpeciali de variis perſonæ operantis circumſtantiis ſit quoad hoc controverſia: ut in primis an circumſtantia virginitatis addat ſpecialem deformitatem primo peccato fornicantis, ſaltem fœminæ, ut Plures putant; aut ſaltem notabiliter aggravet, adeò ut ſit in confeſſione explicanda, prout docent Alii; an verò non ſit explicanda in confeſſione, ut docent plurimi, eſtque ſecurum in praxi. Similiter de ſponſis fornicantibus dubitatur, an hæc circumſtantia mutet ſpeciem, & ſit explicanda: Variis id negantibus; Pleriſque affirmantibus, ſive de utroque, ſive ſaltem de ſponſa. Inſuper dubitatur de circumſtantia voti concurrente cum ſacro ordine: Pluribus aſſerentibus ſufficere, quòd exprimatur alterutrum, vel ſimpliciter dicatur: peccavi tali peccato luxuriæ; cùm ſim Deo dicatus: Aliis probabiliùs docentibus utramque circumſtantiam eſſe exprimendam. Eodem modo dubitatur, an circumſtantia ſolemnitatis in voto caſtitatis mutet ſpeciem, aut ſaltem notabiliter aggravet: Multis id affirmantibus, Pleriſque negantibus. Similiter dubitarunt Aliqui, an circumſtantia ſacerdotii in fornicante aggravet notabiliter ſpeciem ſacrilegii præ ceteris ſacris ordinibus: ſed Doctores communiter negant; uti & de circumſtantia Novitiatûs, quam Aliqui ſine fundamento exiſtimarunt notabiliter aggravare peccatum fornicationis, etiam ſecluſo ſcandalo.

De quo in variis particularibus materiis ſunt plures controverſiæ.

70. Ad Circumſtantiam *Quis* reducitur etiam habitus ſeu conſuetudo operantis: quæ tamen nec ſpeciem mutat, nec notabiliter aggravat; quin potiùs peccatum ſæpè alleviat, dum videlicet peccator velut impetu illius rapitur, cupiens alioqui ſe de prava conſuetudine emendare. Quare per ſe loquendo non debet explicari in confeſſione, ne quis adſtringatur ad confitendum æquivalenter peccata ſemel legitimè confeſſa. Quandoque tamen per accidens id neceſſarium eſt, quando videlicet inde colligi debet, an ſit occaſio proxima à pœnitente reſecanda, vel defectus veri doloris ac propoſiti emendationis, ideoque abſolutio neganda ſit vel differenda.

Conſuetudo operantis non auget notabiliter malitiam.

Nec per ſe explicanda eſt in confeſſione.

§. II.

De Circumſtantia Quid.

CIRCUMSTANTIA *Quid* denotat conditionem objecti ſeu materiæ circa quam actus verſatur, videlicet materiæ quantitatem, ejuſdemque qualitatem. Quò etiam pertinet qualitas perſonæ circa quam opus ſit; quæ appellari ſolet circumſtantia *Circa quid.* 71.

Circumſtãtia Quid denotat objecti quantitatem & qualitatem.

Quod ad materiæ quantitatem attinet, ea multùm facit ad augmentum bonitatis vel malitiæ: ut quòd quis multùm vel parum ſpectatis ſuis facultatibus det in eleëmoſynam, multùm vel parum furetur, multùm vel parum nocumenti in honore, famâ, vel bonis corporis inferat, multùm vel parum ſit intemperans; adeò ut notabilis v. g. in furto quantitas faciat de veniali mortale; ac inſuper notabilis in furto mortali exceſſus (qualis eſt dum duplum ſumitur illius quod ſufficeret ſe ſolo ad infimum furtum mortale) ſit in Confeſſione explicandus, præſertim juxta illos Doctores, qui cenſent circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe exprimendas, immo etiam juxta plures alios: quàmvis non deſint, qui exiſtiment ſufficere per ſe loquendo, ut pœnitens ſe accuſet de furto mortali, detractione notabili &c.

Quantitas auget bonitatem & malitiam notabiliter.

Quod attinet ad materiæ qualitatem, certum eſt inde poſſe deſumi novam ſpeciem malitiæ. Sic qui furatur rem ſacram committit ſacrilegium.

Quantitas materiæ poteſt dare novam ſpeciem.

Idemque eſt de qualitate perſonæ circa quam opus verſatur: ſi quis enim habeat aut deſideret commercium cum aliena, committit adulterium; ſi cum voto adſtrictâ, ſacrilegium; ſi cum ſanguine junctâ, inceſtum: ſi percutiat, vulneret, aut occidat clericum vel perſonam ſacram, committit ſacrilegium: ſi patri contumeliam aut malum inferat vel deſideret, peccat ſpecialiter contra pietatem. Idemque eſt cum proportione de circumſtantiâ mariti, uxoris, prolium, fratrum ac ſororum. Quàmvis ſubinde difficile ſit determinare in particularibus caſibus, an hæc circumſtantia ſit in illis ſpecialis, ac ſpecialiter explicanda.

Vti & qualitas perſonæ circa quam.

Hinc etiam ſi conjugatus cum conjugata, Deo dicatus cum Deo dicata peccet aut peccare deſideret, explicanda eſt non ſolùm circumſtantia perſonæ peccantis, ſed etiam perſonæ circa quam peccatum verſatur. Nam conjugatus facit duplicem injuriam, ſcilicet uxori propriæ & marito complicis. Similiter Religioſus tranſgreditur votum proprium, & concurrit ad frangendum fœdus alterius cum Deo; ubi eſt duplex ſpecie juxta aliquos, aut ſaltem duplex numero juxta alios perfidia, & ſacrilegium.

72. *De multis tamen in particulari eſt controverſia.*

De multis autem particulariter controvertunt Doctores, an circumſtantia *Quid* mutet in eis ſpeciem, ſitque explicanda in confeſſione: prout v. g. controvertunt, an ſpecificãda ſint mala quæ proximo ex odio deſiderantur, peccata de quibus quis ſe jactat, ſeclusâ complacentiâ de illis (hâc enim ſuppoſitâ, conveniunt debere explicari) errores ſpeciales contra fidem, diverſæ blaſphemiæ in Deum & Sanctos, diverſi gradus, jure ſaltem merè eccleſiaſtico prohibiti, affinitatis & cognationis carnalis (de cognatione enim ſpirituali eſt aliud) & ſic de ceteris. In quibus etiam plurimùm attendenda eſt conſcientia operantis, qui frequenter in ſimilibus peccat peccato ſpeciali, vel non peccat, conformiter ad ſuam exiſtimationem.

73. *Eventus conſequens directè intentus confert ad bonitatem & meritum,*

Ad Circumſtantiam *Quid* revocari etiam ſolet effectus conſequens actionem: qui ſi bonus ſit, & advertatur operis laudabilitas inde proveniens, opuſque ideo fiat, & conſequenter effectus intendatur, plurimùm facit ad bonitatis & meriti augmentum: idque æqualiter ſive effectus reipsâ ſequatur, ſive non. Quâ ratione illi, qui zelo ſalutis animarum prædicant, non minùs merentur, quàmvis per accidens auditores ſe non convertant. Quod indicat Apoſtolus 1. *ad Cor.* 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*; ſcilicet ſive ſequatur fructus, ſive non. Idem eſt de eo, qui pro fide ſuſcipit vulnera letalia, etſi mors non ſequatur.

Intentus ſaltem interpretativè etiam ad culpam.

Similiter effectus malus directè intentus indubiè auget malitiam, vel actionem malam reddit: cùm tunc ſit objectum directè volitum. Immo effectus per ſe conſequens, etſi directè non intendatur, idem præſtat, modò ſaltem aliqualiter ſit præviſus: tunc enim cenſetur interpretativè volitus in cauſa, cui per ſe conjungitur. Hinc etiam peccatur peccato ſcandali, dum opus aliquod eſt alteri occaſio peccati, etſi ex libera alterius voluntate ſecuturi. Facilè tamen quis excuſatur, quò minùs actionem inficiat effectus, præſertim per accidens aut ex libera alterius voluntate ſecuturus; accedente nimirum ſufficienti causâ prudenter dijudicandâ ex gravitate effectûs & ratione connexionis cum actione: nam tali caſu non cenſetur voluntas illum effectum velle, ſed tantùm permittere. Unde non peccat mulier honeſtè ſe ornans, etſi inde aliqui ex ſua pravitate ſumant occaſionem ruinæ: utì nec is qui juſta de cauſá petit mutuum ab uſurario. De quibus plura in materia de Scandalo.

§. III.

De Circumſtantia Ubi.

74. *Ubi ſeu locus inter-*

CIRCUMSTANTIA *Ubi* denotat locum in quo peccatũ committitur. Et quidem ex ratione loci poteſt actus quandoque deſumere malitiam primam ſive ſubſtantialem, quando ſcilicet actus alioquin eſt licitus: v. g. celebratio miſſæ in loco profano, exercitium judiciorum forenſium in Eccleſia, abductio violenta rei à loco ſacro contra Religionem loci. Unde reſpectu talis peccati *Ubi* non eſt circumſtantia, ſed ratio eſſentialis ac ſpecifica: etſi ſit circumſtantia actûs conſiderati ſecundùm ſuum proprium & phyſicum objectum.

dum tribuit primam ſeu ſubſtantialem malitiam,

Propriè circumſtantia loci eſt, quando actus alioquin malus committitur in loco ſacro contra reverentiam ei debitam: hinc enim accedit nova ſpecies malitiæ, nempe ſacrilegii, actibus illis malis, qui ſpecialiter prohibentur fieri in loco ſacro ob reverentiam ejuſdem: ut ſunt effuſio voluntaria & peccaminoſa ſeminis, homicidium, effuſio notabilis & peccaminoſa ſanguinis, ſepelitio non baptizati, aut excommunicati non tolerati in loco ſacro: per quos actus locus ſacer polluitur ſeu violatur. Similiter furtum eſt ſacrilegum, non tantùm ſi res ſacra rapiatur, ſed etiam ſi in loco ſacro etſi res non ſit ſacra; modò ſaltem ad locum ſacrum aliquo modo pertineat, v.g. quia tradita ſeu commendata in cuſtodiam Eccleſiæ, aut commodata ad uſum ejuſdem; prout limitat *Coninck, Diana* & alii. Et hæc locum habent, etiam quando quis ſolâ mente conſentit in ejuſmodi opera in loco ſacro perpetranda. Secùs eſt, ſi in Eccleſia exiſtens habeat voluntatem iſta patrandi, v.g. fornicandi, extra Eccleſiam. 75. *Interdum novam malitiam addit.*

Circumſtantia loci ſacri non omnibus peccatis tribuit malitiam ſacrilegii.

Quàmvis enim *Joannes Medina* (quem ſequitur noſter *Poncius* diſp.46.n.84.) exiſtimaverit etiam cetera peccata cõmiſſa in Eccleſia contrahere ſpecialem malitiam ſacrilegii, etiam gravem, quando peccata ſunt gravia, idque velut ex natura rei contra reverentiam loci Deo dicati: hoc tamen caret fundamento, & repugnat communi ſenſui Doctorum & praxi Confeſſariorum: quidquid ſit de veniali aliqua irreverentia contra ſanctitatem loci, in confeſſione minimè explicandâ, quæ faciliùs admitti poſſet in peccatis præſertim externis admiſſis in loco ſacro; cùm etiam confabulationes in Eccleſia factæ reprehendantur. Saltem aliqui voluerunt tactus inhoneſtos, præſertim valdè impudicos, item percuſſionem gravem, etiam ſine ſanguinis effuſione, habere ſpecialem malitiam ſacrilegii, quando fiunt in loco ſacro. Sed non ſatìs ſolidè: cùm non extet ſpecialis Eccleſiæ prohibitio. Fatendum tamen frequenter in iſtis actibus, ſaltem interioribus, reperiri malitiam ſacrilegii; quatenus adeſt periculum effuſionis ſeminis vel ſanguinis.

§. IV.

De Circumſtantiis Quando & Quomodo.

76. CIRCUMSTANTIA *Quando* indicat tempus, quo opus committitur. De illa, quod ad bonitatem actûs attinet, nihil ſpecialiter eſt dicendum. Quod autem attinet ad malitiam, Nõnulli opinati ſunt omne peccatum mortale commiſſum in die feſto ita inde aggravari, vel potiùs induere novam ſpeciem malitiæ contra ſanctitatem diei, & cultum divinum tali die præſcriptũ, ut debeat in confeſſione neceſſariò explicari. Quod aliqui limitant ad atrociora quædam peccata, & ſolemniores ſeu ſanctiores dies, puta Paſchatis aut unius ex tribus præcedentibus, vel ad diem Communionis. Sed oppoſitum eſt commune apud Doctores, & in praxi apud Confeſſarios: eò quòd, etſi ſuppoſitâ certorum dierum conſecratione appareat aliqualis irreverentia aut ſaltem incongruentia, non tamen ex natura rei inde ſequatur notabilis aut in confeſſione explicanda. Advertunt tamen aliqui in raris quibuſdam circumſtantiis irreverentiam hanc poſſe adeò eſſe notabilem, ut attingat peccatũ mortale: ut ſi quis die veneris ſancto vellet publicos ludos & ſpectacula publica exhibere, ſicut in bacchanalibus, aut ſi quis immediatè ab altari iret ad fornicandum. Qua in re attendendum eſt ad exiſtimationẽ ſeu practicum judicium ipſius pœnitentis, quod pro tunc habebat. Conſtat quidem ratione temporis conſtitui per ſe & primariò quædam peccata, v. g. non audire ſacrum, non vacare ab operibus ſervilibus, non jejunare, non confiteri, non communicare tempore ſtatuto; celebrare divina tempore interdicti, aut miſſam extra ſtatuta tempora. Sic tamen tempus non eſt circumſtantia accedens peccato ſeu operi quatenus peccaminoſũ eſt, ſed differentia peccatum per ſe primò conſtituens.

Circumſtãtia temporis non addit novam malitiam notabilẽ nec præcedentem notabiliter auget.

Ex ratione temporis tamen interdum ſumitur prima malitia.

77. Circumſtantia *Quomodo* indicat modum quo opus committitur, ſignanter intenſionem & vehementiam ejuſdem, ac extenſionem ſeu durationem: etſi hanc Aliqui revocent ad circumſtantiam *Quando*; quod parum refert.

Nec dubium eſt, quin ex fervore & intenſione creſcat actûs bonitas, uti meritũ: cùm ibi plus ſit de actu volũtario & bono, cujus ſinguli gradus ſunt boni vel meritorii. Idem eſt de augmento malitiæ & demeriti in actu malo. Quàmvis ſatìs conſtet hinc non mutari ſpeciem: cùm intenſio actui intrinſeca adferat bonitatem vel malitiam ejuſdem planè rationis.

Intenſio auget bonitatem & malitiam,

Idem ſimiliter eſt de actûs duratione: quàmvis enim ſubſtantia actûs non varietur, communi tamen judicio melius & laudabilius eſt in actione honeſta aliquo tempore continuare, quàm eam citò abrumpere: quemadmodum ex oppoſito perſeverare in opere malo eſt pejus. Unde ſicut duo gradus intenſivi ſunt meliores uno, ſic & idem actus duplicatò velut extenſus; qui idcirco quodammodò æquivalet actui bis repetito. Immo Varii qui docent circumſtantias notabiliter aggravãtes eſſe explicandas in confeſſione, idem docent de intenſione & duratione, quando videlicet ordinarius modus in certo genere peccandi nõ parum exceditur. Sed & juxta alios ſæpè eſt explicanda actûs duratio, quando aliter de interruptione ac multiplicatione, adeòque de numero actûs non poteſt ferri judicium.

Vti & duratio.

Ad hanc Circumſtantiam etiam pertinet modus intrinſecus actus efficaciæ aut inefficaciæ: eſtque in confeſſione explicandum, utrùm fuerit ſimplex complacentia, an verò deſiderium operis. Similiter modus extrinſecè operi conjunctus huc pertinet; qui ſubinde addit ſpecialem malitiam: uti violentia in furto conſtituit rapinam, violentia in oppreſſione fœminæ ſtuprum. Similiter ſi quis hominem interfectum diſcerpat in partes, eſt feritas, & ſic de ceteris. Unde quando nova malitia eſt mortalis, eſt quoque in confeſſione explicanda. 78.

Ad circumſtantiam Quomodo adhuc alii modi operis reducuntur.

Ad hanc denique circumſtantiam reducitur modus peccandi ex ignorantia. Quæ quidem malitiam peccati aliquando ex toto tollit, aut venialem facit: & tunc non eſt actus in confeſſione explicandus; aut ſi pro ſecuritate explicetur, omnino neceſſarium eſt hanc circumſtantiam addere, ne judicium Confeſſarii notabiliter pervertatur. Si autem ſit mortaliter vincibilis aut craſſa ignorantia, minuitur quidem peccati malitia; per ſe tamen non eſt explicanda juxta Doctores pleroſque: quàmvis Nonnulli oppoſitum ſentiant, idque ſaltem ſit conſultius, utpote plurimùm deſerviens judicio Confeſſarii debitè formando: immo quandoque per accidens neceſſarium ratione cenſurarum, aut ſtupiditatis confitentis, qui neſcit diſcernere, utrùm ignorantia ſit vincibilis.

Signanter modus peccandi ex ignorantia.

§. V.

De Circumſtantiis Cur, & Quibus Auxiliis.

CIRCUMSTANTIA *Cur* ſignificat finem ſeu motivum ob quod quis operatur, ſeu ad quod operans opus ſuum ordinat. Et quidem certum eſt bonitatem finis facere, ut opus alioquin non malum ſit bonũ, juxta illud vulgatum: *Cujus finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt*: & conſequenter opus ceteris paribus eſt melius, quò finis eſt melior. 79.

Circumſtantia Cur denotat finem; à cujus qualitate pendet bonitas & malitia operis.

Si verò finis ſit malus, facit electionem operis ipſumque opus malum, etſi alioquin in ſe

in ſe bonum foret. Sed quia tunc tribuit operi de ſe bono primam ſeu ſubſtantialem malitiam, non manet circumſtantia ejuſdem quatenus peccatum eſt.

Duplex eſt malitia in opere pravo ad finem per ſe malum directo.

Si medium ſive opus ſit pravum, & dirigatur in alium finem etiam per ſe pravum opus illud habet duplicem malitiam, adeóque explicandam in confeſſione, ſi utraque ſit mortalis. Et hæc malitia finis quandoque eſt ſpecie diſtincta, ut dum quis furatur propter fornicationem; quandoque ſolo numero, ut dum quis furatur uni equũ, ut pergat ad expilandam domum alterius.

Si finis bonus vel non graviter malus ſit, non additur operi de ſe malo gravis malitia.

Si autem opus ſit pravum, finis verò tantùm venialiter malus aut indifferens, aut etiam bonus, nonnulli Doctores exiſtimant equidem addere novam & ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam; v.g. ſi quis furetur ad ſe vanè ornandum, vel etiam ad ſtudendum, aut dandam alteri eleëmoſynam; vel omittat ſacrum propter ſtudium. Sed hoc abſolutè falſum eſt juxta alios Doctores communiter: neque enim homines ſunt ſoliciti ſe accuſare de fine, qui alioquin nõ eſt mortaliter malus. Et in morali æſtimatione perinde eſt, ſive quis furetur propter ſtudium, ſive propter finem intrinſecum furti, v.g. ipſam commoditatem habendi rem alienam: ſimiliter ſive quis omittat ſacrum propter ſtudiũ, ſive propter otium, ſive alia de cauſa. Immo ex bonitate finis potiùs videretur malitia operis minui. Quàmvis autem velle ſtudere dum oportet audire ſacrum, ſit malum; non tamen, niſi quia omittitur ſacrum: adeòque poſitiva actio ſtudii, quæ eſt phyſicè commiſſio, induit formaliter eamdem malitiam omiſſionis ſacri; ac proinde ſufficit dicere, ſe non audiviſſe ſacrum, cùm teneretur.

80. *Media aliquando de ſe ſunt ſpecialiter mala,*

Circumſtantia *Quibus auxiliis* ſignificat media, quibus operans utitur ad conſequendum finem. Ex mediis autem non accedit actui nova malitia, niſi ipſa ſint ſpecialiter prohibita & peccaminoſa: ut ſi quis furetur ad fornicandum, utatur auxilio dæmonis ad occidendum, aut etiam altero homine tamquam inſtrumento, quem proinde inducit ad peccandum. Aliàs media ſolùm participant eamdem malitiã finis. Quare non eſt opus dicere in confeſſione: paravi arma, aſſumpſi equum, perrexi ad certum locum, ibique occidi inimicum; ſed ſufficit dicere: occidi inimicum; niſi quatenus occaſione diverſorum actuum irrepſerit aliqua interruptio, quæ peccata numero diſtinguat. Immo etſi quis cœperit exercere actus externos de ſe non malos, ſed ductus pœnitentiâ non perficiat, ſeu non conſummet opus malum, non tenebitur illos actus confiteri, ſed ſufficit dicere: habui animum fornicandi, occidendi &c. Aliud eſſet, ſi actus externi etiam ſint mali; v.g. tactus impudici: quàmvis enim ſimiles ſubſequuto actu cõſummato ſufficienter in illo explicentur ad quem ex natura ſua tendunt, & cum quo moraliter ſunt unus actus; ſi tamen illud non ſubſequatur, oportet exprimere actus inchoatos de ſe malos, aut certè naturâ ſuâ ultimum inter illos.

Aliquando ſolùm participant eãdem malitiam finis, nec in confeſſione explicanda ſunt.

Si autem media ſint mala, & finis bonus, actus illa reſpiciens malus eſt: cùm finis bonitas non auferat turpitudinem objectivam mali medii; & conſequenter nec turpitudinem actûs reſpicientis tale medium. Alioquin ſi bonitas finis poſſet tegere turpitudinem objectivam pravi medii, & conſequenter malitiam actûs interioris, nullum erit crimen adeò enorme, quod ob honeſtum finem nequeat amari. Hoc autem per ſe ſtatim abſurdum apparet, & repugnat Apoſtolo ad *Rom.* 3. dicenti, habere juſtam damnationem illos, qui ajunt: *Faciamus mala ut veniant bona.* Ita communiſſimè Doctores contra *Auctorem Operis imperfecti Homil.* 19. *in Matthaum.* 81.

Bonitas finis nõ tollit malitiam medii.

Nec obſtat illud *Matth.* 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Nam juxta plurimos Doctores per *oculum* intelligitur cor hominis, quod ſi fuerit in cælum erectum, & à terrenis cupiditatibus liberum, totum corpus reliquarũ affectionum & actionum erit luce juſtitiæ fulgens; ſi autem fuerit avaritiâ, ambitione, aliiſque terrenis cupiditatibus excæcatum, anima tenebris peccatorum involvetur. Quòd ſi per oculum cum *Auguſtino* intelligatur ipſa intentio, ſenſus eſt: ſi fuerit pura intentio, ſoli Deo, non vanitatibus intenta, quidquid ex ea operamini, bonum eſt. Subintellige, ſi aliundè non ſit defectus; prout Pharizæis non deficiebat mediorum, ſed ſola finis bonitas.

Petes I. An bonitas finis ſaltem minuat malitiam operis & intentionis? v.g. an furtum commiſſum ad dandam eleëmoſynam ſit minus peccatum, quàm ſi communi modo committatur? Item, an ſit minus peccatum mentiri ut ſalvetur reſpublica, quàm ſi fiat ex nullo fine honeſto; idque ceteris paribus? Reſp. Aff. cum Doctoribus paſſim contra Nonnullos. Colligitur ex *Auguſtino lib. contra mendacium c.*8. *Pejor eſt qui concupiſcendo, quàm qui miſerando furatur.* Et infrà: *In ſuo genere alia ejuſdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti.* Nec ſibi contradicit *l.* 50. *Homiliarum Homil.*7. quæ eſt *Sermo XV.* in appendice, dicens: *Nam etiamſi totum tribuat pauperibus quod abſtulerit, addit potiùs peccata ſua quàm minuat.* Agit enim de excuſante ſe, quòd rapuerit alienum, ut eleëmoſynam daret, docens addi ſeu aggravari potiùs peccatum per hoc quod ablatum poſtea alienetur donatione factâ pauperi, ſicque peiori loco conſtituatur; ſicut ſi equus furtivus poſtea occideretur, vel domus injuſtè detenta incendio vaſtaretur: cùm è contrà ſtaret obligatio continua reſtituendi 82.

Quàmvis aliquo modo illam minuat.

abla-

ablatum in locum priſtinum. Non autem furem tali intentione furantem comparat cum eo qui furatur ut ipſe conſumat, quaſi prior graviùs peccet; quod nec alii admitterent.

83. *Quod inſtinctus cõmunis ſuadet.*

Colligitur etiam ex ſenſu communi: quilibet enim ex inſtinctu quaſi naturali judicat ſe minùs peccare ſi dicat mendacium officioſum pro ſalute reipublicæ, quàm ſi dicat ob recreationem. Unde & inter homines minùs offendunt qui bono fine aliquid, etſi malum, agùnt.

Et ratio.

Ratio eſt: quia ejuſmodi homines oſtendunt ſe multò minùs interpretativè affici malitiæ, ſed potiùs quodammodò honeſtati; cùm ideo præciſè admittant malitiam, quatenus apprehendunt rem malam ut utilem ad bonum ſive honeſtum finem. Addit *Vaſquez*, quia quod amatur ut medium, cenſetur minùs voluntarium, adeòque minùs malum, quàm ſi propter ſe. Hæc tamen ratio (cujus ſe inventorem innuit idem *Vaſquez*) probat id efficere finem, non quia bonus eſt, ſed quia finis eſt: adeòque æqualiter competeret fini indifferenti minuere malitiam deſumptã ex medio. Immo idem competeret fini ſpecialiter malo, v.g. fini adulterandi, qui ſaltem minueret æqualiter ſpecialem malitiam medii, v.g. furti, utpote minùs voluntariam juxta rationem allatam.

Non ſequitur tamen malitiam totam quãdoque tollendam eſſe ex bonitate finis optimi: quia numquam tollitur ſubſtantia voluntarii affectûs erga objectum malum, quâ remanente etiam manet ſubſtantialis malitia; cùm ratio dictet, non eſſe facienda mala ut eveniant bona. Unde hæc malitiæ diminutio eſt velut accidentalis.

84. *Intentio determinata quomodolibet ad media mala, eſt ab initio mala.*

Petes II. An & qualiter intentio aliàs bona vitietur per pravam electionem? Reſp. propriè loquendo intentionem non vitiari præciſè per ſubſequentem electionem, ſed per ipſum medium pravum. Unde eſt à principio mala, ſi tale medium tamquam circumſtantiam reſpiciat; hoc autem fit non ſolùm quando intẽtio expreſſè fertur in finem bonũ per prava media conſequendum, v.g. ſi quis intendat dare eleemoſynam per acquirenda ex furto: verùm etiam quando eſt in cõfuſo determinata ad quævis media, tam bona quàm mala. Et ſic mala foret intentio quâ quis vellet obtinere beneficium per quodcumque medium: nam vi talis intentionis animus eſt affectus ad quodlibet medium etiam rationi repugnans, illudque eſt paratus admittere ſi aliter beneficium nequeat obtinere.

Reſpiciens autem media planè in confuſo cenſetur ab initio bona.

Si verò intentio finis honeſti reſpiciat media ſolùm in confuſo, non cogitando de hoc vel illo medio, intentio erit bona ab initio, utpote reſpiciens objectum honeſtum ejuſdemque honeſtatem, quod nullâ circumſtantiâ extrinſecâ vitiante afficitur; objectum autem honeſtum ſepoſitis aliis eſt ſufficiens ad tribuendũ objectivè actui bonitatem. Quòd ſi poſtea ſubſequatur electio pravi medii, v.g. ſi quis primò intenderit dare eleemoſynam, & poſtmodum eligat furari ut eam tribuat; hæc electio non debet imputari intentioni, quæ cum ſua tota honeſtate jam præceſſit, ſed ipſi voluntati ex ſua libertate eligenti malum medium; quod tamen non exigebat intentio, immo quod ad honeſtatem ab ea intentam non conducit, ſed eam potiùs deſtruit.

Sed quid ſi appareat unicum, idque inhoneſtum medium hìc & nunc eſſe neceſſarium ad finem bonum obtinendum. Reſp. ſi id ſciatur ab initio, intentio erit ab initio mala, non ob pravitatem ſupervenientis electionis, ſed ob pravitatem medii, in quod tunc cenſeretur ferri ipſa intentio, cùm ferretur in finem tamquam obtinendum malo medio, utpote neceſſario. Si autem ab initio id penitùs ignoretur, talis intentio foret undequaque honeſta, & prava electiò non ſequeretur ex vi talis intentionis: ſicut enim hæc ab initio non potuiſſet ſub motivò honeſtatis elici, ſic nec conſervari, ſi accedat cognitio neceſſariæ connexionis finis cum medio pravo. 85.

Quid dicendum ſi appareat neceſſitas unici medii inhoneſti.

Petes III. Quæ malitia ſit primaria & principalior in actu, quando & finis eſt malus, & medium ſpecialiter malum? Reſp. in actu intentionis malitia deſumpta ex fine eſt primaria; cùm finis ſit primarium & directum objectum intentionis: immo & in actu interiori electionis videtur eadem malitia eſſe principalis, eò quòd finis etiã ſpecificet principaliter actũ electionis tãquam objectum formale. At in opere ipſo exteriori, quod eſt medium electum, malitia deſumpta ex medio eſt principalior, v.g. malitia furti in furto patrato ad adulterandum: illa enim eſt operi externo velut intrinſeca & per ſe connexa; eſtque eidem operi per accidens, quòd in alium finem extrinſecum, quo carere poterat, referatur. 86.

Malitia primaria actûs interni deſumitur ex fine:

Operis autem externi ex medio.

Petes IV. Utrùm quando finis per ſe bonus eſt, & medium quoque ſpecialiter bonum, electio talis medii habeat duplicem bonitatem formalem, medii videlicet & finis? Reſp. Aff. cum *Caietano, Curſel, Prapoſito*, *Wiggers* & aliis communiùs contra *Vaſquez* & plures alios ab ipſo citatos, qui exiſtimant habere ſolam bonitatem formalem finis. 87.

Electio medii ſpecialiter boni habet duplicem bonitatem, medii & finis.

Probatur I. quia niſi ad bonitatẽ electionis ſpecialiter conduceret bonitas medii, quodcumque medium non malum eligeretur, bonitas & meritum electionis propoſito eodem fine eſſent æqualia: ſed hoc eſt falſũ; ergo &c. Probatur minor: quia melius eſt ex eadẽ v.g. charitate eligere martyrium, quàm jejunium unius diei; & oppoſitum apparet pluſquam falſum; quàmvis non defuerint Quidam, qui tale inconveniens deglutirent.

Nec dici poteſt, id fieri ratione majoris diffi-

difficultatis, non autem novæ bonitatis in medio: nam in primis medium difficilius non auget meritum, niſi quatenus auget bonitatem. Unde ſi ipſum in ſe ſit honeſtius, etſi facilius, meliùs agit, qui illud eligit. Immo poteſt medium ex ſe indifferens eſſe difficillimum, & tamẽ electio illius non eſſet idcirco melior.

Non poteſt etiam dici id fieri, quia medium eſt utilius: nam iſta utilitas eſt in ipſo medio ratione ſuæ honeſtatis; ergo non ex fine, qui eſt idem, ſed ex medio deſumitur exceſſus ille bonitatis; utique ſpecie diſtinctæ: cùm ipſum medium & bonitas illius objectiva ſint ſpecie diſtincta à fine ejuſque bonitate objectiva: ſi enim major medii bonitas det majoren bonitatem, bonitas diſtincta ſpecie dabit diſtinctã ſpecie.

Probatur II. quia electio bona ex fine poteſt ſimul tendere in medium honeſtum propter honeſtatem eiuſdẽ, quatenus operans advertit hanc eſſe utilem ad honeſtatẽ finis; prout oratio quatenus honeſta eſt utilis ad placandum Deum, contritio ad reconciliationem peccatoris cum Deo &c. Quo caſu talis electio erit conformis rationi, quatenus reſpicit finem, & ſimul erit conformis quatenus eſt electio talis medii: quæ ſunt diverſæ conformitates, adeòque bonitates.

88. *Quæ tendit ſufficiẽter in honeſtatem propriam medii, etſi non ultimatè.*

Nec obſtat, quòd objectum honeſtum debeat appeti propter ſe: nam etiam ipſum medium tali caſu appetitur propter ſuam bonitatẽ; quàmvis, quia honeſtas objectiva ejuſdem conducit ad aliud, referatur conformiter rectæ rationi ad idẽ. Quare ſufficit honeſtatem aliquã appeti ultimatè; cum quo poteſt alia honeſtas directè appeti, in qua tamen nõ ſiſtitur. Gratìs autem dicitur, requiri, ut quælibet honeſtas objectiva tribuens actui bonitatem appetatur ultimatè. Adde probabiliter eũdem actum poſſe tendere in medium honeſtum, quia in ſe amabile & honeſtum eſt; & ſimul quia utile ad finem honeſtum, ſic ut idem actus habeat duo motiva partialia invicem non ſubordinata, adeòque partim ſit intentio, partim electio: quo poſito eſt clarum talem actum habere duplicem bonitatem.

QUÆSTIO X.

An & quomodo bonitas moralis dependeat à conformitate cum voluntate divina?

89. *Multiplex diviſio divinæ voluntatis.*

NOTA I. voluntatem Dei aliam eſſe beneplaciti, quæ verè & formaliter eſt in Deo: aliam eſſe ſigni, quæ eſt ſignum alicujus voluntatis in Deo exiſtentis; cujuſmodi eſt præceptũ, prohibitio, permiſſio, conſilium & operatio. Voluntas beneplaciti alia eſt omnino ſimplex complacentia reſpiciens objectum ſine ordine ad exiſtentiam; alia cum ordine ſive abſoluto ſive conditionato tendens ad exiſtentiam objecti. Et quidem ſi voluntas divina omnibus conſideratis aliquid abſolutè velit, dicitur conſequens; eaque ſemper impletur: ſi autem ſolùm velit, quantùm eſt de ſe, vel conſideratâ unâ ratione boni, & non omnibus, dicitur antecedens. Quidam tamen illam voluntatem vocant antecedentem, quam habet Deus ex ſe, nullâ ex nobis occaſione ſuppoſitâ; conſequentẽ verò, quam Deus habet ſuppoſitâ occaſione ex nobis. De quibus latiùs agitur in *Tract. de Deo Uno diſp. 7. q. 5.*

Trixplex conformitas voluntatis noſtræ cum divina.

Nota II. dupliciter nos poſſe aliquid velle, efficaciter videlicet & inefficaciter. Deinde voluntatem noſtram poſſe tripliciter cum divina conformari. Primò in volito materiali, volendo idem objectum quod Deus vult. Secundò in volito formali, volendo aliquid ſub eodem motivo & ratione, quâ Deus idem vult. Tertiò volendo id quod Deus cupit nos velle; quam conformitatem appellare ſolent in genere cauſæ efficientis. Cupit autem Deus nos aliquid velle ſive approbando, ſive conſulendo, ſive præcipiendo. A quo poſteriori conformitatis modo incipiendo

DICO I. Certiſſimum eſt voluntatem noſtram teneri velle id quod Deus præcipit ut velimus: nam per voluntatem divinam præcipiẽtem injicitur voluntati creatæ obligatio, & defectus hujus conformitatis eſt rectæ rationi contrarius, immo conſtituit peccatum, quod nihil eſt aliud quàm defectus voluntarius à lege, ſeu præcepto ſuperioris. Unde ad hoc ut voluntas creata non peccet, debet conari ad id, quod divina volũtas præcipit, etiamſi id faceret tentando, nec volendo ut opus ſequatur; prout Abraham ex voluntate divina erat obligatus ad volendum occidere Iſaac, quàmvis Deus noluerit occiſionem ſequi, ſed tantùm voluerit Abrahæ conatum, & obedientem voluntatem. 90. *Debet voluntas noſtra conformari divinæ præcipienti;*

Non tenetur conformari conſulenti vel approbanti.

Non obligatur tamen voluntas creata velle, quod Deus eam velle cupit conſulendo; prout conſulit amplecti conſilia evangelica: nam per conſilium res ita proponitur, ut, ſi abſit contemptus, libera relinquatur, adeòque citra culpam poſſit fieri vel omitti. Multò minùs obligatur velle, quod Deus tantùm cupit approbando ut minus bonum. Sic non tenetur quis relictâ virginitate amplecti ſtatũ matrimonii, quem Deus approbat quidem ut bonum, tamen ut minus bonum, & majoris boni impeditivum. Nihilominùs cùm divina voluntas ſit certiſſima & rectiſſima regula, voluntas creata illius ductum ſequens neceſſariò eſt bona, quàmvis divina voluntas ſit tantùm approbans aut conſulens.

DICO II. Voluntas creata non obligatur ſe ſemper conformare voluntati divinæ in volito formali poſitivè: cùm non obligetur poſiti- 91. *Nec in volito formali,*

poſitivè velle omnia quæ vult Deus, multò minùs ſub eadem ratione, ſed poſſit ab omni actu quandoque abſtinere. Immo etiamſi aliquid velit, non eſt neceſſe, ut id velit ſub eodem motivo, quo vult Deus: tum quia particulares rationes, quas habet Deus, ſunt homini frequenter ignotæ: tum quia Deus omnia vult propter ſuam bonitatem, & tamen non ſtatim peccat, qui non operatur ex motivo charitatis: tum quia nullibi extat ejuſmodi præceptum aut obligatio. Quin immo voluntas creata poteſt eſſe honeſta, etſi deſit ei præfata conformitas: cùm ad honeſtatem ſufficiat motivum quodcumque honeſtum, etſi diverſum ab eo quod habet Deus. Quàmvis ſub ratione quadam generali ad bonitatem noſtræ voluntatis requiratur aliqua conformatio in volito formali, quatenus ſicut divina voluntas ſemper habet rationem honeſtam, ſic & noſtra habere debeat, ut ſit bona. Non poteſt etiam voluntati creatæ diſplicere ratio ſub qua Deus vult objectum, ſive voluntate antecedente, ſive conſequente; cùm ſit juſtiſſima & rectiſſima. Quin immo poſitivè ſe illi conformare eſt plurimùm laudabile, eamque approbare, ſaltem in animi præparatione, tenemur.

92. *Vtì nec ſemper in volito materiali.*

Dico III. In volito materiali ſimiliter non tenetur voluntas creata ſemper ſe poſitivè conformare divinæ voluntati; cùm plurima Deus velit, ad quæ volenda nos non obligat, circa quæ proinde, velut ad nos non ſpectātia, poſſumus nos habere negativè. Quare ſolùm obligamur conformari poſitivè in volendis illis, quæ Deus ſic vult, ut etiam præcipiat nobis eadem velle.

Advertendum autem, quòd quando objectum divinæ voluntatis permittentis eſt malum culpæ, nullo modo poſſimus velle id quod Deus vult permittere: ſic enim vellemus malum culpæ. An autem deſiderare poſſimus peccati proprii permiſſionem, vide dicta *p.1. Tract.1. diſp.8. n.38.*

In quo voluntas noſtra divinæ laudabiliter conformatur,

De cetero laudabile eſt conformare ſe in omnibus divinæ voluntati etiam quoad volitum materiale, ſeu quoad rem quam vult fieri, dūmodo id fiat ſub ratione bona, quâ à Deo eſt volitum. Prout ſeſe divinæ voluntati Beati conformant, & conformavit ipſe Chriſtus. Quâ ratione Sancti in hac vita conſecuti ſunt magnam animi pacem ſeſe in omnibus ſubmittentes ſanctiſſimæ Dei voluntati & providentiæ. Ratio eſt: quòd divina voluntas ſit rectiſſima & juſtiſſima. Unde ſic poteſt quis ſe conformare divinæ voluntati de damnatione proprii parentis, & proximorum punitione, & generaliter omnia mala, exceptis malis culpæ (quæ Deus non vult) laudabiliter ſibi & aliis velle, quatenus conſiderantur tamquam volita à Deo. Niſi quòd aliquando poſſit ſubeſſe periculum, ne animus ſibi inordinatè affectus, aut contra alios exacerbatus ſuam potiùs utilitatem aut proximi malum quærat quàm divinam voluntatem. Interdum etiam non eſt nobis licitum velle efficaciter ſeu procurare ea quæ Deus vult: is enim tamquam judex & Dominus ſupremus poteſt plerumque velle & facere quæ ſine iuſſu & auctoritate ipſius nos exequi non poſſumus, v. g. morbos, mortem, aliaſque ærumnas proximo inferre &c. quamquam in his tamquam objecto à Deo juſtiſſimè volito & faciendo licitè complaceamus nobis ipſis. Quemadmodum & Sancti in cælo deſiderant, & lætantur, cùm viderint vindictam peccatorum, quatenus à divina juſtitia decretam.

Dico IV. Voluntas non poteſt diſcordare à divina ſeu eidem adverſari in volito materiali, quando Deus noſcitur aliquid abſolutè velle independenter ab arbitrio hominis, adeò ut non poſſit efficaciter velle oppoſitum, aut ad illud conari: hoc namque foret ſtultum & irrationabile. Immo ſicut perjurus adducendo Deum in teſtem falſitatis, facit quantùm eſt in ſe Deum mendacem: ſic talis, quantùm eſt ex parte ſua, facere conaretur Deum mutabilem aut impotentem; quod eſt impium. Hujuſmodi objecta à Deo volita ſunt creatio mundi, variatio temporum anni, prima vocatio, & ſimilia quæ Deus ex ſe abſolutè vult, independenter à cauſa ſecunda. Similiter illa quæ quidem vult occaſione ex creaturis acceptâ; hâc tamen ſuppoſitâ vult abſolutè & inevitabiliter, ut mortem hominum corporalem, reſurrectionem mortuorum, æternitatem pœnæ &c. Unde non poſſumus in oppoſitum conari orando pro ſalute damnatorum, pro juſtificatione peccatoris ſine diſpoſitione prævia &c. 93. *Immo conari nequit ad oppoſitum illius quod independenter planè & abſolutè Deus vult;*

Si tamen hujuſmodi voluntas Dei non ſit nota poſſumus in oppoſitum conari. Sic rectè declinamus ægritudines, egeſtatem, regnorum devaſtationem, & alia Dei flagella: quia non conſtat Deum abſolutè velle ut illa patiamur, ſed præſumere poſſumus tantùm velle ſub cōditione, niſi hominum induſtriâ, precibus, aut emendatione vitæ avertantur; quâ conditione poſitâ etiā ipſe Deus eadem non vult: vel ſi divinâ voluntate ſint poſita, dependenter tamen à nōſtra voluntate aut induſtriâ vel precibus continuantur. Et ſic videns domum ſuam cōburi, etſi fulmine tactam à Deo, poteſt impedire ulteriorem combuſtionem. Similiter ſi ex voluntate Dei angelus vel inimicus profliget exercitum Chriſtianum, poſſemus precibus aliiſque mediis in oppoſitum laborare, niſi aliundè conſtaret de abſoluta & immutabili voluntate Dei oppoſitâ. Similiter Sancti licitè rogarūt ex divina inſpiratione nonnulla providentiæ communi divinæ contraria; ut Joſue, quòd ſol ſiſteret; Elias, quòd pluvia tanto tempore ceſſaret &c. quia decreta communis providentiæ Dei non ſunt ita abſoluta, quin ſubinde pendeāt aliqualiter à quorumdam Sanctorum arbitrio. 94. *Licitè tamen declinantur flagella à Deo immiſſa.*

Ex di-

95. *S. Petrus conari debuit ad fugam peccati à Christo prænuntiati.* Ex dictis colligitur I. Petrum, cui trina Chriſti negatio, adeòque voluntas ad illam concurrendi erat à Chriſto prædicta, potuiſſe, immo debuiſſe conari ad fugam illius peccati, & conſequenter ut non impleretur prædicta Dei voluntas: alioquin enim fuiſſet perplexus & peccaſſet neceſſariò, hinc obligatus non reſiſtere divinæ voluntati, inde obligatus vitare peccatum; quod vitare non poterat, niſi adlaborando ut concurſus à Deo volitus non poneretur. Ratio à priori eſt: quia talis Dei voluntas dependet à voluntate hominis peccantis, ſicut & præſcientia ipſaque Dei revelatio; adeòque non fit conatus, ut voluntas ſuppoſita & manens non impleatur, ſed potiùs ut poſita non fuerit; prout poſita non fuiſſet ſi debitus conatus ex parte voluntatis humanæ in tempore fuiſſet adhibendus.

Uti & reprobus ad vitandum peccatum finale, ac damnationem, ſi ei prædicta foret. Colligitur II. cum cui per revelationem certò conſtaret (prout abſolutè loquendo conſtare poſſe docent communiùs Doctores) ſua damnatio ob futurum finale peccatum, adhuc poſſe & debere modis omnibus impedire ne damnatio ſubſequatur; cùm divina voluntas damnandi ſit dependens à futuro peccato finali, & poſterior eodem, quod talis homo poſſet & deberet cum Dei gratia vitare, adeòque & conſequentem damnationem. Quare etiam deſiderare deberet beatitudinem, non quidem in ſenſu compoſito ſeu ſuppoſitâ Dei revelatione futuram, ſed poſſibilem, immo certò futuram, ſi media, quæ poteſt, & adhuc obligatur adhibere, adhibeat. An autem dicendus eſſet propriè adhuc poſſe & debere ſperare, videri poteſt quæſtio de nomine; de qua in *Tract. de Virtutibus Theologicis.*

96. *An Eccleſia oraret pro reprobo ut tali cognito.* Nec obſtat, prædictis, quòd *Auguſt. 21. de Civit. c. 24.* dicat: *Si de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſet, qui licèt adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo: tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo.* Nam (omiſsâ reſponſione *Arriaga* explicantis hæc verba de oratione non conditionata ſeu quantùm eſt ex parte orantis efficaci; & alterâ noſtri *Felix* dicentis, quòd quidem orare poſſet, tamen ob inutilitatem ad finem ſalutis de facto non oraret) dico *Auguſtinum* loqui quidem de reprobis adhuc vivis, at de oratione fundenda pro ipſis jam ut talibus cognitis, poſtquam in termino conſtituti ſint; ut ſatis colligitur ex ſcopo *Auguſtini*, & iis quæ ſubdit: *Si qui autem* (inquit) *uſque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, id eſt, pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? &c.* Alioquin conſtat non eſſe æquam Diaboli, & reproborum adhuc viventium ſortem: tum quia pro his ſalubriter poſtulatur ſanctitas temporanea, multorum peccatorum fuga, aliaque beneficia: tum quia Eccleſia, etſi noverit eſſe plurimos reprobos, tamen generali prece etiam his ſalutem poſtulat: tum quia ipſe Chriſtus, qui eos noverat, ſacrificium cruentum, pro eorumdem etiam ſalute obtulit, ac in cruce pro crucifixoribus ipſoque traditore reprobo oravit.

Diſcutitur locus difficilis Auguſtini.

Dico V. Voluntas noſtra poteſt triſtari, eique poteſt inefficaciter diſplicere volitum divinum materiale, ſive quod Deo placet, aut quod facit, vel fieri præcipit; ſub alia tamen ratione, quatenus nimirum eſt malum diſconveniens aut moleſtum naturæ noſtræ, perſonæ ſanguine junctæ &c. prout nobis diſplicent ærumnæ, ægritudines & ſimilia mala propria vel amicorum. Patet exemplo Davidis & Pauli, qui ſcientes eſſe voluntatem Dei ut adhuc viverent dicebant, ille quidem *Pſal. 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Iſte verò *ad Philipp. 1. Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto &c.* Immo ipſi Chriſto inefficaciter diſplicuit mors eidem à Patre præcepta, quando dicebat *Matth. 26. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem:* Et: *Tranſeat à me calix iſte.* Patet II. quia alioquin non liceret alicui triſtari de morte patris quæ eſt à Deo volita, aut peccatori de carentia gratiæ divinæ. Ratio eſt: quia talis voluntas inefficax ex nullo capite eſt prohibita. Deinde verè non eſt contraria divinæ voluntati; cùm etiam ipſe Deus (in quo tamen nulla eſt contrarietas voluntatum) ſæpè efficaciter aliquid velit, cujus oppoſitum ob aliam rationem inefficaciter deſiderat. Unde inefficax iſta voluntas in homine non eſt etiam contraria divinæ voluntati, ſed eidem potiùs conſona, tamquam effectus quidam à divina voluntate permiſſus, immo & approbatus, ſi nitatur honeſtâ ratione. Diſplicentia itaque & complacentia de eodem objecto materiali, ut ſibi adverſentur, debet illud reſpicere ſub eadem ratione. Quo modo nobis diſplicere non poſſunt Dei voluntates & opera ſub ea ratione, quâ à Dei providentia diſponuntur, v. g. punitio peccatoris quatenus eſt actus divinæ juſtitiæ, ſed ſaltem in præparatione animi approbanda ſunt. 97. *Qualiter diſplicere poſſit voluntati noſtræ, quod divinæ placet.*

Atque ſecundùm hanc concluſionem intelligi ſeu verificari poteſt, quod habet *Auguſtinus Enchiridii c. 101. Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid quod Deus nō vult. .... Tamquam ſi bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bonâ voluntate vult mori.* Rectè enim ex charitate ſeu pietate filiali deſiderat filius, ſive ignarus diſpoſitionis divinæ, ſive non, parenti vitam, ſub tacita tamen ſubmiſſione ad Dei voluntatem, ac de morte parētis quatenus ei malâ triſtatur: immo hoc ipſum eſt etiam voluntas Dei. E contrà (ſubdit *Auguſtinus*) *fieri poteſt, ut hoc velit homo voluntate malâ quod Deus vult bonâ: velut ſi malus filius velit* ſeu deſideret, ex odio ſcilicet, avaritiâ aut ſimili motivo, *mori*

mori patrem, *velit hoc etiam Deus*, ex motivo bono. *Tantum intereſt* (inquit idem S. Doctor) *quid velle homini*, *quid Deo congruat*, *& ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem*, *ut aut approbetur aut improbetur*.

98. *Satisfit nonnullis objectionibus.* Dices I. Deus reprehendit Samuelem 1. *Regum* 16. dicens: *Uſquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſrael?* & tamen Samuel ſolùm triſtabatur de volito materiali. Reſp. Deum non reprehendere luctum, ſed ſolùm inſtruere Samuelem, ei oſtendendo reprobationem Saulis à regno non tantùm eſſe comminatoriam, prout Samuel intellexerat, ſed abſolutam, ut proinde in poſterùm deſiſteret Samuel ab orando & poſtulando oppoſitum, ut rectè *Lyranus*: aut certè, ſi reprehendatur luctus, hoc fieri, quia erat immoderatus; ut explicat *Cajetanus*.

Dices II. *S. Auguſtinus in Pſ.* 35. ait: *Voluntas Dei eſt aliquando ut ſanus ſis, aliquando ut ægrotes. Si quando ſanus es, dulcis eſt voluntas Dei, & quando ægrotas, amara eſt voluntas Dei, non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, ſed Dei vis curvare ad tuam.* Ubì videtur improbare diſplicentiam de re à Deo volita. Reſp. ipſum agere de eo, qui habet diſplicentiam de ipſa Dei voluntate ſeu divinâ diſpoſitione, vel contra eam indignatur aut querulus eſt. At ei, cui diſplicet v. g. morbus quatenus naturæ contrarius, placet optimè & abſolutè divina diſpoſitio, ipſeque morbus quatenus ſubeſt divinæ voluntati, cui talis adeò ſuam voluntatem committere ſupponitur, ſi perfectioni viæ ſtudeat, ut ne electionem quidem à Deo præſentandam ſibi arrogare, ſed totum divinæ electioni cum plena reſignatione relinquere præoptaret.

Dices III. Qui vult contrarium ejus quod vult Deus, optat, ſaltem implicitè, ut divina voluntas fruſtretur ſuo effectu. Reſp. Neg. Aſſ. cùm non velit abſolutè contrarium illius quod Deus vult, ſed ſimplici aut conditionato affectu, quem divinæ Voluntati ſubmittit, cum tacita ſaltem conditione, ſi Deo placeret, vel niſi aliter Deo viſum eſſet: aut optat divinum decretum ea de re non fuiſſe poſitum: aut denique à divino decreto præſcindit, & in illa præſciſione conſiderando rem ſecundùm ſe, deſiderat ſimplici affectu v. g. ut pater non ſit mortuus.

DISPUTATIO QUARTA.

De Conſcientia, quæ eſt proxima regula actuum humanorum.

QUÆSTIO I.

Quid & Quotuplex ſit Conſcientia?

1. *Conſcientia interdum tribuitur voluntati,* CONSCIENTIA à Diverſis diverſimodè accipitur. Nonnulli enim ſumpſerunt illam pro aliquo pertinente ad voluntatem, videlicet pro inclinatione illius ad bonum vel malum, aut operatione huic inclinationi conformi. Cui acceptioni videri poſſit favere vulgatus loquendi modus, quo quidam dicuntur eſſe bonæ vel malæ, pejoris aut melioris conſcientiæ; item quo conſcientia dicitur mundari, quod eſt proprium voluntatis, quæ per peccatum coinquinatur, ut *ad Hebr.* 9. *Emundabit conſcientiam noſtram.* Rectè nihilominus hæc accommodari poſſent conſcientiæ pertinenti ad intellectum. Quæ bona dici poteſt ratione bonæ voluntatis ex qua reſultat, quatenus nimirum eſt ſcientia & teſtimonium animæ, quo anima bene ſibi conſcia eſt, ſibique atteſtatur ſe bene vivere juxta Dei beneplacitum. E contrà poſſet dici mala ob contrariam cauſam. Poſſet quoque emundari à peccatis, quatenus per fructus dignos pœnitentiæ fit, ut ampliùs peccata non ſint objectivè præſentia ſeu non repræſententur in conſcientia, quaſi videlicet adhuc ſint. Denique dici ſolet pœnitentem in Confeſſione debere explicare ſuam conſcientiam, id eſt, peccata quæ in conſcientia latent. Ubì conſcientia ſumitur pro operationibus, quæ ſunt potiùs objectum illius.

Communiter proinde ſumitur Cõſcientia pro aliquo pertinente ad intellectum. Quod & ipſa nominis ratio indicat: conſcientia ſi quidem dicitur à ſcientia, quâ quis ſibi conſcius eſt eorum, quæ fecit aut facturus eſt, eſtque adeò ſcientia cum ſe ipſo, etſi exteriùs quis nil dicat; quaſi cordis proprii ſcientia. Vel ita appellatur, ut ſignificetur eſſe ſcientia cum applicatione principiorum ad particularem actionem, ſeu (prout loquitur *S. Antoninus*) ut ſit concludens ſcientia, concludens ſcilicet quid in particulari agendum. Non rectè tamen confunditur cum Syntereſi, quæ eſt habitus univerſaliſſimorum principiorum moralium; videlicet quòd bonum ſit faciendum & malum fugiendum: nam ſynterefis vel dictamen rationis ab ea procedens non eſt ſatis determinatum & particulare, ut ſit actionum noſtrarum ſufficiens regula & menſura; prout eſſe debet conſcientia. Similiter habitus fidei vel ſcientiæ potiùs ſunt habitus principiorum, & dicta- *Communiter tamen intellectui.* *Diſtinguitur à ſynterefi, fide & ſcientiâ.*

& dictamina rationis ab illis procedentia ſunt ipſa principia, ex quibus deducuntur dictamina proximè dirigentia actiones hîc & nunc exercendas.

2. *Quid in hac materia & propriiſſimè ſignificet.* Propriiſſimè itaque & uſitatiſſimè ad ſenſum præſentis loci ſumitur pro dictamine quo intellectus judicat actionem hîc & nunc eſſe exercendam aut fugiendam, ſeu licitam vel illicitam. Hoc namque dictamen eſt proxima regula dirigens actiones noſtras: quod eſt proprium & primarium officium conſcientiæ. *Eſt proxima regula actionum humanarum.* Cùm enim oporteret dari aliquam regulam, ut quiſque ſciret, an peccaret, nec ne, in occurrentiis quaſi innumeris, nec eſſet alia, quam non plurimi ſæpè invincibiliter ignorarent, aſſignavit Deus naturale dictamen proprii intellectûs, quod à nemine ignoratur, ut ſit regula actionum noſtrarum; eaque immediata, utpote inter quam & actiones ipſas nulla alia tamquam proximior intercedit, immo quæ legem, præſertim divinam nobis applicat, adeò ut non aliter in opere ſit peccatum formale contra legem, niſi quatenus lex ipſa relucet in conſcientia operantis, & conſequenter non ſit tam attendendum ad conditiones actionum, prout ſunt à parte rei independenter à conſcientia operantis, quàm prout eidem conſcientiæ exhibentur. *Officia propria conſcientiæ.* Eidem intellectûs dictamini conveniunt ea, quæ ordinariè ſolent conſcientiæ adſcribi, nempe dictare, urgere, ligare: dictat enim opus faciendum aut omittendum, urget ut fiat vel omittatur, ligat ſeu obligat ut fiat ſeu omittatur. Huic igitur dictamini convenit ratio propriè dictæ conſcientiæ. Soletque hoc judicium ſeu dictamen dici practicè practicum; alia autem judicia, ex quibus deducitur, quæque verſantur circa antecedens ſyllogiſmi practici, dicuntur ſpeculativa, vel ſpeculativè practica. Ad hoc etiam dictamen revocantur quædam fluctuationes animi, ratione quarum intellectus hæret ſuſpenſus, ut vel nihil judicet, vel judicet non conſtare de veritate ad hoc ut de ipſa judicium ferri queat; atque inde dicitur conſcientia dubia.

3. *Conſcientia ſecundariò qualiter reſpiciat præterita.* Quàmvis autem dictamen conſcientiæ primariò reſpiciat actionem hîc & nunc faciendam, ſecundariò etiam reſpicit eamdem jam factam ſeu præteritam, dictando bonam fuiſſe vel malam; eique præbendo teſtimonium, approbat illam vel improbat, & operantem accuſat ſeu remordet, & condemnat, vel excuſat ſeu defendit & laude dignum judicat. Quo ſenſu de conſcientia agit Apoſtolus *ad Rom. 2. Teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum*, videlicet de jam factis; idque non ſolùm in vita præſenti, ſed etiam & potiſſimùm *in die cùm judicabit Deus occulta hominum*, ut Apoſtolus ſubdit. Eſt quidem dictamen de præteritis proximè & immediatè ſpeculativum, nec eatenus eſt regula actionum moralium, cùm ad hoc deberet illas tempore vel naturâ præcedere. Mediatè tamen poteſt eſſe practicum, quatenus dum approbat factum incitat ad idem adhuc faciendum; vel quatenus accuſat & reprehendit jam commiſſum, etiam dictat ne iterum committatur, & urget ut culpa contracta per pœnitentiam deleatur. Eatenus equidem reſpicit novum actum futurum ſeu faciendum, quem ut talem primariò reſpicere debet conſcientia ſtrictè dicta, de qua Auctores potiſſimùm loquuntur, & varias quæſtiones movent; quàmvis, quia regula dirigens primariò facienda poteſt etiam ſecundariò jam factorum rectitudinem aut deformitatem oſtendere; dictamen de præteritis quoque ſoleat vulgò conſcientia ſeu teſtimonium conſcientiæ appellari, juxta illud *2. ad Cor. 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

Adverte, quòd etſi conſcientia potiſſimùm ſumatur pro dictamine ſeu judicio actuali, poſſit tamen quoque ſumi pro dictamine habituali; prout etiam ſumitur à *Scoto 2. d. 39. q. 2. n. 4.* Ab eo denominari quis poteſt etiam in ſomno ſeu dum dictamine actuali caret. 4. *Conſcientia interdum ſumitur pro habituali.* Et ſic dicuntur eſſe rectæ conſcientiæ, qui ſunt habitualiter juſti & timentes Deum. Porrò dictamen iſtud habituale non eſt unus aliquis habitus, qui dicatur conſcientia habitualis; *Quid illa ſit.* ſed partim eſt ipſa vis potentiæ intellectivæ & innata diſpoſitio, partim (in iis ſcilicet materiis & perſonis, circa quas & in quibus fuerit habitus acquiſitus) multiplex habitus, aggregatione unus, utì ſcientia aliqua totalis dicitur una. Quàmvis enim ſupponatur ex frequẽtatione actuum poſſe generari habitum, non tamen unum & eumdem, quo in diverſiſſimis materiis ex diverſis principiis diverſimodè judicetur de his aut illis operantibus exercendis vel non exercendis.

Conſcientia dividi ſolet in rectam ſeu infallibilem, erroneam, probabilem ſeu opinantem, dubiam & ſcrupuloſam. 5. *Conſcientia quintuplex.*

Recta eſt, quæ ex indubitatis principiis ſeu motivis proponit operationem, ſicut à parte rei eſt. *Quid conſcientia recta.* Et hæc eſt indubitata regula actionum moralium: cùm actiones tali conſcientiæ conformes certò & prout in re ipſa & objectivè ſpectantur, conformentur rectæ rationi, adeòque ſint bonæ; ſimiliter actiones ei contrariæ infallibiliter ſint difformes rectæ rationi, adeòque malæ. Quare de hac conſcientia nihil dicendum eſt, de reliquis autem (quarum conſideratio Confeſſariis eſt utiliſſima, immo planè neceſſaria) in ſequentibus eſt agendum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Conſcientia Erronea.

6. *Quid conſcientia erronea.* CONSCIENTIA erronea dici poteſt, quæ ex ignorantia ſeu errore dictat aliquam actionem vel omiſſionem hîc & nunc eſſe licitam, quæ tamen à parte rei ſeu ignorantiâ ſeclusâ non eſt licita; vel contrà. Cùm enim intellectus noſter non ſemper apprehendat, immo nec apprehendere poſſit objectivas rerum rationes, prout ſunt in ſe ipſis, judicat frequenter de illis quoad convenientiam vel diſconvenientiam earumdem cum natura rationali aliter, quàm à parte rei judicandum fore conſtat.

7. *Non eſt licitum cõtra illam agere.* DICO I. Non eſt licitum agere contrà conſcientiam erroneam, faciendo quod ipſa dictat eſſe illicitum, vel omittendo quod dictat eſſe præceptum. Ita unanimiter Theologi; quorum aliqui oppoſitum cenſent hæreticum. Unde peccat qui erroneè credit eſſe diem jejunii, & jejunium non ſervat.

Probatur ex Scriptura, Probatur Concluſio I. Ex Apoſtolo *ad Rom.* 14. *Scio & confido in Dominô Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt*, id eſt, Chriſtus quidem nihil commune fecit, ſeu nullos cibos prohibuit tamquam communes & immundos (prout in lege veteri diverſi cibi erant immundi & prohibiti) tamen illi, qui exiſtimat, utique erroneè, aliquid eſſe commune ſeu immundum, reverà ei commune & immundum eſt. Unde ſubdit Apoſtolus: *Qui enim diſcernit* (ſcilicet inter cibos) *ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide* (id eſt ex credulitate quòd id liceat) *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; id eſt, quod non eſt ſecundùm dictamen conſcientiæ: ut patet ex contextu, & explicant Patres ac Expoſitores communiter: quàmvis *S. Auguſtinus* explicet de fide Chriſtiana. Qui autem expoſitionem *B. Auguſtini* ſequuntur, ſic illam (teſte Wiggers *q.* 19. *n.*31.) ad propoſitum applicant: qui per errorem adhuc arbitratur aliquos cibos eſſe immundos & prohibitos, & nihilominus manducat, peccatum committit, *quia non ex fide*, id eſt, quia non juxta directionem fidei Chriſtianæ, quæ docet omnem ciborum differentiam per Chriſtum eſſe ſublatam: *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt,* id eſt, peccatum eſſe ordinariè putandum eſt, quia ſcilicet abſque fide dirigente & adjuvante vix ſolet fieri opus ita omnibus numeris abſolutum, ut nulla adhæreat vitioſa circumſtantia. Atque ita procederet Apoſtolus, quaſi à communiter accidentibus generaliter loquendo.

Adducitur etiam teſtimonium Apoſtoli *ad Galat.* 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Quod debitum ſeu obligatio non niſi ad conſcientiam poteſt reduci: cùm re ipsâ Lex vetus jam tunc quoad obligationem certò exſpiraſſet.

Et primo principio morali. Probatur II. Quia juxta primum principium morale non licet velle malum; qui autem operatur contra cõſcientiam errantem, vult malum judicatum ut tale, & conſequenter voluntariè amplectitur malitiam. Quàmvis enim objectum in ſe malum non ſit, quia tamen ut malum repræſentatur, voluntas in illud tendens convincitur malitiæ affici; cùm non feratur in objectum prout eſt in ſe, ſed prout repræſentatur per intellectum: adeòque malitia objecti in ſeipſo habet ſe planè materialiter, nec afficit voluntatem, niſi quatenus apprehenditur objecto conjuncta. Quare non aliter voluntas affectu tendit in malitiam, dum objecto re ipsâ conjuncta eſt, quàm dum erroneè conjuncta putatur.

8. *Qualiter conſonet ſic operans dictamini intellectûs divini.* Dices: Qui operatur contra conſcientiam errantem, operatur conformiter ad dictamen intellectûs divini aliter de re judicantis: ergo non malè operatur. Reſpond. Neg. Aſſ. nam etiam intellectus divinus judicat nos operari non poſſe contra dictamen noſtræ cõſcientiæ. Et quàmvis ipſe de objecto actionis in ſe ſpectato aliter judicet, hoc tamen judicium ſeu dictamen non eſt regula proxima noſtræ actionis, adeòque eam juſtificare non poteſt, niſi mediante dictamine rationis cuique inditæ (quod eſt regula proxima) applicetur. Quare ſic operans merè materialiter & velut fortuitò operatur illud quod objectivè ſpectatum divina ratio approbat; & alioquin ex modo agendi tam paratus eſt ferri in illud quod divinæ rationi repugnat, quàm in illud quod eidem conſonat: hoc ipſum autem eſt inordinatum, & divinæ rationi ac voluntati contrarium.

Agere cõtra conſcientiam eſt intrinſecè malum. Ex dictis infertur, quod diſcordare à dictamine conſcientiæ etiam errantis ſit adeò intrinſecè malum, ut nec ſuperior nec ipſe Deus per diſpenſationem tollere poſſit malitiam, quàm diu conſcientia manet: quàmvis poſſit Deus conſcientiam erroneam tollere, & ad illam deponendam ſuperioris auctoritas facilè poſſit ſufficere. Ratio eſt: quia per nullam diſpenſationem fieri poteſt licitum, ferri affectu in malum, utpote repugnans primo principio morali. Deinde non eſt intelligibile, ut manente præcepto ejuſque propoſitione licitè fiat oppoſitum; ſtante autem conſcientiâ ſtat præceptum ejuſque propoſitio; cùm ipſa conſcientia præceptum proponat. Unde ſi ſubditus ægrotus non obſtante præcepto ſuperioris

ris de non audiendo ſacro, exiſtimet ſe manere obligatum, nec ſuperiorem id poſſe permittere, peccat, ſi ſacrum omittat. Similiter peccat Sacerdos excommunicatus celebrans, ſi non obſtantibus gravi metu & minis exiſtimet equidem practicè id ſibi non licere. Idem eſt de ſimilibus.

9. *Non eſt peccatum operari contra conſciētiam merè habitualem.*

Petes I. An ſit peccatum agere contra ſolam conſcientiam habitualem? v. g. an Petrus, qui hactenus erroneè credidit in die jejunii non licere ſerotinam collationem, peccet, ſi illam ſumat, errore quidem necdum retractato, attamen illius planè immemor? Reſp. Neg. cum Doctoribus communiter contra Nonnullos: nam habitualis conſcientia nullo modo influit in opus; adeòque non poteſt illud vitiare. Quare neceſſarium eſt actuale dictamen conſcientiæ, quod ſaltem virtualiter maneat in continua videlicet ſerie actuum ex illo originem ducentium.

10. *Non eſt magìs ſpeciale peccatum agere cōtra conſciētiam erroneam, quàm agere contra conſcientiam veram,*

Petes II. An opus factum contra conſcientiam erroneam contrahat ex hoc capite particularem malitiam. Reſp. Neg. cum Doctoribus communiter contra *Adrianum*. Unde ſi quis erroneè exiſtimans eſſe diem jejunii non jejunet, ſolùm peccat contra abſtinentiam aut obedientiam, prout conſcientia dictat. Confirmatur: quia opus factum ex malitia contra verum dictamen conſcientiæ non habet ſpecialem inde malitiam; ergo nec ſi fiat contra dictamen conſcientiæ errantis: cùm erronea conſcientia ex ſe non adferat novam cauſam malitiæ, quam non adfert verum de malitia dictamen. Quare inferunt Doctores non eſſe in confeſſione exprimendum, quòd peccatum ſit factum contra conſcientiam, ſed ſufficere, quòd ipſa peccati ſpecies & numerus exprimatur. Adde non eſſe ſpecialem obligationem deponendi conſcientiam errantem, ſed eatenus ſolùm, quatenus eſt obligatio non omittendi actum præceptum neque faciendi actum prohibitum. Unde hoc periculo ſecluſo non eſſet obligatio ſpecialis comparandi ſcientiam oppoſitam. v.g. ſi quis infallibiliter toto anno jejunet, non debet inveſtigare quo die occurrant vigiliæ vel quatuor tempora. Idem eſt de ſimilibus. Itaque etſi ex conſcientia vincibiliter erroneâ peccet, non tamen ſpeciali peccato, quo non peccaret, ſi ſcienter præceptum violaret.

11. *Sed utrumque eſt peccatum ejuſdem rationis ac eidem virtuti repugnans*

Petes III. Contra quam legem & virtutem peccet agens contra conſcientiam erroneam? Reſp. in genere loquendo agere contra jus divinum naturale: ſicut enim in genere hoc jus dictat obediendum eſſe ſuperioribus legitimè præcipientibus, ſic etiam dictat non eſſe agendum contra dictamen conſcientiæ. In ſpecie tamen & particulariter peccatur affectivè contra illam legem & virtutem, contra quam peccaretur, ſi verum eſſet quod conſcientia judicat: nam ratio dictat peccatum quod fit contra legem verè exiſtentem, eſſe ejuſdem rationis cum eo quod fit contra legem falsò putatam exiſtere. Similiter cùm violatio virtutum ſit affectiva, voluntas affectu non minùs violat virtutem, etſi præceptum falsò credatur præceſſiſſe, quàm ſi re ipsâ præceſſiſſet.

Petes IV. Quàm grave committat peccatum agens contra conſcientiam erroneam? Reſp. committere mortale, ſi tamquam tale proponatur; veniale autem, ſi conſcientia dictet ſolùm eſſe veniale: nam priori caſu affectus fertur in illud quod creditur graviter repugnare rationi; poſteriori autem caſu, cùm objectum nec in ſe ſit gravè malum, nec in apprehenſione tale exiſtimetur, non poteſt actui gravem malitiam communicare. 12.

Mortale aut veniale, prout conſcientia dictat;

Quæ ſi ſolùm dictet malitiam in communi, eſt veniale juxta aliquos, mortale juxta alios.

Quòd ſi neutrum dictet conſcientia, ſed tantùm in genere, quòd ſit malum, *Navarrus in Manuali n. 9. Prælud. 9.* & alii exiſtimant ſolùm committi veniale peccatum: eò quòd ratio operantis in ſe non contineat dictamen mortalis malitiæ, quam proinde non poteſt in actum transfundere: cùmque nihilominus dictet aſſe aliquam malitiam, contraveniens, ſi non mortaliter, neceſſariò ſaltem venialiter peccabit. *Vaſquez diſp. 59. c. 3. n. 10. Azorius*, & alii cenſent tunc ſemper committi peccatum mortale; eò quòd operans qui non diſtinguit, exponat ſe periculo peccandi mortaliter.

Sed ordinariè id videtur pendere ex æſtimatione materiæ, perinde ac ſi conſcientia non erraret.

Sed meliùs Reſpondetur cum *præpoſito, Marchant Tom. 1. Tract. 5. Tit. 3. q. 3.* & aliis æſtimationem gravitatis culpæ pendere regulariter ex æſtimatione materiæ ſeu objecti, adeò ut ſi materia ſit gravis, peccatum cenſendum ſit grave; ſi levis, peccatum ſit leve. Ratio eſt: quia ſi conſcientia non erraret, operari contra illam in gravi materia eſſet mortale, in levi veniale: ergo idem dicendum eſt, quando conſcientia errat. Quòd enim peccatum ſit mortale, non eſt quia conſcientia non errat, vel quia materia in ſe & objectivè gravis eſt; ſed quia operanti, ſaltem implicitè, proponitur materia tamquam gravis: atqui dum conſcientia errat proponitur materia pariformiter ſecundùm tantam malitiam, quantam habere poſſet, ſi re ipsâ eſſet objectivè mala: ergo &c. Idem cum proportione eſt de materia levi. Unde qui vult retinere veſtem, ad ſe quidem pertinentem, quam tamen falsò putat eſſe alienam, peccat mortaliter, etſi expreſsè hoc non judicet, ſicut peccaret mortaliter, ſi verè aliena eſſet. E contrà qui in genere apprehendit malum eſſe die Dominico ſcindere ungues, illotis manibus manducare, ſacro necdum audito jentaculum ſumere, cenſeri debet peccare tantùm venialiter. 13.

Quare

Cùm aquè ſoleat ſaltem impliciè proponi materia gravitas vel levitas.

Quare ad fundamentum primæ Sententiæ patet regulariter proponi ſaltem implicitè gravitatem materiæ, & conſequenter culpæ; non ſecùs quàm dum conſcientia circa objecti qualitatem non errat. Quòd ſi tamen objecti malitia adeò confusè proponeretur, ut ejuſdem gravitas nequidem apprehenderetur, nec ullo modo de malitia mortali cogitaretur, facilè admiſerim primam Sententiam: cùm ſicut ad malitiam actûs requiritur aliqua malitiæ advertentia, ſic ad mortalem actûs malitiam requiratur aliqua advertentia gravis aut mortalis malitiæ.

In caſu tamen locum habere poſſet, tum ſententia Navarri,

Fundamentum ſecundæ Sententiæ falſum eſt: cùm non ſit periculum mortaliter peccandi, quando objectum eſt leve, & ſaltem implicitè proponitur tamquam tale; prout ordinariè proponi cenſetur. Alioquin ſanè pleraque hominum, præſertim ſimplicium, opera forent mortalia; cùm potiùs ſoleant apprehendere quòd malè agant, quàm inter mortale & veniale expreſsè diſtinguere. Fieri tamen poſſet, ut ſubinde eſſet peccatum mortale, ſive quia periculum talis peccati apprehenditur, ſive quia levis materia tacitè tamquam gravis proponitur, ſive quia operans ita eſt conſtitutus, ut non curet, utrùm materia ſit gravis vel levis.

Tum etiam ſententia Vaſquez.

14\. *Conſcientiam invincibiliter errantem ſequi licitum eſt,*

Dico II. Licitum eſt ſequi conſcientiam invincibiliter errantem; ut apud omnes certum eſt: cùm error inculpabilis excuſet à peccato. Et ſi ejuſmodi conſcientia dictet eſſe præceptum, orietur obligatio exequendi; ſi dictet eſſe vetitum, erit obligatio fugiendi: nam ſi tunc non teneatur operans obedire conſcientiæ, numquam tenebitur, etiamſi conſcientia ſit veriſſima: quandoquidem dum invincibiliter putatur vera, non magìs poſſit operans de veritate rei in ſe dubitare, quàm ſi reipſa veritatem attingeret. Inſuper ſi conſcientia talis dictet opus eſſe bonum, verè bonum erit; & conſequenter, ſi ceteræ conditiones meriti adſint, poterit etiam eſſe meritorium. Ita communiter Doctores contra *Martinum de Magiſtris* exiſtimantem, quòd operans ob talem ignorantiam excuſetur quidem à peccato, non tamen bene aut meritoriè agat. Probatur: quia voluntas in tali caſu fertur in honeſtum quà tale, ſeu in objectum ſub ratione honeſti, & de cetero ratio non errat in eo culpabiliter. Unde indubiè exercet actum bonum, qui vult dare eleëmoſynam bonâ fide putato pauperi, etſi re ipsâ diviti. Similiter Viri ſancti multa defenderunt, & operati ſunt bene & meritoriè ob bonam fidem & zelum, etſi à parte rei vera aut bona non eſſent.

Sic ut opus ipſum poſſit eſſe poſitivè honeſtum & meritorium, ſi cetera adſint.

15\. Dices: Ad bonitatem operis requiritur conformitas cum natura rationali dictatâ à recta ratione operantis: atqui ratió etiam invincibiliter errans non eſt recta; cùm ſit falſa: ergo &c. Ad hoc argumentum (ad quod Diverſi diverſimodè reſpondent) Reſp. per rationem rectam ibi non intelligi rationem undequaque ſpeculativè veram, ſed generaliter judicium invincibile de honeſtate objecti, cui dum quis ſe accommodat per amorem bene agit; aut ſimile judicium de objecti turpitudine, quod proinde fugiendo quis ſimiliter bene operatur: nam in moralibus non tam reſpiciendum eſt, quid in objecto re ipsâ ſit, quàm quid eſſe invincibiliter judicetur ab operante. Inſuper dico conſcientiam invincibiliter errãtem circa objectum actionis eſſe veram; v.g. judicium quo Jacob exiſtimabat bonum & licitum ſibi eſſe hîc & nunc accedere ad illam quæ putabatur eſſe Rachel, eſt veriſſimum, quatenus infertur ex his præmiſſis certis: Licitum eſt accedere ad illam quæ invincibiliter judicatur uxor propria; atqui hæc judicatur talis. Quàmvis autem ordinariè homines non forment expreſsè ejuſmodi reflexum diſcurſum (quem virtute quaſi & in præparatione animi, ſeu implicitè adeſſe, ſufficit ad rectè operandum, juxta *Malderum diſp.* 81.) ſed magìs directè aſſumant, quòd licitum ſit accedere ad propriam uxorem, & ſubſumpto quòd hæc ſit uxor, inferant licere ſibi ad hanc accedere: Nihilominus minor, quæ ibi eſt ſpeculativè falſa, quia invincibiliter putatur vera, infert Concluſionem practicè veram, videlicet eſſe licitum hîc & nunc ad talem accedere. Quæ etiam Concluſio ſecundùm ſe eſt veriſſima, quatenus (ut priùs diximus) ex aliis præmiſſis reflexis ſemper inferri poteſt. Unde idem dictamen eſt etiam conforme dictamini intellectûs divini; qui etſi judicet aliud fore agendum ab homine ſi conditiones objectorum penetraret, ſimul tamen judicat, & homini veritatem objecti non valenti attingere præcipit eſſe faciendum, quod invincibiliter faciendum eſſe putat. Et hoc dictamen appellant Doctores practicè verum à conformitate cum appetitu recto, quatenus dictat voluntatem ei conformem eſſe rectam; quod quidem certiſſimum eſt.

Quo modo tale opus ſit conforme rationi rectæ.

Etiam divinæ.

Inſtabis: ſi dictamen iſtud ultimum ſit certum & verum practicè; ergo cùm in eo propriè conſiſtat ipſa conſcientia, hæc non eſt dicenda erronea, ſed potiùs recta, immo certa. Reſp. ſic quidem potuiſſe appellari, ſed cùm Doctores communiter aliter loquantur, & de re conſtet, præſtat ſequi uſitatum loquendi modum, quo ad conſcientiam certam non tantùm requiritur certitudo practica & intrinſeca, ſed etiam ſpeculativa ac extrinſeca, etiam quoad principia ſine admixtione erroris circa naturam actionis ſecundùm ſe.

Conſcientia invincibiliter errans rectè ſic appellatur, etiamſi non erret circa proprium ſuum miniſterium.

Dico III. Licitum eſt ſequi conſcientiam vincibiliter erroneam, quæ dictat 16.

Conſcientiam vincibiliter errantem in materia peccaminoſa illicitum eſt ſequi.

ctat aliquid eſſe præceptum, quod tamen præceptum non eſt; modò verè non ſit prohibitum: v.g. audire miſſam die profano; ut patet. Similiter non eſt illicitum, ſi, quod dictat eſſe bonum, ſit indifferens ſive non malum; ut etiam ſatis patet. Si autem quod dictat tamquam bonum ſit verè malum, aut quod dictat eſſe vetitum ſit præceptum, illicitum eſt ſequi ejuſmodi conſcientiam. Ratio eſt: quia qui illam ſequitur, peccat: cùm ipſa non abſtergat malitiam ab opere vel omiſſione operis; quandoquidem ſit error vincibilis, adeòque voluntarius. Quare talis non foret perplexus aut neceſſariò peccaturus, videlicet ſive conſcientiam ſequatur, ſive contra illam agat: nam inter hæc datur medium, nempe ut conſcientiam erroneam deponat.

Conſcientiam vincibiliter errantem, ſi non deponatur, quo modo ſequi, quo modo non ſequi quis teneatur.

17. DICO IV. Poſito tamen quòd conſcientia vincibiliter errans, & dictans eſſe præceptum quod eſt vetitum, vel contrà, non deponatur, ex una parte tenetur operans illam ſequi, ex altera ſequendo peccat, dum tamen vincibilis adhuc maneat, adeòque obligatur non ſequi: loquendo autem de obligatione comparativa, quæ videlicet ſit major, pendet ex eo, quodnam ſit majus peccatum. Et quidem cenſeo ceteris paribus eſſe majus peccatum agere contra, quàm ſequi ejuſmodi conſcientiam errantem: quia tamen cetera non ſemper ſunt paria, interdum erit majus peccatum illam ſequi, interdum majus non ſequi. Concluſio etſi non ſoleat ſub his terminis proponi, tamen quod ad rem ipſam ſpectat videntur in ea Doctores ſatis convenire, pauciſſimis exceptis, qui generatim dixerunt majus eſſe peccatum ſequi conſcientiam culpabiliter errantem, quàm non ſequi.

Declaratur breviter concluſio per ſingulas partes.

Probatur Concluſio: quia ſimpliciter loquendo operans eſt quidem obligatus non ſequi ejuſmodi conſcientiam; ſi tamen illam non deponat, peccat agendo contra dictamen illius; adeòque obligatur illam ſequi: eo ipſo enim quo non agit contra illam, ſequitur illam. Equidem ex altera parte ſequendo illam peccat; cùm ſit error voluntarius & culpabilis, ipſumque opus ſit in ſe malum. Nec tunc peccat ſolùm præcisè, quia non deponit conſcientiam (aliàs in omni materia eſſet peccatum ejuſdem rationis ſequi conſcientiam erroneam) ſed peccat diverſimodè juxta diverſitatem materiæ, in qua verſatur actio conſequens conſcientiam erroneam. Præterea quòd ex eadem ſuppoſitione, obligatio comparativa pendeat inde, quodnam ſit gravius peccatum, patet: quia indubiè eſt gravior obligatio abſtinendi à peccato graviori. Quòd autem ceteris paribus ſit gravius peccatum non ſequi quàm ſequi conſcientiam errantem, patet: quia non ſequendo agis contra dictamen expreſſum conſcientię, adeòque ex certa quaſi ſcientia peccas; ſequendo autem etſi pecces in alia materia, tamen ex ignorantia vincibili, quæ multùm minuit peccatum. Immo ſi ignorantia facta ſit invincibilis, ut nunc ampliùs vinci non poſſit, poſitivè obligaris ſequi præfatam conſcientiam, nec id agendo formaliter peccas, ſed totum peccatum formale fuit completum in tempore quo deſiit error tibi eſſe vincibilis, adeòque ſub poteſtate liberi arbitrii. Quin immo fieri poteſt, ut ante opus ſeriò de priori negligentia dolueris, & veniam impetraveris. Denique quia cetera frequenter non ſunt paria, ſed longè diſpar conditio materiæ & virtutis contra quam peccatur ſequendo aut non ſequendo conſcientiam errantem, fieri poteſt, quòd aliquando majus ſit peccatum non ſequi illam, quàm ſequi; aliquando è contrà. Sic enim qui vincibiliter exiſtimat mendacium officioſum licere & eſſe præceptum ad conſervandam alteriùs vitam, graviùs peccat non ſequendo conſcientiam, quàm ſequendo: nam ſequendo illam tantùm officioſè mentitur, non ſequendo graviter delinquit contra charitatem. E contrà tantus poſſet eſſe exceſſus obligationis, quæ verè ſubeſt ex parte virtutis lędendæ ſi ſequaris conſcientiam errantem, ut & prævaleat obligationi virtutis quæ ex conſcientia erronea creditur adeſſe, & inſuper abundè compenſet diminutionem malitiæ, quam alioquin cauſat ignorantia. v. g. ſi debitor putet ſe quantitatem notabilem teneri ſub veniali largiri pauperi, quo defraudat creditorem, graviùs peccat ſequendo conſcientiam vincibiliter erroneam, quàm non ſequendo.

Adverte ad deponendum conſcientiam vincibiliter erroneam non ſufficere arbitrium operantis: quidquid illud ſufficere arbitretur *Cajetanus quaſt. 19. art. 6.* Nam modus iſte deponendi cæcus eſt & manifeſto peccati periculo expoſitus. Deinde ſicut arbitrium non eſt regula operandi, ſic nec conſcientiam deponendi. Denique conſcientia non cœpit ligare pro libitu voluntatis, ſed ob motivum aliquod rationis: ergo nec aliter deſinit obligare. Unde falſum eſt conſcientiam erroneam ligare præcisè quia voluntas illam acceptat, ſed ligat per accidens propter apparentem rationem, quæ tamen quia non ſufficit ad prudens judicium, poteſt & debet per aliud prudens judicium deponi. Ob hæc & ſimilia Nonnulli oppoſitam Sententiam planè falſam & periculoſam ac *Cajetano* indignam vocant. 18.

Refellitur doctrina Cajetani de modo deponendi conſciẽtiam vincibiliter errantem.

Itaque ad deponendum legitimè conſcientiam errantem debet homo moveri ratione vel auctoritate, propter quam nunc prudenter judicet contrarium ejus quod antea judicaverat. Immo etſi adhuc perſeveret exiſtimatio ſeu potiùs imaginatio 19.

Statuitur vera doctrina.

natio ſpeculativa de malitia actionis, ſive etiamſi oppoſitum non aſſequatur captu ingenii ſui, poteſt equidem in praxi, præſertim oratione pro illuminatione cordis præmiſſâ, exiſtimare, ſe prudenter neglecto proprio captu acquieſcere judicio doctiorum, meliorum vel ſuperiorum, poſſeque agere quod ipſi agunt & fieri poſſe judicant. Qua in re ſimplices & illitterati faciliùs poſſunt procedere; quibus facilè ſufficit judicium Paſtoris, Confeſſarii vel alterius viri prudentis. Attento etiam, quòd ſpectatâ negotiorum qualitate, temporis anguſtiâ, aliiſque operis & operantis circumſtantiis, non ſemper idem requiratur examen, ſed varium, ut quis prudenter procedere cenſeatur in conſcientiæ errantis depoſitione. Itaque regula generalis ſit, tutò deponi conſcientiam ex iiſdem motivis, ex quibus ab initio contraria conſcientia, in quam fit mutatio, tutò concipi potuiſſet.

QUÆSTIO III.

De Conſcientia probabili ſeu opinante.

20. *Præſentis quæſtionis difficultas & gravitas proponitur.* QUÆSTIONEM hanc exiſtimo unam ex primariis Theologiæ moralis, ejuſque notitiam maximè neceſſariam cuivis curam animarum habenti, immo quodammodo cuivis Deum timenti. Cùm enim in humanis actionibus plurimæ continuò difficultates occurrant, circa quas mens humana hæret anxia, quid de veritate objecti (à qua, ſi conſtaret, penderet, licitane an illicita ſit operatio) cenſendum ſit, & tamen aliquid reſolvendum atque agendum ſit, plurimùm intereſt ſcire, qualiter in ejuſmodi materiis formandum ſit conſcientiæ dictamen cum timore Domini. Et quidem eò uſque proceſſit Theologia moralis plurimorum, ut jam ferè quidlibet in incertis licitum videri queat, dum vix ulla moralis quæſtio occurrit, quin differentes circa illam Doctorum Sententias, quæ vulgò probabiles dicuntur, cernere liceat. Immo unius viri docti ſententiam Nonnulli cenſent ſufficere ad veram probabilitatem, & ad dictamen legitimum conſcientiæ formandum, etſi reſiſtat communis ſenſus aliorum Doctorum, ac repugnet propria opinio ipſius operantis; quaſi verò unius vel plurium Doctorum ſententia habeat eo ipſo infixam ſibi probabilitatem ad licitè operandum ſufficientem generaliter pro quolibet Chriſtiano, atque adeò pro tota Eccleſia. Quod quidem difficile ſemper arbitratus ſum. Ex altera parte ſunt, qui dum vehementiùs in ſententiarum probabilitatem etiam cenſuris publicis invehuntur, ipſi practicè pejores ſibi conſcientias formant, præmaturè condemnando quos tolerat S. Mater Eccleſia, ac operando etiam in materiis fidei ſecundùm ſententias communi proborum judicio improbabiles, ut nimirum Opiniones ſuas (veriùs errores) quoniam iam ſuæ factæ ſunt, ſine ſpecie palinodiæ tueri non deſiſtant. Sunt inſuper, qui ſic ſcripta ac ſenſa privatorum Doctorum libellis publicis ac velut famoſis hoc licentioſo ſæculo taxant, indeque Concluſiones piarum aurium offenſivas deducunt, cum gravi ſcandalo & pernicie animarum, in hac ipſa praxi improbabiles ſibi ſententias effingendo, & quod intrà ſcholarum muros ſcholaſticè diſputabatur, vulgi non intelligentis oculis linguâ vulgari proponendo, an eâ quoque quâ decet ſinceritate, judicium ſit penes illos qui accuratiùs iſta indagarunt. Ut igitur ad præſentis materiæ difficillimæ, ob præoccupatas vulgi, immo & doctiorum ſententias, reſolutionem vel invitus accedam.

Adverte opinionem eſſe aſſenſum propoſitionis ob motivum rationabile, ſed formidoloſum, ſeu cum formidine de oppoſito. Diſtinguitur à dubio, quòd hoc ſit fluctuatio intellectûs neutri contradictionis parti determinatum aſſenſum præbentis. Coincidit autem opinio cum aſſenſu probabili. Et quoniam pleraque agenda ſunt multis dubietatibus obnoxia, judiciaque hominum varia, & frequenter imprudentia, contingit infinitas propemodum in quavis materia morali oriri controverſias tam juris quàm facti; adeò ut ſcientia moralis ſit magnâ ex parte ſive docta opinio, ſive plauſibilis conjectura, ſive prudens dubitatio. 21. *Quid ſit opinio.*

Opinio porrò ſeu probabilis aſſenſus non debet confundi cum conſcientia probabili ſeu opinante. Nam opinio verſatur circa aliquid ſe tenens ex parte antecedentis ſyllogiſmi practici; Conſcientia verò velut poſtremum dictamen & immediata regula circa ipſum conſequens. Et tota difficultas conſiſtit in eo, an quando habeo opinionem probabilē de certa conditione objecti, à qua pendet, an aliquid agendo vel omittendo peccem, poſſim formare dictamen practicum conſcientiæ, quòd poſſim licitè illud agere vel omittere. v. g. an quando probabiliter opinor contractum triplicem ſocietatis carere labe uſuræ, teſtamentum eſſe validum &c. rectè formem conſcientiam, quòd hîc & nunc non peccem talem contractum ineundo, legatum petendo &c. Nec eſt quæſtio, an liceat ſequi partem tutiorem, in qua ſcilicet non eſt peccati periculum: hanc enim etſi certò falſam ſequi poſſem, v. g. in quæſtione de reſtitutione, reſtituendo; in quæſtione de valore teſtamenti, legato cedendo &c. Sed quæritur, an liceat ex opinione probabili formare conſcientiam ſequendo partem minùs tutam, in *Et quomodo diſtinguatur à conſcientia opinante ſeu probabili.* *Quid hac quæſtione reſolvendum.*

in qua eſt periculum peccati, ſaltem materialis. Pro reſolutione ſit

22. *Reſolutio quæſtionis, quòd liceat ſequi opinionem probabilem, regulariter loquendo.*

Aſſertio unica: Regulariter loquendo, ex opinione ſeu aſſenſu probabili rectè formatur dictamen conſcientiæ, quòd licitè fiat vel omittatur actio etiam ſequendo partem minùs tutam. Eſt communiſſima Doctorum Sententia, quam confirmat communis etiam timoratorum praxis. Ratio eſt: quia cùm intellectus noſter in rebus humanis plerumque non poſſit certò aſſequi veritatem, intolerabile eſſet onus, & excedens ordinarium agendi modum, ſi non ſufficeret operantibus aſſenſus rationabili fundamento innixus, etſi cum aliqua formidine oppoſiti, ſed ob hanc retraherentur ab operando: quod onus proinde natura vel Deus non eſt cenſendus fragilitati noſtræ impoſuiſſe, ſed potiùs eſſe contentus, ut dum certitudinem habere non poſſumus, opinionem non leviter nec temerè, ſed prudenter conceptam ſequamur. Amplius enim nemo bonus & prudens rationabiliter ab alio exigeret, adeòque nec Deus optimus & prudentiſſimus exegiſſe cenſetur.

Accedit, tum quòd in dubiis frequenter liceat formare dictamen conſcientiæ practicum de ſequenda parte cõtradictionis minùs tutâ juxta dicenda *qu. ſeq.* adeòque potiùs dum adeſt aſſenſus probabilis. Tum quòd alioquin ſi decem ſanctos & doctos in aliquo caſu conſuluiſſem, eorumque unanimi reſponſo credidiſſem, ſi undecimus reſponderet contrarium, non poſſem operari ob aliqualem formidinem de oppoſito: quod omnino irrationabile apparet. Tum denique quòd ille ſit communiſſimus (uti præmiſimus) Doctorum ac proborum conſenſus.

23. Dices I. Sic operans exponit ſe periculo peccati ſaltem materialis, quod non abſtergitur per probabilitatem opinionis; utpote quæ relinquit formidinem, atque adeò periculum, ne fortè oppoſitum ſit verum, adeòque actio ſit objectivè peccaminoſa: ergo talis illicitè agit; cùm ratio dictet eligendum eſſe tutius; eò quòd ſicut ſcienter & voluntariè nequit fieri quod eſt materialiter malum, ſic nequeat quis ſe exponere periculo illud faciendi. Reſp. Neg. Con. quia cùm adſit probabilis opinio, quæ ad moralem certitudinem accedit pro una parte, & pro altera ſolùm formido, minoris conſiderationis & remotius cenſetur de falſitate opinionis circa antecedens verſantis periculum, neque ab operante curandum, cujus intereſt non adſtringi ad tutius, ob onus conſiderabile inde proventurum, v. g. jejunii, reſtitutionis, carentiæ legati, abſtinentiæ ab utili contractu &c. prout in probatione aſſertionis declaratum eſt.

Periculum remotius peccati materialis non eſt curandum ſic operanti.

Requiritur aliqua cauſa, ut ſequi liceat probabile minùs tutum.

Alioquin ſi (quod eſt rarum ſeu non morale) non ſubſit ſpecialis ratio ſequendi viam minùs tutam, ſed abſque ullo velut onere, & ſine conſiderabili libertatis detrimento poſſit quis ſequi viam tutiorem, ſanè ſequi tenebitur, prout dudum cenſui, & noviſſimè reperi firmiter aſſertum à *Matthæo Homen* Luſitano, Inquiſitore Conimbricenſi in *Tract. de Conſcientia c. 2.* Tunc enim militat præſens objectio, & ceſſat ratio Concluſionis. Accedit, quòd id diſſonet legibus amicitiæ; ut patet in humanis, ſi quis enim v. g. faceret aliquid cum opinione quidem, quòd erit amico gratum, ſed non ſine formidine ne fortè ſit ingratum & contra voluntatem illius, poſito quòd ſine incommodo poſſit abſtinere vel oppoſitum facere, idque agendo certus ſit ſe placiturum amico, videretur omnino leges amicitiæ infringere. Deinde temeritatis argueretur incedens per viam, multorum quidem & ſuâ opinione à latronibus immunem, ſed cum formidine de oppoſito, ſi alia æquè commoda reſtet via, quam certum eſt omni periculo carere. Idem autem eſt in præſenti. Tunc igitur operans non ſequitur judicium conſcientiæ verè prudens, ſed potiùs temerarium.

Dices II. Qui ſequitur opinionem probabilem, non habet dictamen certum, 24.
quòd licitè agat; cùm hoc ipſum ſit controverſum, an ſit licitum ſequi opinionem probabilem minùs tutam, adeòque incertum eſſe debeat dictamen conſcientiæ à reſolutione dubiæ controverſiæ pendens. Reſpondent aliqui, ad rectè agendũ ſufficere dictamen operantis probabile, quòd non peccet operando. Sed hi conſequenter ſupponunt formidinem, quæ eſt in opinione circa antecedens v. g. circa valorem teſtamenti, tranſire in ipſum conſequens ſeu ipſam conſcientiam: quæ cùm ſit proxima & ultimata regula actionis, & formidando aliqualiter de peccato etiam formali admoneat, ſicque operans alicui periculo peccati formalis exponatur; meritò dubitatur, ne fortè talis verè peccet, ſaltem venialiter. Unde rectiùs & ſecuriùs Reſpondetur cum aliis paſſim, operantem ſecundùm opinionem probabilem habere dictamen conſcientiæ practicè certum: eò quòd ſit ſatis certum, ſaltem moraliter, licitum eſſe formare dictamen conſcientiæ ſecundùm opinionem probabilem.

Operans ex opinione probabili habet dictamen conſcĩtiæ practicè certum.

Inſtabis: ergo conſcientia hæc non rectè dicitur probabilis, ſed dicenda eſt certa. Reſp. Neg. Seq. quia conſcientia non dicitur à Doctoribus probabilis ratione proprii miniſterii, ſeu intrinſecè, ſed ratione antecedentis, ſeu extrinſecè, quia videlicet ad illius formationem concurrit opinio incerta circa antecedens ſyllogiſmi practici. Prout etiam conſcientia erroneè dictans aliquod opus eſſe peccatum non errat in proprio miniſterio; nam qui illi contravenit verè malè agit: ſed dicitur erronea,

Conſcientia probabilis eſt extrinſecè, in ſe autẽ certa.

erronea, quatenus in ejus formatione miſcetur error aliquis circa antecedens, vel circa conditionem objecti, à qua pendet bonitas vel malitia actionis.

25. *Fruſtrà ex libris aut rationibus quæritur poſt factum, quod opus ſeu conſciētiam excuſet aut etiam accuſet.*

Notandus hîc quorumdam abuſus qui poſt factum ad medendū remorſibus conſcientiæ ſuæ ſtudent caſibus, ut inveniant fundamenta vel opiniones Doctorum quæ ſuo deſiderio faveant. Quod planè eſt medicinam ſperare poſt mortem. Attendendum enim eſt dictamen conſcientiæ antecedens, quod direxit operantem. Hinc etiam alii imprudenter ſe vexant in operibus bonâ & ſimplici (ut frequentiſſimè accid t) fide factis, vel, prout in conſcientia fuerunt, confeſſis, ex eò quòd poſtea ſe applicantes ſtudio Theologico, & doctiores effecti advertant ſe proceſſiſſe ex errore, utique materiali; indeque in ſcrupulos dilabuntur. Attendendum enim eſt ad conſcientiam quæ tunc erat; quam ſi in opere & confeſſione quis ſequatur, ſecurus eſt. Immo opus tale materialiter peccaminoſum illicitè poſtea quis confiteretur, niſi monito confeſſario de errore ſeu ignorantia præcedenti. Si tamen error fuiſſet culpabilis, aliud foret dicendum.

26. *Nonnulli caſus particulares, quibus illicitum eſt ſequi opinionem probabilem.*

Excipiuntur à Concluſione nonnulli caſus, quibus illicitum eſt ſequi opinionem probabilem. Primò, quando inde naſcererur periculum damni proprii irreparabilis; v. g. ex applicatione probabilis remedii ſalutis in periculo mortis, dum certius haberi poteſt. Secundò, ſi mihi quidem parvum ſequatur intereſſe, proximo autem periculum graviſſimi damni. Sic v. g. non poſſum explodere ſclopetum in animal, quod tantùm probabiliter judico eſſe feram. Tertiò gerens negotium alterius, v. g. tabellio &c. debet ex conventione, ſaltem tacitâ, id gerere modo ſecuro. Unde peccaret conficiendo inſtrumentum publicum, relictis formulis certis, & adhibitis merè probabilibus, adeòque liti expoſitis. Quartò ex ſimili conventione atque etiam ex charitate tenetur medicus, relictis medicamentis incertis ſeu probabilibus, adhibere certa, & in horum defectu ea quæ omnibus conſideratis putat omnino ſecuriora & profutura; in dubio denique illa, in quæ tamquam talia magìs propendet. Quintò Miniſter Sacramenti velut publicus Miniſter ex tacita ſaltem Eccleſiæ voluntate, & conventione cum recipiente, debet illa miniſtrare in materia & formâ certa, ſeu modo ſecuriori, tum ipſi Sacramento, tum recipienti, quàmvis probabile foret ſecùs miniſtratum valere. Immo in his & ſimilibus caſibus etſi ſit probabilitas remota circa antecedens, tamen ex èa adeò non poteſt inferri dictamen conſcientiæ practicè certum de licito, ut nequidem opinativum poſſit inferri. In neceſſitate tamen miniſtrandi Sacramentum, & deficiente certâ materiâ aut formâ, poteſt & debet miniſtrari modo magìs veroſimili, ſeu minùs dubio.

Quòd ſi objicias, pœnitentem licitè ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ cum attritione; quæ tamen eſt diſpoſitio non certò ſufficiens ad diſpoſitionem. Reſp. attritionem eſſe diſpoſitionem certam, ſaltem moraliter, etiamſi ſit cognita; ut in materia de Sacramento pœnitentiæ oſtendetur. Deinde ſuſcipiens non eſt Miniſter publicus, nec obligatur miniſtranti ex aliqua conventione. Quare ex hac parte non impeditur à formanda conſcientia ex opinione ſibi verè probabili ſeu cui aſſentitur.

27. *Quid cenſendum de Iudice.*

Sextò Judex in cauſa pari & utrimque æquè aut quaſi æquè probatâ, quantùm ad quæſtionem facti debet judicare pro reo, niſi actor ſuſtineat cauſam favorabilē: nam cùm cauſa ponatur par, non eſt aliquid innovandum, nec reus condemnandus, ne quidem ad hoc ut dividat cum actore. Perinde enim eſt, ſive nec reus nec actor probet, ſive uterque probet æqualiter. Quare tunc locum habet regula Juris: *In pari delicto vel cauſâ potior eſt conditio poſſidentis.* Et: *Cùm partium jura ſunt obſcura, reo favendum eſt potiùs quàm actori.* Unde *c. fin. de ſent. & re jud.* in caſu quo præceſſerant duæ ſententiæ diverſorum Ordinariorum, una pro actore & altera pro reo, firmatur ſententia lata pro reo, quia nimirum huic in pari favendum. Nec dici poteſt tunc inter partes eſſe æquale jus, cujus diſtributor eſt judex: nam verè una pars habet totum jus cum excluſione alterius: in dubio autem ſeu pari ſtat favor pro reo. Quòd ſi probationes Juris ſint utrimque probabiles, adhuc non eſt caſus pro amico, ſed pro eo, pro quo judex exiſtimat Jus ipſum ſtare. Quidquid enim alii de hoc judicent, debet Judex ipſe ſuam opinionem enuntiare, qui ad hoc ipſum ſtatutus eſt Judex, & non ut ei liberum ſit ſequi judicium alienum v.g. Referendarii cauſæ. Quin immo ob hoc conſtituuntur plures numero Judices: qui ſi poſſent determinare cauſam juxta alienam opinionem, jam totum tribunal tandem poſſet devolvi ad judicium unius. Infiniti alii caſus hîc poſſent diſcuti, qui pro exigentia materiæ ſuis locis congruè proponi poſſunt.

28. *An inter opiniones ſeu ſententias probabiles licitum ſit ſequi quamlibet etiam contra propriam opinionem.*

Movetur præterea difficultas, an ſaltem per ſe loquendo licitum ſit ſequi è probabilibus opinionibus alterutram ad placitum, etiam minùs probabilem aliorum contra propriam? Reſp, pro nunc breviter (quod fuſiſſimè tractari deberet, nec modò vacat) Neg. Ita Varii DD. contra plures alios. Itaque requiritur, ut opinionem quā quis in praxi amplectitur faciat ſuam. Dum enim haberi nequit veritas ſeu certitudo, cenſetur Deus ſubſtituiſſe illius

loco

loco opinionem ſeu exiſtimationem operantis. Neque rationabile apparet, ut etiam retentâ exiſtimatione propriâ de malitia objecti cenſeatur data licentia operandi quodlibet, nunc hoc nunc illud, prout vix eſt quæſtio practica, in qua differentes non reperiantur ſententiæ; cùm ſi conſtaret veritas, una tantùm foret regula & via. Nec refert quòd ſecùs opinantes licitè contrarium operentur: hi enim ſequuntur ſuam opinionem. Proinde ſicut hoc me non excuſaret, ſi aliorum opinionem cenſeam improbabilem, ſic non excuſat, ſi judicem falſam; qualem judico, dum circa oppoſitum eſt mea opinio, quæ utique eſt aſſenſus unius partis cum ſola formidine de oppoſito. Non refert etiam, quòd judicium proprium prudenter ſubmittam judicio aliorũ prudentiorum: nam ſi id facere valeam hîc & nunc, rectè quidem; at tunc opinionem alienam per credulitatem humanam facio propriam. Quæſtio autem procedit, quando omnibus conſideratis nil eſt quod me ab opinione de falſitate oppoſiti queat dimovere. Quòd ſi verò inter utramque opinionem dubius hæream, planè videor ſequi debere regulam dubitantium; cùm utrimque eſſe æquale pondus auctoritatum vel rationum ſit perinde, ac ſi utrimque ſit nullum: prout æquilibrium ſtateræ tam cauſat appoſitio æqualis ponderis, quàm omnis ponderis oblatio. Quæ fusè diſcutiuntur à *Matthæo Homen loco ſup. citato*; & hîc judicio meliùs ſentientium à me proponuntur.

29. *Aliter ſentientes non condemnantur.* Nolim tamen illos condemnare, qui ex opinione præformatâ procedunt, exiſtimantes ſibi licitum eſſe ſequi opinionem alienam etiam minùs probabilem: Hi enim eo ipſo per reflexum judicium ſequuntur practicè propriam opinionem. Verùm hi in primis fruſtrà laborant diſcutiendo plurimos caſus, in quibus hi aſſerunt, iſti negant, licere ſequelam opinionis alienæ minùs probabilis: nam eo ipſo quòd fatentur probabilem, fateri coguntur licitum eſſe, quod velut illicitum exterminare conantur. Deinde eo ipſo quòd quis alicui opinioni aſſenſum præbet, cenſet probabiliorem omnibus ſpectatis: cùm ei ſimpliciter aſſentiatur, & ſolùm de veritate oppoſiti quamdam formidinem habeat.

QUÆSTIO IV.

De Conſcientia Dubia.

30. *Quid dubium.* NOMINE *dubii* ſeu *dubitationis* intelligitur animi ſuſpenſio, quâ quis hæret in quodam velut æquilibrio, non reſolvendo ſe in alterutram partem. Cui quidem ſuſpenſioni frequenter adjunctum eſt reflexum judicium de ipſa dubitatione, quo intellectus judicat ſibi eſſe dubitandum. Aliud dicitur dubium negativum, quando ſcilicet utrimque deſunt rationes aut fundamenta ſpecialia ad aſſenſum aut diſſenſum, ut v.g. an aſtra ſint paria. Et hoc eſt potiùs neſcientia. Aliud dicitur poſitivum, quando fluctuatio mentis ſeu ſuſpenſio judicii naſcitur ex rationibus utrimque inter ſe pugnantibus, ob quas intellectus ſe in neutram partem poſſit judicando reſolvere. *Aliud eſt negativum, aliud poſitivum.*

Præterea dubium aliud eſt juris, aliud facti. Prius verſatur principaliter & directè circa jus ſeu legem, v.g. an ſit lex jejunii, excommunicationis &c. vel an comprehendat hunc caſum. Poſterius verſatur circa factum v.g. an homicidium ſit commiſſum, an prior conjux vivat &c. Paulò aliter *Arriaga* & alii explicant, dicentes dubium facti eſſe illud ſolum, quo certus de lege dubitat an ſatisfecerit, ſic ut factum cenſeatur opus quo obligationi contractæ ſatisfit. Dubia autem cetera etiam circa factum, dummodo pertineant ad incurrendam obligationem, cenſeri dubia juris, & ut talia regulanda, v.g. an voverim vel non. Jus enim tunc oritur ex facto, & à facto pendet v.g. à voto; ſicut lex oritur & pendet à facto Principis, ſcilicet legiſlatione: adeòque dubium circa factum reddit quoque jus dubium ob ejus dubiam applicationem. Et hoc ſenſu dubium juris erit, quod verſatur circa opus quo obligatio contrahitur, ſive ſit lex publica, ſive ſolùm privata, v.g. votum, contractus &c. Quare ſi dubitet quis, an voverit, an juraverit, an matrimonium contraxerit &c. erit cenſendum in præſenti (quamvis indubiè quodam ſenſu ſit etiam formaliſſimè dubium de quodam facto noſtro; ideoque Alii referant ad dubium facti) dubium juris, ſcilicet de obligatione quæ naſcitur ex voto, juramento, contractu &c. *Aliud juris, aliud facti.*

Denique dubium aliud eſt ſpeculativum, quod verſatur circa conditionem ſe tenentem ex parte objecti actionis, ex qua ſi ſciretur, penderet an actio hîc & nunc ſit licita. Diciturque ab aliis dubium circa antecedẽs, ſeu circa dictamen quoddam remotius. v.g. an teſtamentum ſit validum, an contractus uſurarius &c. Aliud eſt practicum, quod verſatur circa actionem hîc & nunc exercendam, an ſcilicet ſit licita nec ne. Et hoc dicitur ab aliis dubium circa conſequens. Eſtque illud propriè ipſa conſcientia dubia. *Aliud ſpeculativum, aliud practicum.*

DICO I. Numquam licitum eſt procedere cum dubio practico ſeu conſcientiâ ipſâ exiſtente dubiâ de malitia actionis hîc & nunc ponendæ vel omiſſionis ejuſdem. Ita communiter Theologi velut certum tradunt. Ratio eſt: quia talis ex modo procedendi convincitur interpretativè 31. *Semper eſt peccatum operari cum dubio practico, ſeu conſcientiâ manente dubiâ.*

tam

tam affici malitiæ, quàm non malitiæ, neque curare eſto foret peccatum. Unde ſicut ita operans in humanis leges amicitiæ infringeret, ſic etiam lædit amicitiam Dei, operans id, de quo dubitat an ſit diſplicens Deo, ejuſque offenſivum. Quare talis voluntatem ſuam præferre voluntati divinæ convincitur. Deinde talis exponit ſe manifeſto peccandi periculo; quod eſt formaliter malè operari. Præterea quouſque ratio ſe non determinat in alterutram partem de bonitate vel malitia actionis, non poteſt dici voluntas dirigi à ratione, quæ tamen eſt regula ipſius neceſſaria. Confirmatur ex Apoſtolo *ad Rom.* 14: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quod autem fit cum conſcientia ambigente ſeu dubiâ non eſt ex fide, id eſt, credulitate, quòd actio ſit licita; ut optimè advertit *Theophilactus in cap. cit. ad Rom.*

Et quidem tale, quale an ſit, dubitatur.

Ex quibus ſatìs conſtat, peccatum tunc committi in ea ſpecie & quantitate, de quo eſt dubitatio; adeòque eſſe peccatum mortale, ſi ſit dubitatio de illo; eò quòd talis convincatur interpretativè affici mortali malitiæ, & eſſe ſic conſtitutus, ut virtute non curet malitiam mortalem, q. d. in actu exercito: volo facere quantùmvis foret mortale. Si autem dubitetur in genere poteſt interdum eſſe peccatum mortale, interdum veniale juxta conditionem materiæ vel actionis, de qua eſt dubitatio, conformiter ad dicta *quæſt.* 2. de Conſcientia erronea.

32\. *Quare tūc eligendum tutius.*

Hinc patet in dubio practico, quàm diu non deponitur, eligendam eſſe viam tutiorem, in qua ſcilicet non eſt peccati periculum. Quòd ſi concurrant duo præcepta incompoſſibilia oportet examinare quodnam magìs obliget, illudque practico peccati dubio depoſito præeligere. Et generatim conſtitutus in perplexitate ob periculum peccandi, quod utrimque imminere videtur, debet eligere quod apparet minus, juxta *Greg.* 32. *moral. c.* 20. aliàs 17.

Si utrimque apparēt æquale & inextricabile periculum, quodlibet fiat, non erit peccatum.

Quòd ſi caſus detur in quo utrimque æquale appareat peccati periculum, ſic ut timeat operaturus æqualiter peccare quodvis agat, nec poſſit dubium deponere, ipſumque adeò fiat invincibile, & tamen alterutrum agi neceſſe ſit, eligat quod libet, & non peccabit, ut rectè *Rodriguez*, *Sanchez*, *Lugo* & alii paſſim: nam tali independenter à ſua voluntate impoſſibile eſt vitare hoc numero peccatum, niſi in aliud æquale incidat, adeòque non cenſetur moraliter liber quoad malitiam illius, utpote ſi hanc fugiat æquivalenter illam reperturus in oppoſito. Deinde nemo prudens exiſtimare poterit rationi diſſentaneum eſſe (prout eſſe debet peccatum) in tali hypotheſi ſe determinare ad unam partem. Nec ob hanc meritò poterit homo reprehendi, reſponſurus utique ſe non potuiſſe vitare cauſam reprehenſionis, utpote equidem reprehendendus ſi ad aliam partem ſe determinaſſet.

Ex quo rectè inferunt *Sanchez*, *Palao* & alii non peccare incarceratum, qui hæſitat aut putat ſe peccare non audiendo ſacrum: quia illa omiſſio ſacri nullo modo eſt libera. Nec dubium iſtud vel error ullatenus influit in omiſſionem.

Dico II. Ex dubio ſpeculativo naſcitur 33. per ſe loquendo dubium practicum, quando videlicet non occurit ratio propter quam dubium practicè deponatur, & ſuccedat fundata notitia de licentia ſeu bonitate actionis. Ita communiter Doctores. Et videtur per ſe patens: quia dubitans de aliquo, v. g. an teſtamentum ſit validum, a cujus veritate ſi ſciretur, pendet an actio hîc & nunc ſit licita, v. g. petitio legati teſtamento relicti, neceſſariò debet dubitare de hoc ipſo conſequente, ſcilicet de honeſtate actionis ſeu petitionis legati; niſi aliquid accedat, quod dubitationem practicam evertat.

Ex dubio ſpeculativo naſcitur practicum per ſe loquendo.

Dico III. Licitum eſt agere cum dubio 34. ſpeculativo, quando ex aliis principiis practicis certis aut opinativis ſuppetit juſta ratio formandi, & de facto formatur determinatum judicium practicum, quòd liceat hîc & nunc exercere talem actionem. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia ſic operans non habet conſcientiam dubiam, ſed practicè determinatam ex certis aut aliàs rationabilibus principiis; adeòque licitè agit.

Ex aliis tamē principiis poteſt eo non obſtante operans ſæpè formare judicium practicum de licentia operandi.

Ut autem hoc judicium practicum debitè formetur, debet in primis ſpeculativè dubitans quicumque adhibere debitam diligentiam ad vincendum dubium ac veritatem indagandam: alioquin enim temerè & imprudenter ageret. Quis enim dubitans de voto aut alterius obligationis radice ſeu fundamento poteſt prudenter judicare ſe eſſe liberum, quouſque rationabilem diligentiam adhibuerit in veritate indaganda? Ex hac autem veritatis indagine ipſa ſæpè eluceſcet ſive ad onus ſive ad favorem dubitantis. Si verò dubium perſeveret cenſebitur eſſe invincibile. Et de hoc ſolo poteſt eſſe quæſtio. Aliàs pars tutior neceſſariò eſt ſequenda. Examen porrò proportionari debet gravitati & exigentiæ materiæ, & circumſtantiarum rei, loci, temporis &c; ne imprudenter dubium deponatur. Attendendum quoque res ſingulas examinandas juxta ſuam conditionem. Unde ſi res pendeat à diſpoſitione juris, non eſt examinanda meris rationibus naturalibus, ſed conſulenda ſunt jura aut juriſperiti, vel Auctores de ea tractantes: ſi pertineat ad jus particulare loci, inquirenda ſunt jura & conſuetudines locorum ab iis, qui in iſtis creduntur verſati. Et ſic de reliquis.

Facto prius diligenti ad vincendum dubium examine,

Proportionatò ad gravitatem ac exigentiam materiæ,

Præterea non poteſt formari judicium practicum, quòd liceat procedere in dubio quoad electionem partis minùs tutæ (de tutiori enim non eſt quæſtio, neque ad

hanc

hanc eſt examen inſtituendum, dum ſcilicet eſt abſolutè tutior, id eſt, carens periculo peccati etiam materialis) in iis caſibus, in quibus non licet ſequi opinionem probabilem. Idque clarum eſt argumento à fortiori.

Denique inquirenda eſt ratio, quæ ſufficiat ad dictamen conſcientiæ formandum, quòd liceat hîc & nunc operari, non obſtante quòd ſit & maneat dubium ſpeculativum. Qua in re eſt præcipua & inexhauſta difficultas, & mira opinionum varietas.

35. *Ad judicium autem formandum ſervit regula & favor poſſeſſionis in materia juſtitiæ;*

Primò itaque in dubiis circa materiam juſtitiæ, in qua locum habet propriè dicta poſſeſſio, locum habet vulgata Regula juris in 6. *In pari potior eſt conditio poſſidentis.* Ideoque ex jure præſumitur poſſeſſor legitimus eſſe in vero dominio rei, dum naſcitur poſtea de re dubium. Ex quo *Vaſquez, Sanchez, Molina, Covarruvias, Marchant,* & alii ferè communiter cēſent ſic poſſidentem poſſe formare legitimum dictamen conſcientiæ, quòd licitè retineat rem de qua ſic dubitat poſt diligens examen. Unde nec talis cogeretur ad reſtitutionem in foro externo; cui internum rectè conformatur per ſe loquendo, ſeu quando aliundè nil obſtat. Idem patet à fortiori ex poſtea dicendis quoad materiam aliarum virtutum ſeu præceptorum. Eſt tamen contra *Adrianum*, qui putavit poſſidentem obligari ad reſtituendum totum; quod eſt ſanè contra æquitatem naturalem. Eſt etiam contra quoſdam alios obligantes ad diviſionem rei pro rata dubii. Quod alii paſſim adeò non admittunt, ut *Bonacina, Salas* & alii probabiliùs cenſeant, nequidem eſſe obligationem dividendi caſu quo poſſidens magìs inclinet in oppoſitum: quia iſta major inclinatio non tollit verum dubium. Si verò adeò præponderent motiva pro non poſſidente, ut pro eo ſolo poſſit formari aſſenſus, & nullus pro poſſidente, tunc tota res cedenda eſſet alteri non poſſidenti. Poſt adhibitam quoque diligentiam poteſt rem conſumere, aut vendendo &c. alienare, monito tamen altero de dubio, ne decipiatur. Idem eſt de donatione, ſi donatario inde poſſet comparente Domino damnum obvenire: non enim eſt rationabile imponere tam grave huiuſmodi detentoribus onus, & moleſtam nimis animi ſolicitudinem, ut rem talem perpetuò incolumem ſervent. Quòd ſi verò non ſit ſpes moralis, ut Dominus compareat, non videtur obligatio alterum de dubio monendi, ſicut tunc non eſt periculum damni. Cavendum tamen ne hac in re mentiatur poſſidentium cupiditas ſibi. Quòd ſi denique poſt rem conſumptam Dominus compareat, non tenebitur poſſeſſor, utpote bonæ fidei, niſi in quantùm eſt factus ditior, uti ceteri bonæ fidei poſſeſſores, ad reſtitutionem.

36. Secundò, Extra materiam juſtitiæ cenſet *Vaſquez* & alii non habere locum Regulam de poſſeſſorio, ſed ſemper ibi eligendum eſſe tutius, ſive ſit dubium juris, ſive facti. Quæ quidem ſententia eſt ſecurior. Nihilominus *Sanchez, Malderus, Bonacina, Villalobos,* & plerique alii Recentiores contrarium exiſtimant: eò quòd poſſeſſio vel quaſi poſſeſſio propriiſſimè quidem locum habeat in materia juſtitiæ, & quidem in rebus corporalibus aut etiam in incorporalibus, per vias & modos in jure aſſignatos; generaliter tamen loquendo ſit titulus communis etiam in aliis materiis virtutum & præceptorum, in quibus poſſeſſio poteſt ſtare, ſive pro lege, ſive pro libertate operantis. Quare ſi poſſeſſio ſtet pro lege, ſervanda eſt; ſi pro libertate, poteſt operans formare dictamen practicum, ſe non obſtante dubio ſpeculativo poſſe operari, v. g. non jejunare, non audire ſacrum &c. Ratio quoque eſt utrobique eadem: ſicut enim æquitas poſtulat, ne poſſeſſor in dubio ſpolietur re poſſeſſâ, ſic etiam ne operans ſpolietur ſuâ libertate, impoſito ei onere, de cujus veritate non conſtat: nam cùm ſit ex parte dubii utrimque paritas, titulus poſſeſſionis facit cauſam potiorem. Quare etiam ſic cenſeret forum externum. Accedit: tum quòd in dubio non debeat ſtatus rerum priſtinus mutari: tum quòd is, qui eſt libertate ſpoliandus, ſeu cui eſt gravamen imponendum, ſubeat vicem rei; qui in dubio non eſt condemnandus ſeu gravandus, ſed liber declarandus: tum quòd obligatio legis, de qua non conſtat poſt examen, ſit inſtar legis non ſatis promulgatæ; quæ utique non obligat. Tum denique quòd ſi dubitetur de ſenſu ſeu parte legis, minimum & favorabilius ſit amplectendum; adeòque ſimiliter ſi de lege ſimpliciter ſit dubium. Quare non cenſetur legiſlator rationabiliter invitus, ſi operans ita procedat. Addunt Varii, quòd excuſet ignorantia invincibilis: qualem habet ejuſmodi dubitans. At non rectè: dubium enim ſupponit aliqualem notitiam oppoſiti, ignorantia verò nullam. Dubitans itaque differt ab ignorante & errante. Aliàs materia de dubio pertineret ad materiam conſcientiæ erroneæ. Deinde ſi dubium invincibile cauſaret ignorantiam invincibilem præcepti, fruſtrà fatigantur Doctores, ut inquirant titulos poſſeſſionis & præſcriptionis: cùm ſemper adeſſet ejuſmodi ignorantia in dubitante, ſicque non foret umquam in dubio eligendum tutius.

Immo verò ſimiliùs etiam in aliis materiis.

Quòd ſi urgeatur peccati periculũ. Contrà: idem opponi poteſt in materia juſtitiæ, in qua ſimiliter periculum eſt, ne verè ſit alienum, adeòque non retinendum, quod poſſeſſor retinet. Periculum itaque peccati formalis prudentis judicii efformatione depellitur. 37.

Nec dici poteſt, in materia juſtitiæ eſſe aliud, eò quòd bona externa ſubjaceant diſpoſitioni reipublicæ, quæ cenſetur poſſi-

Diſparitas inter materiam juſtitiæ & alia.

rum virtutum arguitur velut inſufficiens.

poſſidenti facere licentiam ſupradictam; ſicut in ſimili facit, dum adeſt præſcriptio. Nam in primis idem habet locum in materia obedientiæ circa humanas leges, cenſuras, & pœnas, de quibus dubitatur: nam æquè iſta ſubjacent diſpoſitioni reipublicæ aut Prælatorum Eccleſiæ, ipſique tali caſu nullatenus ægrè ferrent operantem ſimiliter procedere in dubio; quin immo in judicio pro illo ſententiarent. Deinde poſſidentes etiam rudes non fundant ſe in hoc titulo, neque reſpublica id apprehendit, ſed potiùs in dictamine rationis & æquitatis naturalis dictātis poſſeſſorem non eſſe ſpoliandum in pari re poſſeſsâ. Præterea etiā in materia matrimoniali (quæ eſt juſtitiæ, nec ſubjacet juri humano) ordinat Eccleſia, ut in dubio reddatur debitum petenti, in quo tamen poteſt eſſe majoris peccati periculum, ſcilicet adulterii contra priorem conjugē ſi vivat, quàm in negando, in quo ſimplex committeretur injuſtitia. Denique voluntas prætenſa reipublicæ non ſatìs conſtat, utì in materia præſcriptionis: ideoque comparente domino, ſine mora debet ei res integra reſtitui cum fructibus qui ſuperſunt, ubicumque res ſit.

38. Dices I. c. *Ad audientiam, de homicidio* dicitur, *in dubiis tutiorem ſemitam eſſe eligendam.* Quod repetitur c. *Significaſti* 2. *eod. tit.* Et ex hac regula ibi infertur, dubitantem an ex ſua percuſſione ſecuta ſit mors percuſſi, quem mortuum eſſe conſtat, debere ſe gerere pro irregulari, videlicet quoad ordines ſuſcipiendos & miniſtrandum in ſuſceptis, de quo jura loquuntur; non autem juxta *Sanchez* & alios quoad reliquas pœnas ordinarias, v. g. privationem beneficii eccleſiaſtici &c. cùm ordinariis pœnis pro delicto certo impoſitis non debeat puniri delictum incertum. Reſp. iſtam regulam non adferri ad declarandum, quòd univerſim ex natura rei in dubiis ſpeculativis pars tutior ſit neceſſariò ſequenda, ſed ſolùm adferri tamquam rationabile motivum ad decernendum eum eſſe irregularem qui alium percuſſit, etſi dubitetur an defunctus ex ejus ictu obierit. Quæ conſtitutio non eſt extendenda ad alia dubia. Vide *Malderum d.* 87. § *Reſp. iſtud principium.* Id autem ſtatuit Pontifex, cavere volens, ne fortè qui verè homicida eſt, celebret, inflictâ etiam certâ irregularitate dubio homicidæ ob reverentiam ſacri miniſterii. Requiritur tamen, ut & conſtet de morte, & de culpa commiſſa; prout conſtat in caſibus canonum allegatorum, in quibus certa erat, & culpabilis, adeòque per ſe punibilis percuſſio, & ſimiliter certa mors percuſſi. Alioquin regula *in dubiis &c.* non cadit per ſe ſub præceptum, niſi quando poſſeſſio, aut juſta cauſa deeſt, ob quam formetur aliud dictamen practicum conſcientiæ.

Ius poſitivum in caſu homicidii dubii oppoſitum ſtatuit quoad irregu-ritatem.

Dices II. c. *Dominus, de ſecundis nuptiis* declarat Pontifex, eum, qui facto 39.
etiam diligenti examine manet dubius de valore matrimonii contracti, non poſſe petere debitum, etſi poſſit reddere parti bonâ fide petenti. Idem habetur c. *Inquiſitioni, de ſententia excommunicationis.* Et tamen ſi melior eſſet conditio poſſidentis, poſſet etiam debitum petere; ergo iſta regula non habet locum, ſed altera, quòd *in dubiis pars tutior eſt ſequenda.* Reſp. pluribus omiſſis aliorum explicationibus in c. *Dominus* eſſe apertè quæſtionem de matrimonio malâ fide contracto, cum dubio de morte prioris conjugis; adeòque deficere poſſeſſionem bonæ fidei, & conſequenter regulam in ea fundatam. Quàmvis autem in c. *Inquiſitioni* videatur ſupponi matrimonium fuiſſe bonâ fide contractum, determinat tamen Pontifex dubitantem non poſſe debitum petere, videlicet quia necdum adhibuerat ſufficiens examen. Quod etſi textus apertè non exprimat, ratio tamen ita diſtinguere cogit. Unde talis poſt diligens examen manens dubius poſſet etiam debitum petere juxta plurimos Doctores; immo etiam juxta Nonnullos alioquin tenentes eligendam eſſe partem tutiorem. Quàmvis exiſtimet *Arriaga diſp.* 25. *ſect.* 4. *num.* 33. id quidem licere ex natura rei, non tamen (ut habet *num.* 39.) poſt prohibitionem juris poſitivi in *cap. citato.* Sanè reſolutionem Pontificis non fundari in regula de eligenda parte tutiori, vel inde patet, quòd dicat dubitantem poſſe debitum reddere; & tamen minus poteſt latere peccati materialis periculum in non reddendo: ſic enim tantùm committeretur injuſtitia; reddendo autem, fornicatio & injuſtitia ſimul, poſito v. g. quòd prior conjux adhuc ſit ſuperſtes.

Dubius de valore matrimonii malâ fide contracti non poteſt petere debitum: ſecùs, ſi bonâ fide, & examen debitum præceſſerit.

Dices III. Certa eſt lex: *Ne cognoſcas v. g. Joannam non tuam*; dubium autem eſt matrimonium (quo ſolo poteſt legi derogari) At legi certæ non derogatur per dubium ſequens; ergo dubitanti non licet petere debitum. Reſp. eodem argumento probari, quòd nec poſſet reddere, ut patet: quod tamen eſt contra omnes, & ipſum Jus Canonicum. Deinde ſimile argumentum fieri poteſt in materia juſtitiæ: certa enim eſt lex, *non utere re alienâ*, & ſolùm eſt dubium, an ſit tua; adeòque ſimili ratione non liceret poſſeſſori eâ uti. Itaque Reſp. Neg. Aſſ. pro 2. parte: quia præter dubium matrimonium eſt certa lex poſſeſſionis juris petendi debitum & reddendi, ortæ ex matrimonio bonâ fide contracto; quod jus per ſuperveniens dubium tolli nequit. Lex autem caſtitatis ſolùm vetat accedere ad perſonam quam cōſtat non eſſe ſuam; poſſeſſor autem talis prudenter practicè judicat eſſe ſuam, ſeu non eſſe non ſuam, ſeque accedere ad eam, ad quam acce-

accedendi jus habet,utpote bonâ fide illam tamquam ſuam poſſidens. Adde id manifeſtè licere in caſu dubii ob impotentiam: licet enim triennio tentare, etiam petendo; & tamen eſt dubium de valore: ſed eſt poſſeſſio.

40. *Plurimùm refert, & difficulter aſſignatur regula,unde ſciatur, pro lege an pro operante ſit poſſeſſio.*

Ex dictis patet plurimùm referre,adeòque diligenter obſervandum eſſe, pro qua parte cenſeatur ſtare poſſeſſio in dubio. Quod difficillimè frequenter dignoſcitur: ideoque in caſibus ſpecialibus variant plerumque judicia Doctorum. *Arriaga d.*25. *n.*58.hoc ſignum ſeu regulam ſtatuit,quòd quando dubitatur circa actionem quâ primò obligatio intrat, poſſeſſio ſit pro libertate; quando autem dubitatur circa id quo obligatio præſuppoſita exit ſeu tollitur, poſſeſſio ſit pro lege: ſive quòd libertas teneat, ſi obligatio intrare deberet per id de quo dubitatur; obligatio autem teneat, ſi ipſa eſt dubio antiquior. V.g. qui dubitat an ſit duodecima noctis nequit comedere carnes,ſi dies elapſa erat jejunii; poteſt comedere, ſi ſolùm dies ſubſequens ſit jejunii.

At *Sanchez* & plures alii (nec improbat *Arriaga*, niſi quòd regula vera quidem,ſed æquè difficilis aſſignetur) recurrunt ad præſumptionem juris; quæ etſi ſit primariò pro foro externo,quia tamen eſt fundata in veroſimilibus conjecturis, ne ſit temeraria, poſſet etiam ſervire pro foro interno ad præſumendum quòd ita ſit, regulariter ſaltem. Quod addo: nam non obſtante præſumptione fori externi, poſſent tales eſſe conjecturæ de contrario interiùs in animo operantis,ut velut eliderent præſumptionem,& ſic res decidenda eſſet, ac ſi præſumptio non ſubeſſet. Quòd ſi dubitetur, pro quo ſit præſumptio, cenſetur eſſe penes illum qui in adverſariū conjicit onus probandi: quòd enim à jure præſumitur pro veritate habetur, quouſquè oppoſitum probetur.Si verò pręſumptiones ſint utrimque, attendendum eſt ad validiores, quæ minùs validas elidūt.Si denique ſint utrimque æquales,cenſendum erit,ac ſi præſumptio nulla eſſet. Quæ omnia requirunt vaſtum ſtudium & jurium indaginem. Inter ceteros de his agit *Franciſcus Bardi diſcept.* 5.*de Conſcientia dubia cap.*5.

41. *Enumerantur varii caſus,quibus pro libertate operantis ſtat poſſeſſio.*

Ad caſus autem practicos deſcendendo, ſi poſt diligens examen adhuc dubitetur,an ſit dies jejunii,dies feſtus &c. cenſetur homo poſſidere libertatem. Idem eſt, ſi dubium maneat de ſenſu præcepti, an verba contineant ſtrictum ſenſum.Item,ſi dubitetur,an lata ſit irregularitas,excommunicatio &c.aut ſciatur quidem lata,dubitetur tamen, an Petrus v.g. commiſerit factum, cui irregularitas,excommunicatio,aut alia cenſura eſt annexa (abſtraho hîc ab irregularitate in caſu homicidii dubii, ob c. *Significaſti,de homicidio)* nemo enim in dubio eſt damnandus, aut privandus ſuâ libertate.Id autem ſpeciale eſt in irregularitate, quòd hæc non cenſeatur incurri, niſi ſit in jure expreſſa, c.*Omnis qui, de ſentent. Excommunic.in* 6.

Similiter dubitans die jovis, an ſonuerit noctis hora duodecima,poteſt comedere carnes; quia poſſidet libertatem. Idem eſt (quamquam Varii contradicant) de communicaturo poſtridiè,qui dubitat,an comederit poſt duodecimam noctis,ſive ſit dubium de comeſtione,ſive tantùm(quod adhuc Plures negāt)de comeſtionis horâ:nam eſt in poſſeſſione juris & facultatis communicandi, à qua non excidit ob dubium ſequens, per quod deberet intrare obligatio abſtinendi ex lege, quæ reſpicit illos, qui poſt duodecimam comederint;adeòque nō conſtat talem intraſſe iſtam obligationem. Item,ſi dubites,an expleveris annum vigeſimum primum ætatis, potes reſolvere pro libertate à lege jejunii. Si dubites an emiſeris votum, ſtat ſimiliter poſſeſſio pro tua libertate. Adde quod factum propriū,etiam inductivum obligationis,non præſumatur, niſi probetur. In dubio, an hoc vel illud voveris,tantùm teneris ad illud, quod minus eſt: liberalis enim promiſſio eſt explicanda in favorem promittentis; qui (niſi aliud conſtet) præſumi debet ſe minimùm voluiſſe gravare. Nec parum favet c. *Ex parte* 18.*de cenſibus.*

E contrà, ſi lex fuerit debitè promulgata & in vigore, ac dubium oriatur, an ſit per revocationem vel uſum contrarium abrogata, eſt ſervanda: quia poſſeſſio eſt pro lege, ob dubium ſuperveniens non privandâ ſuo titulo; contra quam proinde probanda eſt exceptio, ut eximaris, cujuſque conditio in pari eſt melior.Idem eſt,ſi dubites,an compleveris annum ſexageſimum, ſeu attigeris terminum ætatis à lege jejunii excuſantis: aut ſi dubites, an inchoata ſit dies Dominica,in ordine ad comedendum carnes. Item, ſi certus de voto, juramento, contractu,promiſſione,lege,dubites,an impleveris, v.g.an horas legeris, an pœnitentiam perſolveris, an mortale certò commiſſum confeſſus fueris, an debito certò contracto ſatisfeceris, &c. tunc enim certum eſt fuiſſe titulum pro altera parte, & eſt dubium,an illum extinxeris ſatisfaciendo;adeòque pars altera manet in poſſeſſione,à qua non potuit expelli per tuam dubitationem ſubſequentem. Quare de his caſibus ita ſentiunt omnes Doctores.Confirmatur: quia certo debito non ſatisfit per dubiam ſolutionem: adeòque in caſibus iſtis manet obligatio.

42. *Enumerantur alii caſus, quibus ſtat poſſeſſio pro lege.*

Petes,Quid ſi in genere conſtet de lege (idē eſt de voto &c.) ſed dubitatur,an ſe ad certū caſum ſeu ad certos terminos extendat? Reſp.poſſeſſionem ſtare pro libertate: nam id perinde eſt,ac dubitari,an lex ab initio fuerit umquā pro tali caſu impoſita,ſicut dum dubitatur de lege in generali,dubitatur ſimpli- 43. *In dubio,an lex comprehendat ſive ab initio comprehenderit certū caſum eſt poſſeſſio pro libertate.*

ſimpliciter, an lex umquam fuerit poſita. Idem cum *Salas* & aliis cenſeo conſequenter ob eamdem rationem dicendum contra *Sanchez, Palao, Ovìedo,* & alios, quandò quidem conſtat legem impoſitam eſſe, ſed dubitatur, an ſubditus ratione ſpecialis neceſſitatis hìc & nũc excuſetur: tunc enim ſimiliter directè dubitatur, an lex umquã fuerit, ſeu an obligatio intraverit circa iſtum caſum, vel an ab initio ſit comprehenſus ſub præcepto, æquè ac quando dubitatur de toto præcepto, ſeu an in communi præceptum illa de re ſit poſitum. Immo in iis non attenditur, quid in communi, ſed quid in particulari ſit vel non ſit præceptum. Secùs eſt in dubio de abrogatione vel diſpenſatione: nam tunc ſupponitur certa obligatio fuiſſe, ſed dubia liberatio: agnoſcitur enim caſus ille tamquam lege comprehenſus, & cauſâ, ſcilicet diſpenſatione ſeu abrogatione (quæ in facto conſiſtit, nec præſumitur) etiam certò ſuppoſitâ, non concluditur ipſum non fuiſſe lege contentum, ſed potiùs contentum quidem fuiſſe, at ratione diſpenſationis vel abrogationis ſupervenientis (quæ non conſtat, nec præſumitur) eſſe à lege ſolutum.

Plurima alia, quæ hìc moveri poſſent, tractantur ſparſim in Theologia ſecũdùm diverſas occurrentias materiæ. Fuſiſſimè autem de illis agit *Franciſcus Bardi diſcept. 6. de Conſcientia dubia*, collectis ex quavis materia controverſiis de eo quid in dubio ſit agendum.

QUÆSTIO V.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

44. *Quid ſcrupulus.* SCRUPULUS nihil eſt aliud, quàm levis quædã ſuſpicio orta ex levibus fundamentis, quã apprehenditur ſive formidatur malitia actionis vel omiſſionis. Deſumptâ metaphorâ à parvo quodam lapillo, qui in calceo pedem urget, & propriè ſcrupulus nominatur. Subinde autem ſcrupuloſus ex ſuſpicione & formidine progreditur ad exiſtimationem ſive judicium, quo credit rem ſe habere ſicuti formidat, quod judicium Varii appellant conſcientiam ſcrupuloſam: revera tamen pertinet ad conſcientiam erroneam. Ideoque Alii ordinariè per conſcientiam ſcrupuloſam intelligunt ſcrupulum ſtatim explicatum, qui impropriè dicitur conſcientia. His præmiſſis

Non eſt propriè conſcientia; alioquin ſpectaret ad conſcientiam erroneam.

45. *Licitum eſt agere contra ſcrupulos.* Communiter eſt receptum apud Theologos, Caſuiſtas, & Scriptores ſpirituales, licitum eſſe agere cõtra ſcrupulos ſive conſcientiam ſcrupuloſam. Nam ſtante levi ſuſpicione de malitia operis, poteſt haberi judicium rectum de illius bonitate: unde tũc non operatur ſcrupuloſus contra conſcientiam, ſed contra inanem formidinem conſcientiæ junctam, quod licitũ & meritorium eſt. Si autẽ ſcrupuloſus formaverit judiciũ de malitia actionis, debet illud rejicere: aut etſi ſpeculativè perſeveret, equidem practicè judicare poteſt, honeſtum ſibi eſſe hìc & nunc operari ex conſilio aliorum, aut aliis motivis.

Alioquin ſi ſcrupuloſus habeat judicium practicum, quòd omnibus ſpectatis non liceat ſibi hìc & nunc actionem exercere, non poteſt contrà agere, donec judicium illud deponat: quia hoc eſſet formaliſſimè agere contra conſcientiam, quod juxta omnes non licet. Quàmvis autem oriatur ex levibus fundamentis, hæc quidem reddunt hominem facilem ut judicium illud deponat, verè tamen eſt dictamen practicũ conſciẽtiæ incompoſſibile cum dictamine practicò de bonitate actionis. Idem eſt de practico dubio: nam etiam cum cõſcientia practicè dubiâ, etſi ex frivolis objectis ortâ, nemo poteſt operari, niſi ipſa priùs deponatur. *Non tamen contra judicium practicum (ſi quando adeſſet) eo non depoſito.*

Unde patet ſcrupuloſos frequenter conjicere ſe ipſos in grave animæ periculum: quamquam prudens Cõfeſſarius non facilè debeat credere ſcrupuloſis affirmantibus ſe habuiſſe dictamen practicum de malitia actionis; cùm etiam tunc, quando ſibi certi videntur, vix habuerint judicium ſpeculativum, ſed frequenter ſolas apprehenſiones, de quibus ob ſuam turbationem nequeunt judicare. Quocirca notat *Marchant* vir in omni praxi exercitatiſſimus *To. 1. Tribun. Sacram. Tract. 5. tit. 6. q. 5.* debere Confeſſarium in primis curare, ut penetret ſtatum ſcrupuloſi: exinde autem non debere credere ſcrupuloſo, etſi ille putet ſe enucleatè omnia explicare, maximè in iis, quæ ad cõſenſum vel diſſenſum voluntatis in tentationibus & aliis fluctuationibus ſpectant, ſed debere rẽ ipſam tacitè & imperturbato animo expẽdere, & ex re ipſa (attento qualiter ſe ſcrupuloſus antè & poſt habere ſoleat) non autem ex ſcrupuloſi narratione judicium ferre. Fluctuatio enim ſeu perturbatio animum poſſidens omnem narrationem inficit: dicunt enim & affirmãt frequenter ſe varia pati in volũtate & in corpore, quæ ſunt tantùm in imaginatione: ſe conſentire; cùm tamen in re ipſa appareat conſtantiſſimus diſſenſus. Nam (ut notaverat *quæſt. 4.*) quæ in imaginativa & appetitiva ſenſibili ſeu animali fiunt, ſimilia ſunt iis, quæ in intellectu & voluntate fiunt. Ex quo fit, ut ſcrupuloſi actus potẽtiarum animalium accipiant pro actibus intellectûs & voluntatis. Accedit colluſio dæmonis ipſos tot imaginationibus & ratiocinationibus obruentis, ut iis ſe aſſentiri & conſentire per rationem & voluntatem videantur. Eadem verò quæ à dæmone fieri ſolent, poſſunt ferè efformari mirabiliter à melancholico ſpiritu per vim imaginativam. Quòd ſi huic ſpiritui ſimul ſe dæmon immiſceat, in ſupremo periculo vel deceptionis vel fatuitatis verſatur ſcrupuloſus. Ita *Marchant q. 4. cit.* 46. *Quod ſubfuiſſe non facilè credendum eſt.* *Monitio pro Confeſſariis.*

47. *Poteſt ſæpè adeſſe obligatio agendi contra ſcrupulos.* Addo non ſolùm licere, ſed etiam ſæpè obligari ſcrupuloſum agere contra conſcientiam ſcrupuloſam modo explicato: non ſolùm quia ſequendo ſcrupulos imprudēter agit, ſed etiam quia plurima frequēter mala inde oriuntur: nam ex continua anxietate in operando naſcitur tarditas ſpiritûs, & tædium in exercitio bonorum operum. Deinde conſequuntur motus deſperationis & puſillanimitatis de operibus bene præſtandis: unde tandem naſcitur omniū bonorum operum contemptus. Atque ita per hujuſcemodi inquietudines in principio ſub ſpecie pietatis & timoris Domini ſuggeſtas intendit dæmon mētem hominis continuâ cōſcientiæ torturâ ſuperatam à Deo tamquam duro exactore alienare. Inſuper homo ſæpè reddit ſe inutilem ad ſua munia obeunda; & non ſolùm gravi periculo animæ, ſed etiam corporalis infirmitatis vel amentiæ exponit. Ex quo capite etiam mortaliter peccare ſcrupuloſi poſſunt.

48. *Variæ ſcrupulorum radices.* Variæ porrò ſunt ſcrupulorum radices, quarum nonnullæ frequenter ſimul concurrunt. Primò complexio frigida & melancholica ac naturalis timiditas: ſicut enim in ceteris materiis, ſic etiam in præſenti inveniuntur naturaliter timidi & ſuſpicioſi. Quæ complexio per humores adventitios, & pravum habitum frequenter creſcit. Secundò ignorantia & parvum judicium. Tertiò amor proprius & nimius peccandi timor rationē perturbans. Quartò occulta ſuperbia, quâ quis alieno judicio non acquieſcens proprio nimiùm fidit. Quintò aſſidua cogitatio rerum de quibus eſt, ſcrupulus. Sextò converſatio cum ſcrupuloſis. Septimò permiſſio divina ad majorem profectum, vel in pœnam & expurgationem præcedentium peccatorum; ut frequenter patet in iis, qui ex vita licentioſa ad meliorem tranſire incipiunt. Octavò tentatio dæmonis ſcrupulos importunè ſuggerentis & exaggerantis.

49. *Varia item remedia.* Remedia contra ſcrupulos varia aſſignantur. In primis contra illos, qui oriuntur ex complexione melancholica, adhibēda eſt ſubtractio occaſionnm melancholiæ per amotionem objectorum triſtium, per honeſtas & gratas occupationes, per excitationem ſpiritûs & purgationem humorum. Deinde ſi oriantur ex converſatione cum ſcrupuloſis, eadem converſatio eſt ſubtrahenda. Generaliora autem remedia contra ſcrupulos ſunt hæc. Primò ferventer orare, divinumque auxilium implorare. Secundò cum humili reſignatione has animi moleſtias acceptare de manu Domini, reputando ſe indignum, qui conſcientiæ ſerenitate, utì Sancti, perfruatur, ob peccata & neglectum divinæ gratiæ, eaſque offerendo in ſatisfactionem cum fiducia futuræ ſerenitatis. Sic enim minùs acriter tentabit dæmon videns ſe eludi, & ſcrupuloſum ex ejus tentatione fructum reportare; & ita tandem ſolita redibit tranquillitas Deo per humilitatem placato. Tertiò per honeſtas occupationes mentem avertere ab initiis ſcrupulorum: nam motâ unâ phantaſiâ ſæpè multæ ſubſequuntur, quas poſtea compeſcere vix eſt in hominis poteſtate. Quartò ſentire de Domino in bonitate, & ex miſericordiæ illius conſideratione ſcrupulos explodere. Quintò ſi ſint ſcrupuli circa confeſſiones præteritorum, vitare anxiam præteritorum peccatorum recordationem, & confeſſionum repetitionem: adeò ut ſcrupuloſus qui moralem adhibuit diligentiam, nihil in ſequentibus repetere debeat, niſi certus ſit, & ſe mortaliter peccaſſe, & confeſſum non eſſe. Addunt Aliqui pro valde ſcrupuloſis, niſi audeant id jurare: nam dubitatio & anxietas in ſcrupuloſis faciunt probabile argumentum in oppoſitum; cùm tales etiam ſoleant in manifeſtis dubitare. Deinde non tenetur quis ad integritatem materialem confeſſionis cum notabili damno (quæ ob notabilem difficultatem confeſſioni extrinſecam in multis caſibus non obligat) quale incurrit ſcrupuloſus indulgendo ſcrupulis: ſic enim confeſſio, in levamen & conſolationem conſcientiarum à Chriſto inſtituta, foret potiùs carnificina & tortura earumdem, ſi juxta inclinationem ſcrupuloſi eſſet obligatio menſuranda. Similiter circa præterita v.g. conſenſum præſtitum, non judicet ſcrupuloſus ſe peccaſſe, niſi certò ei conſtet. Nec judicet ſe mortaliter peccare in aliquo, niſi quod ei abſque dubio & formidine mortale peccatum apparet. Immo juxta varios Doctores poteſt quis eſſe adeò ſcrupuloſus, ut credere non debeat eſſe mortale, quod tale eſſe non audeat jurare. Et quamquam hoc remedium communiter à Doctoribus aſſignetur, tamen non ſemper ſufficere docet experientia; cùm talis ſit quorumdam conditio, ut jurarent ſe commiſiſſe id quod minimè commiſerunt. Unde

Sextò utiliſſimum remedium eſt, ut ſcrupuloſus depoſito proprio judicio, & non obſtantibus ſuis ratiocinationibus, per omnia ſe ſubmittat judicio & verbo pii & prudentis confeſſarii: cùm manifeſtum ſit, Deum non plus exigere à tali perſonâ ſic afflictâ. 50. *Vtiliſſimum remedium.* Confeſſarius autem ſit in ſuis reſponſionibus reſolutus: meticuloſa enim illius reſponſio in conſcientiis ſcrupuloſorum, immo & ſimplicium timoratorum facilè antiquas anxietates relinquit, aut etiam promovet; ut experientia docet illos, qui direxerunt conſcientias Monialium aut aliarum devotarum vel ſcrupuloſarum perſonarum. *Cautela pro confeſſariis.* Ne etiam ſcrupulus ſcrupulo ſuperinducatur abſtinendum eſt Confeſſario à multis diſcurſibus & probationibus: quia in illis frequenter non deerit ſeges copioſa novorum ſcrupulorum; ſed urgendus eſt ſcrupuloſus, ut ſimpliciter cre-

ter credat Confeſſario. Idem etiam non permittat ſcrupuloſo promiſcuè confiteri ſcrupulos, nec rationibus illius deferat, vel auditum præſtet. Non eſt etiam conſultum, ut ad ſingula conſultorem ſuum ſcrupuloſus adeat, ſed ad ſemel traditam formam liberiora ſibi judicia concipiat, & per ſe ipſum contra ſcrupulum agat, illum impediendo, vel potiùs contemnendo, & cogitando eſſe indignum, ut quis talibus nugis ſe implicet, quibus impediatur, ne ſe poſſit utilioribus applicare. Denique curare debet Confeſſarius, ne ex jejuniis, vigiliis aliiſq; auſteritatibus vel mediis oriatur in ſcrupuloſo vacuitas cerebri, ac inde nata ſequi fatuitas vel phreneſis.

51. *Cautela altera.* Pro directione Confeſſariorum notat quoque *Marchant ſup. quæſt.* 5. in fine, motus varios animi non rectè vulgò reputari dubia vel ſcrupulos, aut conſenſum vel moroſitatem peccaminoſam; quæ tamen ſunt naturales animæ paſſiones, & pœnæ ignorantis ac inconſtantis naturæ, magìs concludentes averſionem à peccato, quàm conſenſum ſeu opus. v.g. eò quòd quis apprehendat cadere ſeu peccare, primò naſcitur in anima *timor* ſeu formido quædam; Secundò ſi tentatio vel periculum urgeat, accedit *tremor*, qui ſe extendit etiam ad opus: Tertiò ſi apprehendatur difficile effugium naſcitur *anguſtia* ſeu quædam oppreſſio cordis; Quartò ſequitur *anxietas*, quæ eſt filia quædam anguſtiatæ ſolicitudinis circa futurum vel poſſibilem eventum: Quintò ex anxietate nimia naſcitur *turbatio*: Sextò ex turbatione *triſtitia*, quæ etiam in corpore ſuas impreſſiones habet: Septimò cauſat *dolorem* etiam graves morbos cauſando: Octavò ex dolore *inquietudo* tanta ſubinde egreditur, ut ſomnus pereat, cogitatio continua cerebri ſedari non poſſit; cujus Nonò finis eſt *delirium*. In quibus nil peccati, nil veri dubii vel fundati ſcrupuli reperitur, ſed meræ paſſiones naturales animæ. Unde diſcant Confeſſarii obſtare principiis, ne ſeriùs medicina paretur.

Finaliter obſerva pravos & melancholicos humores & corporalem indiſpoſitionem in quibuſdam hominibus eſſe tales ſive adeò vehementes, ut circa particulares materias perturbatâ ratione cauſetur mania ſeu delirium partiale; quo laborantes dicuntur habere conſcientiam fatuam ſeu hypocondriacam. Cum talibus non eſt agendum ratione, ſed medicinis, & habenda patientia, donec humor ille tranſeat. Unde fit, ſimiles defectu ſufficientis uſûs rationis non peccare in iſta materia, in qua maniâ laborant. Eorum autem conditio ex diſcurſibus ac rationibus eorum, aliiſque circumſtantiis à prudenti Confeſſario eſt dijudicanda. 52. *Quid conſcientia hypocondriaca ſeu fatua.*

Plura videri poſſunt apud Scholaſticos hic, & Summiſtas V. *Conſcientia*, aut V. *Scrupulus*, & ſignanter *Richardum Hallum in ſuo opere de quinquepartita Conſcientia*.

DISPUTATIO QUINTA.

De Peccato in Communi, ejuſq; Diviſionibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Peccatum?

1. *Peccatum generaliter quid ſit.* PECCATUM generaliter ſignificat actionem defectuoſam vel ejus defectum. Quo ſenſu opera artificioſa, quæ deviant à regulis artis vocantur peccata. Immo etiam quandoque opera naturæ, ut monſtra, teſte *Ariſtotele* 2. *Phyſic.* 8. Interdum etiam in Scriptura ſumitur peccatum pro effectu peccati propriè dicti; ut *ad Rom.* 7. *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt, *concupiſcentia ex peccato orta*, ut exponit *Auguſtin. lib.* 1. *Retract. c.* 15. Aliquando etiam ſumitur pro cauſa peccati. Quo modo etiam concupiſcentia ab Apoſtolo dicitur peccatum, quia videlicet *non ſolùm ex peccato eſt, ſed etiam ad peccatum inclinat*, ut docet *Trid. ſeſſ.* 5. *in fine Decreti de peccato Originali*. Et *Deuter.* 9. vitulus aureus, qui fuerat Iſraëlitis occaſio peccati, dicitur peccatum: *Peccatum* (inquit Scriptura) *veſtrum quod feceratis arripiens igne combuſſi.* Denique victima ſeu hoſtia, quæ pro peccatis offertur, vocatur peccatum 2. *ad Cor.* 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Id eſt, Deus dedit Chriſtum in victimam pro noſtris peccatis. Simili phraſi *Oſea* 4. dicitur: *Peccata populi mei comedent*, ſacerdotes videlicet, id eſt, oblata pro peccatis populi comedere ſolent.

Sumitur interdum pro effectu vel cauſâ peccati,

Aut pro victima, quæ offertur pro peccato.

Communiſſimè tamen ſumitur peccatum pro ipſa deviatione libera à lege, ſive pro tranſgreſſione legis. Omiſſis autem variis ejuſdem definitionibus (quas numero viginti recitat *D. Bonav.* 2. *d.* 35. *in Expoſ. textûs Magiſtri dub.* 6.) famoſiſſima peccati definitio & paſſim recepta 2. *d.* 35. & *Primâ ſecunda q.* 71. *art.* 6. eſt illa deſumpta ex *S. Auguſtino lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 27. *Dictum factum vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Ubi dictum, factum, concupitum, explicat materiale peccati, nempe ipſum actum, vel omiſſionẽ liberam. Quod addo: nam ut peccatum omiſſionis contineatur, debet ſub dicto etiam intelligi non dictum, ſub facto non factum, ſub concu- 2. *Definitur peccatum Theologicum.*

pito denique non concupitum; ut rectè monet *D. Thomas art. cit. ad* 1. Præterea *dictum* & *factum* non intelliguntur cum excluſione, ſed potiùs cum incluſione *concupiti*, quod (ut rectè *Scotus* 2. *d.* 37. *q.* 1. *n.* 11.) eſt materiale proximum omnis peccati; ut ſenſus ſit, quòd omne peccatum aut eſt dictum & concupitum, aut factum & concupitum, aut concupitum tantùm, ut rectè *D. Bonav. ſup. dub.* 1.

3\. ***Formale illius eſt oppoſitio ad legem Dei.*** Formale verò peccati explicatur per ultimam particulam, *contra legem Dei ſeu æternam*; ut rectè *Scotus ſup.* & alii Theologi. Nam peccatum formaliter eſt tranſgreſſio legis; adeò ut generaliter verum ſit illud dictum Apoſtoli *ad Rom.* 4. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio.* Unde *Ambroſius lib. de Paradiſo c.* 8. *Quid eſt* (inquit) *peccatum, niſi prævaricatio legis divinæ & cæleſtiũ inobedientia præceptorum. Auguſtinus* etiam alibi (ſcilicet *l.* 2. *de conſenſu Evangeliſt. c.* 4.) peccatum definit *tranſgreſſionem legis.* Et clariſſimè *l.* 2. *de Peccat. merit. & remiſſ. c.* 16. inquit: *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur, ut non ſit.*

Qualiter illa reperiatur in omni peccato. Nomine autem *legis æternæ* intelligitur divina ratio & voluntas, quâ aliquid jubet vel prohibet fieri. Huic contrariatur omne peccatum ſive mortale ſive veniale: nam etiam veniale aliqualiter eſt contra legem Dei, quamquam non contra legem gravem ſeu principalem, neque contra finem legis, qui eſt charitas, quam peccatum veniale ſecum compatitur. Ac proinde à graviſſimis Scholaſticis per quamdam principalitatem & antonomaſiam tribuitur peccato mortali eſſe contra legem Dei. Omne inſuper peccatum, quod adverſatur legibus poſitivis, etiã humanis, in conſcientia obligantibus, eſt pariter remotè & radicaliter cõtra legẽ Dei ſeu æternam, quæ jubet ut obediamus præceptis ſuperiorũ, etiam hominum.

Unde etſi rectè & clarè peccatum definiri potuiſſet, *Actio vel omiſſio contra legem*; quia tamen de peccato Theologico agitur, & quatenus eſt offenſivum Dei, optimè definitur per oppoſitionem ad legem Dei ſive æternam. Maximè quia lex æterna eſt cõmuniſſima, cui omne omnino peccatum adverſatur; eſt tamen lex Dei regula remotior, quæ debet applicari per rectam rationem & conſcientiam, & applicatur eo ipſo quo ratio dictat aliquid eſſe malum: cùm ratio divina judicet, & voluntas divina jubeat omne illud eſſe fugiendum.

4\. ***Si nulla omnino foret lex, nullum foret peccatum propriè loquendo.*** Dices: Etſi per impoſſibile nulla omnino eſſet lex divina, equidem odium Dei, blaſphemia & ſimilia forent peccata, utpote intrinſecè & eſſentialiter mala ac diſſona naturæ rationali. Reſp. adhuc tunc fore legem naturæ, nempe ipſam naturã rationalem, ut plures docent, vel potiùs intrinſecã talium actuum diſconveniẽtiam cum natura rationali, cui ex ſe diſconveniũt, ſicut calor aquæ. Si tamen lex naturæ non ſtatuatur in prædictis, ſed in aliquo actu intellectûs, vel potiùs voluntatis divinæ (ut docet *Suarez* & alii) atque etiam in iſta hypotheſi poſſibili vel impoſſibili talis actus ſecludatur, odiũ Dei & ſimilia forent equidem mala, & homini diſconvenientia, non tamen peccata, utpote contra nullam legem; adeò ut peccatũ neceſſariò debeat carere rectitudine debitâ ex lege: quæ autem Sententia de ratione legis naturalis ſit verior, in Materia de Legibus reſolvetur. Peccata verò, quæ omni lege divinâ ſecluſâ committerentur contra dictamen rationis naturalis dictantis ea eſſe mala, appellantur à quibuſdam peccata philoſophica; per quod ſignificare hi volunt, peccatum Theologicũ ſeu prout eſt Theologicæ & Chriſtianæ conſiderationis deſumendum per ordinem ad legem Dei, juxta ea quæ à nobis ſunt dicta.

Ex his colligitur I. actum peccaminoſum eſſe moraliter pejorem vitio habituali. 5. ***Peccatum eſt moraliter pejus vitio.*** Sicut è contrà melius eſt bene agere, quàm poſſe bene agere. Ratio eſt: quia non vitium ſed actus vitioſus liber eſt formaliter malus, Dei offenſivus ac demeritorius: vitium autem tantùm eſt malum, quatenus ab actu malo efficitur, & ad illũ viciſſim facilitat ac inclinat. Sed phyſicè loquendo tã actus vitioſus quàm vitium eſt bonum; & quidem actus phyſicè eſt melior & perfectior vitio habituali, ſicut & ceteri actus cenſentur perfectiores habitibus ſaltem naturalibus.

Colligitur II. in omni peccato præſertim morali reperiri varias deordinationes, ***In quolibet reperitur averſio à Deo & converſio ad creaturam.*** quæ poſſent dici generales ſeu tranſcẽdentales, nec ſunt in Confeſſione explicandæ. Et in primis juxta *Auguſtin. l.* 2. *de lib. arbit. c.* 19. & alios Patres ac Doctores reperitur averſio à Creatore ſeu bono incõmutabili, & converſio ad creaturam ſeu bonum commutabile. Idem etiã indicat Scriptura *Hier.* 2. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vitæ* (en averſio à Deo) *& foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas &c.* en converſio ad creaturam.

6\. ***Peccatum diverſimodè avertit à Deo.*** Multiplex autem in peccato etſi nõ ſpecialis cõſiderari poteſt averſio à Deo, ſcilicet tãquam ſummo bono, amico, legiſlatore, benefactore, Principe & Domino, ac fine noſtro: hoc ipſo enim quòd legi divinæ reluctamur contra legem charitatis & amicitiæ ſupremum bonũ offendimus, rem aut quaſi rem adeò ei odibilem faciendo: contra eamdem legem offendimus amicum, diſſonãtiâ affectuum ſive voluntatum, quarum conſonantiam amicitia exigit, adeò ut ſi grave peccatum ſit, peccator odium Dei incurrat, ipſaq; divina amicitia penitùs deſtructâ gratiâ ſãctificante deſtruatur: offendimus quoque inobedientiâ noſtrâ ſupremũ legiſlatorem: offendimus ingratitudine noſtrum benefactorem, cùm indubiè ſit irrationabilis ingratitudo offendere illum, à quo tot tantaq; ſingulis momentis, atque eo quo quis peccat momẽto accipit: offendimus irreverentiâ ſu-

tiâ ſupremum Regem & Principem, ipſo inſpiciente mandatũ ejus violando: offendimus injuriâ ſupremum Dominum, utendo creaturâ contra ipſius volũtatem. Denique avertimus nos à Deo tamquam fine noſtro ſupernaturali: ſuppoſito enim quòd homo ſit ordinatus in illum, & quidem tamquã obtinendum per obſervãtiam legis divinæ, eo ipſo quòd deflectit à lege, deflectit etiam à fine ſupernaturali. Non apparet tamen hæc averſio peccato eſſentialis: nam eſſet peccatũ, ſi vel non eſſemus ordinati in finẽ ſupernaturalem; vel nõ eſſet præſcripta fuga peccati tamquam medium, ſed quilibet nõ obſtantibus quibuſcumq; forent ad illum evehendi. Quamquam peccatum ex ſe habeat neceſſariò quamdã averſionem in actu primo, quatenus ex natura ſua exigentiam ſeu proportionẽ habet, ut ob illud Deus meritò ſe tamquam finẽ à peccatore avertat. Quòd ſi denique bene conſideremus, non videtur de facto peccatũ avertere à Deo tamquam fine naturali (quãquam Varii aliter loquantur) cùm enim de facto Deus non ſit finis hominis naturalis, id eſt, in beatitudine naturali poſſidẽdus, non videtur peccatum de facto ab eo avertere. Ipſe tamen finis poſſeſſus ſeu beatitudo jam obtenta excludit non ſolùm peccata nova, ſed etiam præterita; eò quòd ſtatus beatitudinis etiam naturalis excludat ſtatum peccati, atque exigat pacem cum Deo perfectam.

Qualiter ei conveniat avertere à Deo ut fine, ſive ſupernaturali,

Sive naturali,

7. Petes I. An omne peccatũ ſit ſtrictè dicta & realis injuria Dei conſiſtens in uſu creaturarum invito domino. Reſp. id non quidem efficaciter oſtendi, ideoque Cardinalem *de Lugo* & nonullos alios hocipſum negare; tamẽ paſſim alios Doctores id aſſerere: tum quia ſic magìs propriè explicantur obviæ Auctoritates exaggerantes injuriã peccatoris contra Deum: tum quia cùm Deus efficaciſſimè deteſtetur peccata, congruentiùs ea vetuit, non ſolùm tãquam legiſlator ſeu titulo dominii juriſdictionis, ſed etiã tamquã ſupremus dominus, ſeu titulo dominii proprietatis, quo peccatores magìs à peccato avertantur; ad quod plurimùm movet cõſideratio divinæ injuriæ, quæ idcirco paſſim Fidelibus inculcatur: præſertim cùm difficulter appareat, quomodo duo præfati tituli, in Deo inſeparabiliter cõnexi, poſſint etiã in exercitio ab invicem ſeparari. Secùs eſt in Rege terreno, qui idcirco ſi per accidens ſit ſimul Dominus reſpectu mancipii, adeòq; jus habeat ad actiones illius, non cẽſetur tamen mancipium ſtatim committere injuſtitiã omittendo actiones præceptas vel faciẽdo vetitas; eò quòd non cenſeatur Dominus ſemper in rigore juris ſtricti ſeu dominii procedere, ſed potiùs obligare ſervũ vi præcepti obediẽtiæ. At in Deo dominiũ proprietatis & juriſdictionis inſeparabiliter ſe habent, immo unum in altero fundatur: habet enim inabdicabile jus, ut ſua voluntas impleatur; & ex altera parte firmiter vult, ut jus ſuum inviolabiliter ſervetur. Immo ideo eſt contra jus Dei, quia contra voluntatem: habet enim jus ut voluntas ſua fiat. Similiter ideo eſt cõtra voluntatẽ Dei, quia eſt contra jus: habet enim volũtatẽ ut jus ſuũ ſervetur. Ita arguit *Dicaſtillo d. 1. de Pœnit. n. 35. & ſeqq.*

Omne peccatum eſſe ſtrictè dictam injuriam Dei arguitur probabiliter,

Qui tamen mallet adhærere contrariæ ſententiæ, poſſet reſpondere: titulos quidem non poſſe ſeparari, bene tamen uſum eorũdem. Sicut etſi inſeparabiliter eſſet quis Rex & Dominus terrenus poſſet adhuc præcipere ſubdito tãquam dominus juriſdictionis, & non ſimul tamquã dominus proprietatis; idq; etſi poteſtas regia fundaretur in dominio proprietatis. Habet quidem Deus jus ut voluntas ſua (ut ſic dicam) dominativa ſervetur, non tamen ut ſervetur voluntas præcisè præceptiva; nam hoc nil aliud eſt, quàm habere jus ſeu poteſtatẽ præcipiendi, prout habet quilibet ſuperior. Habet etiam voluntatem ut jus ſuum ſervetur, quo in actu ſecundo vult uti, ſecùs ſi nolit. Nec ſufficientia adhuc decrunt motiva avertentia hominem à peccato. Auctoritates poſſẽt admittere facilè interpretationem largiorem. Accedit hujuſmodi malitiam formaliter nõ reperiri in iis ſaltẽ peccatis quæ cũ ignorantia illius vel ex opinione cõtraria cõmittuntur.

Sed non efficaciter,

Petes II. Quæ deordinatio in peccato ſit gravior, converſionis ſcilicet ad creaturam, vel averſionis à Deo? Reſp. indubiè hãc eſſe pejorem & graviorẽ: nam ratio & communis cõſenſus perſuadet plurimùm aggravari malitiam actionis ex hoc, quòd repugnet ſupremo bono illudque offendat. Immo in tantùm, ut juxta *Arriaga d. 41. n. 6.* ſi per poſſibile vel impoſſibile homo amplecteretur objectum, quod malũ in ſe eſſet, & putaret invincibiliter non eſſe contra Deum, non incurreret eam gravem malitiã peccati mortalis. Difficile namque apparet, quòd furtum v.g. unius floreni quatenus præcisè reſpicit proximũ aut rempublicã (idem eſt de aliis) ſeclusã offenſã Dei ſit tãtæ malitiæ, ut ſit dignum pœnâ æternâ, nec ſufficienter puniretur redditione v.g. cẽtupli aut morte corporali, aut aliquâ pœnâ tẽporali. Secluſo enim capite principali ex quo gravitas peccati deſumitur, cõſequenter ſecludenda videtur condignitas ad tam gravem pœnam. 8.

Averſio à Deo eſt gravior converſione ad creaturam.

Dices: Invincibiliter ignorantes Deum adhuc peccarent mortaliter rapinis, adulteriis, homicidiis &c. & tamen ab eorum peccatis abeſſet ratio offenſæ Dei, utpote non cogniti. Reſpondent Nonnuli etiam ejuſmodi peccatis fore offenſam Dei, cui verè ipſa diſplicerent, quiq; adhuc poſſet de peccatore quòd ſuas inſpirationes ſpreverit conqueri, eum punire, ac ſatisfactionem (quæ utique ſupponit perſonam offenſam) exigere. Verùm conceſſo caſu talis ignorantiæ (qui rarus aut brevis aut nullus eſt) admitti poſſet abfuturam à peccatis ejuſmodi ſtrictè offenſam formalem Dei, quatenus ad culpã ejuſve aggravationẽ poſſet cõducere; 9.

An in peccatis ex ignorantia Dei invincibili commiſſis eſſet offenſa Dei.

quæ omnino ſumi debet ex conditionibus rei operanti cognitis. Offenderetur quidem Deus quatenus ei omne malum diſplicet, poſſetque tamquam gubernator & judex univerſalis malum punire; non tamen offenderetur tamquam legiſlator, nec poſſet conqueri de peccatore tamquam legis ſuæ tranſgreſſore, aut Dei, vel inſpirationum quatenus Dei ſunt contemptore: ſpernere enim ſupponit notitiã aliquam. Unde conſequenter cenſet *Lugo* & plures alii talia peccata non fore mortalia, nec mereri pœnam æternam, damnandos equidem tales (ſi qui forent) ob originale, & puniendos ob reliqua tamquam venialia, ſicut ob hæc puniuntur ceteri damnati. Quæ quidem ſententia haud facilè convincetur falſitatis.

Non fore mortalia cenſet Lugo & plures alii.

10\. Quòd ſi urgeas I. ſequi fore tantùm venialia, quæ committuntur à Fidelibus cum naturali & omnimoda inadvertentia Dei; quæ in ordine ad culpã æquiparatur ignorantiæ invincibili. Reſpondent iidem Doctores Conced. Seq. Sicut enim dum nulla eſt advertẽtia malitiæ, nullum eſt peccatum; ſic dum non eſt advertentia gravis malitiæ non eſt grave peccatum. Dum equidem adeſt hæc advertentia, adeſt quoque advertentia gravis Dei offenſionis in homine Deum ejuſque legem non ignorante; adeò ut is ſine nova reflexione rogatus mox reſponderet ſe id bene cognoſcere. Sunt enim objecta adeò connexa, ut difficillimè & nõ niſi de induſtria ſeparari poſſint in cognitione. Prout etiam contingit in religioſo peccante contra caſtitatem, & conjugatò adulterante, quoad advertentiam ſtatûs ſui. Et ſicut (ut utar exemplo *Cardinalis de Lugo*) aſſuetus videre Petrum veſtitum, numquam niſi ex induſtria ipſum concipit ſine veſtibus.

Variis inſtantiis ſatiſfit.

Si urgeas II. ex eadem doctrina ſequi nõ peccaturum mortaliter, qui haberet deſiderium committẽdi homicidium, ſi non eſſet offenſivum Dei, quantumvis eſſet diſſonum rationi. Reſp. Neg. Seq. nam etiam talem actum internum ſeu reflexum, utpote rationi graviter repugnantem, Deus prohibuit, adeòque per hunc ipſum velut in actu exercito Deus graviter offenditur.

Si urgeas III. homicidium ex ſe ipſo eſſe contra dictamen rationis in materia gravi, adeòque ſufficere citra alium reſpectũ ad peccatum mortale; cùm quantitas peccati deſumatur ex quantitate materiæ. Reſp. gravitatem materiæ præcisè non ſufficere ad gravitatem peccati theologicã & quantùm ad pœnæ æternæ reatum, niſi accedat gravitas deſumpta ex oppoſitione ad legem Dei; quæ tamen ſeclusâ ignorantiâ proportionatè ſequitur gravitatem materiæ. Nec tamen hinc inferas injuſtitiam homicidii ex ſuo proprio objectò nõ fore mortalem: nam verè eſt mortalis, eò quòd ex proprio objecto repugnat legi Dei vetanti graviter talem injuſtitiam.

QUÆSTIO II.

An omne Peccatum ſit contra naturam?

RESP. Aff. cum *D. Thoma q.71. ar.2. Scoto 3. d.15. §. Quantùm ad primum*, & aliis communiter. Patet ex Patribus, ſignãter *Auguſtino lib.3. de lib. arbit. c.13.* ubi ait: *Omne vitium eo ipſo quo vitium eſt, contra naturam eſt*, & aliis. 11.

Omne peccatum eſt contra naturam.

Ratio eſt: quia omne peccatum eſt contra rationem, eo ipſo autem repugnat homini quatenus rationalis eſt, & conſequenter eſt abſolutè contra naturam hominis. Deinde omne peccatum nocet naturæ rationali, eamq; privat perfectionibus debitis in ordine ad ſuum finem; ergo eſt contra naturam rationalem: quemadmodũ virtus, quia eſt conformis naturæ rationali ut tali, eamque perficit, cenſetur juxta naturam & inclinationem hominis. Unde quàmvis nonnulla peccata cenſerentur conformia appetitui ſenſitivo, quia tamen repugnant homini quatenus rationalis eſt, cenſentur naturæ hominis contraria.

Ex quibus facilè colligitur, quâ ratione peccata quædam naturalia dicantur, quia nimirum ſunt conformia inclinationi appetitûs ſenſitivi, ſeu portionis inferioris, quæ reſpicit bona inferiora & delectabilia ſenſus, unde oritur continua pugna inter illam & portionem ſuperiorem, ſeu voluntatem per rationem directam, quæ debet inclinationem portionis inferioris juxta rationem moderari. De quibus loquitur Apoſtolus *2. ad Cor.4.* dum vocat hominem interiorem & exteriorem novum & veterem.

Quo ſenſu quædam dicantur naturalia.

Ubi obſerva, nonnulla peccata carnalia ſpecialiter dici contra naturam, v.g. ſodomiam, beſtialitatem, mollitiem &c. de quibus Apoſtolus *ad Rom. 1. Feminæ eorum immutaverũt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam. Similiter & maſculi &c.* Quæ ſic vocantur, quia non ſolùm repugnant rationi, ſed etiã ordini à Deo auctore naturæ præſcripto animalibus, ſive fini, qui eſt, ut per actum carnis generent ſibi ſimile. Nihilominus appetitus ſenſitivus non in iſtum ordinem formaliter, quem non cognoſcit, ſed in ipſas res ordinatas, prout proponuntur, naturaliter inclinatur: adeò ut ſi inſtinctus phantaſiæ brutorũ etiam cognoſceret illa delectabilia, quæ ſpecialiter dicuntur contra naturam, appetitus eorum non minùs in illa naturali propenſione ferretur, quàm in cetera.

Quædam verò contra naturam.

Dices I. *Sapientiæ 12.* dicitur: *Quoniam nequam eſt natio eorum & naturalis malitia ipſorum.* Reſp. dici naturalem alio ſenſu: quia videlicet Chananæi inveteratã à teneris annis conſuetudine peccandi à parentibus velut per manus traditâ, malitiam quodammodò 12.

Quo ſenſu malitia Chananæorum dicatur naturalis.

modò ſibi naturalem fecerant: quo modo conſuetudo dicitur altera natura, præſertim dum eſt velut innata, quàmvis depravata, indoles Nationis. Deinde malitia eſt naturalis, ſcilicet à nativitate, ratione peccati originalis; non quidem ex naturæ inſtitutione, ſed ex ejuſdem corruptione nativitatem comitante. Ita *Auguſtin. l. 2. de Nuptiis & Concupiſc. c. 8.*

Dices II. Aliqui dicuntur naturaliter propenſi ad certa vitia; ergo non ſunt contra naturam. Reſp. Antecedens ſic eſſe intelligendum, quòd quibuſdam vitiis certæ cõplexiones & naturalia corporum temperamenta quodãmodo ſubſerviant, quatenus ob illa appetitus ſenſitivus in uno magis propendet ad hæc objecta ſenſibilia, in altero ad alia, in quæ contingit ferri diſſentaneè rationi, niſi homo cautiùs invigilet.

Certa complexiones corporum ad certa vitia occaſionaliter inclinant rationem.

Dices III. Motus primò primi dicuntur naturales, & tamen tendunt in malum. Reſp. dici naturales, id eſt, indeliberatos ſeu non liberos, etſi contra naturam voluntatis.

Dices IV. In homine eſt potentia naturalis ad peccandum ratione liberi arbitrii; ergo peccatũ non eſt contra naturam. Reſp. non eſſe potentiam ad peccandum naturaliter inclinatam vel ordinatam, ſed potiùs ad bene ac rationabiliter agendum; etſi per accidens peccare poſſit, quia eſt defectibilis à bono ad quod ordinatur. Inde tamen non ſequitur peccatum eſſe juxta naturam; cùm etiam hoc ſenſu ſit in homine potentia ſe occidendi & faciendi ea quæ ſunt contra naturalem inclinationem. Similiter etſi omnis potentia habeat naturalem appetitum, ſeu potiùs capacitatẽ reſpectu omnis actûs ſecundi, poteſt tamen aliquis eſſe contra naturam ſuppoſiti; prout aqua habet capacitatem caloris, qui tamen naturæ illius repugnat. Sic igitur peccatum repugnat naturæ ſuppoſiti, quatenus ſpectatur in eo quod primariũ eſt, ſcilicet eſſe rationalem.

13. Ex dictis colligitur I. cur plures ſint dediti vitiis, quàm virtutibus, etſi virtutes ſint ſecundùm naturã & vitia contra illam: nimirum quia natura per peccatũ corrupta ab appetitu ſenſitivo trahitur ad bona inferiora ac delectabilia contra rationem. Deinde quia pulchritudo & ſuavitas virtutis eſt minùs nota, nec ita cadit ſub ſenſum. Unde plerique principiis & objectis ſenſibilibus inhærentes ad ea, quæ intelligibilia & ſecundùm rationem ſunt, ſe non promovent. His accedit aſſuefactio à teneris annis, & parcitas gratiæ, quæ nonnullis datur.

Cur plures vitia, quàm virtutes ſectentur.

Colligitur II. non eſſe ſuperfluas virtutes quibus homo firmetur in bono; nempe ob difficultates, quæ in virtutum, etſi connaturalium, exercitio occurrunt.

Colligitur III. etiam illa peccata eſſe contra naturam hominis, quæ repugnant virtutibus ſupernaturalibus, v.g. infidelitatem &c. nam etiam hæc nocent animæ, & repugnant rationi ac inclinationi hominis quatenus ſecũdùm rationem debet operari. E contrà actus virtutum ſupernaturalium, etſi ſint ſupra vires humanas, tamen ſunt ſecundùm naturam per gratiam elevatam, quæ per illos maximè perficitur, & ad illos maximè inclinatur. Sunt etiam juxta rationem, quæ dictat exercitium talium virtutum, ſuppoſito quòd ſint.

Peccata cõtra virtutes ſupernaturales adverſantur naturæ.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit ſubjectum Peccati?

Dico I. Voluntas creata eſt proprium ſubjectum peccati. Patet ex *Matth. 5. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Ratio eſt: quia voluntas defectibilis ſeu creata eſt ſubjectum actuum liberorum, quos elicit lege prohibente, vel elicere omittit lege præcipiente. 14.

Proprium peccati ſubjectum eſt voluntas creata

Dico II. Reliquæ potentiæ, quibus voluntas imperat, ſunt etiam ſubjectũ peccati. Patet: quia conſenſus voluntatis ſic eſt neceſſarius ad peccatum, ut tamẽ in ceteris potentiis peccatum conſummetur, & velut integraliter compleatur; v.g. hæreſis in intellectu, homicidium in potentia locomotiva, motus ſenſualitatis in appetitu ſenſitivo &c. quæ opera etiam verè ſunt & denominantur peccata. Equidem juxta communiorem ſententiam actus reliquarũ potẽtiarum non habent propriam & formalem malitiam, ſed ſicut tantùm habent libertatem extrinſecè participatam ab actu voluntatis, ſic tantùm participant extrinſecè formalem malitiam, quæ primò & per ſe in actu voluntatis reperitur. Poſito tamen quòd (ut Varii docẽt) actus externi, etſi non habeant propriam libertatem, equidem libertate voluntatis ſuppoſitâ, habeant propriam & formalem malitiam: dicendum foret etiam alias potentias eſſe ſubjectum peccati quoad propriam malitiam formalem partialiter. Utrum autem horum ſit veriùs, patet ex dictis *diſp. 3. q. 5. & 6.* 15.

Cum reliquis potentiis quibus ipſa imperat,

In his tamen ſolùm reperitur eadem malitia formalis qua in voluntate.

Solùm eſt notanda Opinio paradoxa, ſeu potiùs error *Caietani*, qui in ſenſualitate docuit poſſe reperiri peccatũ veniale, etiam citra libertatem & voluntatis cõſenſum, quaſi ſenſualitati inſit imperfecta quædam libertas. Quod ipſum tamen falſum eſt. Et confirmatur: quia pariter in pueris, ſtultis, dormientibus, immo brutis, ſenſualitas poſſet peccare ratione ſibi propriæ libertatis. Inſuper daretur peccatum quod non eſſet volũtarium, immo cui voluntas poſitivè repugnaret, prout ipſa frequenter invita patitur motus ſenſualitatis. Denique patet ex *Tridentino* & Auctoritatibus mox allegandis contra Hæreticos.

Citra cujus conſenſum in ſenſualitate ne veniale quidem reperiri certum eſt.

Dico III. Motus concupiſcentiæ exorti in ſenſualitate & prævenietes rationẽ (quos vocant primò primos) non ſunt peccata. Eſt de fide 16.

Refutantur Hæretici aſſerentes Mo-

tus ſenſualitatis primò primos eſſe in renatis peccata,

de fide contra *Lutherum*, *Calvinum* & alios Hæreticos noſtri temporis docentes illos eſſe peccata ex vitio fomitis. Patet ex *Trid. ſeſſ.5. can.5.* ubi definit, per baptiſmum tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet; non tollitur autem concupiſcentia. Unde de ea ſubjungit, *quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnātibus non valet.* Similiter tres Pontifices dānarunt hanc propoſitionem: *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: Non concupiſces.* Item hanc: *Concupiſcentia ſive lex membrorum, & prava deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.*

Ex Tridentino,

Scripturâ,

Probatur I. ex Scriptura *ad Rom. 7. Si autem quod nolo malum illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*; id eſt, ſi contra voluntatem ſentio motus partis inferioris ſeu concupiſcentiæ, nōn pecco, ſed id tribui debet concupiſcentiæ in me ex peccato relictæ, & ad peccatum inclinanti. Et *c. 8. Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*, id eſt, qui pravis motibus, quos inviti ſentiunt, non conſentiunt. Et *Jacobi 1. Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Partus autem ille non poteſt fieri ſine conſenſu voluntatis; nec ante hunc partum eſt peccatum.

Patribus,

Probatur II. ex Patribus, *Auguſtino l. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 4.* ubi de concupiſcentia ait: *Quod in baptizatis ad agonem interim manet, non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura.* Idem docet aliis locis, adeò apertè, ut *Calvinus l. 3. Inſtit. c. 3. §. 10.* ingenuè fateatur ſe *Auguſtino* repugnare. Plura Patrum teſtimonia vide apud *Bellarminum* & alios.

Et ratione Theologicâ multiplici.

Probatur III. ratione: quia ſi motus concupiſcentiæ ſunt peccata, etiam citra conſenſum, fruſtrà diceretur *Eccli. 18. Poſt concupiſcentias tuas non eas*, id eſt, illis non conſentias, ut rectè *Aug. l. 5. contra Julianum c. 3.* Deinde non ſunt peccatum in corpore dormientis, ergo multò minùs in corpore non conſentientis, ut optimè *Aug. l. 1. de Civit. c. 25.* Inſuper omne peccatum debet eſſe voluntarium & liberum; tales autem motus nullatenus ſunt liberi. Denique cùm impoſſibile ſit hos motus impedire, lex divina vel naturalis nos obligaret ad impoſſibile.

Nec obſtat præceptum: *Non concupiſces*: hoc enim ſolùm propriè prohibetur liber conſenſus in motus concupiſcentiæ, non autem ipſi motus involuntarii, niſi quatenus ſignificatur eos eſſe inordinatos, adeòque nos eos velle non poſſe.

Non obſtat etiam quòd *Auguſtinus 19. de Civit. c. 4.* & alibi Concupiſcentiam vocet vitium & malum: eſt enim vitium ſive defectus ac miſeria quædam proveniens ex peccato originali: eſt etiam malum quoddā objectivum, non tamen peccatum, niſi accedente conſenſu, ſaltem interpretativo, voluntatis.

Ex his refutata manet Opinio erronea quorumdam Antiquorum, qui hos motus aſſerebant eſſe peccata, ſaltem in infidelibus & non renatis. Nam apertè repugnat generali doctrinæ *Tridentini*, Scripturis, & rationibus allegatis. 17.

Ex quibus idem convincitur quoad necdum renatos,

Nec obſtat, quòd hi motus videantur ſatis liberi & voluntarii in Adamo reſpectu necdum baptizatorum: nam etſi libertas Adami ſufficiat ad peccatum originale, non tamen ad peccata actualia (qualia forent iſti motus) ad quæ requiritur libertas propria & perſonalis, ſicut ad cetera peccata à motibus iſtis diſtincta; ut fides docet.

Non ſufficit motus eſſe voluntarios in Adamo.

Manet etiam refutata quorumdam opinio, qui putarunt omnes motus ſenſualitatis ſatis ſubeſſe noſtræ voluntatis imperio, ut ſi nō omnes collectivè, ſaltem ſingulos impedire poſſimus, adeò ut ſemper ſint peccata, ſaltem venialia. Oppoſitum namque manifeſtè ſupponit Scriptura, *Concilium Tridentinum*, & *Auguſtinus* ſuprà. Experientia etiam docet illos ſæpè oriri abſque ulla advertentia, immo renitente voluntate. Unde ſenſus quoque communis habet, Doctores & Confeſſarios ac Studentes caſibus illos ſæpè pati inculpabiliter.

Non omnes ſubſunt voluntati noſtræ.

Dico IV. Si, poſtquam ratio ſufficienter advertit motum vel delectationem ſenſualitatis, voluntas ſe habeat negativè, nec cōſentiendo, nec poſitivè reprimēdo, ſed motum ipſum permittendo, non videtur peccare graviter per ſe loquendo, quando id non facit ex cōplacentia delectationis ſenſibilis, & ſibi ſatis firma videtur ad abſtinēdum ab omni conſenſu. Pro Concluſione referuntur *Alenſis*, *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Caietanus*, *Corduba*, *Navarrus*, *Toletus* & plurimi alii etiam Recentiores contra *Vaſquez* & multos alios præſertim Recentiores. Probatur: quia tunc abeſt cōſenſus voluntatis directus & explicitus; ut ſupponitur. Abeſt etiam conſenſus indirectus ſeu interpretativus: tum quia nemo poteſt prudenter interpretari illum tacitè conſentire, qui vult à conſenſu abſtinere: tum quia effectus permiſſus non cenſetur permittenti voluntarius imputativè, niſi adſit obligatio illum impediēdi; quæ, ſaltem gravis, in præſenti oſtendi nequit. Confirmatur: quia præceptum, *Non concupiſces*, eſt negativum; cui proinde voluntas ſatisfacit, ſi non conſentiat, nec periculo proximo conſenſûs ſe exponat. Deinde etſi voluntas teneatur regere appetitum ſenſitivum; id ſatisfacit, dum illius motibus non conſentit. 18.

Secluſo periculo non videtur gravis obligatio motus poſitivè reprimendi.

Probatur denique: quia ſi eſſet gravis obligatio hujuſmodi motûs amovēdi, eſſet etiam gravis culpa in continuatione cauſæ vanæ & inutilis (cujus utique continuandæ nulla eſt ratio) ex qua hîc & nunc oriuntur; cùm illam amovere ſit tunc mediū unicum amoven-

amovendi iſtos motus: Conſequens autem (de quo *Concluſ. ſeq.*) eſt contra ipſum *Vaſquez* & alios Auctores oppoſitæ Sententiæ.

19.
A qua, ſi eſſet, juſta cauſa excuſaret.

Adverte tamen juxta omnes juſtam frequenter poſſe occurrere cauſam non curãdi hos motus, dum videlicet oriuntur tempore quo aliis rebus eſt intendendum v.g. ſtudio, orationi, audiendis Confeſſionibus &c. ita ut non poſſimus ſimul commodè occupari in actuali diſplicentia carnalis delectationis: nam obligatio contraria faceret conſcientias perplexas, nec poſſet bene impleri. Deinde minus eſt periculum conſenſûs, dum animus aliis occupatur.

Quid conveniat in praxi.

Pro praxi autem expedit generatim homini caſto, ut quamprimùm advertit inordinatos motus corporis aut ſenſualitatis, ad Deum emiſſo cordis ſuſpirio eliciat diſplicentiam motûs inordinati, ſicque eo neglecto, animoque ad alia objecta converſo, in ſeriis actionibus fiducialiter pergat. Ita enim faciliùs ceſſant motus, quàm repreſſione interdum corporali. Immo hæc ſæpè eſt inefficax, & ex ea quandoque motus magis accenditur. Interdum etiam nullatenus eſt in poteſtate, amovere motum carnalem, ſive exteriorem, ſive interiorem cõſiſtentem in commotione ſpirituum ſeminalium; cui tamen frequenter jungitur, & ex qua naſcitur motus ipſius partis inhoneſtæ corporis. Experientia etiam docere poteſt, quo modo efficaciùs motus in ſe reprimi quiſque ſentiat: quem quidem modum omnino adhibere conabitur Deum ex animo timens.

Alioquin res eſt plena periculo, ſi homo ſibi præſens, nec aliis occupatus ſpontè permittat oriri motus, ſic ut nequidem aliquã illorum diſplicentiam ſentiat; idq; ob propenſionem naturæ corruptæ in ſenſibilia tactûs, ac ſympathiam voluntatis cum ſenſualitate: adeò ut magna videatur ſuperbia, tantùm de ſua virtute præſumere, ut circa objectum vehementer alliciens ſimul trahente appetitu ſenſitivo omnem poſſit voluntatis actum ſuſpendere. Adde, vix, & fortè ne vix quidem ſciri poſſe, utrùm voluntas omni actu careat circa objectũ, circa quod appetitus delectatur: ut proinde voluntas frequenter conſentiat, quæ cùm facilè poſſet, nec juſtam rationem permittendi habeat, non vult illos motus rejicere. Unde de talibus meritò timendum eſt, ne mentiatur iniquitas ſibi, ac ſub ſpecie probabilitatis voluntas ita ſe gerens occultè foveat moroſas & poſitivas delectationes.

20.
Ne levem quidẽ obligationem Nonnulli admittunt:

Dixi in Concluſione: *non obligatur graviter:* nam an ſaltem leviter obligetur motus ſenſualitatis reprimere, diſputatur inter Auctores noſtræ ſententiæ. Nonnulli negant: eò quòd ſi eſſet obligatio aliqua, deberet eſſe gravis; cùm ſit gravis materia, quæ juncta perfectæ advertentiæ ſemper fundat gravem malitiam in re à Deo prohibitâ. Quare dici poſſet obligationẽm eſſe nullam, ſecluſo periculo conſenſûs, niſi quatenus concurrere poſſet culpa venialis otioſitatis. *Sanchez* tamen & communiter alii affirmant: eò quòd voluntatis primaria obligatio ſit non ponendi tales motus; ſecundaria autem venialis, illos aliundè exortos poſitivè reprimendi. Sicut Doctores varii dicunt venialem eſſe malitiam in diſtributione beneficiorum quatenus præciſè eſt contra juſtitiam diſtributivam, ſeu non juxta merita aſpirantium; mortalem autem, quatenus eſt contra jus Eccleſiæ ad digniorem miniſtrum. Quare dici poſſet materiam alioquin gravem cenſeri levem factâ comparatione ad talem modum vel ad actum poſitivè reprimendi. Sicut etiam poſſet eſſe culpa venialis in ſubeundo abſque cauſa aliquod periculum, non planè proximum peccati mortalis. Sicut denique non eſt par culpa, tentationem admittere, & eidem tepidè reſiſtere.

Sed hanc ſaltem fatentur alii communiter.

Adverte, ad hoc ut foret obligatio gravis reprimendi motus v.g. carnales, requiri per ſe, & ſecluſo ulteriori periculo, ut ipſi quoque motus in ſe ſint graves; quales ſunt, qui propinquè diſponunt ad pollutionem, ſive quando adeſt notabilis commotio ſpirituum ſeminalium. Si enim commotio ſpirituum vel membri ſit modica, nullatenus eſt mortale illam non reprimere, etiamſi alioquin teneretur oppoſitum præmiſſæ Concluſionis. Nam etiam poſitivè conſentire in levem titillationem ſeu motum carnis naturaliter exurgentem non eſt mortale: cùm exiguam habeat indecentiam, nec niſi valde remotè & imperfectè diſponat ad pollutionem; nec ſit ratio, cur minùs hîc, quàm alibi detur levitas materiæ. Immo (etſi contradicat *Arriaga*) idem videri poſſet per ſe loquendo de procuratione levium motuum. De quibus *Baſſæus* V. *Luxuria n.* 19. referens *Sanchez* & *Bonacina* ſic loquitur: *Secùs ubi levis quædam diſtillatio & ſpirituum commotio procuratur; excuſaretur enim à mortali id procurans, ratione parvitatis materiæ, ceſſante omnino pollutionis periculo.* Nec videtur notabilis differentia ſpeculativè loquendo inter conſenſum in motus leves naturaliter exortos, & conſenſum in volũtariè procuratos. Utrobique autem ſupponi debet abeſſe periculũ proximum procurationis motuum gravium aut conſenſûs in illos aliamve libidinem: quod non ſemper adeſſe apparet v.g. in eo qui graves nullam ob cauſam umquam admittit, & tamen conſiderans motus leves conſiſtere cũ divina amicitia, ejuſmodi ſenſualitates non ita horret. Alioquin etiam valde durum foret, damnare peccati mortalis breviſſimum & leviſſimum feminæ aſpectum, aut manuum tactum, etiam dum quæreretur ibi ſenſibilis delectatio, qualis inde in parte inhoneſta eſt nata exurgere. Equidem practicè & ut plurimùm loquendo non improbo Sententiam *Arriagæ*.

21.
Motus carnales non omnes ſunt graves.

Vti nec conſenſus in illos naturaliter exortos,

An idem cenſendum de voluntariè procuratis.

Dico V. Motus ſenſualitatis ſunt peccata, 22.

Conſenſus etiam indirectus in motum ſenſualitatis eſt peccaminoſus.

cata, quando voluntas eis deliberatè conſentit, ſive directè, ſive indirectè in cauſa per ſe. Patet: nam præcepto, *Non concupiſces*, expreſsè prohibetur conſenſus in motus concupiſcentiæ. Deinde ſecundùm ſe ſunt inordinati: ergo voluntas peccat pro qualitate materiæ & periculi, dum illos vult directè vel indirectè. Porrò ut ſciatur quādo motus ſenſualitatis ſint peccata mortalia, dum ſunt indirectè voluntarii ſiue in cauſa

Nota effectum debuiſſe aliquo modo præviderì; aliàs non erit voluntarius. Deinde debet eſſe obligatio cauſam propterea vitandi, & tamen de facto non vitari. Cauſa

Quid cenſendū quando cauſa motuum eſt ſecundùm ſe licita,

verò horum motuum aliquando eſt ſecundùm ſe licita; & tunc juxta Doctores communiter non eſt obligatio gravis vitandi cauſam, etſi prævideantur hi motus etiam cum pollutione ſecuturi. Et generaliter nullum ſunt peccatum, quando cauſa quæ voluntariè adhibetur habet utilitatem vel honeſtatem, vel neceſſitatem aliquam ratione cujus non ſit curandum de motibus cōtingentibus. Aliàs innumeri laquei injicerētur animabus; cùm facillimè hi motus exurgāt ex naturæ fragilitate. Deinde homo habet jus tales actiones exercendi; à quo non debet arceri propter effectum qui per accidēs ſequitur ex corporis infirmitate, quem proinde potiùs cenſetur pati quàm agere. Debet tamen abeſſe ſeu non prævideri periculum conſenſûs in carnalē delectationem; alioquin eſſet obligatio vitandi cauſam etiā per ſe licitam; niſi urgens ratio vel neceſſitas excuſet, ob quam non poſſit cenſeri periculum amare, ſed potius ſperare poſſit gratiam copioſiorem ad reſiſtendum: prout excuſari poſſunt Chirurgi in neceſſitate medendi feminæ, Confeſſarius audiens confeſſionem feminæ in neceſſitate.

23. *Aut illicita quidem, ſed non ob malitiam luxuriæ,*

Aliquando autem cauſa horum motuum eſt illicita, ob aliam tamen malitiam, quàm luxuriæ v.g. ebrietas, comeſtio guloſa etiam calidorum, lectio curioſa rerum medicarum, aſpectus curioſus &c. Et tunc etiam non eſt obligatio ſub peccato mortali talem cauſam vitandi, ſi non adhibeatur illo fine (tunc enim certiſſimè committeretur grave peccatum) & ſecludatur periculum conſenſûs in delectationem veneream. Nam effectus illi tantùm tunc cenſentur permiſſi: cùm talis cauſa, etſi prohibita, non ſit tamen prohibita in ordine ad illos effectus, quorū tantùm cenſetur cauſa per accidens, & remota diſpoſitio; ipſi autem potiùs cēſeantur provenire ex naturæ fragilis impulſu. Alioquin ſanè, ſi ſtatim eſſet peccatum mortale ponere ejuſmodi cauſam remotam ex qua aliquis exponitur periculo ſimilium motuum, vix quidquam poſſemus legere, operari, videre & colloqui ſine peccato mortali; cùm ex quavis actione, etiam honeſtâ, quā homines agunt inter ſe, facillimè hi motus exurgant: quàmvis ob illorum indecentiam oporteat ſaltem ſub veniali vitare, quantùm commodè aut ſine detrimento corporis & animæ poſſumus.

Quid cenſendum ſi cauſa ſit in genere luxuriæ mala, ſive leviter.

Idem Multi docent, quando eſt cauſa venialis in genere luxuriæ, ut levis tactus manûs, viſus, locutio, aut lectio aliquantulum libidinoſa, & leviter turpis: nā etſi illi effectus ſint aliquo modo voluntarii in cauſa, tamen ſolùm imperfectè; cùm cauſa leviter tantùm influat, potiuſq; cenſeantur effectus provenire ex cauſa naturali. Deinde difficile valde eſſet debere ſub mortali vitare omnes cauſas leviter laſcivas ratione gravis motûs aliquo modo prævisi. Multi tamen putant hanc obligationē eſſe gravem: eò quòd cùm abſit ratio talem cauſam ponendi, videatur ſemper adeſſe aliquis conſenſus implicitus, vel tacita intentio illius effectûs. Quidquid ſit, indubiè frequenter & facilè contingit, ut qui tales cauſas venialiter luxurioſas ſine juſta ratione in ſe admittūt, ſive ex cognita ſentētiæ probabilitate, ſive aliundè, foveant in corde ſuo conſenſum in ipſos effectus ſive motus. Unde qui coram Deo gloriari poteſt caſtum ſe habere cor, non ſolùm ab ejuſmodi cauſis & occaſionibus abſtinebit, ſed etiam hanc ſibi præfiget regulam, non admittendi vel cōtinuandi cauſas, etſi alioquin non malas, quarum nec eſt utilitas nec neceſſitas, ſeu quas abſque ullius momenti incommodo relinquere quis poteſt; præſertim ſi prævideatur ſecutura pollutio: maximè cùm *Rodriguez* & alii gravem tunc cenſeant eſſe obligationem à cauſis hujuſmodi abſtinendi; nec improbabiliter, juxta *Baſſaum* V. *Luxuria n.9.* Addo lapſum perſonarum antea Deum timentium, & aliàs notabilium, plerumque à ſubdolis prætextibus originem ducere, dum primò ſub ſpecie piæ charitatis aut conſolationis blanda & ſuperflua colloquia, aſpectus, tactus manuum vel faciei admittuntur, cùm occultis cōcupiſcentiæ motibus, & tandem ad apertas fœditates fit progreſſus, inſtigante diabolo, qui columnas iſtas aperto marte aggredi verebatur. De quo videndus *D. Bonav. Opuſc. de puritate conſcientiæ c.14. To.7.*

Sive graviter. 24.

Denique ſi cauſa ſit gravis in genere luxuriæ, adeòque ſit cauſa per ſe & propinqua diſpoſitio ad graves motus vel pollutionem, indubiè eſt peccatum mortale ſpeciale ratione hujus effectûs, ſi aliquo modo prævideatur: qui enim vult talem cauſam moraliter etiam vult effectum. Tales cauſæ ſunt oſcula laſciva, tactus impudici &c. Poſſet tamen urgente neceſſitate contingere, ut cauſa alioquin per ſe talis effectûs, moraliter non cenſerētur talis: v.g. tactus partis inhoneſtæ feminæ ob neceſſariam curationem; cùm enim tunc adhibeatur ob alium finem, non eſt ita nata excitare propriam carnem, ſicut quando talis neceſſitas abeſt. Motus autem inordinatus, qui ſimul obreperet, non cenſeretur volitus, ſed juſta de cauſa permiſſus.

QUÆST.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit Cauſa Peccati?

25. NOTA in Peccato reperiri duo, nempe ipſum eſſe phyſicum, quod dicitur materiale peccati, & eſſe morale, id eſt deformitatem ſeu malitiam moralem, quod dicitur formale peccati. Hoc autem non habet ſpecialem cauſam efficientem, ſed potiùs deficientem, quatenus cauſa entitatis phyſicæ peccati (præter quam nil eſt in peccato phyſicè cauſabile) per accidens cauſat malitiam ejuſdem formalem. Non quòd quælibet cauſa actûs phyſici cenſeatur cauſa peccati formalis cui illud imputetur; ſed quia cauſa actûs, liberè illum eliciens lege & conſcientiâ prohibente, adeòque liberè deficiens à regula debita in actu, cenſetur quoque moraliter cauſa ipſius defectûs & conſequenter malitiæ.

Peccatum habet cauſam deficientem.

26. DICO I. Propria & interior peccati cauſa eſt ſola voluntas creata deficiens à ſua regula in operationibus liberis. Patet: quia ipſa ſola eſt proprium principium libertatis cum defectibilitate; cui proinde imputatur defectus, ſi quis contra legem ſeu regulam in opere vel omiſſione reperiatur.

Propria illius cauſa eſt voluntas creata.

DICO II. Habitus vitioſi voluntatis ſunt cauſa phyſica actûs peccaminoſi, quemadmodum ceteri habitus phyſicè efficiunt ſuos actus: non ſunt tamen cauſa moralis peccati formaliter; eò quòd ſint principium non liberum voluntati ſubordinatum.

Habitus vitioſi non ſunt cauſa moralis cui peccatum imputatur.

DICO III. Potentiæ à voluntate diſtinctæ, ſicut ſunt principium actuum, qui denominativè ſunt peccata ratione malitiæ participatæ ab actibus voluntatis; ſic etiam poſſunt eatenus dici cauſa peccati; cùm eatenus cauſent opus quod denominatur peccatum. Nihilominus non poteſt eis peccatum imputari tamquam cauſæ morali, cùm careant propriâ libertate. V.g. potentia locomotiva efficit actum externum homicidii, qui denominatur peccatum formale à mala voluntate liberè occidentis; peccatum tamen non imputatur potentiæ locomotivæ, ſed voluntati liberè imperanti externum homicidium.

Vti nec Potentiæ à voluntate diſtinctæ.

27. DICO IV. Eædem potentiæ ſunt ſæpè voluntati occaſio peccati: ſenſus quidem externi mediatè, phantaſia proximiùs, intellectus proximè proponendo voluntati objectum delectabile, & non attendendo ad regulas à Deo præſcriptas. Similiter appetitus ſenſitivus voluntatem inclinat ad conſenſum peccati; ut in hoc Tractatu *d.2.q.5.* dictum eſt. Et hâc ratione ad cauſas interiores peccati revocantur, non tantùm malitia voluntatis, ſed etiam ignorantia & paſſio ſeu infirmitas. Dum enim defectus provenit ex parte ſolius voluntatis aliundè ſpecialiter non inclinatæ, peccatur ex malitia; dum provenit ex parte intellectûs ignorantis aut non conſiderantis peccatur ex ignorantia; dum provenit ex parte ſenſualitatis allicientis peccatur ex infirmitate ſeu paſſione.

Quæ ſunt voluntati frequenter occaſio peccandi.

DICO V. Unum peccatum eſt ſæpè cauſa aut potiùs occaſio alterius peccati. Primò, quatenus generat pravum habitum, qui potentiam deinde inclinat ad ſimiles actus eliciendos. Secundò, quatenus unum peccatum eſt alteri affine vel quodammodò ſubordinatum. Sic levis deordinatio vel ſenſualitas diſponit paulatim ad graviorem, & initium peccati ad conſummationem. Similiter unum ſæpè eſt origo alterius, ut ebrietas rixarum, avaritia litium, & peccata capitalia velut matres plurima gignunt peccata, quæ idcirco eorum filiæ à *Gregorio* & Theologis vocantur. Tertiò, peccatum deſtruit gratiam & timorem Dei, quo ſemel excuſſo fit homo facilis ad iteranda etiam diſſimilia peccata, & tandem in illis obdurat. Quartò, amiſsâ gratiâ ſanctificante minuitur ſæpè gratia actualis; cujus defectu natura corrupta facilè & citò labitur in novum peccatum; ut Doctores communiter advertunt. Unde eſt vulgatum iſtud: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere in aliud trahit.* Nimirum quia (ut ait *Gregorius Homil. 11. in Ezechiel.*) *Si citiùs pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.*

Vnum peccatum eſt cauſa ſeu occaſio alterius.

DICO VI. Cauſæ exteriores peccati ſunt Primò, illecebræ mundi & carnis, videlicet objecta honorifica, delectabilia, utilia: quæ tamen ſunt tantùm peccati occaſio, & non cauſa moralis, cui peccatum imputari poſſit. Secundò diabolus, qui incitando ac tentando homines eſt cauſa moralis inductiva, cui peccatum verè eſt imputandum. Sic induxit primos parentes ad peccatum originale, quod quia eſt radix ceterorum, eatenus quodammodo eſt cauſa mediata omnis peccati. Eſt etiam cauſa immediata illorum peccatorum, quæ homo ſpecialiter illius inſtigatione aut ſimili concurſu admittit. Tertiò homo: nam etiam unus homo ſæpè eſt alteri cauſa peccati; ideoque diverſimodè poſſunt uni homini peccata aliena tamquam cauſæ morali imputari. Quàmvis non ſic; quin ſemper imputentur etiam operanti, qui non obſtante quâlibet inductione peccata vitare debuiſſet. 28.

Cauſæ exteriores ſunt mundus, caro, dæmon.

DICO VII. Deus non eſt cauſa peccati. Eſt fide certiſſimum contra *Calvinum*, *Melanchtonem* & nonnullos alios Hæreticos, qui blaſphemantes contra

Deus non eſt auctor peccati.

contra Deum dixerunt ipſum inſtigare, determinare ac movere homines ad peccandum. Quorum blaſphemias jam olim damnavit *Proſper Reſp. ad* 10. *object. Vincentian.* dicens: *Deteſtanda & abominanda opinio, qua Deum cujuſq; mala voluntatis aut actionis credit auctorem.* Et ante Proſperum *Auguſtinus l.* 2. *de peccat. merit. & remiſſ. c.* 18. dicens: *Malam voluntatem ad auctorem Deum eſſe referendam, nefas eſt dicere.* Et meritò: nam id repugnat evidentiſſimè Scripturis, ac ſanctitati Dei. De quibus ex profeſſo actum eſt 1. *p. Tr.* 1. *d.* 7. *q.* 4. Ubi pariter oſtenſum fuit, quo modo Deus dicatur excæcare & indurare peccatores, quod à pleriſque DD. hoc loco ſolet tractari. Qualiter deniqne Deus inſtar cauſæ primæ concurrat etiam immediatè ad entitatem phyſicam peccati abſque eo quòd cenſeatur velle aut cauſare peccatum, dictum eſt eâdem 1. *p. Tr.* 3. *d.* 1. *q.* 3.

QUÆSTIO V.

Qui ſint Effectus Peccati?

29. *Triplex Effectus peccati.* TRES communiter aſſignantur peccati effectus ſcilicet corruptio & vulnus multiplex naturæ, macula in anima relicta, & reatus pœnæ. Primus effectus potiſſimùm ſpectat ad peccatum originale, de quo *diſp. ſeq.* Nihilominus etiam peccatum *Primus, vulnus naturæ.* perſonale ſuo modo naturam corrumpit, & vulnera per peccatum originale inflicta auget. Corrumpit quidem naturam, minuendo & impediendo naturalem inclinationem ad virtutem, & per pondus pravorum habituum naturam inclinando ad vitia. Unde etiam hebetatur intellectus, induratur voluntas, accenditur concupiſcentia & mentis robur enervatur. Magìs autem id facit peccatum mortale, utpote quod magìs naturæ & rationi repugnat, & quo gratia ſeu charitas tollitur, ac homo indignus redditur actualibus auxiliis, quibus indiget non tantùm in ſupernaturalibus, ſed etiam plerumque in naturalibus, ne à vero aut bono deflectat.

30. *Secundus eſt macula.* Secundus effectus, ſcilicet macula, admittitur à Theologis unanimiter; eò quòd Scriptura aſſerat ratione peccati præteriti aliquem dici maculatum, ſive inquinatum *Eccli.* 31. *Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula. Hier.* 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me. Ezechiel.* 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Et alibi ſæpè. Similiter Scriptura frequenter aſſerit peccato actuali tranſacto, hominem adhuc denominari peccatorem, & manere in ſtatu peccati, donec illud remittatur, ut *ad Rom.* 5. *Cùm adhuc peccatores eſſemus.* Et alibi ſæpiſſimè. Et *Tridentinum ſeſſ.* 6. *cap.* 7. docet, in juſtificatione hominem ex injuſto fieri juſtum, & ex inimico amicum. Illud autem, à quo, tranſacto peccato actuali, denominatur homo peccator, rectè dicitur macula peccati; & cum ea confundi ſolet peccatum habituale.

Sed magna eſt controverſia, in quo hæc macula propriè conſiſtat. Nam (ut omiſ- 31. *Quæ non eſt corporalis.* tam quorumdam opinionem ſeu potiùs delirium, qui putarunt hanc maculam eſſe corporalem) Primò Nonnulli dixerunt eam nihil eſſe aliud, quàm peccaſſe. Quod (ſi *Nec præcisè ipſum peccaſſe.* nihil addatur) non poteſt admitti; eò quòd illud verum maneat, etiam poſtquam macula eſt per remiſſionem deleta. Ob ſimilem rationem non poteſt quoque conſiſte- *Neque pravus habitus,* re macula in pravo habitu per peccatum relicto: nam ille quoque in homine manet ſubitò juſtificato, adeòque maculâ ſublatâ.

Tertiò non poteſt cum plurimis Doctoribus macula peccati conſtitui in pri- 32. *Neque privatio gratiæ,* vatione gratiæ. Nam etſi gratia ſit animæ nitor & mundities, adeòque anima quodammodo maculetur, dum privatur hoc ornamento; ipſa tamen gratiæ privatio non poteſt dici macula peccati, à qua homo denominetur peccator, & quæ ſit peccatum habituale. Primò: quia peccatum veniale etiam relinquit poſt ſe maculam, & tamen non privat gratiâ aut gratiæ parte. Ex quo idem colligitur de mortali: nam mortale & veniale actuale ſæpè ſunt ejuſdem ſpeciei, v.g. furtum grave & leve, & conſequenter ejuſdem ſpeciei ſunt utrumque habituale: Neque enim facilè dabis duo eadem ſpecie, dum ſunt actu, & non dum ſunt habitu. Secundò in ſtatu puræ naturæ fuiſſet peccatum & peccati macula, non tamen privatio gratiæ. Tertiò abſolutè loquendo poſſet eſſe peccatum mortale, & tamen non deſtrui gratia: & è contrà poſſet condonari peccatum, adeòque macula illius deſtrui, gratiâ non reſtitutâ; aut etiam hâc reſtitutâ poſſet abſolutè peccatum remanere. Quartò macula peccati & habituale peccatum eſt multiplex; cùm tamen privatio gratiæ ſit æqualis, & ejuſdem rationis in omnibus peccatis mortalibus. Denique non magìs eſſet inquinatus peccatis qui mille mortalia, quàm qui unicum commiſiſſet; uterque enim eſſet æquè privatus omni gratiâ, ut rectè *Scotus* 4. *d.* 14. *q.* 1. *n.* 3.

Quartò alii ſtatuunt maculam peccati in 33. *Nec denique reatus pœnæ.* reatu pœnæ, ſive in deſtinatione hominis peccantis ad pœnam, quâ juſtè puniretur, ſi ſic moreretur, & cui proinde ſit eo ipſo obnoxius. Ita varii *Scotiſtæ.* Et communiter citatur *Scotus ſup. nu.* 6. Sed, ut rectè notat *Cavellus in Scolio* ſolùm vult nil dari medium inter actum peccati & obligationem ad pœnam, à quo, tranſacto jam actu, quis dicatur peccator; non docet tamen relationem illam ad pœnam, quæ de facto

facto & velut phyſicè manet tranſeunte actu, eſſe ipſum peccatum habituale (quàmvis eam appellet peccati maculã) ſed ipſum actum præteritum virtualiter manentem. Quòd enim ille moraliter maneat in ratione culpæ, numquam negavit *Scotus*. Immo *d.21.q.1.n.8.* expreſsè ait, ſecundùm Sanctos diſtingui inter remiſſionem culpę & remiſſionem pœnæ debitæ. Et quidẽ reatus pœnæ, quatenus eſt ſummè diſconveniens ipſi animæ, & ex peccato oritur, rectè dici poteſt peccati macula: non eſt tamen illa macula, à qua homo dicitur formaliter peccator & injuſtus, & quæ denominatur verè peccatum, ſcilicet habituale, cum quo coincidit. Primò: quia etſi nullam pœnam Deus ordinaſſet, equidem homo eò quòd peccaſſet, maneret ante remiſſionem in ſtatu peccati & pollutus. Nec refert, quòd equidem maneret radicaliter pœnâ dignus: nam hæc dignitas eſſentialiter conſequitur peccatum actuale, nec aliter exiſtit, quàm quatenus ipſum peccatũ adhuc manere cenſetur. Et hæc dignitas pœnæ (de qua juxta Nonnullos locutus eſt *Scotus*) diſtinguitur plurimùm à reatu, ſeu obligatione ad pœnam, de qua hæc Sententia loquitur. Secundò etiam poſito quòd pœna ſit conſtituta, poſſet abſolutè remitti peccatum reatu pœnæ manente. Sicut de facto remiſsâ culpâ, adeòque deletâ peccati maculâ, manet plerumque partialis reatus pœnæ: & ſicut remiſsâ poſt hanc vitam culpâ veniali (cum qua juſtus moritur, quique mox à morte de illa conteritur, adeòque remiſſionem accipit) manet reatus totius pœnæ perſolvendæ. Tertiò: quia alioquin macula peccati mortalis eſſet deſtinatio ad pœnam æternam, & macula venialis deſtinatio ad pœnam temporalem: adeòque dum remittitur mortale, mutaretur ordinariè in veniale, ſcilicet in reatum pœnæ temporalis; & dum remittitur veniale, ordinariè adhuc pro parte maneret, uti manet ipſe reatus pœnæ temporalis ordinariè pro aliqua ſui parte.

Qui poſſet remanere poſt remiſſionem culpa.

34\. *Quid ſenſerit Baius.* Accedit, quòd Sedes Apoſtolica hanc Propoſitionem damnaverit: *In peccato ſunt duo, actus & reatus: tranſeunte actu nil remanet, niſi reatus ſive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione propriè peccati reatus tantùm tollitur, & miniſterium Sacerdotis ſolùm liberat à reatu.*

Verumtamen *Baius* non negavit peccati maculam à reatu diſtinctam (prout ipſum declaraſſe teſtatur *Malderus*) adeòque permanentiam moralem actûs phyſicè præteriti; ſed in hoc deceptus eſt, & damnatus, quòd cùm actum præteritum fateretur manere ſufficienter ad hoc ut ſit objectum condonationis, nihilominus doceret miniſterium Sacerdotum ſpectare ſolùm remiſſionem reatûs. Nam *Tract. de Orat. pro Defunctu c.4.* (unde præmiſſa propoſitio deſumpta eſt) docet nos in hac vita purgari poſſe, *& ab actu, & à reatu*; ab actu quidem peccati per Deum ipſum, à reatu per Sacerdotes. Et *in fine cap.* inquit: *Deus, quãdiu in hac vita ſumus, per ſemetipſum ab operibus, & per miniſterium Sacerdotum etiam à reatibus peccatorum nos liberat.* Et Articulus in Bulla condemnationis ſubſequens idipſum declarat; qui ita ſonat: *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum & reſuſcitat, miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur.* Auctores maculam in reatu ſtatuentes totum quod principaliter agit Deus in remiſſione peccatorum & juſtificatione adſcribunt pariter miniſterio Sacerdotum.

Explicatur Auguſtinus. Nec obſtat *Auguſtinus in Pſ.31.* dicens, quòd Deum videre peccata nihil ſit, niſi punire peccata. Nam ita loquitur, quia remitti peccatum mortale, & remitti reatum pœnæ æternæ, ſunt individuè de facto connexa.

Non obſtat etiam idem *Auguſtinus l.6. contra Julianum c.19.* ubi docet, peccatum poſtquam præterit actu, manere reatu. Et cùm interrogaſſet: *Dic mihi reatus iſte quid ſit?* In reſponſione videtur ſatis apertè ſupponere, quòd ſit reatus pœnæ; ſcilicet, *ut* (inquit, *nulla ſit iniquitas impunita.* Idcirco *Vaſquez* fatetur *Auguſtinum* hujus eſſe Sententiæ: qui tamen dum eamdem *Scoto* malè tribuens cenſurat, eo ipſo *Auguſtinum* cenſurare convincitur. Sed poteſt *Auguſtinus* explicari de ipſo reatu culpæ, quem tamen deſcribit per aliquid concomitans ſeu conſequens: aut etſi ageret de reatu pœnæ, non tamen excludit reatum culpæ; qui etſi præteritus ſit, moraliter tamen manet, donec ſimul cum actuali reatu pœnæ remittatur.

Quintò denique plures Doctores, præſertim recentiores, meliùs cenſent maculam peccati ſeu habituale peccatum eſſe ipſum actuale peccatum præteritum moraliter manens. Manet autem moraliter ad dandam denominationem peccati, donec ſatisfactio ſufficiens Deo offenſo exhibeatur, aut aliàs illud à Deo condonetur. Non quòd non condonatio Dei ingrediatur præciſam rationem peccati habitualis; cùm illa pendeat à ſolo Deo, nec habeat aliquam deformitatem: ſed quòd ſit conditio neceſſaria, ut peccatum præteritum, ſaltem mortale, denominationem peccati tribuat; eò quòd non aliter illud moraliter poſſit deſtrui. Dixi *ſaltem mortale*: nam probabiliter poteſt homo in gratia conſtitutus exhibere condignam ſatisfactionem pro culpa veniali; ſic ut non intercedat gratuita condonatio, niſi quatenus Deus liberaliter ſtatuit acceptare opus iſto titulo, hancque adeò vim ei tribuit, & quatenus gratiam præbet ad opus faciendum. 35. *Macula ſtatuitur in actu peccati præterito moraliter manẽte.*

Condonat autem Deus partim poſitâ ſufficienti retractatione peccatoris, partim etiam ſine illa parvulis in baptiſmo; & condonare poſſet etiam adultis ſine retractatione. Ut proinde non poſſit macula peccati in eo conſtitui, quòd peccatum non ſit retractatum: quàmvis non retractatio ſit de facto conditio in adultis requiſita, ut peccatum actuale præteritum moraliter maneat; nec aliud credo voluiſſe Doctores illos, qui peccati maculam in non retractatione ſtatuerunt.

Ratio noſtræ Doctrinæ eſt: quia præter peccatum præteritum nihil poteſt reperiri, in quo peccatum habituale poſſit ſtatui; in ipſo autem moraliter manente abſque incommodo ſtatuitur: quandoquidem id quod verè inquinat & maculat animam, ſit ipſum præteritum peccatum, quo voluntas ſe avertit à creatore & convertit ad creaturam. Ipſum quoque eſt, quod Deo diſplicet, & ob quod homo eſt Dei inimicus ac pœnâ dignus.

36. *Qualiter nonnulli actus humani, qui phyſicè tranſierunt, moraliter maneant.*

Nec obſtat, quòd phyſicè trãſierit: nam non eſt novum, quòd actus humani etiam poſtea moraliter perſeverent in ordine ad dandam aliquã denominationẽ, ac effectus morales; ut patet in contractibus, qui manent donec diſſolvantur: item in votis, quæ manent, donec vel ſint impleta, vel per diſpenſationem aliumve modum relaxata, quantumvis pœniteat hominem contractûs aut voti, ſeu quàmvis ipſum retractet per contrariam voluntatem. Et ſignanter etiam in humanis offenſa alterius hominis & injuria cenſetur adhuc moraliter perſeverare, poſtquam phyſicè evanuit, ſcilicet donec detur plena ſatisfactio, aut fiat injuriæ remiſſio; deinceps autem deſinit permanere, nec alter ampliùs cenſetur manere injurius. Similiter ergo offenſa Dei cenſetur habitualiter permanere in ordine ad maculandam animam, & dandam denominationem peccatoris ſive culpabilis, quouſquè Deus offenſam condonet vel ſatiſfactionem liberaliter acceptet: nam citra condonationem & gratuitam Dei acceptationem non ſumus ſufficientes propriâ ſatiſfactione maculam, præſertim mortalem, diluere, & injuriam compenſare. Itaque tota deformitas peccati habitualis conſiſtit in actu præterito: ipſa autem permanẽtia habitualis ſeu moralis fundatur in natura talis actûs humani; quæ eſt, ut non tollatur, ſed in quodam effectu perſeveret, donec is tollatur. Effectus verò iſte videtur eſſe obligatio placandi Deum ſive ei ſatiſfaciendi: quæ non tollitur, niſi præviâ gratuitâ ordinatione de acceptando ſatiſfactionem condignam homo exhibeat (prout exhibere poteſt juſtus pro macula veniali) vel niſi citra condignam ſatiſfactionem (quam peccator pro mortali exhibere nequit) Deus gratuitò culpam extinctâ ſatiſfaciendi obligatione condonet. De quo fusè & eruditè *Oviedo Tr.6. Controv.8.pun.4. & 5.*

Tertius peccati effectus, pœna.

Tertius effectus generalis peccati, ſcilicet reatus pœnæ, exprimitur in Scriptura 37.
Pſ.36. Injuſti punientur. Proverb.13. Peccatores perſequitur malum. Ad Rom. 2. 2. ad Cor.5. & alibi. Unde *Auguſtinus in Pſ.58. Iniquitas omnis, parva magnave ſit, puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo homine pœnitente, aut à Deo vindicante.* Ratio eſt: quia peccatum eſt eſſentialiter pœnâ dignum, ideóque congruentiſſimè illam Deus de facto præſcripſit, ut qui ordinem à Deo inſtitutum voluntariè perverterunt, eumdem per pœnitentiam reſtaurent, aut certè pœnam inviti faciendo ad ordinem divinæ juſtitiæ reducantur. Unde *Fulgentius de fide ad Petrum c.21. Quia ordinem in ſe non ſervavit divinæ inſtitutionis, ordinem divinæ non effugiet ultionis.*

Quæ ſtrictè ſumpta eſt correlativum culpæ.

Adverte, pœnam ſtrictè ſumptam eſſe correlativum culpæ, & propter eam infligi, juxta illud *Auguſtini 1.Retract.9. Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Pro pœna tamen ſatiſfactoria ſufficit culpa etiam aliena; ut patet in Chriſto. Nec tunc poteſt propriè dici reus, qui patitur: quia hoc importat debitum pœnæ ſubeundæ ex ſuo peccato. Largiùs autem ſumitur pœna pro incommodo naturæ, & poteſt ab aliquo ſuſtineri ſine culpa: prout in ſtatu puræ naturæ ſuſtinuiſſet homo abſque culpa varias moleſtias ſive incommoda, v.g. morborum, mortis &c. Similiter pœnæ quædam dicuntur præſervativæ, quæ culpam non ſupponunt, ſed cavent. Inſuper ejuſmodi incommoda ſubinde oriuntur diſponente Deo ad ſuam gloriam, juxta illud Chriſti *Joan.9. Neque hic peccavit, neque parentes ejus* (ſcilicet ut cæcus naſceretur) *ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Denique frequẽter Deus ſibi amiciſſimos variis preſſuris & afflictionibus viſitat, non ſolùm ad purgationem præcedentium culparum, ſed præcipuè ad virtutis exercitium & probationem. Hæc omnia tamen de facto non fuiſſent, prout natura fuit primitùs inſtituta, niſi peccatum originale præceſſiſſet.

Deus poteſt peccata parentum punire occiſione filiorum innocentiũ.

Petes I. An Deus poſſit infligere mortem temporalem filiis ob peccata parẽtum? 38.
Reſp. Aff. Cùm enim ſit ſupremus Dominus, poſſet auferre vitam à prolibus, etiam ſine prævio peccato parentum; adeòque magis in pœnam peccati parentum. Sic ob peccatum Davidis inflixit mortem parvulo nato ex adulterio: & communi parentum clade ſæpè involvit parvulos, v.g. in Sodomis, in Jericho, in Chananæis, in Madianitis. Mors tamen iſta non eſt pœna propriè reſpectu ipſorum parvulorũ innocentium, ſed reſpectu parentum: cùm enim proles ſint aliquid patris, cenſetur incommodum earumdem afficere ipſos parentes.

Petes II. An etiam judex aut rex terrenus 39.

nus poſſit filios innocentes occidere ob crimina parentum? Reſp. Neg. cum Doctoribus communiter contra *Lyranum*. Id enim foret contra legem divinam naturalem quæ innovatur *Exodi* 23: *Inſontem & juſtum non occides.* Ratio eſt: quia non poteſt reſpublica directè occidere innocentem, neque ipſa habet dominium in vitam ipſius. Nec uſquam legitur hæc poteſtas à Deo conceſſa; quin immo lex vetus judicialis expreſſè idipſum judicibus prohibet *Deuteron.* 24: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Et quamquam id ipſa conceſſiſſet, nunc tamen facultas illa ceſſante ipſâ lege ceſſaret.

Non poteſt id judex terrenus, quantumvis Supremus.

Nec obſtat *L. quiſquis C. ad L. Juliam*; ubì ſignificatur contrarium de filiis reorum læſæ Majeſtatis. Nam commodè intelligitur de filiis maſculis, qui non ſunt omnino innocentes. Alioquin contineret falſam imperatorum exiſtimationē, quam refert, non approbat Innocentius III. c. *Vergentis*, *de Hereticis*.

40. Petes III. An Deus etiam adultis infligat mortem ob peccata parentum? Reſp. contra Nonnullos Neg. dummodo non ſint & ipſi filii perverſi, neque impleant menſuram patrum ſuorum; niſi fortè rarò & extraordinariè. Colligitur ex *Ezech.* 18: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Quòd autem ſit ſermo etiam de pœna temporali, patet ex principio capitis, ubì Deus reprobat proverbium Iſraëlitarum tamquam falsò uſurpatum, & Deo improperatum: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*; cujus proverbii occaſio fuit, quòd Prophetæ paſſim prædicerent Jeruſalem evertēdam ob peccata Manaſſes.

Non ſolet tamen Deus adultis innocentibus infligere mortem ob peccata parentum.

Nec obſtat illud *Deuteron.* 5. (quod etiam habetur *Exodi* 20.) *Ego ſum Deus æmulator reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem*; Nam *Hieronymus*, *Auguſtinus* & alii Patres id intelligunt de filiis, qui peccata parentum imitantur, quos, dum menſura peccatorum fuerit completa, graviſſimè punit, non quidem plùs quàm merentur, ſed quàm puniviſſet, ſi ſoli ipſi peccaſſent. Unde *Chaldæus* vertit: *Viſitans peccata patrum in filios transgreſſores, &c. quando filii ſequuntur peccata patrum.* Quare *Exodi* 34. repetitur eadem ſententia, poſtquam Scriptura præmiſiſſet. *Nullus apud te per ſe innocens eſt.* Et noſter Interpres poſt verba *Deuteronomii* hîc objecta ſubdit: *His qui oderunt me.* Quod afficit tam patres quàm filios malos, Vide *A Lapide in c.* 5. *Deuteron.* Quod autem dicitur: *In tertiam & quartam generationem*, id eſt, in multas generationes, phraſi hebræâ, juxta illud *Amos* 1: *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum* &c. Vide *A Lapide in locum cit. Amos.* Unde idem ſignificat quod ſubditur in Deuteronomio: *Et faciens miſericordiam in multa millia.* Exprimit autem tertiam & quartam generationem: quia eò uſque vita & memoria patrum ſolet durare. Adde ſignificari, quòd excedat miſericordia. Alioquin ultra quartam generationem viſitare Deum iniquitatem patrum in filios, patet *Matth.* 23. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus &c. à ſanguine Abel &c.*

Petes IV. An Deus, utpote ſupremus Dominus, poſſet de abſoluta potentia infligere innocenti cruciatus perpetuos ignis? Reſp. etſi non ageret contra juſtitiam, alienum tamen id foret ab immenſa illius bonitate. Sicut etſi poſſit Dominus ſine injuſtitia dirè affligere ſuum canem, & lento igne comburere; non tamen ſine crudelitate. Pariter itaque, etſi ſic affligere inenarrabili miſeriâ & tormentis creaturam innocentem non repugnet præciſè dominio Dei, repugnat tamen ipſius bonitati, & non fieret ſine crudelitate. Immo magìs diſſonum foret ſic vexare hominem, quàm beſtiam, in qua ex vehementia torturæ non erit periculum peccati. Unde ſic quoque rectè accipi poſſe videtur illud *Sap.* 12. *Ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute.* 41.

Repugnat divinæ clementiæ, infligi à Deo innocenti perpetuos ignis cruciatus; etſi id fieret citra injuſtitiam.

Dices: Poteſt titulo dominii hominem annihilare; ergo etiam ſic torquere. Reſp. Neg. Con. quia in annihilatione nulla eſt crudelitas, utì nec tortura, ſed tantùm ablatio exiſtentiæ liberaliter conceſſæ; adeòque eſt ceſſatio beneficii priùs collati.

Inſtabis: Ergo nec poterit leviter torquere. Reſp. I. Neg. Con. crudelitas enim non conſiſtit in indiviſibili; adeòque poſſet eſſe in inflictione gravis doloris, etſi non in inflictione levis. Reſp. II. tranſeat totum, ſi videlicet non ſuppetat rationabilis cauſa: ex honeſto enim motivo (diſtincto ſcilicet ab oſtenſione ſeu exercitio ſui dominii) poteſt Deus innocenti infligere v.g. aliquos dolores medicinales ad majus bonum. Sic etiam in ſtatu puræ naturæ fuiſſent naturales afflictiones orituræ ex cauſis naturalibus, quas Deus non tenetur impedire.

Petes V. An unum peccatum poſſit eſſe pœna alterius? Nec eſt quæſtio de omni omnino peccato: conſtat enim primum peccatum non poſſe eſſe pœnā alterius. Quantùm ad alia proinde peccata Reſp. poſſe aliquo modo unum eſſe pœnam alterius. Ita communiſſimè Doctores. Idemque tradit *Auguſtinus l.* 5. *contra Julian. c.* 3. *l. de natura & gratia c.* 22. & alibi ſæpè, & valde eleganter *Greg. Homil* 11. *in Ezechiel.* & alii Patres. Paterque ex Scriptura, quæ docet propter peccata præcedentia hominem à Deo excæcari, tradi in reprobum ſenſum, in deſideria cordis & immūditiam, *ad Rom.* 1. Et *Pſ.* 68. dicitur: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatē eorum &c.* Hoc etiam modo omnia peccata actualia ſic ſunt peccata, ut ſimul quodammodò ſint pœna peccati originalis, 42.

Unum peccatum eſt pœna alterius.

ginalis, juxta *Auguſtinum in pſ.*57.& alibi.

Ratione ſubtractionis gratiæ,

Porrò unum peccatum eſt pœna alterius, quatenus ob peccatum præcedens Deus homini ſubtrahit auxilium ad vitandum novum peccatum: auxilium (inquam) non quidem ſufficiens, ſaltem remotè, & neceſſarium; ut Quidam dixerunt, quos rejicit *Scotus* 2. *d.* 37. *q.* 2. *n.* 24. ſed auxilium efficax, ut docet *D. Thomas q.* 87. *a.* 2. & conſentit *Scotus ſup. n.* 25. circa finem; adeò ut peccatum ſubſequens ſit tantùm per accidens pœna præcedentis, propriè autem & per ſe pœna ſit ipſa ſubtractio beneficiorum gratiæ.

Quæ ipſa propriè & per ſe eſt pœna.

Subtrahit autem Deus non tantùm gratiam efficacem, ſed etiam frequenter proximè vel abundè ſufficientem: quin immo præbet occaſiones ſubinde peccatorum, non quidem ex intentione ut homo peccet, ſed ex altioribus & ſæpè occultis, juſtis tamen, Dei irati judiciis. Deinde peccatum ſubſequens eſt pœna præcedentis per accidens ratione alicujus effectûs v. g. doloris, ignominiæ &c. Sic luxuria manifeſta eſt eatenus pœna ſuperbiæ occultæ. Immo ipſum peccatum ſubſequens ratione talis effectûs eſt quodammodò pœna ſui ipſius.

43. *Unum etiam peccatum quà tale eſt quodammodò pœna alterius;*

Denique unum peccatum etiam quà tale eſt pœna alterius, ſumendo pœnam latè pro incommodo peccatoris. Ita *D. Bonav. Scotus ſup. n.* 22. & alii. Ratio eſt: quia peccatum formaliter privat maximo bono, ſcilicet honeſtate; adeòque non minùs eſt pœna quàm privatio boni commodi. Et quàmvis ſit voluntarium, quatenus activè procedit à libero arbitrio appetente bonum commodum contra rationem; tamen eſt involuntarium & contra inclinationem voluntatis in qua paſſivè recipitur, quatenus eſt malum morale ſeu defectus boni honeſti ac juſtitiæ, ut notat *Auguſtin. l.* 3. *de lib. arbit. c.* 13.

Immo & ſui ipſius,

Immo ſic quodammodò unum peccatum eſt pœna ſui ipſius: nam peccatum quatenus eſt activè à voluntate eſt pœna quatenus in ea recipitur tamquam privatio boni debiti. Quo modo *Scotus* intelligit illud *Auguſtini* 1. *Confeſſ. c.* 12. *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.*

Etſi impropriè.

Non loquitur tamen *Scotus* de pœna propriè dictâ, ut notat *Scholiaſtes*: nam illa debet eſſe reſtaurativa ordinis perverſi à culpa, debet conducere ad juſtitiam & commune bonum, debetque eſſe volita à Deo; cùm pœna & ultio propriè ſit opus Dei. Latè tamen loquendo de pœna, ſufficit, ut ſit incommodum procedens à Deo deſerente, non infligente; ut inquit *Scotus n.* 25. *circa finem.*

Quænam denique pœna ſingulis peccatis in foro Dei correſpondeat, maximè poſt hanc vitam, commodiùs alibi tractatur. Et quidem de propria pœna peccati originalis agetur *diſp. ſeq.* De pœnis verò peccati mortalis & venialis partim *Tract. prac. diſp.* 4. actum eſt, partim *diſp.* 7. *q. ult.* præſentis Tractatûs agetur.

QUÆSTIO VI.

De Diſtinctione ſpecifica Peccatorum.

DICO I. Specifica diſtinctio peccatorum deſumitur ex objecto & circumſtantiis: patet ex dictis *diſp.* 3. *quæſt.* 7. *& ſeq.* Illud igitur peccatum eſt ſpecie diſtinctum, quod ex objecto vel aliquâ circumſtantiâ habet ſpecialem cum recta ratione diſſonantiam, quam alterum peccatum non habet. Quòd ſi idem actus habeat objectum ſpecialiter repugnans rationi, ac inſuper circumſtantias rationi diſſimiliter repugnantes, erit formaliter multiplex ſpecie peccatum, ſeu habebit plures ſpecie malitias, & quidem ſi graves ſint, in confeſſione explicandas. Hinc 44.

Diſtinctio ſpecifica peccatorum ſumitur ex objecto & circumſtantiis.

DICO II. Oppoſitio ad diverſam virtutem & bonitatem indubiè ſufficit ad diverſam malitiam & peccatum; cùm talis oppoſitio peccatum ſit aut illud comitetur. Nihilominus non eſt neceſſaria: cùm etiam eidem virtuti poſſint opponi diverſa ſpecie peccata, ſi videlicet ei opponantur diverſâ ratione; prout liberalitati opponitur prodigalitas per exceſſum, & avaritia per defectum: inde enim juxta morale judicium reſultat in illis peccatis diverſa diſconvenientia, ſeu repugnantia cum recta ratione.

Ad eamdem ſufficit, non requiritur oppoſitio ad diverſam virtutem.

DICO III. Diverſitas objecti materialis non ſemper ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam peccatorum: ut manifeſtè patet in furto ovis, panni vel pecuniæ æquivalentis, ubi manet eadem peccati ſpecies. Quando tamen in diverſis objectis materialibus apparet diverſa & diſſimilis indecentia, ſunt peccata ſpecie diſtincta; ut patet in ablatione vitæ, honoris & bonorum fortunæ, in quibus relucet valde diverſa indecentia.

Diverſitas objecti materialis ſufficit aliquando, non ſemper.

DICO IV. Diſtinctio ſpecifica peccatorum non arguitur ex eo, quòd unum ſit grave & alterum leve. Patet: quia intrà eamdem ſpeciem v. g. injuſtitiæ poteſt peccari graviter & leviter, ſecundùm gravitatem & levitatem materiæ, aut perfectam vel imperfectam deliberationem. Et ratio à priori eſt; quia cum hoc conſiſtit indecentia ejuſdem rationis objectivæ.

Non ſufficit diſpar gravitas vel levitas.

DICO V. Diſtinctio ſpecifica peccatorū non rectè arguitur ex diſtinctione præceptorum, quando non verſantur in materia diverſarum virtutum: ſecùs eſt, ſi reſpiciant diverſas virtutes & intrinſeca ſeu formalia motiva. Ita plerique Doctores. Ratio primæ partis eſt: quia diverſitas peccati penſanda eſt ex objecto quod prohibetur; non autem ex præcipiente ſeu legiſlatore, qui ſe habet inſtar cauſæ efficientis extrinſecæ: pluralitas enim cauſarum efficientium conſiſtit 45.

Diſtinctio præceptorum circa eamdem materiam idemq; motivum non cauſat diſtinctionem ſpecificam peccatorum,

conſiſtit cum ſpecifica, immo & numericâ effectuum unitate. Confirmatur: quia etſi legiſlatores eorumque ſuperioritates ſpecie, immo toto genere diſtinguantur, ac ſimiliter eorum præcepta ſubjectivè ſpectata, v.g. lex divina quæ eſt actus Dei, & humana quæ eſt actus hominis: objectivè tamen præceptum eſt omnino idem, quando ſingula verſantur circa idem objectum & motivum intrinſecum. Sic v.g. furtum eſt lege divinâ prohibitum & humanâ, ut ſervetur juſtitia; inde autem reſultat eadem propoſitio objectiva: furtum eſt fugiendum, ut ſervetur juſtitia: ergo non reſultat inde ſpecialis malitia, uti nec ſpecialis contra virtutem aut rationem oppoſitio. Unde idem eſt conforme communi hominum apprehenſioni, qui non cenſent ſe ideo novum aut ſpeciale peccatum committere, ſed ſimpliciter attendunt quòd opus prohibitum ſit ob talem finem intrinſecum. Nec ipſi Confeſſarii ſolent ampliùs inquirere.

Etſi ſint præcipientes diſtincti, etiam ex parte juriſdictionis.

Hinc non eſt nova malitia, etſi idem ſit ſucceſſivè prohibitum à diverſis Pontificibus, diverſis Epiſcopis &c. ut apparet certum. Neque etiam ex eo, quòd idem ſit prohibitum per poteſtatem Civilem & Eccleſiaſticam, aut per Papam & Epiſcopum. Neque ſimiliter ex eo, quòd idem ſit prohibitum jure naturæ, jure divino poſitivo, & ſimul humano.

Unde unum committit peccatum qui vigiliâ incidente in quatuor tempora nonjejunat, aut feſto incidente in Dominicam non audit ſacrum,

Colligitur etiam committi unicum peccatum ab eo, qui frangit jejunium in Vigilia incidente in quatuor tempora, vel omittit ſacrum die feſto occurrente in die Dominico: quia utrobique eſt idem finis intrinſecus, & reſpicitur immediatè materia ejuſdem virtutis, videlicet abſtinentiæ vel Religionis; etſi accedat finis alius remotus & extrinſecus Eccleſiæ præcipiẽtis, quæ præcipiẽdo v.g. jejunium in Vigilia Sãctorum intendit Fideles reddere magis diſpoſitos ad cultũ eorumdem, prout etiam extrinſecè intendit in jejuniis ſedationem concupiſcentiæ, & in jejunio quadrageſimali conformitatem cum Paſſione Chriſti, diſpoſitionemque ad feſta Paſchalia. Hic itaque finis extrinſecus non cadit ſub præceptum, ſed intenditur obtinendus mediante illo, ad quod ipſum præceptum per ſe obligat, v.g. mediante exercitio abſtinentiæ, quod eſt proprius & intrinſecus finis legis jejunii. Denique colligitur committi unicum peccatum ab eo, qui tranſgreditur votum ſæpiùs circa idem repetitum: nam hæc voti repetitio ſe habet, ſicut repetitum ejuſdem rei ab eodem Superiore præceptum.

Aut votum ſæpè renovatum violat.

46\. *Secùs eſt, ſi præcepta reſpiciant diverſum finem intrinſecum aut materiam diverſarum virtutum.*

Secunda pars Concluſionis probatur: quia dum lex reſpicit materiam diverſæ virtutis, oritur in actu vetito diverſa difformitas & diſconvenientia cum ratione ſive virtute. Idque verum eſt ſive ſit idem legiſlator ſive diverſi, ſive ſimilis ſive diſſimilis ſuperioritatis.

Hinc inferunt Doctores percuſſorem Clerici præter peccatum injuſtitiæ committere peccatum ſacrilegii contra reverentiam ſtatui Clericali debitam. Similiter Religioſum peccantem contra caſtitatem ſimul peccare contra Religionem ratione voti. Item nonjejunantem die ab Eccleſia præcepto, quo ſimul vovit jejunare, peccare dupliciter, ſcilicet contra præceptum Eccleſiæ & contra votum. Idem communiter cenſetur (quàmvis Aliqui contradicant) de eo, qui non implet pœnitentiam Sacramentalem aliundè præceptam.

Exemplificatur in percuſſore clerici, luxuriante poſt votum &c.

Idem inferunt Varii de Franciſcano non jejunante Feriâ VI. incidente in vigiliâ.

Hinc etiam *Navarrus*, *Vaſquez* & plures alii inferunt Franciſcanum qui die veneris comedit carnes, aut violat jejunium Regulæ incidens in Vigiliam ſeu quatuor tempora peccare duplici peccato. Idem eſt de Franciſcano conſtituto in ſacris, ſi omittat Officium divinum ei ſimul vi Regulæ injunctum, aut tranſgrediente quodvis præceptum Eccleſiæ, ſi ſimul concurrat obligatio gravis vi Regulæ. Id tamen verum non eſt niſi ex ſuppoſitione, quòd præcepta Regulæ ſint vota ſeu cadant directè ſub votum, quo profeſſi ſunt Fratres Regulam obſervare. Immo id ſupponendo, committit Franciſcanus duplex peccatum infringendo regulæ præceptum, quantumvis non concurrat præceptum Eccleſiæ: unum ſcilicet contra præceptum, alterum contra votum.

Quod tamen pendet ex eo, an præcepta regulæ ſint vota.

47\. *Hoc autem probabile quidem eſt, ſed à pluribus negatur.*

Iſta nihilominus ſuppoſitio, etſi probabilis, non tamen certa eſt: multi namque Doctores Ordinis Franciſcani cenſent præcepta regulæ eſſe tantùm præcepta. Ita *Emanuel Rodriguez To. 1. qq. reg. q. 26. cap. 4. Miranda, Felix, Croëſers, Hieron. Rodriguez* & alii. *Immo Emanuel Rodriguez ſup.* ſpondet ſe tamquam veriſſimum & certiſſimum id eſſe oſtenſurum argumentis luce meridianâ clarioribus: nullũ tamen ejuſmodi argumentum deprehendere potui. Fundamentum potiſſimum eſt, quòd non videatur onus tam grave duplicatæ obligationis (cujus proinde violatio duplicatum faceret numerum peccatorum) imponendum ſine urgentiſſimo fundamento; quod non apparet ſubeſſe: cùm Pontifices (qui regulam exactiſſimè declararunt) id non expreſſerint, & aliundè videantur ſufficienter ſalvari ſalvanda. Immo ſatiùs fore videretur, ut nullum eſſet præceptum in regula, ſed omnia forent mera vota, ut unica ſit in tranſgreſſione malitia. Inconveniens quoque apparet, quòd tranſgreſſor voti ſolemnis & ſubſtantialis, v.g. proprietarius in materia gravi, peccaret unico peccato (ſecludo malitiam furti, quæ poteſt abeſſe) violans autem jejunium v.g. feriæ ſextæ peccaret duplici mortali peccato. Votum porrò ſervandi regulam in profeſſione emiſſum explicant hi Auctores ſolùm extendi directè ad tria eſſentialia vota, de quibus ſubditur: *Vivendo in obedientia &c.* quaſi voveatur vita regularis in tali Religione. Sic

Fundamentum negandi.

Sic enim vovet Franciſcanus tria eſſentialia vota, ut ſimul per votum ſe ſubjiciat Religioni, ipſique regulæ, quæ præcipit v. g. jejunium. Sicut Fideles per Baptiſmum ſe Eccleſiæ ſubjiciunt, alii per contractum incorporantur familiæ aut communitati: hâc autem ſubjectione & unione factâ, tantùm obligantur ad præcepta & regulas iſtius corporis vel Religionis intrà terminos præceptorum. Unde votum cadit ſuper omnia præcepta regulæ, quatenus voventem facit regulæ ſubjectum; adeò ut tranſgrediendo peccet & ſit punibilis, ſicut alius ſubditus leges communitatis non ſervans.

QUÆSTIO VII.

De Diſtinctione numerica peccatorum.

48. *Diſtinctio numerica peccati moraliter ex prudenti judicio determinanda in ordine ad confeſſionem.* DISTINCTIO numerica peccatorum ex diſtinctis numero malitiis ſeu contrarietatibus ad legem & rectam rationem eſt deſumenda. Qua in re non ſolùm phyſica, ſed maximè moralis actuum vel malitiarum diſtinctio eſt attendenda; quod plurimùm depēdet à judicio prudentis, qui determinet cenſeri moraliter eamdem vel non eamdem malitiam, in ordine ſcilicet ad forum Sacramentale. Fieri enim poteſt, ut quæ in foro Dei habent diſtinctam malitiam ac pœnæ demeritum, non cenſeantur tamen in ordine ad forum Sacramenti Pœnitentiæ niſi unum peccatum, ob quemdam moralem nexum ſeu unionem; ut ex dicendis erit manifeſtum. Et ratio eſt: quia cùm homines loquantur & cenſeant ita de unitate actuum, ut phyſica diſtinctio aut interruptio etiam frequens habeatur tamquam nulla, meritò creditur Chriſtum ſic tuliſſe præceptum de confitendo numero peccatorum, ut illa actio quantùm ad hoc cēſeatur unum peccatum, quæ juxta communem loquendi & ſentiendi modum cenſetur eſſe una actio; tunc autem cenſeatur multiplex peccatum, quādo actionis conditio vel interruptio eſt talis, ut juxta moralem hominum exiſtimationem cenſeatur multiplex. Hoc namque præceptum concernit homines, & in eodem foro homines ſunt judices; hominum igitur exiſtimationi fuit accommodandum. Aliàs etiam videretur eſſe de re per ſe loquendo moraliter impoſſibili. Sic communi hominum ſenſu miſſa eſt una actio, etſi interponatur cōcio, & fortè Celebrans ſub ea dormiat, horas legat &c. Similiter eſt moraliter una deambulatio, etſi inter ſingulos greſſus, & præſertim in termino ubì repedandum eſt, interponantur quædam morulæ. Ut itaque judicium de morali diſtinctione actuum & malitiarum, quantùm ad numerum, debitè & prudenter feratur

49. Obſerva I. Dum peccata ſunt opere completa & conſummata, etſi unum immediatè poſt aliud fiat, adhuc cenſeri peccata numero diſtincta; cùm immediata eorum ſucceſſio illa non conflet in unum numero opus ſeu peccatum in æſtimatione morali. Ita communiter Doctores. Unde qui plures copulas cum eadem femina continenter habuit, debet tot diſtincta peccata fornicationis confiteri. Similiter qui plures perſonas uno conflictu occidiſſet aut vulneraſſet, aut etiam impudicè attigiſſet, etſi ſimul unâ manu unam, & alterâ aliam. Item qui in malo ſtatu baptizaret unum, & ſtatim alium: aut qui ter indignè celebraret eodem die Natalis Domini conſequenter, vel plura Sacramenta irrita conſequenter efficeret. Idem eſt de eo, qui pluribus perſonis ſucceſſivè velut abſque interruptione miniſtraret Sacramentum pœnitentię: quidquid pauci contradixerint, quorum ſententiam probabilem cenſuit *Lugo.* Non enim magis cenſentur plures confeſſiones (quæ ſingula ſunt per ſe completa & diſtincta Sacramenta) moraliter uniri per hoc, quòd Confeſſarius expoſitus ſit unâ vice ad confeſſiones tunc advenrantium excipiendas, quàm Baptizans qui ſe unâ vice exponeret ad baptizandum plures infantes ordine quodam continenter delatos ad baptiſmum, vel inceſta mulier, quæ ſe unâ vice diſponeret ad copulas varias ſucceſſivè habendas. Idem etiam ob ſimilem rationem tradunt Doctores paſſim de indigna diſtributione Euchariſtiæ factâ cōtinenter pluribus communicantibus. Nihilominus *Vaſquez* & plures alii cenſent diſtributionem Euchariſtiæ in malo ſtatu non eſſe mortalem; & admiſſo, quòd ſit mortalis, adhuc *Marchant*, & alii cenſent in caſu poſito eſſe peccatum unicum in ordine ad confeſſionem: eò quòd in diſtributione Euchariſtiæ ſpecialiter ſpectari poſſit quædā moralis unitas deſumpta ex unitate convivii, quod à diverſis communicantibus, præſertim ſub miſſa & ex formulis in eadem conſecratis, veluti convivis ejuſdem convivii integratur.

Peccata opere conſummata, etſi immediatè invicem ſequantur, ſunt plura numero.

50. Obſerva II. Sicut in eodem actu poſſunt eſſe plura ſpecie peccata ſeu malitiæ, ſic etiam plura ſolo numero diſtincta juxta Doctores communiter, quidquid aliqui contradicant: ut ſi unico phyſico ictu quis occidat plures homines, unicâ narratione detrahat pluribus perſonis, aut eas unico actu contumeliâ afficiat, unico deſiderio velit integræ familiæ grave malum, concupiſcat plures feminas, aut fornicari pluries cum eâdem. Tunc itaque ſunt ubi plures numero malitiæ, ſic plura numero peccata formaliter, ſeu quaſi formaliter, ita ut neceſſariò debeant in confeſſione explicari. Ita communiter Doctores. Eſtque conforme communi praxi; adeò ut *Diana p. 3. Tract. 4. Reſolut. 164.* dicat id patere ex uſu omnium Chriſtianorum.

Poſſunt in eodem actu reperiri plures numero malitiæ, Adeòque in confeſſione explicandæ.

Probatur: quia morali judicio & communi

muni exiſtimatione talis ſe habet, ſicut qui diſtinctis actibus ſingulos occidiſſet, ſingulis detraxiſſet, ſingulos contumeliâ affeciſſet. Pariter etiam ille, qui multos verbo aut opere ſcandalizaſſet pertrahendo ad hæreſim, aliudve delictum, deberet omnino talem perſonarum multitudinem in confeſſione explicare: ſicut & ille profectò explicare deberet, qui ſæpiùs fornicari aut feminam in concubinatu retinere decreviſſet. Denique ſimiliter ille, qui ſemel habuiſſet animum non jejunandi per totam quadrageſimam, non legendi officium divinum per integrum menſem &c. Quòd ſi numerus hic ſit peccanti notus, facilè poſſunt malitiæ explicari, &, ſi fortè ex oblivione dixiſſet minùs, ſatisfaceret dicendo poſtea illud præciſè, in quo defecit. v. g. ſi is, qui voluit occidere decem homines, bonâ fide confeſſus fuerit ſe habuiſſe voluntatem occidendi octo; ſufficeret poſtea confiteri, ſe habuiſſe voluntatem occidendi duos: quando autem numerus non eſt ita determinatus, ſed indefinitus & confuſus, non poſſunt ita malitiæ diſtingui, aut in confeſſione explicari, ſed ſolùm juxta confuſam quam pœnitens habebat notitiam, explicando numerum quem veroſimiliter plùs minùs exiſtimare poterat; vel ſi dubitabat, an eſſet magnus vel parvus, dicendo ſe de hoc dubitare: ſicut in reliquis obligatur meliori modo quo poteſt explicare numerum peccatorum.

51\. *Differentia inter detrahentem pluribus & detrahentem uni coram pluribus.*

Nec dictis obſtat: quòd detrahens famæ unius coram pluribus tantùm committat unum peccatum: nam ille ſolùm lædit jus unius perſonæ, idque magis vel minùs, prout punctum eſt gravius vel coram pluribus detegitur; ideoque ex hac parte non eſt neceſſarium id explicare in confeſſione in ſententia illorum, qui docent circumſtantias notabiliter aggravantes non debere exprimi. Verùm quando pluribus perſonis ſimul detrahitur, fit ſingulis vera & diſtincta injuria; adeòque committitur injuſtitia numero formaliter multiplex, ac proinde in confeſſione explicanda. Dixi *ex hac parte &c.* nam quatenus audientibus datur ſcandalum, eò quòd inducantur ad audiendam detractionem, & ſic ad peccandum mortaliter, etiam eſt peccatum ſcandali formaliter numero multiplex, adeòque in confeſſione explicandum, quidquid dicat *Lugo*.

Malitias in eodem actu ſolò numero diſtinctas non eſſe diſtinctè explicandas non rectè cenſuit Lugo.

Nullatenus autem probandum videtur, quod cenſuit *Lugo d. 16. de pœnit. ſect. 3.* in voluntate v. g. occidendi tres homines, & ſimilibus eſſe quidem plures numero malitias formales, non eſſe tamen explicandas in confeſſione, eò quòd equidem ſufficienter explicari videatur numerus & ſpecies peccati. Quomodò enim ſatis explicatur numerus peccatorum, ſi non explicetur numerus malitiarum, quæ ſunt ipſum peccatum formale? Non enim numerus actuum phyſicorum, ſed peccatorum quà talium intelligitur à *Trid. ſeſſ. 14. cap 5.* docente, quòd ſint in confeſſione explicanda peccata ſigillatim, omnia videlicet & ſingula, ut expreſſit *cap. 7.* Quare etiam explicandæ ſunt juxta *Trid. ſup.* malitiæ ſpecie diſtinctæ, etſi in eodem actu velut ejuſdem circumſtantiæ reperiantur; eò quòd videlicet illæ conſtituant plura ſpecie peccata formaliter loquendo, & ſpeciem peccati mutent: adeòque idem cenſendum de circumſtantiis, ut ſic dicam, numericis, quæ faciant peccata formaliter plura numero, & numerum peccati (qui utique explicandus eſt) mutant. Unde *Dicaſtillo d. 9. de pœnit. n. 261.* dicit, opinionem *Lugo* vix videri receptam in praxi, aut recipiendam, & vix ab aliquo plenè aſſertam.

An vel quæ ſit differentia inter voluntatem occidendi plures homines, & furtum v. g. centum florenorum, quoad unitatem numericam malitiæ.

Peres, Cur in actu unico, quo voluntate vel opere occiduntur plures homines, 52.
ſit potiùs multiplex numero malitia, quàm in furto centum florenorum, aut equi tantumdem valentis; in quo eſt ſolùm unica malitia moralis? Reſponderi poteſt, hoc eſſe ideo, quòd plures injuſtitiæ in priori caſu non coaleſcant in unam totalem majorem, ſicut nec plura homicidia faciunt unum majus ex omnibus conflatum. At duæ quantitates v. g. pecuniæ faciant unam majorem, adeòque partialiter conſtituant unicum objectum totale furti majoris: ſicut quantitates plurium palmarum faciunt unã pedalem. Nec obſtat, quòd plures aurei v. g. poſſent diviſim accipi: nam equidem dum ſimul ab eodem recipiuntur, cenſentur hîc & nunc una quantitas; ſicut cenſetur una trabs, etſi poſſet dividi in plures cubos. Unde etiam non ſequitur diſtinctio numerica ex parte intenſionis v. g. majoris: nam etiam iſta circumſtantia facit tantùm quid unum majus intenſivè; uti duratio majus extenſivè. Sunt tamen qui exiſtiment etiam in furto tot eſſe numero diſtinctas malitias in confeſſione explicandas, quot ſunt in ſe vel in æquivalenti ſeu quoad valorem quantitates ſufficientes ſeorſim ad furtum mortale. Saltem virtualiter & æquivalenter ſunt ibi tot malitiæ: poſſet autem dici circumſtantias aggravantes eſſe explicandas, quando malitiam ſaltem virtualiter multiplicant, & ſunt humanitùs cognoſcibiles. Quod addo propter intenſionem gradualem, quam ſcire impoſſibile eſt per ſe loquendo; adeòque non cenſetur ipſa cadere ſub præceptum Chriſti, quod utique non reſpicit rem per ſe impoſſibilem, neque eſt conſcientiarum carnificina. Plures nihilominus haud gravatè concedunt nequidem quantitatem furti per ſe loquendo eſſe explicandam, dummodo non negetur, ac exprimatur furtum mortale eſſe commiſſum. De quo in materia de Pœnitentia.

Obſerva III. actus peccaminoſos phyſicè 53.
diſtinctos non diſtingui moraliter in ordi-

ne

Actus phyſicè diſtincti, qui ſe habent velut partes unius peccati completi, cenſetur unum numero peccatum.

ne ad confeſſionem, quando ſe habent velut partes unius peccati completi & totalis, faciuntque quid unum ſaltem moraliter, & ſic ſumuntur in æſtimatione hominum; qui proinde non debent diſtinctè explicari, ſed poſſunt confusè in uno peccato includi, niſi quòd ſpecialiter explicandæ forent, ſi quę intervenirent, circumſtantiæ mutantes ſpeciem. Sic qui pluribus ictibus uno velut impetu quempiam percutit cenſetur committere unum peccatum, utì unam pugnam. Item qui plura verba contumelioſa adverſùs alterum congerit: vel qui plures defectus adverſùs alterius famam detegit: vel qui pluries perjurium in eadem re repetit: vel qui plura verba blaſphemiæ in Deũ eodem impetu profert: vel (quod fatentur omnes) qui plures tactus inhoneſtos cum oſculis continenter exercet. Et ſic de ſimilibus. Ubi quàmvis etiam intercedat parva aliqua mora phyſica inter unum & alium actum, adhuc cenſebitur unum moraliter peccatum: ut ſi inter percutiendum quis aliquantulùm quieſcat, inter proferendas contumelias alter reſpondeat, & ille rurſùs contumelias ingerat.

Aſſignantur varia exempla.

Quæ Doctrina confirmari etiam poteſt ex eo, quòd Petrus ſolùm cenſeatur ter negaſſe Chriſtum; & tamen ex Scriptura conſtet ipſum unâ vice (quæ ſcilicet una reputatur) negaſſe pluries. Deinde ex c. *Cùm pro cauſâ 27. de Sentent. excommunic.* ſatìs apertè colligitur unam incurri excommunicationem à percuſſore clerici, quem tamen pluries verberaverat, in dormitorio ſcilicet & clauſtro, quia videlicet reputabatur una percuſſio. Ad propoſitum alia quædam allegat *Caſtro Palao P. 1. Tract. 2. d. 6. punct. 3. n. 5.*

Addit quoque *Diana P. 1. Reſol. 40. Tract. 7.* teſtem interrogatum de pluribus rebus & articulis ſub juramento, ac in omnibus mentientem ac pejerantem, committere unum peccatum, & poſſe id totum ut unum confiteri. Intellige, ſi ſit eadem cauſa, idemque examen. Similiter notat *Lugo d. 16. de Pœnit. nu. 545.* ſacerdotem indignè celebrantem committere unum totale peccatum, etſi interponatur concio, ac etiamſi tunc penitùs diſtrahatur, dormiat, horas legat &c. Idem eſt de comeſtione carnium die vetito, etſi diutiùs duret & interponantur colloquia: aut etſi quis ſurgat ad loquendum advenienti, & deinde redeat. De cetero relinquitur judicio prudentum: qualis unio vel continuatio (quæ non ſemper & ubique eadem requiritur aut ſufficit), vel diſcontinuatio inter actus externos cenſeatur facere illos unum vel moraliter multiplex peccatum.

Regula ordinaria hic ſtatuitur judicium prudentum.

54. Obſerva IV. actus peccaminoſos inchoatos cenſeri unum cum peccato conſummato in eadem materia, & ſub eodem ſatìs explicari. v. g. qui eâdem continuatâ voluntate, & humano quodam operationis curſu ad occidendum inimicum parat arma, ſternit equum, iter arripit, quærit inimicum, inventum occidit, ſatisfacit dicendo: Occidi inimicum. Similiter qui ex intentione fornicandi quærit mulierem, impudicè alloquitur, amplexatur, tandem cum ea fornicatur, ſatisfacit explicando copulam. Idemque eſt de actibus copulam concomitantibus. Ita omnes Doctores: & patet ex uſu totius Eccleſiæ. Ratio eſt: quia actus illi ſatìs intelliguntur in actu principali, cum quo conſtituunt unum totale peccatum copulæ conſummatæ, quæ actiones illas præambulas ſecundùm accidentalem ſuam integritatem, vel inſtar diſpoſitionum præſupponit: atque adeò habetur ſufficiens cognitio ſtatûs pœnitentìs ad ſalutare de eo ferendum judicium.

Actus inchoati cenſentur quid unum cum peccato conſummato, in ordine ad cõfeſſionem.

Secùs eſt, ſi actus prævii habeant malitiam non ſubordinatam, & ſpecie diſtinctam ab actu principali: ut ſi pergens ad homicidium in via pejeret, blaſphemet &c. debet indubiè hæc peccata explicare. Idem tradunt DD. ſi actus prævii ſint facti ſine intentione etiam interpretativâ perveniendi ad actum principalem: tunc enim debent explicari, etſi ex alio affectu poſtea ſequatur actus principalis, à quo tunc cẽſentur peccata diſtincta v. g. tactus impudici exerciti ob libidinẽ in ipſis repertam cenſentur peccatum diſtinctũ à fornicatione, quæ ex nova intẽtione deinceps formata ſubſequitur. Niſi tamen in tactibus antecedẽtibus adverteretur periculum deveniendi ad opus conſummatum: eo ipſo enim adeſſet voluntas interpretativa operis conſummati, & proinde non cenſerentur diſtinctum peccatũ. Oppoſitum tamen (pro quo quemdam ſuppreſſo nomine refert *Diana p. 3. Tract. 4. miſcellan. Reſol. 205.*) videretur alicui non omnino ratione deſtitutum, inquit *Oviedo Tr. 6. Controv. 5. n. 63.* Neque ego auſim damnare: cùm meritò ſuſpicer, nè fortè non ſit adeò à praxi alienum: in qua non videtur eſſe cura inquirendi de actibus præviis, ſaltem in materia luxuriæ, an fuerint aliqui adhibiti (quod videtur tamen non rarum) non præviſo nec intento actu principali; quaſi nimirum in eo ſatìs intelligantur, ad quem ex natura ſua ſubordinantur, & ſunt ordinariè prævii.

Additur limitatio.

Quod attinet ad actus qui peractâ copulâ continuantur v. g. locutio turpis, oſcula & amplexus, delectatio de actu commiſſo, dum adhuc peccantes in eodem ſtatu manent, eſt inter Doctores controverſia: Nam *Suarez diſp. 22. de Pœnit. ſect. 5. n. 25. & 26. Vaſquez, Coninck* & plurimi alii cenſent probabiliter diſtinctum numero peccatum; eò quòd videantur potiùs inchoatiò novæ copulæ, nec ſpectare ad præcedentem ex natura rei, ſed tantùm ex malitia operantium. Et hæc quidem opinio eſt tutior. Nihilominus *Navarrus, Azorius, Lugo, Diana. P. 4. Tract. 4. Reſol. 205.* & alii 55.

Quid cenſendum de actibus copulam v. g. continuò conſequentibus.

& alii probabiliter cenſent oppoſitū (quod etiam in praxi communiter obſervari ait *Baſſæus V. Peccatum IV. n.11.*) eò quòd hi actus videantur adhuc ſe habere velut ordinarium habitæ copulæ (poſt quam valde connaturaliter ſequuntur) complementum, dum novæ non adeſt animus vel periculum; adeòque cenſeantur ſatis in actu principali intelligi atque explicari. Quare etiam non ſolent Confeſſarii de hoc eſſe ſoliciti, nec pœnitentes ſe de hoc accuſare.

56. Obſerva V. Ut in caſibus præcedentibus & ſimilibus actus phyſicè plures ac diſtincti cenſeantur moraliter uniri in unum peccatum, requiri pariter moralem continuationem internæ voluntatis. Unde ſi hæc moraliter interrumpatur, ceſſat continuatio & unitas peccati.

Interrumpitur voluntas interior per retractationem,

Interrumpitur autem voluntas interna primò per pœnitentiam vel retractationem, ſive mutationem efficacem propoſiti. Ut ſi quis inimicum tenens & verberans intendat jam deſiſtere, ſed rurſum renovans pravam voluntatem ampliùs percutiat. Item ſi pergens ad occidendum reſipiſcat, & rurſum repetitâ indignatione iter proſequatur. Item ſi habens animum fornicandi reſiliat, & ſtatim in idem propoſitum redeat &c. talis enim retractatio planè abrumpit unitatem moralem, quæ alioquin ſubeſſet, & facit ut actus poſterior à priori non dependeat, nec in uno aliquo conjungatur. Hanc regulam tradunt communiter Doctores; quam tamen *Lugo d. 16. de pœnit. n.551.* ſtuduit in dubium revocare: eò quòd etiam cum retractatione voluntatis videatur moralis actionis unitas poſſe conſiſtere. Pro quo allegari poſſet, quòd ſurgens à prandio die jejunii ex intentione ampliùs non comedendi, ſi poſtea ſtatim mutatâ voluntate redeat, non cenſeatur juxta plurimos Doctores ſumpſiſſe duplex prandium jejunii violativum. Verùm facilè reſpondetur hoc oriri ex voluntate Eccleſiæ, quæ tale prandium per modum unius computat, ſive taliter unum permittit in die jejunii ob propinquitatem moralem inter partes externas, etſi diſcontinuatas brevi tempore, ac voluntatis retractatione. Idémque eſt de ſacerdote ſumente particulas hoſtiarum ſibi allatas mox peractâ & abſolutâ communione.

57. *Aut ceſſationem ab actu interno.*

Secundò interrumpitur interna voluntas per ceſſationem ab actu interno. Quod *Vaſquez* & plures alii intelligunt de ceſſatione etiam minima, quando nihil manet externum, v.g. operatio ſeu effectus, in quo actiones cenſeantur continuari: idque ſive ceſſatio fiat per ſomnum, ſive per inadvertentiam & diſtractionem, ſive per comeſtionem aut alias occupationes. Varii tamen addunt ſufficere, ut in confeſſione explicetur tempus ſeu duratio, v.g. dicendo: Per horam inhæſi moroſæ delectationi, per diem inhæſi odio &c: eò quòd omnes illas actuum interruptiones in confeſſione diſtinguere videatur impoſſibile. *Vaſquez* nihilominus exiſtimat id tantùm per accidens eſſe verum, per ſe autem & dum fieri poteſt interruptiones ſingulas eſſe in confeſſione explicandas.

De quo varia ſententia.

Plures alii (inter quos referuntur *Cano, Cajetanus, Navarrus, Rodrigues* &c.) è contrà cenſent requiri retractationem priſtinæ voluntatis, quaſi non ſufficiat opus externum abrumpi & iterum reſumi, ſimiliter voluntatem interiorem: utì nec ſi interruptio fiat ſomno, naturali oblivione &c. qualem interruptionem putant non neceſſe exprimi, etſi ſciatur numerus actuum etiam externorum ſeu interruptionum, eâ ſemper lege, ut non interceſſerit voluntas contraria. Quam ſententiam *Suarez de pœnit. diſp. 22. ſect. 5.* appellat quidem incredibilem, tamen illam in ordine ad confeſſionem acceptat. Et rectè quoad breves interruptiones, immo & longiores, quas ordinariæ actiones, veluti comeſtio & ſomnus inducunt.

Verior ſententia.

Nec diſplicet, quòd circa actus merè internos reſolvit *Dicaſtillo d. 9. de pœnit. n. 104.* voluntates phyſicè interruptas & circa idem objectum verſantes tunc tantùm cenſeri unum peccatum, quando nec ulla retractatio expreſſa vel tacita interceſſit, nec diſtantia unius actûs ab alio eſt tanta, quin adhuc communi judicio habeantur pro una actione. Quàmvis enim moralis unitas actuum merè internorum faciliùs rumpatur, quàm dum opus cœpit poni exteriùs; eò quòd poſitio externa & ſenſibilis faciliùs conjungat partes in ordine ad unum morale & humanum faciendum: abſolutè tamen prudentum judicio (quod hac in parte eſt unica regula) cenſetur quandoque unum opus internum, etſi breviter abſque retractatione interruptum; adeòque cenſetur etiam unum in ordine ad confeſſionem, unitate fundatâ, partim in propinquitate temporis, partim in identitate objecti, eiuſque morali præſentiâ, iunctâ non retractatione. Unde appetens quid turpe cum animo perſoverandi, etſi occurrat caſu aliquid ipſum diſtrahens, ſi ſtatim poſt redeat ad priſtinum affectum, cenſetur habuiſſe unum actum, ipſumque objectum toto tempore moraliter præſens fuiſſe. Secùs ſi poſtquam voluit affectu à tali objecto diſcedere, & jam deſeruit, denuò ſtatim reincidat: quia tunc prior actio ſecundùm humanum modum cenſendi fuerat terminata; & ſequens actio cenſetur nova. Unde qui per horam v.g. inhæret moroſæ delectationi cenſetur committere unum peccatum in ordine ad confeſſionem, etſi interea ob diſtractionem aut aliam cauſam actum breviſſimè interrumpat; utì difficillimum eſt per tantum tempus continuare eumdem

eumdem phyſicum actum abſque ſimilibus interruptionibus: quas quidem in confeſſione explicare eſt per ſe loquendo moraliter impoſſibile; adeòque non cenſetur à Chriſto præceptum, ſub quod utique non cadit quod veluti per ſe impoſſibile eſt. Atque ita etiam fit confeſſionem non eſſe carnificinam; uti non eſſe tradit *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5.

58. *An dum breves interruptiones intercurrunt, ſit explicanda duratio.* Exiſtimant nihilominus Varii explicandum eſſe tempus ſeu durationem; quantumvis breves interruptiones intervenerint. Quod etſi non putem ſequi ex obligatione exprimendi numerum; utpote qui ſupponitur non multiplicari: equidem in praxi conſultiſſimum eſt: tum ob ſententiam plurimorum de explicandis neceſſariò circumſtantiis multùm aggravantibus: tum ob ſententiam contrariam de interruptione morali actuum internorum per quamvis etiam breviſſimam ceſſationem, præſertim voluntariam; tum quia inde ſumitur probabilis conjectura, ſi mora fuerit longa, aliquas fortè interruptiones, noſtrâ etiam opinione morales, interceſſiſſe: tum denique quia ſic explicatur clariùs ſtatus pœnitentis. Immo experientia docet homines rudes, præſertim rariùs confitentes, determinatum peccatorum numerum haud ſcire, minùs exprimere poſſe, vel ſi rogati exprimant, ſæpè merè conjectando illum exprimere; ſive quia tacere erubeſcunt, ſive ut à moleſta Confeſſarii interrogatione ſe eximant. *Notabile pro Confeſſariis.* Proinde circa tales præcipuè adlaborandum eſt, ut adſit ſeria contritio ac deteſtatio peccatorum, cum propoſito ipſa & occaſiones ipſorum vitandi. De cetero autem ex notitia temporis elapſi ab ultima confeſſione, durationis peccati, ſtatûs & conſuetudinis vivẽdi, frequentiæ occaſionum &c. formare ſtudeat Confeſſarius, quale poterit, de numero peccatorum judicium, dum magìs determinatum fruſtrà ſe ſperare prudenter exiſtimabit.

QUÆSTIO VIII.

De Inæqualitate Peccatorum.

59. *Non omnia peccata ſunt æqualia.* DICO I. Non omnia peccata ſunt æqualia. Eſt de fide contra *Jovinianum*, qui docuit merita & demerita, præmia & ſupplicia eſſe æqualia. Similiter in oppoſitum referuntur Stoici. Concluſio patet ex *Joan.* 19. *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Jerem.* 7. *Pejus operati ſunt, quàm patres eorum. Deuteron.* 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Deinde evidens eſt, quòd auferre homini vitam ſit majus peccatum, quàm auferre minus bonum, aut otiosè mentiri. Denique datur inæqualitas inter virtutes; ergo & inter vitia, & conſequenter inter actus vitioſos ſeu peccata.

Nec obſtat, quòd Scriptura tantùm ponat duos ordines hominum, ſcilicet ovium & hœdorum, id eſt, bonorum & malorum: non enim Scriptura negat, quod ipſamet & evidens ratio manifeſtè declarat, inter bonos eſſe aliquos magìs, alios minùs bonos, vel inter malos aliquos eſſe præ ceteris magìs malos.

Explicatur locus S. Baſilii. Non obſtat etiam, quòd *Baſilius in regulis brevioribus Reſp.* 293. dicat *Differentiam hanc minorum & majorum*, ſcilicet peccatorum, *nuſquam in novo Teſtamento reperiri.* Nam loquitur de illis, *qui* (ut habet interrogatio reſponſioni præfixa) *cùm majora peccata declinent, minora perinde, ac ſi nihil referret, committunt*; & docet nuſquam in novo Teſtamento ſe reperiſſe peccatum (videtur *Poncio d.* 22. *n.* 68. loqui de mortali; ut inſinuat contextus) quod parum referat committi. Alioquin apertè docet peccatorum inæqualitatem *Reſp.* 43. Et *Homil. in Pſal.* 61. Et *Orat.* 3. *de Peccato.*

Non obſtat denique, quòd tranſilire terminum præfixum conſiſtat in indiviſibili; adeò ut non referat, utrùm quis multùm vel parum tranſiliat; & conſequenter non videatur referre, utrùm quis multùm vel parum peccet. Nam etſi tranſgredi terminum, v. g. lineam, aut in præſenti legem vel rectam rationem ut ſic conſiſtat in indiviſibili; poteſt tamen quis magis vel minùs ab hoc termino recedere, uti à linea corporali, ſic etiam à lege & rectâ ratione. Deinde non eſt ſemper terminus ejuſdem rationis; adeòque nec ejuſdem rationis tranſgreſſio, ſed longè diverſa & inæqualis pro diverſitate præceptorum & legum, quæ tranſitiuntur.

Etiam quæ committuntur adversùs leges poſitivas. DICO II. Inæqualitas iſta locum habet etiam in peccatis contra leges poſitivas. Patet manifeſtè: nam una lex divina graviùs quàm altera obligat. Idem eſt de præceptis Eccleſiæ, quorum unum ſub veniali, alterum ſub mortali obligat: aut ſi utrumque ſub mortali, non tamen æqualiter; cùm gravius ſit omittere v. g. communionem annuam, quàm ſacrum aut jejunium &c. Item contra idem præceptum humanum peccatur inæqualiter: tum propter inæqualitatem materiæ: tum quia unus ſcienter & intensè, alter ignoranter vel ſemideliberatè & remiſsè contra præceptum agit.

60. *Major peccati gravitas ex oppoſitione ad rationem & gravitate obligationis eſt petenda & non ſemper ex perfectione oppoſita virtutis.* DICO III. Peccatum eò eſt gravius, quò magìs adverſatur rectæ rationi, aut legi graviùs obliganti. Patet. Similiter, ceteris paribus, quò majus eſt bonum ſive virtus, quæ per peccatum deſtruitur. Hoc tamen non eſt generale: nam diverſa & inæqualia peccata adverſari poſſunt eidem virtuti; quorum proinde inæqualitas in virtutis inæqualitatem ſeu diſparitatem non eſt referenda. Deinde fieri poteſt, ut peccatum non ſit gravius, etſi virtus oppoſita

poſita ſit major : nam homicidium eſt pejus violatione voti, etſi virtus religionis ſit perfectior juſtitiâ commutativâ. Unde non tantùm attendenda eſt inæqualitas virtutis & bonitatis quam peccatum tollit, ſed etiam gravitas debiti ſeu obligationis. Hâc ratione etiam pejus eſt negare eleëmoſynam de ſuperfluis, quàm de neceſſariis: & tamen melius eſt illam dare etiam de neceſſariis. Similiter pejus eſt odiſſe amicum quàm inimicum; & tamen melius eſt diligere inimicum. Denique non eſt tam malum negligere conſilia evangelica quàm præcepta, & tamen eſt perfectius ſublimia illa conſilia obſervare, quàm aliquod præceptum. Gravitas autem obligationis colligenda eſt, partim ex communi judicio, partim ex aliquo diſcurſu, partim ex gravitate materiæ, aut etiam ex ipſis terminis; prout ex terminis apparet, quòd pejus ſit odiſſe Deum quàm creaturam.

61. *Ex peccatis extremè eidem virtuti oppoſitis illud eſt pejus, quod primario virtutis officio repugnat.*

Notant autem Doctores, quòd ex peccatis extremis eidem virtuti mediæ oppoſitis illud ſit gravius, quod principali virtutis actui & officio repugnat. Aliquæ enim virtutes principaliter inclinant voluntatem ad medium, quaſi impellendo, v. g. fortitudo ad aggrediendum pericula, liberalitas ad dandum quod rationabiliter dari poteſt. Hinc gravius eſt peccatum timiditatis quàm audaciæ, avaritiæ quàm prodigalitatis; utpote habens minorem convenientiam cum virtute, & deſtruens principale virtutis officium. Aliæ verò virtutes principaliter voluntatem refrænant ac retrahunt; v. g. temperantia, cujus præcipuus actus eſt non excedere. Item humilitas, cujus principalis actus eſt, non nimiùm appetere honores. Et hinc peccatum intemperantiæ eſt gravius quam inſenſibilitatis. Item ſuperbiæ quàm alterius vitii extremè oppoſiti.

Si verò ex nullo capite inæqualitas quorumdam peccatorum rectè poſſit dignoſci, non eſt idcirco anxiè laborandum; modò ſaltem ſciantur illa, in quibus eſt gravis & manifeſta inæqualitas, & ſciatur ſpecies ac numerus, denique mortalis gravitas peccatorum.

QUÆSTIO IX.

De Diviſionibus Peccati.

62. *Peccatum primò dividitur in actuale & habituale.*

PECCATUM dividitur I. in Actuale & Habituale. Peccatum actuale eſt ipſa præſens transgreſſio legis; ſive ſit opus, ſive operis debiti omiſſio: v. g. actualis occiſio innocentis. Peccatum habituale eſt præterita legis transgreſſio moraliter manens per modum habitualis effectûs. De quo egimus *quæſt.* 5. ubi de macula peccati, cum qua peccatum habituale coincidit.

Hoc rurſum in originale & perſonale.

Subdividitur peccatum habituale in originale & perſonale. Originale eſt, quod alienâ voluntate commiſſum à nobis naturali propagatione contrahitur, ſcilicet ex Adamo. De quo *Diſput. ſeq.* per totam. Perſonale eſt, quod remanet ex actuali per propriam voluntatem commiſſo.

Secundò in mortale & veniale.

Secundò dividitur peccatum in mortale & veniale. Mortale eſt deliberata tranſgreſſio legis divinæ graviter obligantis: ſive eſt peccatum diſſolvens amicitiam cum Deo; adeòque generans mortem animæ, cujus vita eſt gratia & amicitia Dei. Veniale eſt tranſgreſſio præcepti levis, aut certè non perfectè libera: ſive eſt peccatum non deſtruens amicitiam Dei. De ſingulis agetur infrà *Diſp.* 7.

63. *Tertiò in peccatum cordis, oris & operis.*

Tertiò dividitur in peccatum cordis, oris, & operis. Quæ diviſio dupliciter poteſt explicari. Primò, ut peccatum cordis ſit, quod ex natura ſua conſummatur in corde; ut hæreſis, deſperatio, odium. Peccatum oris, quod in ore conſummatur: ut detractio, perjurium, blaſphemia. Peccatum denique operis, quod conſummatur in opere: ut furtum, homicidium &c. Secundò, ut diſtinguantur tres gradus ejuſdem peccati, quod in opere conſummatur, v. g. luxuriæ, in quo primò eſt conſenſus in corde, deinde verba incentiva in ore, denique opus inhoneſtum: quæ ſunt partes integrantes unum actum moraliter completum, qui alioquin tantùm eſt inchoatus & incompletus.

Quartò in peccatum commiſſionis & omiſſionis.

Quartò peccatum aliud eſt commiſſionis, quod adverſatur præcepto negativo, quo videlicet fieri prohibetur aliqua actio realis, v. g. furtum, quod repugnat præcepto negativo: *Non furtum facies.* Aliud eſt omiſſionis, quod repugnat præcepto affirmativo, quō videlicet fieri præcipitur aliqua actio poſitiva; v. g. omiſſio annuæ confeſſionis: nam confeſſio annua præcipitur poſitivè fieri à quolibet habente peccatum mortale. De peccato omiſſionis aliqua dicenda reſtant *quæſt. ſeq.*

64. *Quintò in illud quod ſpecialiter committitur contra Deum, contra proximum, contra nosipſos.*

Quintò aliud peccatum committitur ſpecialiter in Deum, ut blaſphemia, & peccata oppoſita virtutibus Theologicis: aliud ſpecialiter in proximum, ut injuſtitia, & cetera peccata repugnantia virtutibus quæ ſunt ad alterum: aliud ſpecialiter in nosipſos, ut intemperantia, & cetera peccata oppoſita virtutibus, quæ ſunt ordinatæ ad ipſum operantem: quàmvis generaliter omne peccatum ſit contra Deum, cujus voluntati contraitur, & contra nosipſos, quos peccatis noſtris maximè lædimus.

Sextò in carnale & ſpirituale.

Sextò aliud dicitur Carnale, aliud Spirituale. Quæ diviſio deſumitur à Doctoribus ex illo Apoſtoli 2. *ad Cor.* 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs.* Carnalia peccata dicuntur, quæ

circa objecta ſenſibilia; Spiritualia, quæ circa objecta ſpiritualia verſantur. Et ſic intrà eamdem ſpeciem ſunt peccata utriuſque generis v. g. in curioſitate. Aliter carnalia dicuntur, quorum objectum eſt delectatio carnis, quæque faciunt hominem quaſi beſtiam; ut gula, ebrietas & luxuria. Spiritualia verò, quorum objectum eſt ſupra carnem elevatum, quantumvis pertineret ad appetitum ſenſitivum, ut ira & avaritia, maximè autem ſuperbia, invidia, acedia, quæ faciunt hominem quaſi dæmonem. Et hoc ſenſu *Gregor.* 31. *Moral.* 31. aliàs 17. docet ex ſeptem peccatis capitalibus duo eſſe carnalia, ſcilicet gulam & luxuriam: alia autem quinque ſpiritualia. Quodam denique ſenſu omnia peccata poſſent dici carnalia: prout Apoſtolus *ad Gal.* 5. generatim inter opera carnis enumerat inimicitias, invidiam &c.

65. *Septimò in peccatum ex ignorantia, ex infirmitate & ex malitia.* Septimò aliud peccatum ex ignorantia, aliud ex infirmitate ſeu paſſione, aliud ex malitia naſcitur. Peccatum ex ignorantia dicitur, quod procedit ab ignorantia culpabili, adeòque relinquente ſufficiens voluntarium, etſi illud diminuente. Dixi *culpabili*, qualis eſt ſola ignorantia vincibilis: nàm invincibilis excuſat à peccato, ſive ſit facti, ſive juris, etiam naturalis. Generaliter enim verum eſt, quod de tali ignorantia dixit *Auguſt. lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 19. *Non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras.* Ratio eſt: quòd talis ignorantia tollat rationem voluntarii; omne autem peccatum perſonale (quale eſſet quod fieret ex tali ignorantia) debet eſſe operanti voluntarium & liberum. Nec obſtat, quòd ignorantia ſit pœna peccati originalis: nam etiam motus indeliberati ſunt talis pœna; & tamen non imputantur in culpam defectu voluntarii ſeu liberi perſonalis.

Peccatum ex paſſione ſeu infirmitate dicitur, quod fit ex motu appetitûs ſenſitivi trahente ſenſibiliter ad peccandum, adeòque minuente libertatem voluntarii; ut cùm quis peccat commotus irâ, gravi triſtitiâ, aut concupiſcentiâ partis ſenſitivæ.

Peccatum ex malitia eſt, quod ſine ejuſmodi ignorantia aut paſſione, adeòque ex plena & perfecta libertate committitur: quod idcirco eſt ceteris gravius. Sicut etiam peccatum ex paſſione eſt gravius illo quod fit ex ignorantia: nam & faciliùs vitatur, & eſt magìs voluntarium quàm peccatum ex ignorantia. Unde *Greg. l.* 25. *Moral. c.* 16. aliàs 11. ait: *Graviùs quidem infirmitate quàm ignorantiâ; ſed multò graviùs ſtudio quàm infirmitate peccatur.*

Advertendum tamen id, quod fit ex ignorantia affectata, vulgò cenſeri ex malitia fieri, utì ex plena libertate: ideoque talis ignorantia in jure æquiparatur ſcientiæ. Similiter etſi ſit levis paſſio, non cenſetur libertas minui; utì neque ſi ipſa voluntas paſſionem excitet, quæ dicitur paſſio conſequens: ſecùs ſi paſſio notabilis voluntatem præveniat. Ob quod *Ariſtoteles* 7. *Eth.* 8. tradit, intemperantem peccare ex malitia, incontinentem ex infirmitate. Ita *D. Thomas qu.* 78. *a.* 3. Nihilominus quod ad ignorantiam affectatam attinet, credo quidem peccari ex malitia, quando quis ex malitia affectat ignorare ut liberiùs peccet; ſi tamen hoc ipſum affectet ex prævia paſſione, cenſendum videtur peccatum ex infirmitate ſeu paſſione juxta radicem ex qua naſcitur. Idemque videtur de conſuetudine, quatenus eſt orta ex peccatis procedentibus ex paſſione vel ignorantia; videlicet quòd peccata quæ fiunt ex conſuetudine ſint æſtimanda ex fundamento ſeu radice ipſius conſuetudinis.

Advertendum præterea præfatam diviſionem coïncidere cum ea, quâ aliud dicitur eſſe peccatum in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum ſanctum. Nam (ut ait *S. Bonav. Breviloquii parte* 3. *cap.* 11.) licèt omne peccatum generaliter ſit contra Deum Trinum & Unum, appropriatè tamen dicitur aliquod peccatum eſſe in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum ſanctum. Quod explicans idem *S. Doctor Centiloquii parte* 1. *ſect.* 25. ait: In Patrem cui attribuitur potentia peccare quis dicitur, quando quis peccat ex infirmitate: in Filium, cui attribuitur ſapientia, qui peccat ex ignorantia: in Spiritum ſanctum, cui attribuitur bonitas, qui peccat ex induſtria ſive ex certa malitia. Tale enim peccatum (ut habet idem Sanctus *Breviloquii loco cit.*) procedit merè ex improbitate voluntatis liberi arbitrii, & directè impugnat gratiam Spiritûs ſancti, per quam ſit remiſſio peccati; ideoque non habet colorem excuſationis, & dicitur irremiſſibile, non quia nullo modo poſſit remitti, ſed quia quantùm eſt de ſe directè eſt impugnativum medicamenti & remedii, per quod fieri habet remiſſio peccati; ut *ibidem* breviter declarat in ſex ordinariis membris peccatorum in Spiritum ſanctum. Fuſiùs de his agit 2. *d.* 43. Ubì *art.* 3. *quæſt.* 2. notat eatenus ſex vulgata membra eſſe in Spiritum ſanctum, quatenus ſunt ex malitia; adeòque non fore talia, ſi quis v. g. ex infirmitate aut ignorantiâ deſperaret &c. 66. *Quid ſit peccare in Patrem, quid in Filium, quid denique peccare in Spiritum ſanctum.*

Ex hac denique diviſione colligitur, non in omni peccato intervenire antecedentem errorem ſpeculativum aut ignorantiam, vel etiam inadvertentiam conditionum objecti, ejuſque malitiæ in particulari, ut rectè *Scotus* 3. *d.* 36. *n.* 14. *Gabriel*, 67. *Non omnis peccans ſpeculativè errat vel imprudens eſt.*

Suarez,

Suarez, *Malderus*, *Tannerus*, *Præpoſitus* & alii paſſim contra Nonnullos: poteſt enim quis ſciens & volens amplecti objectum delectabile, retento dictamine practico & recto de inhoneſtate actionis; idque ex innata & defectibili libertate voluntatis, quæ eſt libera ad peccandum & non peccandum, etiam poſitâ quâcumque cognitione & advertentiâ malitiæ. Quod non latuit Poëtam, qui cecinit:

——— *video meliora proboq;,*
deteriora ſequor.

Nec obſtat illud *Proverb.* 14. *Errant qui operantur malum.* Nam loquitur Sapiens de errore morum, qui conſiſtit in deflexione à via mandatorum & regulâ rectæ rationis.

Ordinariè tamen malitia excæcat intellectum.

Fatendum tamen, ordinariè verum eſſe, quod vulgò dicitur: *Malitia excæcat intellectum.* Et quod ait *Philoſophus* 3. *Eth* 4. *Qualis quiſque eſt, talis ſibi finis videtur.* Et iterum: *Omnis pravus ignorat quæ agere oportet, & à quibus eſt abſtinendum.* Primò: quia affectus avertit intellectum à conſideratione recti: qui ſi ut oportet illud vivaciter perpenderet, affectus raro peccaret. Secundò; quia frequenter inde ad falſa & imprudentia judicia affectui depravato conſona intellectus deflectit. Et tunc locum habet imprudentia propriè dicta, & prudentiæ expulſiva: quamquam hic modus non neceſſariò nec ſemper interveniat. Tertiò: quia affectus applicat intellectum ad conſideranda media fini malo accommodata; idque frequenter ſine errore aut imprudentiâ: cùm ſicuti ad bonum, ſic etiam ad malum finem dentur & inveniantur media verè accommodata; prout divitiæ v. g. ſunt verè accommodatæ ad luxum &c.

QUÆSTIO X.

De peccato Commiſſionis & Omiſſionis in ſpeciali.

68. *Peccatum omiſſionis poteſt eſſe ſine ullo actu.*

DICO I. Peccatum omiſſionis eſſe poteſt ſine omni poſitivo actu. Ita communiùs Doctores. Ratio eſt: quia pura omiſſio poteſt eſſe voluntarius defectus à lege; ut ſi v. g. tempore præcepto deliberatè quis ſuſpendat actum contritionis. Neque enim eſt ratio, cur voluntas perfectè deliberata omnem actum non poſſit ſuſpendere; cùm non tãtùm ſit libera libertate contrarietatis ad diverſos vel oppoſitos actus, ſed etiam libertate contradictionis ad actum & omiſſionem illius.

Quamvis ordinariè aliquis actus poſitivus adſit.

Nihilominus ordinariè adeſt actus aliquis poſitivus, quo voluntas ſaltem indirectè eligat omittere actum debitum. Et hinc oritur, quòd poſt omiſſiones peccaminosè frequentatas plerumq; maneat homo malè habituatus: quamquam omiſſio ſecundùm ſe, ſive omiſſio pura, utpote negatio, nõ poſſit habitũ generare. Non ſequitur tamen hoc ipſo puram omiſſionem poſſe ſimiliter eſſe bonam & meritoriam: nam ad hoc plus requiritur quàm ad malitiam; cùm ut aliquid ſit bonum, debeat honeſtas eſſe per ſe volita, & quidem (ſi ſimul ſit meritorium) ex motivo ſupernaturali. Utrùm autem hoc ipſum, quod ad bonitatem præ malitia requiritur, puræ omiſſioni convenire poſſit, incertum eſt. De quo breviter in materia de Merito, ubi inquiritur, an poſſit pura omiſſio eſſe bona etiam meritoriè.

69. *Volitio omittendi eſt ſenſu quodã peccatum commiſſionis; at ordinariè cenſetur eſſe omiſſionis.*

Petes, An poſitiva volitio omiſſionis ſit peccatum omiſſionis, an verò cõmiſſionis? Reſp. dici poſſe peccatũ cõmiſſionis, quatenus eſt actus realis, quo poſitivè proſequimur objectum diſconveniens, nempe omiſſionem actûs debiti, adeòq; talis volitio adverſatur præcepto negativo generaliſſimo, declinandi à malo volendo, ſeu prohibenti ne aliquid fiat, ſcilicet ne fiat proſecutio rei malæ. Dici autem poteſt peccatum omiſſionis, ſi conſideretur præceptum particulare, v. g. audiendi ſacrum: eatenus enim volitio omiſſionis repugnat præcepto affirmativo, uti repugnat pura omiſſio, quæ eſt interpretativa volitio omiſſionis. Et ita in ordine ad praxim cenſendum ac loquendum videtur: in ordine ad quam cenſetur talis volitio per ſe loquendo unum peccatum cum omiſſione, quam cauſat; eſtque perinde, utrùm quis purè, an non purè, dummodo liberè, ſacrum omiſerit. Idemque videntur ſupponere Doctores paſſim.

70. *Omiſſio, ſi tempore præcepti actus non ſubſit poteſtati, ſolùm eſt peccati effectus.*

Dico II. Omiſſio actûs præcepti eſt peccatum etiam illo tempore quo inſtat præceptũ, ſi tunc adhuc ſit in poteſtate, ſive libertate omittentis: ſi autem illo tempore ampliùs nullo modo ſubſit libertati omittentis, non eſt pro tunc peccatum, ſed peccati effectus. Itaque dum omiſſio ſemper manet in poteſtate omittentis, committitur peccatum illo tempore, quo debebat præceptum, impleri, v. g. ſacrum audiri &c. ut per ſe videtur manifeſtũ. Quando autem omiſſio tunc non ſubeſt ampliùs libertati, committitur peccatum eo tempore, quo ponitur cauſa omiſſionis ſecuturæ, & obſervantia præcepti fit humano modo impoſſibilis cauſam ponenti. V. g. componens ſe ad ſomnum, ex quo ſecutura prævidetur omiſſio ſacri, committit peccatum omiſſionis ſacri eo ipſo quòd incipit ſomnus. Elongans ſe à loco miſſæ tunc peccat omittendo, quando eſt in tanta diſtantia, in qua auditio miſſæ ſpectatis circumſtantiis eſt ei humano modo impoſſibilis. Unde talis confiteri debet ſe peccaſſe peccato omiſſionis ſacri ponendo cauſam, etſi fortuitò expergefactus poſtea ad ſacrum accederet, vel alibi occaſionem audiendi ſacrum reperiret: quàmvis enim non phyſicè, moraliter tamen talis ſacrum omiſit

omiſit conſtituendo ſe in ſtatu, in quo moraliter certò ſciebat ſe illud omiſſurum. Idemque eſt de actibus poſitivis, qui ſequuntur ex aliqua cauſa, & dum fiunt non ſunt ampliùs in libera poteſtate operantium: illi enim non ſunt peccatum, ſed tantùm peccati effectus, quod committitur, dum ejuſmodi cauſa voluntariè ponitur. Tale eſt v.g. homicidium quod prævidetur ex ebrietate ſecuturum. Ita docet *D. Bonav. Centiloq. Parte I. ſect.* 25. *Alexander Alenſis, Adrianus, Vaſquez diſp.* 94. *c.* 3. *Lugo diſp.* 16. *de Pœnit. ſect.* 9. & alii: quàmvis non pauci aliter ſentiant ſeu loquantur.

Idemq; eſt de homicidio v.g. in ebrietate ſecuto vel ſimilibus.

71. Probatur: quia ſi omiſſio, dum fit, non eſt in poteſtate voluntatis, non poteſt informari ab ejus libertate, adeòque nec à malitia; cùm eatenus informetur à malitia internæ voluntatis omittentis vel committentis, quatenus informatur à libertate illius. Idemque eſt de actibus externis, qui non ſunt amplius in poteſtate voluntatis. Nec ſufficit quòd voluntas priùs liberè poſuerit cauſam talis actûs vel omiſſionis: inde enim ſolùm ſequitur ipſam peccaſſe ex tunc; & quidem (ſi cauſa ſecundùm ſe etiam ſit ſpecialiter mala) peccato duplici, æquè gravi, & in confeſſione exprimendo, ſive ſequatur effectus, ſive non. v.g. ebrietas, ex qua prævidetur ſecuturum homicidium, habet formaliter malitiam intemperantiæ & injuſtitiæ, etiamſi homicidium ſive effectus per accidens non ſequeretur: nam tota malitia, utì libertas, cõſummatur in ipſa cauſa, ſcilicet ebrietate.

Tunc enim non poteſt informari à libertate (quæ nullatenus manet) adeòque nec à malitia:

Confirmatur: quia poteſt quis dolere de eo, quòd dederit cauſam ſecuturæ omiſſionis vel effectûs, adeòque juſtificari, priuſquam re ipſâ ſequatur; ergo omiſſio iſta vel effectus non poteſt eſſe peccatum, etiam denominativè, eo modo, quo actus externus liber denominatur peccatum. Deinde alioquin qui breviarium in longa navigatione projeciſſet in flumen, etſi interea per pœnitentiam eſſet juſtificatus, peccaret quotidiè omittendo horas lectu jam impoſſibiles.

Immo ante tempus illud poteſt recuperaſſe ſanctitatem poſitione ejuſmodi cauſæ amiſſam.

72. Propter hoc Varii fatentur omiſſionem tunc ſaltem non eſſe peccatum, etiamſi (ut addit *Averſa q.* 10. *de Confeſſ. ſacram. ſect.* 2. *in fine*) dolor ſeu retractatio ſit tantùm attritio aut quæcumque pœnitentia, etiam inſufficiens ad juſtificationem: eſſe tamen & verè denominari peccatum, quando non intercedit retractatio ſeu pœnitentia, per quam interrumpatur moralis unio inter cauſam priùs datam & omiſſionem. Sed malè: nam omiſſio vel effectus ſecutus non dicitur peccatum, niſi quatenus provenit à voluntate præterita liberè applicatâ, quæ ampliùs non ſubeſt poteſtati, quæque æqualiter influit & eſt cauſa, ſive retractetur, ſive non: adeòque ſubſequens retractatio eſt impertinens. Confirmatur: quia ipſa non tollit præteritum voluntatis influxum: effectus autem ſive omiſſio, de qua agitur, non imputaretur in peccatum, quaſi de facto pendeat à voluntate libera non retractata (ſupponitur enim quòd non) ſed quatenus provenit à præteritâ ne quidem virtualiter manente: quod æquè locum habet, ſive retractetur, ſive non. Neque etiam retractatio facit, ut omiſſio ſequens non cenſeatur, prout aliàs cenſeretur, interpretativè voluntaria: nam etiam citra retractationem non deberet cenſeri voluntaria interpretativè ſive in cauſa: nam nihil eſt aut manet principiativè volũtarium vel liberum in cauſa (prout eſſe debet, quod eſt formaliter peccaminoſum) niſi quatenus cauſa eſt vel manet ſub poteſtate. Quòd ſi etiam quis ſibi in tali omiſſione complaceret, peccaret quidem interiùs, utì complacens ſibi in homicidio per ebrium commiſſo: ipſa tamen omiſſio objectivè volita non eſſet formaliter peccaminoſa.

Retractatio non prodeſt vel obeſt, ut omiſſio vel effectus ſubſequens ſit vel non ſit peccatum.

73. Nec obſtat, quòd omiſſioni vel effectui re ipſâ ſecuto quandoque annectatur cenſura vel irregularitas: nam illa æqualiter incurritur, ſive prior voluntas fuerit retractata, ſive non. Propriè autem non infligitur ipſi effectui, ſed cauſæ formaliter peccaminoſæ, non tamen niſi ſub conditione effectus ſecuti. Idemque eſt de reſervatione peccati ratione effectûs re ipſâ ſecuti: nam illa veluti pœna poteſt dependere à conditione, quæ non eſt in ſe formaliter peccaminoſa. Nec habet hoc majorem difficultatem, quàm quòd ſubinde annectatur reſervata cenſura. Deinde hæc reſervatio peccati etiam locum haberet, dum voluntas præterita eſſet per interiorem pœnitentiam retractata, utì certum eſt: & tamen *Averſa* (cujus eſt hæc objectio ab ipſomet iſto caſu ſolvenda) *loco cit.* fatetur omiſſionem ſive effectum tunc non eſſe peccatum. Dico *per pœnitentiam interiorem*: ſi enim peccator jam confeſſus ſit cauſam, priuſquam effectus re ipſâ ſequatur, ceſſat eo ipſo reſervatio peccati, nec ampliùs manet obligatio illud confitendi; multò minùs debet ſequela effectûs expectari, antequam fiat confeſſio.

Nec refert quòd omiſſionem vel effectum re ipſa ſecutum interdũ comitetur cenſura aliave pœna.

74. Hinc ſequitur tales omiſſiones aut effectus in rigore non eſſe confitendos (quamquam regulariter expediat, & fieri ſoleat) ſed ſufficere quòd pœnitens ſe accuſet de cauſa proxima illis data. Ita plurimi Doctores. Confirmatur: quia poteſt pœnitens confeſſionem feciſſe priuſquam effectus ſequatur; qui non tenebitur ampliùs confiteri. Proinde miror doctiſſimum *Arriaga hic diſp.* 45. *n.* 13. dixiſſe, certum eſſe in confeſſione debere ſemper aperiri effectum ſecutum ex cauſa liberè data, ſive tunc denominetur peccatum, ſive non. Quod quidem non aliter probat, quàm ex communi Eccleſiæ praxi. De qua ſaltem velut obligatoriâ nil conſtat; immo potiùs

An omiſſiones & effectus hujuſmodi ſint exprimendi in confeſſione.

potiùs ex ſenſu Doctorum ac communi interpretatione præcepti confeſſionis (quod ſolum per ſe reſpicit peccata quoad ſpeciem & numerum) conſtat contrarium. Subinde tamen per accidens id eſt neceſſarium, v.g. ob aliquam cenſurã aut etiam reſtitutionem effectui annexã: non enim niſi effectu ſecuto oritur obligatio reſtituẽdi, & frequenter cenſura. Et ita quidem de re ipſa juxta Doctrinam ſolidiorem ſentiẽdum eſt.

Quis ſit in præſenti vulgaris modus loquendi.

Si tamen vulgaris loquendi modus attendatur, effectus illi non ſolent dici peccata, qui multo poſt cauſam poſitam tempore ſequuntur; ut mors à veneno ante aliquot menſes dato. Idem eſt ſi exteriori actu interrumpatur libertas, v.g. ſomno. Solent tamen dici peccata vulgariter, ſi ſequantur immediatè; adeò ut quamquam ampliùs verè non pendeant à libertate cauſæ, actu tamen dimanant à cauſa libera exiſtente. Quo modo non tantùm exploſio ſclopeti, ſed etiam ipſa mors ſecuta ſolet dici peccaminoſa: etſi alioquin factâ exploſione non ſit ampliùs in explodentis poteſtate mortem ſive vulnus impedire.

75. Quòd ſi quis objiciat, ex dictis ſequi fore, ut ne ipſa quidem occiſio ſit umquam aut vix peccatum, ſed tantùm peccati effectus; eò quòd ſemper aut ſaltem ordinariè, dum actu infligitur vulnus letale, non ſit ampliùs in poteſtate voluntatis illud impedire, ſive quia non poteſt impetum impreſſum tollere, ſive quia ſagittam aut lapidem jactum non poteſt revocare, ſive quia aliquem ſaltu declinante ſupplantans nequit ob gravitatem impedire motum eò uſque inceptum. Reſpõdetur facilè totum id in rigore ſpeculativo ſubſiſtere, vulgò tamen nos aliter loqui, computando ſcilicet per modum unius totam actionem, etiam quâ parte non ſubeſt ampliùs libertati. Adde idem ſolvendum ab ipſis objicientibus: nam quæro, quid cenſerent, ſi (quod fieri poteſt) illo aut ſequentibus inſtantibus inter occiſionem & præfatæ cauſæ poſitionem labentibus de poſitione eiuſdem cauſæ doleat, ſive illam retractet?

76. *Actus poſitivus, qui eſt cauſa omiſſionis, eſt malus,*

DICO III. Actus poſitivus, qui eſt cauſa omiſſionis operis præcepti, eſt malus, non tamen ille, qui tantùm ſe habet concomitanter ad omiſſionem. Prima pars eſt communis. Declaratur exemplo: ſi v.g. quis omittat ſacrum die feſto, ut interea ſtudeat, ludat, fabuletur &c. ita ut per hoc impediatur ab audiendo ſacro, ejuſmodi actus, etſi forent alioquin boni aut indifferentes, fiunt mali. Patet: quia ſunt cauſa per ſe omiſſionis malæ; hoc autem eſt malum.

Non aliâ tamen malitiâ, quàm ipſius omiſſionis, quæ ſola eſt confitenda.

Non aliam tamen habent malitiam, quàm omiſſionis (niſi aliundè ſecundùm ſe peccaminoſi ſint) ideòque non eſt neceſſe in confeſſione explicare motivum vel occaſionem, niſi ipſum motivum ſecundùm ſe ſit mortaliter malum. Ob hoc ſi quis omiſerit ſacrum v.g. propter ſtudium, peccat unico peccato omiſſionis ſacri, & hanc confiteri ſufficit.

Nec refert, quòd tali caſu voluntas ſtudendi ſit mala, & ſimiliter ipſum ſtudium: nam actus interni aut etiam externi, qui non ſunt ſpecialiter aut ex objecto mali, non debent explicari, ſed ſufficit explicare completam & externam violationem præcepti, ad quam prædicta media aſſumuntur; omnia enim ſunt unum peccatum in genere moris; ſicut emere gladium, quærere inimicum, occidere &c.

Omittens ſacrum, ut ſtudeat, non peccat ſpecialiter contra virtutem ſtudioſitatis.

Dices: Talis peccat ſpecialiter cõtra ſtudioſitatem, veluti ſtudens tempore indebito. 77. Reſp. Neg. Aſſ. non enim ſtudet tempore indebito quantùm ex regulis præciſè ſtudioſitatis, ſed indebito quantùm eſt ex vi alterius præcepti occurrentis. Studioſitas enim ſecundùm ſe hanc tantùm regulam habet, ut ſtudeatur ſufficienter neceſſariis, & vitetur ſcientia noxiorum ac ſuperfluorum. Quare hâc regulâ ſervatâ ſi quis contraveniat alteri præcepto tunc obſervando, non peccat contra ſtudioſitatem, ſed contra aliam virtutem. Sicut qui in die jejunii tantùm ſemel comederet, ſed cibos alienos, tranſgrederetur quidem limites juſtitiæ, at non jejunii. Caret quidem ſtudium illud honeſtate ſtudioſitatis, non tamen habet inhoneſtatem oppoſitam ſtudioſitati, ſed vitiatur à circumſtantia alterius præcepti, cujus violationem cauſat.

Inſtabis: Talis oſtendit ſe magis diligere ſtudium quàm Deum: ergo peccat ſpeciali peccato. Reſp. talem id non potiùs oſtendere, quàm qui omittit ſacrum ut maneat domi: iſte enim ſimiliter oſtendit ſe magis diligere manſionem domi, quàm Deum; & tamen etiam alii fatentur ibi non eſſe ſpeciale peccatum. Confirmatur hoc & ſimul Concluſio: quia alienum eſt à ratione, quòd potiùs unico peccato peccet qui ex mera negligentia omittit ſacrum, quàm qui cauſa ſtudii honeſti. Diligit itaque talis magis ſtudium quàm Deum, quatenus dilectio ſtudii eſt cauſa aut voluntas omittendi ſacrum præceptum.

Actus incompoſſibilis ſe habens cõcomitanter vel conſequenter ad omiſſionem non neceſſariò eſt malus.

Secunda pars eſt communior Doctorum. 78. Declaratur exemplo: ſi quis ſtatuat omittere opus præceptum, v.g. auditionem ſacri, ne tamen interea otietur, vult vacare ſtudiis, dandis eleëmoſynis &c. hæ actiones etſi incompoſſibiles cum actu præcepto, quia tamen nullo modo in omiſſionem influunt dicuntur ſe habere concomitanter, nec inficiuntur ab omiſſione, ſed bonæ ſunt; immo ſi ad opus omiſſum non ſit gravis obligatio, poſſunt eſſe meritoriæ. Patet: quia ſuppoſitâ voluntate omittendi v.g. ſacrum, melius eſt ſtudere quàm otiari. Immo poſſet & deberet in tali ſuppoſitione ſuaderi exercitium ſimilium operum: ipſeque omittens

Immo poteſt eſſe bonum ac materia voti.

mittens poſſet hoc vovere, aut etiam ſuperior primariò præcipiens v. g. auditionem ſacri, poſſet ſecundariò præcipere, ut ſi quis omittat, equidem tempus ſtudio aut orationi dedicet. Ratio à priori eſt, quia tales actus non ſunt cauſa omiſſionis, ſed voluntatem omittendi tamquam ſe priorem ſupponunt: hàc autem ſuppoſitâ non eſt malum, ſed potiùs conſultum v.g. ſtudere, orare &c. Neque etiam ſunt effectus omiſſionis: cùm ipſa nihil poſitivi ſit, ſed eſt ipſa ad ſummum occaſio, quatenus ei neceſſariò eſt annexa aliqua actio, idque ex conditione omittentis, qui non poteſt nullibi aut abſque omni prorſus actione eſſe. Et quàmvis omiſſio eſſet cauſa extrinſeca talium actuum; niſi tamen ſit motiva ſeu finalis, non poſſet inficere actum ſecundùm ſe, ſuaſque veras circumſtantias bonum: multi enim boni effectus ſumunt occaſionem ac reſultant ex ſuppoſitione peccati; ut pœnitentia, oratio &c.

Ratio à priori aſſignatur.

Itaque cauſa occaſionalis & aliundè præſuppoſita non poteſt derivare malitiam in opus, quod in illam ut finem non ordinatur, ſed eâ occaſione fit ex alio motivo; prout ſe habet v. g. ſtudium, quod præſuppoſitâ voluntate omittendi ſacrum aſſumitur ex alio honeſto motivo. Secùs eſſet, ſi aſſumeretur tamquam medium ad omiſſionem ſacri. Quare non obſtat, quòd tales actus ſint incompoſſibiles cum obſervatione præcepti: nam inde non ſequitur, quòd ſint cauſa ob quam non ſervetur; cauſa enim illa præſuppoſitur, adeò ut æquè fuiſſet non obſervatum, quantumvìs hi actus concomitantes non fuiſſent poſiti.

79. Dices I. Tali caſu obligaris non ſtudere ut miſſam audias; ergo ipſum ſtudium in ſe ſit malum. Reſp. Neg. Aſſ. ſuppoſito caſu concluſionis, id eſt, poſitâ voluntate equidē non audiendi, ſive ſtudeas, ſive non ſtudeas: nam tunc ſtudium te non impedit in auditione ſacri, nec omiſſio ſtudii ad audiendum ſacrum juvaret. Dum autem præcipitur aliquid v. g. auditio miſſæ, non prohibentur omnia opera incompoſſibilia, ſed illa tantùm, quorum poſitio aut omiſſio impedit aut juvat ad ſervandum præceptum. Unde vi præcepti miſſæ non prohibetur omiſſio ſtudii merè concomitans aut impertinens. Paulò aliter reſpondere poſſet Diſting. Aſſ. teneris non ſtudere immediatè, id eſt, teneris relinquere ſtudium etiam ſuppoſito quòd non velis audire miſſam, Neg. Aſſ. teneris mediatè, ideſt, teneris velle audire miſſam, quo ſuppoſito non eſſet voluntas omittendi, ex cujus ſuppoſitione ſupervenerat voluntas ſtudendi, Conc. Aſſ. & Neg. Conſeq.

Suppoſitâ voluntate omittendi ſacrum non eſt prohibitum ſeu malum ſtudere.

Dices II. Saltem erit malum velle manere domi: per hoc enim tamquam medium exequitur quis voluntatem omittendi ſacrum, ſicut homicida per applicationem inſtrumenti exequitur voluntatem occidendi. Reſp. Neg. Aſſ. ejuſque probationem: nam manere domi non eſt cauſa influens in omiſſionem ſacri, ſicut inſtrumentum in homicidium. Cauſa enim adæquata omiſſionis eſt nolle accedere ad miſſam, aut carere voluntate accedendi. Etſi per accidens hoc ſuppoſito conſequatur, quòd homo maneat domi; cùm non poſſit eſſe nullibi. Verùm eodem modo etiam domi exiſtens debet aliquid agere, ſcilicet ſtare, vel ſedere vel ambulare &c. adeòque ſicut hæc non ſunt peccata etiam ſecundùm *Vaſquez* (cujus eſt hæc objectio) ſic nec ipſum manere domi. Unde æquè ſacrum omitteret, etſi per impoſſibile nullibi eſſet, dummodo ſaltem non intereſſet miſſæ. Neceſſitas itaque exiſtendi domi aut alibi eſt tantùm conſequens, non antecedens, nec cauſa omiſſionis. Sicuti poſito quòd ſit homo, debet eſſe albus vel niger, vel aliter coloratus, & tamen albedo v.g. non eſt cauſa cur ſit homo. Immo tantùm abeſt, quòd manere domi tunc ſit malum; ut è contrà (prout præmiſſum eſt) poſſit eſſe materia voti, quo quis in tali hypotheſi id voveat, quia extra domum haberet v.g. pericula peccandi.

Vel manere Domi.

Immo id longè melius, quàm periculoſis tunc intereſſe conſortiis.

DISPUTATIO SEXTA.

De Peccato Originali.

I. *Peccatum originale ad ipſa fidei fundamenta ſpectat.*

PECCATUM *hoc unde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta*, inquit *Auguſtin. l. 1. contra Julian. c. 6. hoc enim qui negat, ipſa Chriſtianæ fidei ſubvertere fundamenta conatur*, inquit c. 2. *quia nimirum totum quod in Chriſtum credimus, auferre molitur*, inquit c. 6. Nam *in cauſa duorum hominum, quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Chriſtiana conſiſtit*, ut ait *l. 2. de peccato Originali c. 24.* Et *licèt hoc peccato nihil ſit ad prædicandum notius, tamen etiam nihil eſt ad intelligendum ſecretius*, ut docet. *l. 1. de Moribus Eccleſiæ c. 22.*, adeò ut *l. 3. de peccat. meritis & remiſſ. c. 4.* fateatur ſe non poſſe diſſolvere difficultates, quæ in hac materia occurrunt, quaſque *Pelagiani* movebant.

Eſt intellectu difficile.

QUÆSTIO I.

An detur peccatum Originale?

PRIMUS omnium ſaltem apertè negavit *Pelagius* inſignis naturæ defenſor & gratiæ hoſtis, aſſerens parvulos naſci nullo peccato

Negavit illud Pelagius & alii nonnulli Hæretici.

peccato infectos. Ei conſentiunt *Anabaptiſtæ*, qui idcirco parvulos non baptizant, & *Zwinglius*, ac *S. Bernardi* tempore *Petrus Abailardus*. Laborat etiam hujus erroris ſuſpicione *Eraſmus Roterdamus*, teſte noſtro *Caſtro V. Peccatum Hæreſ* 1.

2. *Aſſeruit ſemper & in variis Conciliis definivit Eccleſia.*

Sed Eccleſia Catholica ſemper docuit dari peccatum originale. Ita definivit *Concilium Milevitanum* approbatum ab Innocentio Papa *cap.2. Arauſicanum* II. *Can.2. Tridentinum ſeſſ.5. in Decreto de Peccato Originali* ipſis veterum Conciliorum verbis, & plura alia Concilia.

Probatur ex variis Scripturis.

Veritas hæc patet ex Scriptura *Job* 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es?* ſupple, mundus; *Septuaginta* vertunt: *Quis enim mundus erit à ſorde? ſed nullus, ſi & unius diei vita ejus in terra.* Quam verſionem multi Patres ſunt ſecuti. *Pſal.* 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi numerus pluralis ponitur pro ſingulari: quamquam & in *Hebræo* ponatur numerus ſingularis. *Ad Galat.* 3. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato &c.* id eſt, oſtendit Scriptura omnes homines eſſe peccatores & reos damnationis abſque fide Chriſti. Et *ad Rom.* 3. *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei*, à quibus ſententiis nec ipſi parvuli excipiuntur, qui & ipſi egent gratiâ Dei per Chriſtum donandâ. *Ad Epheſ.* 2. *Eramus & nos naturâ*, id eſt, à nativitate, *filii iræ* (utique ob peccatum, non quidem commiſſum propriâ voluntate, adeòque aliundè contractum) *ſicut & ceteri.* Pelagium autem contendentem loco *naturâ* legendum *prorſus* ſeu *omnino* reprehendit *Aug. l. 6. contra Julian. c. 10. in fine*, ex eo quòd *non ferè invenitur Latinus codex, ſi non à vobis incipiat emendari, vel potiùs in mendum mutari, ubi non naturâ ſit ſcriptum.* Colligitque ibidem ex tranſlationis ſeu interpretationis antiquitate fidei Catholicæ de originali peccato antiquitatem, ſicut è contrà ex alterius verſionis novitate, hæreſis novitatem. Ubi obiter notandus Hæreticorum genius, qui ut novitatem doctrinæ, ſic & novitatem verſionum ſolent ſectari.

3. *Et clariſſimè ex Apoſtolo ad Rom. 5.*

Denique clariſſimè patet ex Apoſtolo *ad Rom.* 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ubi clarè docet Apoſtolus peccato primi parentis totum genus humanum eſſe infectum, & in eo omnes peccaſſe.

Præcluduntur effugia, tum Pelagii,

Nec dici poteſt cum *Pelagio* peccatum intraſſe in mundum, quatenus primus peccans præbuit ſe exemplum peccati & inobedientiæ, quod omnes peccatores ſequuntur. Primò: quia explicatio clarè adverſatur perpetuo ſenſui Eccleſiæ; & Definitioni Conciliorum, ſignanter *Tridentini can.* 3. definientis peccatum Adæ *propagatione, non imitatione transfuſum.* Secundò, etſi hâc ratione omnes forent Adamo ſimiles in peccando, verum tamen non eſſet, quòd omnes in eo peccaverint. Tertiò multi peccant, qui de peccato Adami nil ſciunt vel cogitant: quomodo ergo juxta *Pelagium* in illos tranſit peccatum Adæ? aut quomodo illi in Adamo peccant? Quartò parvuli ſaltem non poſſunt ſic peccare imitando Adamum, in quo tamen & ipſi peccaverunt, ac conſequenter ſpiritualiter mortui ſunt, juxta illud 2. *ad Cor.* 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Denique dicendum alioquin fuiſſet æquè aut potiùs peccatum intraſſe per diabolum aut Hevam, qui priùs quàm Adam peccaverunt, ipſique Adamo exemplum imitandi dederunt. Vide *Auguſtin. lib. 5. contra Julian. cap. 7. & ſeqq.*

Tum quorumdam Pelagianorum.

Propterea quidam *Pelagii* diſcipuli argumentis Catholicorum convicti dixerunt, peccatum Adæ omnibus quidem poſteris nocuiſſe, non tamen in eos tranſiiſſe verum aliquod peccatum, ſed peccati effectum, ſcilicet mortem & alias pœnas, per quas peccatum Adæ in tota natura eſt punitum. Sed hoc ſimiliter repugnat ſenſui Eccleſiæ, & Conciliis, *Arauſicano* & *Tridentino* definientibus oppoſitum. Repugnat etiam textui, in quo dicitur in omnes tranſiiſſe ipſum peccatum: *In quo omnes peccaverunt.* Idque poſteaquam de peccati effectu præmiſſum fuerat: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Accedit conſenſus Patrum.

Eamdem veritatem docent Patres communiter, qui apud alios videri poſſunt. Plures ſe antiquiores refert ipſe *Auguſtinus l. 1. contra Julian. c. 3. & ſeqq.* qui & ipſe *Libris contra Julianum, Libris de Peccat. meritis & remiſſ.* & alibi ſæpè eamdem veritatem docet.

4. *Et ratio Theologica petita ex neceſſitate Baptiſmi.*

Denique probatur multiplici ratione principiis fidei innixâ. Primò ex neceſſitate baptiſmi etiam pro parvulis, juxta generalem Chriſti ſententiam *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Nihil autem niſi peccatum excludit à regno Dei; ergo parvuli habent peccatum; non perſonale, ergo originale. Et hinc tanta ſemper fuit in Eccleſia Dei cura adhibita, ne umquam parvuli ſine baptiſmo morerentur. Quare præcluſum eſt effugium *Pelagii* dicentis, parvulos baptizari, non ut mundentur à peccato, ſed ut poſſint intrare cælum ſeu regnum Dei, etſi alioquin extra illud habituri vitam æternam; nam à cælo excludit ſolum peccatum. Deinde contra totius antiquitatis ſenſum, ipſiuſque Scripturæ phraſim excogitat vitam æternam ſive beatam extra regnum Dei; quod ſemper cum vita æterna confunditur.

Ex Eccleſiæ exorciſmo præcedenti Baptiſmum,

Secundò ex Eccleſiæ exorciſmo & exſufflatione ante baptiſmum parvulorum. *Hoc enim* (inquit *August. Epiſt.* 105.) *procul dubio fallaciter fit, ſi diabolus eis non dominatur: per quid autem dominatur niſi per peccatum? princeps utique peccatorum.* Unde *lib.6. contra Julian. cap.* 5. ait eumdem non auſum contradicere exſufflationi, ne ipſe à toto mundo exſufflandus eſſet.

Et ſpecialiter adhuc ex eo quòd baptiſmus detur in remiſſionem peccatorũ.

Tertiò *Concilium Milevitanum cap.* 2. peccatum originale infert ex veritate formæ baptiſmatis dicens: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, unde ſit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis, In remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit.*

5. Sed difficultas moveri poteſt ex eo, quòd B. Virgo fuerit veraciter baptizata, quæ tamen non fuit mundata ab ullo peccato, ſicut nullum umquam habuit. Reſpondetur autem facilè, B. Virginem non fuiſſe baptizatam in remiſſionem peccatorum, ſicut parvuli. Unde *Milevitanum* probat ex forma baptiſmatis cum addito, *In remiſſionem peccatorum.* Quæ verba Nonnulli putant ſolita fuiſſe addi formæ conſuetæ ab ipſis etiam *Pelagianis. Lugo* autem *diſput.* 2. *de Sacram. in genere Sect.* 2. *num.* 15. explicat Concilium de forma baptiſmatis etiam accidentali, prout complectitur totum ritum baptizandi. Et quidem ex veritate formæ ſic ſumptæ peccatum in parvulo oſtendit *Auguſtinus* (qui Canones *Concilii Milevitani* fecit) *l.* 1. *de Peccat. merit. cap.* 34. quatenus videlicet in ritu ſeu formâ hujuſmodi intervenit exorciſmus, exſufflatio &c. Nihilominus alibi ipſe *Auguſtinus* ex ipſa forma baptiſmi, quatenus à ritibus accidentariis exorciſmi diſtinctâ, infert peccatum originale, nempe *l.* 2. *de Peccato originali c.* 40. ubi ait: *Excepto enim, quòd in peccatorum remiſſionem, non fallaci, ſed fideli miniſterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis & exſufflatur poteſtas contraria &c.* Supponit itaque Concilium velut manifeſtum ex Traditione Apoſtolica, ex Symbolo Conſtantinopolitano, & ex ipſa confeſſione aliorum (ut ex ipſo Canone patet) parvulos quidem in remiſſionem peccatorum baptizari. Hoc autem ſuppoſito rectè infertur formam baptiſmatis fore falſam, ſcilicet practicè & ſacramentaliter: nam & ſubjecta materia ſacramentaliter ſignificabat ejuſmodi baptizandos mundari à peccato (cùm nec ſit obex, nec ſupponatur aliundè facta mundatio) utique ab originali, cùm parvuli ſint incapaces culpæ actualis.

Quæ probatio ſolutione difficultatis ampliùs declaratur.

Denique ex morte Chriſti pro omnibus, quæ ſupponit omnium mortem.

Quartò denique (ut plures alias rationes prætercam) ex morte Chriſti pro omnibus, rectè ſequitur omnes eſſe ſpiritualiter mortuos, ut arguit Apoſtolus 2. *ad Cor.* 5. Igitur parvuli quomodo rei & mortui non ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt? ut arguit *Auguſt. l.* 2. *de Nupt. & Concupiſc. cap.* 33. Mortuus eſt enim Chriſtus, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & exuti veterem hominem indueremus novum in ſanctitate; quod fit, dum à morte peccati reſurgimus ad vitam gratiæ.

Objicitur I. illud *Ezechiel.* 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Reſp. illud intelligi de peccatis parentum perſonalibus, quæ non transfunduntur in proles. Deinde Adami tranſgreſſio etiam eſt moraliter iniquitas filiorum, qui in illo velut capite naturæ ac poſteritatis conſtituti, tranſgreſſi ſunt legem Dei latam *Gen.* 2. & fecerunt hoc unum peccatum, *In quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt,* ut inquit *Auguſtin. lib.* 1. *de peccat. merit. cap.* 10. Quocirca *Juliano* objicienti: *ſed peccatis alienis utique perire debuerunt.* Reſpondet *Auguſtinus lib.* 1. *Oper. Imperf. cap.*48. in fine. *Aliena ſunt, ſed paterna ſunt: ac per hoc jure ſeminationis atque germinationis & noſtra ſunt.* Et *cap.* 57. ait: *Sic autem aliena ſunt originalia peccata, propter nullum in eis noſtræ voluntatis arbitrium, ut tamen propter originis contagium eſſe inveniantur & noſtra.* 6.

Iniquitas primi parentis eſt moraliter filiorum.

Iure ſeminationis & germinationis.

Objicitur II. Apoſtolus *ad Rom.* 5. dicit: *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi;* atqui non omnes per hanc conſtituuntur juſti: ergo nec per illam omnes injuſti. Reſp. Neg. Min. ad ſenſum Apoſtoli: omnes enim per obedientiam Chriſti conſtituuntur juſti, qui in Chriſto ſpiritualiter renaſcuntur: adeòque etiam omnes conſtituuntur peccatores per inobedientiam Adæ, quicumque ex illo naturaliter naſcuntur. Et in hoc comparationem facit Apoſtolus. Per *multos* itaque phraſi Scripturæ uſitatâ intelliguntur *omnes*, ſenſu jam dicto. Quare etiam Apoſtolus præmiſerat: *Sicut per delictum unius in omnes homines in condemnationem &c.* 7.

Obedientia Chriſti juſtificat univerſaliter ex eo renatos, ſicut infecit inobedientia Adæ ex ipſo natos.

Objicitur III. Apoſtolus *ibidem* dicit: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Reſp. cum *S. Auguſtino lib.* 1. *de peccat. merit. & remiſſ. cap.* 11. ſenſum eſſe, quòd mors regnaverit etiam ante legem ſcriptam ſeu tempora Moyſis, idque in illos etiam, qui non peccaverunt actualiter, ſicut Adam peccaverat, *in quo* (ut Apoſtolus præmiſerat) *omnes peccaverunt.* Quare locus eſt pro nobis.

Objicitur IV. Auctoritas *Chryſoſtomi*, qui variis in locis videtur favere errori *Pelagianorum*, ſignanter *Homilia ad Neophy-* 8.

tos:

tos: hàc (inquit) *de cauſa etiam infantulos baptizamus, cùm non ſint coinquinati peccato, ut eis detur vel addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hereditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint omnes &c.* Reſp. Auctoritatem *Chryſoſtomi*, ſi nihil aliud dici poſſet, minimè præjudicare veritati tam patenter in Scriptura & Conciliis expreſſæ. Nihilominus minimè fauet Pelagianis, ut oſtendit *Auguſtinus l. 1. contra Julian. c. 6.* ubi citat verba ejuſdem Chryſoſtomi *Homilia cit.* exprimentis Doctrinam catholicam: *Venit* (inquit *Chryſoſtomus*) *ſemel Chriſtus, invenit noſtrum chyrographum paternum, quod ſcripſit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis.* Eamdem clarè tradit *Homil. 40. in Epiſt. 1. ad Cor. Deus* (inquit) *in regenerationis lavacro mentem gratiâ tangit, hinc radicale* (hoc eſt originale) *peccatum evellit &c.* Ad locum autem objectum Reſpondeo juxta varios in Græco legi pluraliter, *peccatis*; parvuli autem ſunt infecti unico originali. Deinde etſi ſingulariter legatur, *peccato*, intelligi debet de peccato perſonali juxta *Auguſtinum ſup.* Denique in aliis codicibus, ſignanter editionis Pariſienſis Anni 1556. legitur: *ut non ſint coinquinati peccato.* quaſi dicat, infantulos baptizari, ut ſint mundi à peccato, non alio ſanè quàm originali.

Chryſoſtomus apertè tradit doctrinam de Originali.

Locus in contrarium allegatus explicatur.

Cur autem *Chryſoſtomus* in re tanti momenti ſubinde ſit tam obſcurè locutus, rationem dat *Auguſtinus ſup.* eò quòd diſputans in catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur, quàm ſicut communis Eccleſiæ ſenſus haberet; & quia talibus quæſtionibus nullus pulſabatur, ideo Hæreticis nondum litigantibus ſecuriùs loquebatur. Quod ſæpè circa locutiones Patrum etiam in aliis materiis eſt obſervandum.

Cur interdum obſcurius ſit locutus.

Eſt etiam advertendum in iis, qui (uti *Chryſoſtomus*) concionatorio modo ſcribunt, prout ad populum dixerunt, quòd eorum verba & argumenta non ſint ſemper penſanda ſecundùm rigorem dialecticum, ſed congruo quodam modo accipienda & interpretanda. Quâ ratione invenientur & habere veritatem, & energiam quamdam ad perſuadendum: quæ, ſi quis vellet omnia examinare ad Dialecticorum exactiſſimas regulas, apparebunt aut falſa, aut ſine connexione & efficaciâ, ut ex variis locis *Chryſoſtomi* (quæ vide explicata apud Wiggers q. 81. a. 1.) facile eſt advertere.

Notabile conſiderandum in explicandis interdũ dictis Patrum.

9. Objicitur V. cum *Juliano Pelagiano* apud *Auguſtin. l. 2. de Nup. & Concupiſc. c. 28. Non peccat ille qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iſte qui condidit; per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum.* Reſpondet. *ibid. Auguſtinus: Quid quærit latentem rimam; cùm habeat apertiſſimam jannam? per unum hominem ait Apoſtolus, per unius delictum ait Apoſtolus.* Et quàmvis modum propagationis planè intelligere non poſſimus: non tamen poſſumus dubitare de illo, pro quo ſtat tam evidens Apoſtoli & Conciliorum teſtimonium. Quo modo nihilominus peccatum ipſum propagetur ac in ſingulos traducatur, *quæſt. 3.* explicabitur.

Acuta reſponſio B. Auguſtini ad argumẽtum Iuliani.

Nec refert, quòd dum Adam genuit Seth & Cain fuerit à ſuo peccato mundatus, prout etiam frequenter parentes mundati ſunt dum generant proles. Nam peccatum non fuerat Adamo remiſſum, quatenus erat peccatum generale totius velut naturæ, adeòque etiam poſteritatis in eo tamquam capite & radice conſtitutæ, ſed tantùm quatenus erat peccatum ei proprium ac particulare: parentes autem intermedii etiam iuſti generant proles infectas, quatenus illas efficiunt membrum poſteritatis Adæ, ad quod juſtitia parentum eſt impertinens. Beneficium enim juſtificationis eſt perſonale, nec egreditur perſonam; ideoque quilibet in immunditia naſcitur & manet, donec quiſque in propria perſona renaſcatur, aut aliâ ratione mundetur. Sic in ſimili ex grano purgato naſcitur aliud contectum paleis, ex parente circumciſo naſcitur filius cum præputio, ex Chriſtiano & fideli naſcitur non Chriſtianus & non fidelis, etiam fatentibus *Pelagianis*. Vide *Auguſtinum l. 3. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 8. & 9.*

Iuſtificatio perſonalis Adæ aut aliorum parentum quomodo nõ impediat infectionem prolium.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Peccatum Originale?

PRIMUS Error ſeu potiùs delirium fuit *Matthiæ Illyrici* Centuriatorum anteſignani, qui docuit peccatũ originale eſſe formam ſubſtantialem, & diaboli ſubſtantialem imaginem. Quod eſt expreſsè contra *Auguſtinum l. 6. contra Julian. c. 7.* ubi docet peccatum originale non eſſe corpus neque ſubſtantiam. Et in *Pſal. 68.* generaliter ait: *Iniquitas ipſa non eſt ſubſtantia: non enim iniquitas eſt natura quam formavit Deus, ſed iniquitas eſt perverſitas quam fecit homo.* In quibus verbis continetur etiam ratio: quia ſi eſſet ſubſtantia, eſſet in Deum tamquam auctorem referenda. Deinde ſtatuere aliquas ſubſtantias malas, pertinet ad hæreſim *Manichæi*, qui ne Deum faceret malorum auctorem, aliud principium malum pro illis confinxit. Denique commentum illud omni prorſus ratione & auctoritate deſtitutum eſt. Nec favet ei Apoſtolus *ad Rom. 6.* ubi dicit: quòd ſit *vetus homo noſter ſimul crucifixus, ut deſtruatur corpus peccati.* Nam per *corpus peccati* intelligitur ipſa maſſa ſeu congeries peccatorum. Deinde loquitur Apoſtolus de peccatis actualibus. Denique ſi quid inferri poſſet, ſequeretur 16.

Peccatum originale non eſt forma ſubſtantialis.

retur peccatum originale eſſe aliquod corpus, quod nec ipſe *Illyricus* admittit.

11. *Nec concupiſcentia ſeu fomes peccati formaliter,*

Secundus error eſt *Lutheranorum* & *Calviniſtarum* aſſerentium peccatum originale eſſe ipſam concupiſcentiam. Quod intelligunt de formali peccati, ut patet ex *Bellarm. l. 5. de Statu peccati origin. c. 5.* Refutatur: quia fomes concupiſcentiæ manet etiam in renatis, ut nimis evidenter docent motus inordinati, quos etiam reluctante voluntate in juſtis ſuſcitat. In baptiſmo tamen verè tollitur, & non tantùm raditur ſeu non imputatur, totum quod veram & propriam peccati rationem habet, ut definit *Trid. ſeſſ. 5.* Et conſonat Apoſtolus *ad Rom. 8.* dicens: *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Si autem fomes concupiſcentiæ eſſet peccatum originis, verè in iis eſſet culpa & aliquid dignum condemnatione. In eumdē ſenſum *Auguſtinus contra duas Epiſt. Pelagianorū c. 3.* ait: *Baptiſmus abluit peccata omnia, prorſus omnia, ſive originalia, ſive addita, ſed non aufert infirmitatem,* id eſt concupiſcentiæ fomitem, quem ad agonē relinqui in baptizatis docet. Idem exprimit alibi frequenter; adeò ut ipſe *Calvinus* coactus ſit fateri ſe in hoc puncto habere *Auguſtinum* adverſarium, & ſimul ceteros antiquos Patres.

Fundamentum Hæreticorum eſt phraſis Scripturæ concupiſcentiam ſubinde appellantis peccatum, quòd quâ ratione intelligendum ſit, ex *Auguſtino* & *Tridentino* ſatis oſtenſum eſt *diſp. præc. q. 1.* Nec ideo ſemper alibi peccatum poterit impropriè ſumi ut objicit *Lutherus*: nam in præſenti ſatis conſtat ex natura rei, de qua agitur, circumſtantiis & auctoritate, peccatum debere impropriè ſumi: quæ alibi non ſemper habent locum.

12. *Neque etiam morbida quadam qualitas,*

Tertia Opinio eſt *Magiſtri 2. d. 31. Gregorii & Gabrielis,* qui dixerunt peccatum originale eſſe morbidam animæ qualitatem ob trangreſſionem Adæ in poſteros transfuſam, & derivatam ab alia qualitate morbidâ ſubjectâ in carne; quæ quidem caro peccato Adæ infecta etiam inficiat ipſam animam, eo modo, quo liquor optimus inficitur, ſi infundatur vaſi inquinato. Quæ opinio videtur improbabilis, & omni fundamento rationabili deſtituta. Primò: quia nullam experimur aut cum apparentia ſuſpicari poſſumus eſſe qualitatem morbidam in corpore vel anima necdum baptizati, quæ non ſit in baptizato; ſed in hoc nulla eſt qualitas morbida quæ ſit peccatum originale: ergo &c. Secundò auctor talis qualitatis eſſet Deus; qui tamen nequit eſſe auctor peccati. Deinde morbida qualitas animæ non poſſet efficienter derivari à qualitate morbida carnis; hæc enim tantùm poſſet efficere aliam qualitatem corporalem, non autem ſpiritualem, qualis eſſet illa, quæ in anima ſubjectaretur. Alia verò efficiens cauſa talis qualitatis non poteſt cum apparentia aſſignari, ſive fructus vetitus, ſive flatus ſerpentis, ſive infans qui naſcitur, ſive ipſe Adam, qui jam non eſt, nec per peccatum acquiſivit virtutem novam efficiendi in anima poſterorum qualitatem.

Dum verò *Auguſtinus* peccatum originale ſubinde explicat per modum cujuſdam naturæ languoris aut pravæ qualitatis, eſt moraliter intelligendus, ut velit, quòd peccatum originale perinde afficiat voluntatem relinquendo illam debilem, & ad malum potiùs quàm ad bonum inclinatam, ac ſi eſſet languor aut qualitas aliqua phyſica inficiens; etſi peccatum originale id non præſtet ex ſua entitate phyſica.

Quarta Opinio probabilis docet peccatum eſſe fomitem concupiſcentiæ, non quidem ſeorſim ſpectatum, ſed ut annexam habet privationem juſtitiæ originalis debitæ: ita ut fomes ſit velut materiale, privatio autem iſta formale peccati originis. Hanc ſententiam videtur ſequi *D. Thomas q. 82. a. 3. D. Bonav. 2. d. 30. a. 2. q. 1. Scotus 2. d. 32.* & Scholaſtici plerique cum *Anſelmo l. 1. de conceptu virgin. c. 26.* ubi ait: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem.* Pro meliori intellectu 13. *Sed probabiliter conſiſtit in privatione juſtitiæ originalis debitæ formaliter,*

Nota juſtitiam originalem præter gratiam ſanctificantem & virtutes infuſas connotaſſe varia dona & auxilia, quibus appetitus ſenſitivus maneret ſubditus rationi, ac inſuper divinam protectionem contra agentia extrinſeca. Itaque per illam primò ornabatur anima, ſecundò mens ſubjiciebatur Deo, tertiò caro perfectè ſubjiciebatur ſpiritui. Auctores autem hujus ſententiæ potiſſimùm loquuntur de privatione juſtitiæ originalis, quatenus per illam mens ſubjiciebatur Deo.

Nomine verò *concupiſcentiæ* generaliter intelligitur inordinatio inferiorum animæ virium, quæ contra primævam rationem noſtræ conditionis eſt nobis innata ex primi parentis peccato. Potiſſima autem inordinatio conſiſtit in propenſione ad bonum delectabile & commutabile: in quòd etſi vires inferiores ex ſua natura propendeant, in homine tamen talis propenſio cenſetur vitioſa ob conjunctionem cum ratione, cui ſecundùm rectum ordinem inferiores vires in ſuis motibus ſubeſſe deberent. Et propterea in homine vitium cenſetur, quòd in beſtiis eſt natura, juxta illud *Aug. l. 4. contra Julian. c. 14. Ideo in pecoribus malum non eſt concupiſcentia, quia non adversùs ſpiritum concupiſcit, ſed eorum potiùs oblectat ſpiritum.* Itaque vis concupiſcendi, quatenus privata fræno & moderamine juſtitiæ originalis ex prima origine debitæ, cenſetur in homine lapſo vitioſa, ſicut & in illo vitioſus cenſetur

cenſetur & inordinatus concupiſcentiæ motus propter rationem in eodem ſubjecto conjunctam, quæ illum moderari debuiſſet. His notatis

14\. Docet hæc Sententia concupiſcentiam generatim ſumptam eſſe quodāmodò materiale peccati originalis. Quod etiam plurimis in locis inſinuat *Auguſtinus*, dum per concupiſcentiam peccatum originale explicat. Eſt namq; ipſa effectus vitioſus, ac potiſſimus peccati Adæ, ſignumque infallibile peccati latentis in anima necdum renati: ideoque cenſeri poteſt materialiter ad illud ſpectare, ſicut actus externus aut effectus quandoque cenſetur nomine peccati: maximè quia per concupiſcentiam cenſetur homo ad creaturam propenſus & cōverſus; quod in quolibet peccato materiale cēſetur.

Sic ut concupiſcentia ſit velut materiale.

Ipſa tamen propriè non eſt peccatum, ſed potiùs peccati pœna, uti eſt neceſſitas moriendi & alia incōmoda: propter quod etiā manet in renatis, à quibus tamen tollitur, quidquid habet veram rationem peccati. Confirmatur: quia hoc naturæ vitium incurrimus, non niſi demerendo; ergo demeritum originale ſupponitur. Denique etiamſi ſine concupiſcentia naſceremur, potuiſſemus eſſe infecti peccato originali, dummodo naſceremur privati juſtitiâ & ſanctitate ob peccatum primi parentis.

Quàmvis propriè loquendo hæc non ſit peccatum, ſed effectus ſeu pœna.

Nunc quod attinet ad carētiam juſtitiæ ſive gratiæ, ipſa indubiè peccatū originale inſeparabiliter comitatur, & eo ſublato tollitur: ipſa quoque eſt mors animæ, quæ ſicut de facto per gratiam vivit, ſic per illius carentiam mortua cenſetur.

15\. Nihilominus ſuppoſito quòd propria peccati habitualis ratio non conſiſtat in privatione gratiæ (quod probabilius eſſe ſupra docuimus) non videtur conſequenter dici poſſe, quòd propria & formalis ratio peccati originalis (quod eſt peccatum habituale) conſiſtat in privatione juſtitiæ ſecundùm ſe. Quin immo hæc videtur potiùs etiam eſſe pœna ejuſdē peccati: ideo enim naſcimur privati juſtitiâ, quia id fuimus demeriti peccando in Adamo, cujus voluntas ſicut erat futura voluntas omnium noſtrûm in cuſtodienda & transfundenda, ſic etiam in deſtruenda juſtitia. Quemadmodum quoque privatio gloriæ, ſeu debitum illâ carendi potiùs cenſetur peccati effectus ac pœna, quàm ipſum peccatum.

Idem videtur de privatione juſtitiæ.

16\. Quapropter hæc opinio (quæ valde diverſimodè à diverſis explicatur) difficultatem patitur. Niſi quis cum *Ruardo Tappero a.2. contra Lutherum* ſentire audeat, peccatum originale non eſſe propriè dictum peccatum, ſed potiùs tamquam effectum ſequi proprii nominis peccatum actuale Adami; & dici *peccatum, quod eſt mors animæ*, ut poſt *Concilium Arauſicanum* loquitur *Trid. ſeſſ. 5. can. 2.* mors autem animæ eſt privatio juſtitiæ incurſa ob peccatū Adæ: quod planè quoad rem videtur intentum Conciliorum.

Ruardus cenſet originale non eſſe propriè dictum peccatum, ſed hujus effectum, conſiſtentem in privatione juſtitiæ.

Si autem objiciatur *Trid. ibid. can. 5.* definire per baptiſmum tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. Reſponderi fortè poſſet *Tridentinum* contra Hæreticos ſolùm velle, quòd nullum tale peccatū remaneat; non autem definire, quòd propriè dictum & univocum peccatum antea fuerit, ſed ei ſufficere, quòd admittatur ſubfuiſſe *peccatum quod eſt mors animæ*, ut *Trid. ſup. can. 2.* loquitur. Sed quidquid ſit de hac ſententia *Ruardi*, quæ variis multùm quoad modum ſaltem loquendi diſplicet, videtur communis opinio aliter poſſe explicari, ut ferè coincidat cum ſubſequenti, dicendo peccatum originale eſſe voluntariam deſertionem, ſive privationem quatenus eſt à nobis, quâ quilibet noſtrûm ſe in Adamo privavit juſtitiâ originali debitâ ex lege Dei, qui mandaverat Adæ tamquam capiti totius naturæ juſtitiam in ſe etiam pro poſteris conſervare: ſicut ſatis rectè peccatum dicitur voluntaria privatio rectitudinis debitæ ex lege, quæ moraliter & habitualiter manet, donec per infuſionem gratiæ remittatur. Vel dicendo eſſe privationem juſtitiæ velut actualis, ſive rectitudinis debitæ actioni, quæ cenſebatur noſtra, & in qua peccavimus; quæ quidem privatio moraliter manens ſit peccatum originale. Et ita *Herrera* intelligit *Scotum*, & alii explicant *D. Thomam* ceteroſque antiquos Scholaſticos.

Quinta denique Opinio probabilior eſt *Richardi*, *Soti*, *Cajetani*, quos citat & ſequitur *Cavellus in Scolio d.32. nu. 7. Pontius d. 18. num.26.* & plures Recentiores, præſertim è Societate Jeſu. Hi cenſent peccatum originale eſſe ipſum peccatum Adæ, quatenus moraliter etiam fuit omnium noſtrûm, & in nobis moraliter manet ab origine, donec fuerit condonatum. A qua ſententia fortè non differunt *Albertus Phigius* & *Ambroſius Catherinus*, qui dixerunt peccatum originale eſſe ipſum peccatum Adæ, quatenus per extrinſecam denominationem imputatur poſteris ad damnationem: quàmvis Nonnulli horum opinionem cenſurent. 17.

Probabilius conſiſtit in peccato Adæ, quatenus moraliter noſtro, & in nobis moraliter manente.

Probatur I. ex dictis contra præcedentem ſententiam. Secundò: quia omnes nos moraliter peccavimus in Adamo, quando ipſe phyſicè & realiter in paradiſo tranſgreſſus eſt mandatum Dei, juxta illud *Auguſtini l.1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 10. Aliud hoc unum* (ſcilicet peccatum originale) *in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Hoc autem peccatum in ſingulis manet, donec per baptiſmum aut aliter à Deo condonetur: nec eſt peccatum actuale, ut patet: neque etiam habituale ortum ex noſtro peccato actuali, ut etiam patet:

patet: ergo eſt originale; adeòque fruſtrà aliud quæritur.

Confirmatur I. exemplo & ſimilitudine peccati habitualis, quod eſt ipſum actuale præteritum moraliter manens: ergo ſimiliter peccatum originale (quod eſt habituale quoddam peccatum) eſt ipſum actuale præteritum Adami, quatenus moraliter fuit noſtrum, & in nobis manet.

Sic facilè ſalvantur quæ de originali fides docet.

Confirmatur II. Quia ſic facilè ſalvantur omnia, quæ de peccato originali fides docet: nam hoc modo originale non eſt unum tantùm, ſed moraliter multiplex, quatenus moraliter eſt commiſſum à ſingulis. Contrahitur etiam propagatione, non imitatione, & ineſt unicuique proprium: quia eo ipſo quòd quis naſcitur, fit unus ex numero illorum, qui in Adam peccaverunt, & contrahit ex eo maculam moralem, manetque peccator, & habitualiter à Deo averſus, ac odio & pœnâ dignus, quouſque condonetur: ſicut eò uſque prudenti judicio cenſetur quis maculatus, & peccator ratione peccati actualis & perſonalis.

QUÆSTIO III.

Quomodo Peccatum Originale traducatur?

Sola propagatio ſeminalis eſt velut canalis per quem in poſteros originale peccatum derivatur.

19. DICO I. Ratio cur homo contrahat originale peccatum, eſt, quòd ex Adamo deſcendat per ſeminalem propagationem ſeu viâ communi generationis. Ex quo fit, ut anima ipſo inſtanti conceptionis, ſeu quo unitur corpori in utero materno, contrahat originale peccatum; utpote eo ipſo anima naturalis Adæ filii, qui in ipſo tamquam capite totius generis humani tranſgreſſus eſt præceptum Dei ipſi datum tamquam ſuſtinenti perſonam capitis, in quo tota poſteritas continebatur. Ita *D. Thomas quæſt.* 81. *a.* 1. *Scotus d.* 32. *num.* 12. & alii communiter cum *Anſelmo l. de Conceptu Virgin. cap.* 7. Colligitur quoque ex *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 3. ubi ait: *Sicut re verâ homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti, cum ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant &c.*

Solâ Hevâ peccante non contraxiſſent poſteri peccatum originale.

20. Hinc colligitur I. cum *D. Thoma ſup. a.* 5. & aliis communiter contra quoſdam (quibus favet *Anſelmus ſup. cap.* 9. ſed ſatis ab aliis explicatur) ſolum Adam eſſe cauſam moralem transfuſionis peccati in poſteros; adeò ut ſi Adamo non peccante peccaſſet Heva, poſteri non fuerint contracturi peccatum originale. Nam Scriptura ſolius peccati Adæ meminit, *ad Roman.* 5. *Per unum hominem mors &c. Per inobedientiam unius hominis &c.* ſcilicet Adami, ut intelligunt Patres, indicat contextus, & ſe ipſum explicat Apoſtolus 1. *ad Cor.* 15. dicens: *Sicut in Adam omnes moriuntur* (quod eſt pœna peccati originalis) *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Unde etiam Apoſtolus ipſum tamquam caput opponit Chriſto, qui ideo ſecundus Adam dicitur. Similiter Concilia *Milevitanum*, *Arauſicanum & Trid. ſeſſ.* 5. *can.* 2. definiunt, *Adæ prævaricationem non ſibi ſoli, ſed etiam ejus propagini nocuiſſe, ac ſanctitatem & juſtitiam nobis etiam perdidiſſe.* Eodem modo loquuntur Patres. Confirmatur: quia alioquin de Heva dici debuiſſet, quòd per illam peccatum intraverit, quòd in ea omnes peccaverint & moriantur; cùm ipſa peccaverit ante virum, in qua proinde ex tunc fuiſſemus mortui, ſive peccato & morti obnoxii.

Nec obſtat illud *Eccli.* 25. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* Nam etſi non in illa, tamen per illam, utì per diabolum omnes morimur: quia priùs peccando fuit Adæ occaſio & irritamentum peccati. Idque allegat Sapiens ad oſtendendum, quàm ſit viro prudenti cavendum à mulieribus.

Colligitur II. Si, Adamo non peccante, 21.
peccaſſent aliqui ex poſteris, hos non fuiſſe infecturos ſuas proles. Ita Doctores communiter: quia non conſtat de aliquo Dei decreto, quo ſinguli fuerint conſtituti caput ſuorum filiorum in ordine ad conſervandam vel amittendam juſtitiam, ſicuti Adam totius poſteritatis; ut rectè *Scotus ſup. n.* 17. qui proinde malè citatur in oppoſitum. Quamquam (ut *ibid. Scotus*) id fieri potuiſſet poſito ſimili decreto; quod certè fuiſſet valde odioſum, adeòque ſine urgenti auctoritate (quæ nulla extat) non eſt aſſerendum.

Utì nec ceteri ſuos reſpectivè poſteros infecíſſent.

Quòd autem hoc decretum ſit neceſſa- 22.
rium, patet: quia, ſi Deus non ſtatuiſſet Adamum caput poſteritatis (quale potuiſſet conſtitui etiam alius à quo non procederemus) morale ſcilicet, in ordine ad transfundendam aut amittendam juſtitiam, non apparet ullâ ratione, cur ex natura rei ipſo peccante omnes poſteri cenſerentur peccare. Immo cur alioquin non pariter, immò potiùs cenſerentur proles peccare peccantibus parentibus immediatis? Cur non ſimiliter peccante ſolâ Hevâ? Cur tantùm contrahunt peccatum unicum, & non plura vel omnia? Cùm tamen Scriptura, Concilia & Patres tantùm meminerint unius delicti, unius hominis Adæ; non autem aliorum peccatorum, ſive ipſius Adæ, ſive proximorum parentum. Specialiter autem Apoſtolus *ad Rom.* 5. ait: *Judicium ex uno in condemnationē gratia ex multis delictis in juſtificationem.* Quæ antitheſis manifeſtè oſtēdit unicum Adæ delictum eſſe cauſam cōdemnationis omnium. Et *Trid. ſeſſ.* 5. *can.* 3. definit, *hoc Adæ peccatum origine unū eſſe.* Similiter quoque *B. Auguſt. Enchir. c.* 43. & 44.

Ad transfuſionem peccati Adæ prærequirebatur pactum ſeu potiùs decretum divinum.

44. unum tãtummodò in parvulis agnoſcit originale peccatum, addens *c.*44. numerum pluralem poni pro ſingulari, quando dicimus in peccatorum remiſſionem parvulos baptizari. Quàmvis *c.*46. videri poſſet inclinari in hoc, quòd etiam obligentur parvuli ſuorum, de quibus ipſi nati ſunt, parẽtum peccatis. Sed vel ibi ſolùm diſputat, & nil aſſertivè ſtatuit, ſaltem de reatu culpæ: vel loquitur de reatu pœnæ; ſicut loquitur Scriptura *Exodi* 20. (quam allegat) de viſitatione iniquitatis Patrũ in filios. Alioquin ſi de peccatis ipſis id aſſereret probabile, ſanè nunc idem haud probabile cenſeri poſſet.

23\. *Quod Adæ de facto intimatum fuerat, etſi non eſſet id neceſſariũ.*

Petes, An decretum divinum, quo Adam fuit conſtitutus caput poſterorum, fuerit de neceſſitate ipſi intimatum? Reſp. id quidem non fuiſſe neceſſariũ abſolutè loquẽdo: cùm non fuerit ſtrictũ pactum, in quo acceptatio Adæ intervenire debuerit, potueritq; Deus conſenſum etiã renuentis ſupplere aut non exigere. De facto tamẽ ordinatio iſta divina ſimul cum ipſo mandato (cujus utiq; ſenſum & energiã cognovit) *Gen.*2. ei intimata fuit. Quod planè congruentius erat, & ſupponi videtur à Sacris Doctoribus, gravitatem peccati Adæ ex damno poſteritati deſumptam valdè exaggerantibus; ad quod utique requirebatur notitia eventûs, atque adeò præſuppoſitæ divinæ ordinationis: cùm eventus omnino incognitus non augeat peccati malitiam.

24\. *Neceſſitatem decreti Nonnulli rejicientes ad naturam rei recurrerunt,*

Nota tamen Nonnullos neceſſitatẽ hujuſmodi decreti negaſſe, propagationẽ peccati originalis refundentes in naturam ſeminis per peccatũ Adæ corrupti; ex quo naſcatur corruptus fetus in corpore, & inde conſequenter in anima. Corruptio autem iſta videtur ab illis referri in libidinem, cum qua proles à parentibus generatur: ita ut libido in propagatione ſit tota ratio, cur traducatur peccatum originale; idque ex natura rei ſine aliquo pacto aut decreto Dei. Sicut parentes leproſi aut morbidi naturaliter generant proles ſimiliter affectas.

Sed improbabiliter.

Sed hæc doctrina nullatenus eſt probanda: ſemen enim non eſt corruptum per peccatum. Et quamquam deciſioni illius in generatione miſceatur poſt peccatum ardor libidinis (quæ antea erat per originalem juſtitiam ligata & moderata) ea tamen non corrumpit ſemen. Et quàmvis corrumperet, ideoque connaturaliter ſequeretur quædam corruptio fetûs quoad corpus: quomodo tamen quoad animam, & ex natura rei, ac ſecluſâ ordinatione Dei? Deinde etſi in carnali commixtione abeſſet ardor libidinis, equidem proles genita poſſet cõtrahere originale peccatum. Sicut etiam Adam potuiſſet poſteritatem peccato inficere, etſi ablatâ per ſuum peccatum gratiâ non fuiſſet ſubjectus fomiti concupiſcentiæ: è contrà ſi fuiſſet conditus in ſtatu puræ naturæ, habuiſſet in generatione prolis libidinem, & tamen proles non habuiſſet peccatum. Igitur intemperantia ſeu ardor libidinis non poteſt præcisè eſſe cauſa trãsfuſionis peccati. Quare dum interdum Sancti, præſertim *Auguſtinus*, eam referre videntur in libidinem generantium, ſolùm volunt illam eſſe ſignum & effectum originalis peccati in ipſis generantibus, & conſequenter eſſe ſignum ejuſdem in prole genita; eò quòd in ſtatu innocentiæ abfuiſſet vehementia ſeu inordinatio libidinis juxta *D. Thomam* 1. *parte q.*98. *art.*2. *ad* 4.

25\. *Peccatum in poſteros transfuſum fuit prævaricatio mãdati Gen.*2.

Colligitur III. Peccatum Adæ, quo nos ſumus conſtituti peccatores, fuiſſe transgreſſionẽ divini mandati in paradiſo juxta *Trid. ſeſſ.*5. *can.*1. dum videlicet guſtavit fructum ligni ſcientiæ boni & mali. Nam injuſtitia in poſteris oritur ex illo Adæ peccato, per quod incurrit mortem, ut patet *ad Rom.*5. mors autem eſt ſecuta ex prævaricatione præfati mandati, ut patet *Gen.* 2. Quare Scriptura, Concilia, ac Patres urgent ſpecialiter inobedientiam ac prævaricationem Adæ, indubiè reſpiciendo ad præceptum *Gen.*2.

De nullius alterius peccati, eſto primi, trãſfuſione nil conſtat fuiſſe decretum,

Dubitant autem Nonnulli an ſic Adam per inobedientiam amiſerit ſibi & nobis juſtitiam, ut etiam per quodvis aliud primum peccatum, quo amiſiſſet juſtitiam ſibi, eamdem fuiſſet amiſſurus nobis, v.g. ſi peccaſſet peccato odii. Sed longè verius eſt, quòd non: quia non conſtat Adamum eſſe eatenus conſtitutum caput poſteritatis, niſi quoad præceptum *Gen.*2. uti nec fuit conſtitutus quoad alia peccata ſubſequentia: tam grave autem poſterorum onus non debet aſſeri ſine urgentiſſimo fundamento.

An debuerit eſſe opere conſummatum.

An verò transfudiſſet in nos injuſtitiam, ſi ſolâ voluntate internâ transgreſſus fuiſſet divinum præceptum, pendet à Dei voluntate; quæ cùm in Scriptura non ſatìs declaretur, juxta regulas naturæ & juris, videtur in re odioſa & obſcura favorabilius & minimum eſſe conjecturandum. Prout fit, dicendo illud, *In quocumque die comederis, morte morieris*, intelligi de comeſtione exteriùs conſummatâ.

26\. *Chriſtus vi Conceptionis fuit immunis,*

Colligitur IV. Chriſtum Dominum non fuiſſe obnoxium originali peccato: quia non eſt filius Adæ deſcendens ab eo per viã ordinariæ generationis, ſed eſt conceptus de Spiritu ſancto ex Maria Virgine.

Ceteros etiã fidelium filios peccatum infecit,

De cetero filii etiam Fidelium naſcuntur peccato originali infecti; utpote filii naturales Adæ. Idem patet ex generali locutione Apoſtoli *ad Rom.*5. ac ex generali neceſſitate baptiſmi, quam etiam quoad filios Fidelium ex Traditione contra *Pelagianos* urget *Auguſt. l.*6. *contra Julian. c.*2. Idemque definit *Trid. ſup. can.*4. Unde David *Pſal.*50. & Apoſtolus *ad Epheſ.*2. id ipſum de ſe teſtantur, qui tamen erant filii fidelium. De privilegio ſpeciali Deiparæ Virginis agetur *quæſt. ſeq.*

Exceptâ Deiparâ, de qua q. ſeq.

Filii ante Adæ peccatum geniti non fuiſſent veroſimilius infecti.

27. Petes I. Quid ſi filii aliqui fuiſſent geniti ab Adamo antequam peccaſſet? Reſp. Non videri fuiſſe incurſuros peccatum originale: incongruum enim eſſet, quòd juſtitiam ſibi jam infuſam perderent abſque culpa propria. Nec dependebant ab Adamo in donis gratiæ, niſi quatenus dependebant in eſſe. Unde *Aug. in Pſal.* 84. ait: *Ea peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filiis.* Itaque pactum fuit initum cum Adamo ejuſque poſteritate, quatenus adhuc in lumbis illius continebatur. Quare idem eſſet (etſi Varii contradicant) de filiis horum filiorum; utpote non contentis virtualiter in lumbis Adæ tempore peccati: parentes enim jam tunc fuiſſent extra Adamum.

Indubiè neque is, qui miraculosè formaretur è coſta vel carne filii Adæ.

Petes II. An qui miraculosè formaretur ex carne aut coſtâ alicujus è poſteris Adæ contraheret peccatum originale? Reſp. Neg. Eſt certum apud omnes: quia talis non eſſet filius Adæ, utpote non ab eo ejuſve poſteris genitus. Deinde non eſſet propagatus viâ ordinariâ generationis, ſcilicet virtute ſeminali; uti neque Chriſtus. At juxta *Trid. ſeſſ. 6. c. 3. Revera homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti: cùm ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant.*

Peccatum originale in ſingulis eſt æquale.

28. Colligitur V. Peccatum originale (quod cuique ineſt proprium, juxta *Trid. ſeſſ. 5. can.* 3. quatenus ſinguli contrahunt propriam maculam in ſe ipſis dum concipiuntur) eſſe in ſingulis æquale: nam eſt origine unicum, idemque eſt in omnibus peccandi fundamentum, & eadem obligatio. Unde omnes æqualiter ſunt privati juſtitiâ, & peccatum Adæ omnes æquè reſpicit.

Inæqualitas in effectibus unde.

Nec obſtat diſpar in diverſis inclinatio concupiſcentiæ: nam ea non oritur ex inæqualitate peccati originalis, ſed ex diverſitate complexionum, ob quam vires animæ in uno quàm in aliis ſunt fortiores; adeòque fortiùs tendunt in motum ſuum proprium, ſoluto juſtitiæ originalis vinculo, quo continebantur.

Non obſtat etiam, quòd aliqui parvuli præ aliis in tenella ætate variis affligantur doloribus: nam hæ pœnalitates conſequuntur immediatè naturam, per accidens autem & indirectè peccatū originale; Deus enim juſtiſſimè derelinquit in miſeriis, ex naturæ defectu juxta varias curſûs naturalis occaſiones obvenientibus, eos, qui ipſum dereliquerunt: quàmvis & hîc ſubinde poſſit concurrere, quòd Deus in prolibus puniat aliqua peccata parentum, reſpectu quorum hæc mala ſunt propriè dictæ pœnæ.

Vacare generationi non ſit illicitum ex hoc quòd proles inficiatur peccato.

29. Solùm reſtat una difficultas contra id, quod hac quæſtione diximus, peccatū ſcilicet originale propagari, & contrahi generatione: inde enim ſequi videtur, quòd malum ſit vacare generationi, veluti cauſæ peccati; & per cōſequens quòd malum ſit conjugium. Huic difficultati Reſpondet *Auguſtinus duobus libris de Nuptiis & Concupiſc.* Summa eſt, non provenire per ſe ex conjugio aut generatione, quòd proles cum peccato naſcatur, ſed tantùm per accidens; eò quòd accidat naturæ, quæ per conjugium propagatur, quòd ſit in Adamo corrupta. Cujus quidem corruptionis cauſa eſt Adami prævaricatio, non autem viri & feminæ conjunctio, quæ etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſet, & bonum univerſo neceſſarium reſpicit, non relinquendum ob defectum proli aliundè adhærentem.

Prout etiam Deus rectè animam inficiendam corpori infundit.

Unde etiam colligitur maculam originalis peccati, quàm animæ trahunt eo ipſo quòd creantur & incorporantur corporibus, cùm quibus conſtituunt filium Adæ, non poſſe Deo ſive Cauſæ primæ adſcribi, quæ creaturam ſuam bonā, præſertim non niſi à ſe factibilem, rectè & laudabiliter creat, etſi malitiâ alienâ inficiatur: optimè ſciens & potens malis bene uti; *Malis* (inquam cum *Auguſt. Epiſt.* 106. *dumtaxat non conditione divinâ, ſed vitiatâ voluntatis iniquitate naturâ.* In qua (ut ait infrà) *& animam & corpus Dei bonitas operata eſt, & quidquid habet ipſa natura, præter vitium, quod eidem inflixit ſuperbientis voluntatis audacia.* Prout etiam Deo indignum non eſt dare animas adulterinis conceptibus, quem de noſtris quoque peccatis multa bona facere eſt compertum. Quod elegantiſſimâ ſimilitudine declaravit *Hieronymus*, referente *Auguſtino Ep.* 28. dicens: *Non eſſe vitium ſementis in tritico quod furto dicitur eſſe ſublatum, ſed in eo qui frumenta furatus eſt, nec idcirco terram non debuiſſe gremio ſuo ſemina confovere, quia ſator immundâ ea projecerit manu.*

QUÆSTIO IV.

An B. Virgo Deipara contraxerit Originale Peccatum?

§. I.

Proponitur ſtatus Quæſtionis, mens SS. Thomæ ac Bonaventuræ, ac decreta Eccleſiæ.

Diuturna eſt controverſia de Immaculata Conceptione Deiparæ.

PRO indubitato quidem habet Eccleſia, 30.
quòd B. Virgo ſit ſanctificata in utero, adeòque nata ſine macula peccati, teſte *D. Bonav. 3. d. 3. p. 1. art. 1. q. 3. in corp.* & aliis communiter. Sed gravis & diuturna fuit controverſia in Eccleſia Dei, an fuerit B. Virgo ſanctificata primo inſtāti animationis ſeu infuſionis animæ in corpus; adeòque ſit ſanctè concepta, ſeu in utero nata abſque macula peccati originalis. Et quidem plures antiquiores Doctores, prę ſertim Pariſiis docentes,

docentes, opinati fuerunt Deiparam fuiſſe in originali conceptam. Inter quos etiam

Pro ea ſtat Alenſis,

refertur *Alexander Alenſis 3. p. q. 9. membro 2.* ubi tamen propriè hanc controverſiam nō tractat. Et quidquid in Summa ſenſerit, poſtea tamen Librum ſpecialem pro Immaculata Conceptione edidit, ut ex probatiſſimis Auctoribus refert *Hugo Cavellus in Roſario B. Mariæ Seculo* 13. ad calcem *l. 3. Sentent. Scoti.*

D. Bonaventura,

Refertur etiam *S. Bonaventura ſup. q. 2.* ubi timidè quidem docuit conceptionem maculatam ſeu in eam propendit: poſtea tamen *Serm. 2. de B. Virgine* clariſſimè & eruditiſſimè Immaculatam Conceptionem adſtruxit dicens: *Domina noſtra fuit plena gratiâ preveniente in ſua ſanctificatione, gratiâ ſcilicet præſervativâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ſpeciali gratiâ præventa, præſervataq́ fuiſſet. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa mater ejus Virgo. Credendum eſt enim, quòd novo ſanctificationis genere in ejus conceptionis primordio Spiritus ſanctus eam à peccato originali (non quod infuit, ſed quod infuiſſet) redemit, atque ſingulari gratiâ præſervavit.* Et *Serm. 1.* inter varia inquit: *Domina noſtra tota fuit puriſſima, omni carens penitùs maculâ, tam in corpore, quàm in anima.*

31\.
Ipſe quoque D. Thomas variis locis: quidquid plures Thomiſtæ reclament.

Mens *D. Thomæ* paulò uberiùs indaganda; eò quòd multi *Thomiſtæ*, etiā hoc tempore, pro comperto habeant ipſum abſolutè ſtare à parte Immaculatæ Conceptioni adversâ: qui non videntur hac in parte ſatis laborare pro gloria ſui Magiſtri, quē utique in veram ac velut hodie Eccleſiaſticam ſententiam omni modo trahere deberēt. Itaque *S. Doctor* apertiſſimè Immaculatam Conceptionem adſtruit *1. d. 44. ar. 3.* ubi ex profeſſo inquirens, an potuerit Deus humanitatem Chriſti facere meliorem, quàm ſit; arguit quòd non, ex eo quòd nec B. Virgine poſſit melius aliquid facere, ob dictum *Anſelmi: Decuit ut eâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi.* Quod ita ſolvit: *Ad 3. dicendum, quòd puritas intenditur per receſſum à contrario; & ideo poteſt aliquid creatum inveniri quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit: fuit tamen ſub Deo, in quantùm erat in ea potentia ad peccandum: ſed bonitas intenditur per acceſſum ad terminum, quod in infinitum diſtat, ſcilicet ſummum bonum. Unde quolibet finito bono poteſt aliquid melius fieri.* Conſimilia habet *d. 17. q. 2. art. 4. ad 3.* ℣. ad illud quod objicitur. Et *Opuſc. 61. Gradu* 10. *amoris* poſtquam dixiſſet, Deum feciſſe Angelos ſpeculum clarum, clariſſimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum, ſubdit: *Fecit ergo ſummus artifex ...... ſpeculum unum clariſſimo clarius, Seraphim terſius & purius, & tanta puritatis, ut purius intelligi non poſſet, niſi Deus eſſet, perſonam ſcilicet glorioſiſſimæ Virginis &c.*

Præterea *Lect. 6. in cap. 3. ad Gal.* ait: *Virum de mille unum reperi, ſcilicet Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omnino immunis eſſet, ad minùs originali vel veniali. Excipitur puriſſima & omni laude digniſſima Virgo Maria.* Sic propriis oculis legi in Exemplari edito Pariſiis An. 1529. aſſervato in Bibliotheca noſtra Dieſtenſi, & altero edito itē Pariſiis An. 1552. aſſervato in Bibliotheca PP. Societatis Lovanii. Sic itidē legi in exēplaribus Editionis Pariſiēſis Anni 1532. Et Venetæ Anni 1555. & quæ ſequuntur annum 1590. teſtatur *Euſebius Nirembergius in Exceptionibus Concilii Tridentini pro omnimoda puritate Deiparæ Virginis expenſis cap. 25.* Refert etiam *Nirembergius ſup.* Romæ in Bibliotheca Cardinalis Sforza Ann. 1625. viſum Exemplar perantiquum *D. Thomæ* in Epiſtolas Pauli, & in eo ad illud *Rom. 5. In quo omnes peccaverunt*, hunc Cōmentarium: *Unâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Additque mox fuiſſe oſtenſum Cardinali de Trejo, & per hunc ipſi Urbano VIII.

Denique à *Catharino, Caniſio, Salmerone* & multis aliis fide digniſſimis referuntur ex *Opuſc. 8. de Expoſit. Salut. angelica* hæc verba: *Maria puriſſima fuit quātùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quæ etſi in modernis Editionibus non legantur, adeò tamen authentica ſunt, ut ne ipſe quidem Cardinalis *Joannes de Turrecremata* Dominicanus (teſtibus *Catherino* Dominicano & *Salmerone*) ea fuerit auſus negare. Hodie tamen adhuc manſerunt hæc verba: *Excedit Angelos quantùm ad puritatem*; quod utique verum non eſſet, ſi ſubjacuiſſet peccato originali.

Loca *D. Thomæ* in ſpeciem contraria cōmodè explicari poſſunt de debito quantùm eſt ex vi & modo conceptionis, non autem de ipſa macula actu contractâ: ſeu quòd loquatur de incurſu culpæ quantùm eſt ex parte naturæ ſeu juris communis; nō autem de facto, quoad perſonam Deiparæ, vi ſpecialis privilegii. Immo ſic explicari neceſſariò debent: aliàs enim ratio (quam ferè unicam ſemper allegat *D. Thomas*) frivola, immo falſiſſima eſſet; nempe, quòd ſi quis præter Chriſtum fuiſſet immunis à peccato originali, non indigeret redemptione factâ per Chriſtum, qui proinde non foret omnium redemptor. Vera enim, immo perfectiſſima redemptio, ſcilicet præſervativa, conſiſtit ſine actuali maculæ contractione: prout etiam fatetur *Caietanus in Commentario ad 1. 2. q. 81. art. 3.* Et *ad 3. part. q. 27. art. 2.* quæ ſunt præcipua loca, in quibus *D. Thomas* videri poſſet contrarius piæ Doctrinæ. Et ante *Caietanum* id optimè expreſſit *D. Bonavent. loco cit. num. 30.* Immo illud idem agno-

32\.
Loca apparenter contraria commodè explicari poſſunt

Immo debent, ne ratio D. Thomæ ſit frivola & falſa.

agnovit ipſe *D.Thom 4.d.43.art.4.q.1.ad 3.* dicens: *Oportet ponere, quòd quilibet perſonaliter redemptione Chriſti indigeat ..... liberari autem à malo, vel à debito abſolvi non poteſt, niſi qui debitum incurrit vel in malum dejectus fuit: & ita non poſſent omnes fructum dominicæ redemptionis in ſeipſis percipere, niſi omnes debitores naſcerentur &c.* Idem illud *Pſal. 29. Eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me &c.* exponit de imminentibus periculis, à quibus David eſt præſervatus. In ipſa denique Scriptura paſſim dicitur quis liberari, non ſolùm à malo cui jam ſubjacet, ſed etiam ab imminenti, ut *Tob.4. Proverb.11.* Et *Pſal. 90.* dicitur: *Ipſe liberavit me de laqueo venantium*, id eſt, protexit à laqueo, ut ex contextu conſtat. Nam (ut rectè *Auguſtin. Epiſt. 99. circa init.*) etiam *ſolvi poſſunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt.*

33. *Ac ne dictum ejuſdem erroneum eſſe convincatur.* Præterea *S.Thomas 1. 2. quaſt. 81. art.3. in corp.* dicit, quòd *ſecundùm fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quòd omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt.* Et *4. diſt.43. art.4. q.1. ad 3.* ait: *Eſt erroneum dicere, quòd aliquis concipiatur ſine peccato originali præter Chriſtum.* Quæ dicta niſi explicentur modo præmiſſo aut ſimili, forent erronea: nam Doctrinam de Immaculata Deiparæ Conceptione taxare tamquam hæreticam vel erroneam, non modò veſanum eſt, ſed etiam à Xiſto IV. Extrav. *Grave nimis, de Reliq.* & *Ven. Sanct.* damnatur *tamquam falſum & erroneum, & a veritate penitùs alienum.* Unde ſapienter admodum in Editione, quam molitus eſt *Paulus Boudot* nuper Epiſcopus Atrebatenſis inſertum eſt Cõcluſioni præambulæ corpori articuli tertii citati: *Saltem in potentia (propter Beatam Virginem) ſi non omnes actu.*

34. *Id ſaltem indubitatum, virũ Angelicum, ſi viveret, forè hujus privilegii Virginei fortiſſimũ defenſorem.* Poſtremò etſi pateret *S. Thomam* conſtantem fuiſſe in aſſerenda Conceptione maculata, id ſaltem indubitatum eſſe debet (quidquid frivolum & infundatum id eſſe clamet *Bertrandus Loth* Dominicanus *Tract. 15. Theologia Belgica art. 2.*) ipſum ſi modò viveret contrarium edocturum; prout generaliter de omnibus Antiquis piæ Doctrinæ contrariis indubitanter affirmavit *S. Ludovicus Beltrandus* Ord. Prædicat. apud *Vincent. Juſtin.* Ord. Prædicat. *in addit. ad vitam ejuſdem cap. ult.* Et meritò: viderent enim Eccleſiam (cujus conſuetudo, in omnibus ſemper æmulanda, maximam habet auctoritatem, præferendam etiam auctoritati *Auguſtini, Hieronymi* vel cujuſcumque Doctoris juxta *D. Thomam 2.2.q.10.art.12.in corp.*) appellare, colere, adeòque ſentire immaculatam ſeu ſanctam Conceptionem, & ad appellandum, colendum, adeòque ſentiendum omnes Fideles excitare, etiam propoſitis indulgentiis. Viderent contrariam ſententiam à quovis pio fideli quaſi deſertam, per ipſa Sedis Apoſtolicæ decreta è ſcholis eliminatam, immo etiam privatim aſſeri interdictam. Negare utique ſemetipſum non poſſet *Doctor Angelicus*, qui ſicut ex cultu Nativitatis intulit ſanctitatem, eò quòd non celebretur feſtum in Eccleſia niſi pro aliquo Sancto; ſic & inferret Conceptionis ſanctitatem, quam modò Eccleſia eodem cultu & officio tamquam ſanctam celebrat, & celebrari mandat.

Quantùm ad Decreta Eccleſiæ præſentem materiam concernentia attinet, in primis Xiſtus IV. Extrav. *Grave nimis, de Reliq. & Vener. Sanct.* tulit excommunicationem Papæ reſervatam in eos, qui alterutram ſententiam notare præſumerent tãquam hæreticam, aut aſſertores damnare peccati mortalis, aut dicere quòd peccent celebrantes officium Conceptionis, vel audientes conciones eorum, qui affirmant B. Virginem eſſe conceptam ſine peccato. 35. *Quid circa hanc materiam decreverit Xiſtus IV.*

Quam conſtitutionem confirmat *Tridentina Synodus ſeſſ. 5. de Peccato originali* in fine, & Pius V. in Bulla, *Super ſpecula*, in qua inſuper ſub graviſſimis pœnis hic Pontifex prohibet, ne ullus in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum & mulierum multitudo convenire ſolet, de hujus Controverſiæ alterutra parte diſputare rationibus, vel auctoritate Doctorum, aſſerendo propriam ſententiam & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac quæſtione cujuſvis pietatis aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumat. Ubi ſubintellige eamdem clauſulam, *contrariam refellendo aut impugnando ſententiam.* Alioquin ſimpliciter perſuadere hanc veritatem, etiam ſcribendo linguâ vulgari non fuit prohibitum. *Concilium Tridentinum. Pius V.*

Inſuper Paulus V. Anno 1617. die 31. Auguſti conſiderans quòd OCCASIONE ASSERTIONIS AFFIRMATIVÆ, ſcilicet quòd B.Virgo fuerit concepta cum peccato, oriuntur in populo Chriſtiano, ſignanter in Hiſpania, gravia ſcandala & diſſenſiones, eamdem ſententiam ſub iiſdem pœnis interdixit *publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus & aliis quibuſcumque actibus publicis*: volens tamen ſub iiſdem pœnis, *quòd piam ſententiam in prædictis publicis actibus aſſerentes aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant ſeu tractent.* Quàmvis idcirco (ut docet conſuetudo optima legum interpres, litteræ & fini conſona) non ſit illicitum in libris argumentis alterius opinionis tacitè præſertim occurrere, ſive illa proponere ut ſolvantur: hoc enim non eſt in actibus publicis impugnare ſententiam contrariam aut de ea agere; ſed potiùs extra ſimiles actus agere de ſententia pia, ut ejuſdem veritas contrariis argumentis ſolutis clariùs eluceſcat. *Paulus V.*

Poſtea

Et Gregorius XV. Poſtea Gregorius XV. Anno 1622. die 24. Maii, confirmans Conſtitutiones Prædeceſſorum ſuorum, *Ex eiſdem cauſis evitandi ſcãdala atque diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, &, ut accepit, in aliquibus regionibus jam orta ſunt ex ſermonibus privatis* OCCASIONE ASSERTIONIS AFFIRMATIVÆ *extendit* decretum Pauli V. *etiam ad colloquia & ſcripta privata, mandans omnibus & ſingulis, ne etiam in ſermonibus & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quòd eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere aut tractare. Exceptis tamen quibus à S. Sede apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum*, idque ſub interminatione pœnarum in conſtitutionibus Prędeceſſorum ſuorum contentarum. Porrò idem Pontifex eodem anno die 28. Julii indulſit Fratribus Prædicatoribus, *ut in privatis colloquiis inter ſe dumtaxat poſſint de opinione affirmativa diſſerere & tractare.* An autem etiam ibi concedatur iiſdem opinionem affirmativam aſſerere privatim inter ſe, ex verbis iſtis non ſatis probatur: cùm aliud ſit diſſerere & tractare, aliud aſſerere. Paulus V. enim loquens de iis qui aſſerunt ſententiam negativam, prohibet iiſdem ne diſſerant vel tractent in diſputationibus publicis de affirmativa, utique ſupponens prædicta duo eſſe diſtincta.

Declarant præterea Paulus V. & Gregorius XV. ſe per ſuas Conſtitutiones nolle præjudicium inferre opinioni affirmativæ, *præterquam quoad ſuprà diſpoſita.* Quæ ipſa grave præjudicium continent; ut ea oculo imperturbato inſpicienti patet.

Quæ cùm ita ſint, judicio Eccleſiæ relinquo inauditam temeritatem illorum, qui etiam publicè effutire non verentur (prout partim ipſe audivi, partim ex aliis intellexi) Eccleſiam eis tamquam ſapientioribus imponere ſilentium, ſicut dum pueri litigant pater ſapientiori dicit: *Taceas tu.*

36. *An vel quid ſit Decretum circa titulum Immaculatæ Conceptionis.* Denique circumfertur aliquod Decretum Congregationis S. R. & univerſalis Inquiſitionis habitæ in Conventu Fratrum Prædicatorum dicto S. Mariæ ſuper Minervam feriâ 4. die 20. Januarii Anno 1644. *quòd quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nullo modo permittatur, ſed ſolùm dicatur Conceptio immaculatæ Virginis.*

Non eſt neceſſe hîc examinare, an decretum ſit probatum à Pontifice Innocentio X. & obſervari mandatum: an (quod, ut aliqua ſive intrà ſive extra judicium fides habenda ſit, exigitur ex decreto Urbani VIII. Anno 1632. die 11. Auguſti, apud *Barboſa in Collectan. Bullar. V. Congregatio* II. & *Baſſaeum* V. *Lex* IV. *n.* 12.) adſit ſubſcriptio Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarii S. Congregationis cum ſolito ſigillo; quod quidem ex copiis hactenus mihi exhibitis non innotuit: an, ſeu quo fundamento decretum nitatur: an auditis partibus ſit formatum: an cenſeatur afficere ſolùm ſcripturas publicas ex parte Curiæ Romanæ exequendas, adeòque facere ſtylum Curiæ. Non eſt, inquam neceſſe his immorari: nam præterquam quòd ſolùm ſit circa quæſtionem de voce, nec tangat rem *Immaculatæ Conceptionis*, Alexander VII. mandavit Magiſtro ſacri Palatii, ne hujus tituli prætextu ullam deinceps difficultatem faceſſeret; quam proinde ampliùs non faceſſit, approbans ipſe ſcripta publica, quorum titulus *Immaculata Conceptio.* Cujuſmodi nonnulla Romæ deinceps edita oculis meis conſpexi.

§. II.

Oſtenditur B. Virginem fuiſſe immunem à peccato Originali.

ASSERTIO unica: B. Virgo reipsâ non contraxit in conceptione peccatum originale, ſed ab eo eſt ſpeciali privilegio præſervata per gratiam ſanctificantem animæ illius primo animationis inſtanti divinitùs infuſam. 37. *Deipara non contraxit originale peccatum.*

Aſſertionem hanc *Scotus* non invênit (ut Quidam calumniati ſunt) ſed paululùm antiquatam, & multorum gravium Doctorum auctoritate preſſam, reſtauravit, & in priſtinum vigorem patrocinio Deiparæ magiſtræ ſuæ reſtituit. Juſſu enim Pontificis, (ut verbis utar *Cavelli in Roſario ſæculo* 14.) habitâ ſolemni diſputatione coram facultate Pariſienſi, præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, de Immaculata Conceptione, tantâ ingenii ſubtilitate, tantâ ſolutionum facilitate & perſpicuitate, omnia adverſa argumenta mirâ dexteritate confregit & refellit; ſuamque piam ſententiam de Conceptione Mariana ipſius Mariæ fretus auxilio, tanto argumentorum pondere, tot tamque urgentibus rationibus comprobavit & munivit, quòd celeberrimam illam Facultatem, matrem univerſitatum in ſuam piam traxerit ſententiam; quæ in gratificationem nomine DOCTORIS SUBTILIS ipſum condecoravit, & acerrimis ejus diſputationibus inducta, ſacrum illud & celebre marianum decretum condidit, ne ſcilicet in poſterùm quiſquam ad magiſterii gradum admitteretur, qui totâ vitâ ſe propugnaturum Immaculatam Conceptionem, jurejurando non adſtringeret. Poſtea *Scotus* Coloniam profectus, ſimilem victoriam pro Immaculata Conceptione ex diſcipulis *Alberti Magni* reportavit; & nomen DOCTORIS SUBTILIS ibi denuò ipſi eſt ſolemniter acclamatum. Fertur etiam à Pontifice id ipſum in præmium eidem datum. Hactenus *Cavellus.* *Laus Scoti Doctoris Subtilis primarii promotoris hujus doctrinæ.*

38. *In quam exinde paulatim conſpiravit totus quaſi Chriſtianiſmus.*

Scotum ſecuti ſunt omnes deinceps Scriptores Ordinis Minorum (inter quos *Franciſcus Maironius* Doctor illuminatus in hujus myſterii elucidatione excelluit) Plurimi quoque & celeberrimi Scriptores Ordinis Prædicatorum, & inter hos Varii ſcriptis hanc in rem ſpecialibus Tractatibus. Univerſa etiam Societas Jeſu à ſuis incunabulis fortiſſimè pro eadem doctrina ſtetit, & uſque hodiè pugnat. Doctores ſimiliter ferè omnes aliorum Ordinum, & ſæculares. Immo vix eſt hodiè in orbe Chriſtiano Academia, quæ non jurejurando ſe adſtrinxerit ad iſtam propugnandam. Simili voto ſe plurima regna, provinciæ, civitates obſtrinxerunt Divæ immaculatè conceptæ. Quam etiam, tum noſtra Religio Franciſcana, tum ipſa Domus Auſtriaca ſub hoc titulo in Patronā elegit. Quinimmo dudum ante decreta Pauli V. & Gregorii XV. ſcripſit *Vaſquez 3. p. diſp. 117. c. 2. Hoc tempore non ſolùm omnes Theologiæ Profeſſores & Doctores, exceptis Dominicanis, ſed etiam omnes qui Chriſtiani nominis fidem profitentur, in hanc ſententiam uno animo & affectu ita conſpirant, ut ſine magno populi ſcandalo, ut rectè notavit Corduba, jam nemo poſſit oppoſitam populo in concionibus exponere &c.* Tandem ſolemnibus legationibus inſtantiſſimè poſtulata fuit à Paulo V. & Gregorio XV. definitio hujus doctrinæ, pro qua in ipſo quoque Concilio Tridentino ſtabat communis Patrum conſenſus; adeò ut concluſum fuerit illam determinare, etſi decreto edendo vel vulgando Patres ſuperſederint ob inſtantiſſimas preces aliquot Epiſcoporum & Theologorum Ordinis S. Dominici; prout in originalibus actis Concilii ſe legiſſe teſtatur *Nicolaus Lancitius* apud *Euſebium Nirembergium ſup.* ubi conſimilia, & verè notabilia addit ex *Hieronymo Ormachez* qui ſimiliter acta originalia Tridentini legit, & *Ambroſio Catherino* Dominicano Epiſcopo, qui Concilio interfuit.

Inſtantia facta pro definitione ejuſdem.

Omiſſis autem variis Scripturis, quæ omnimodam puritatem Deiparæ non leviter ſignificant, junctâ præſertim expoſitione Sanctorum (quæ videri poſſunt apud *Ferdinandum de Salazar* & alios)

39. *Efficaciter probatur ex cultu feſtivo Sanctitas Conceptionis, uti Nativitatis.*

Probatur aſſertio I. Auctoritate univerſalis Eccleſiæ: hæc enim celebrat ſolemniter feſtum Conceptionis B. Virginis; ergo ipſa Conceptio eſt ſancta & immaculata: ſic enim ab omnibus admiſſa ſanctitas Nativitatis B. Virginis infertur à Sanctis *Bernardo*, *Thoma 3. p. q. 27. a. 1 Bonaventurâ 3. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.* & aliis concorditer ex eo quòd Eccleſia celebret Nativitatem B. Virginis: quia nimirum Eccleſia non celebrat feſtum niſi pro aliquo Sancto, ſeu quia ſtatuta univerſalis Eccleſiæ De ſanctorum feſtivitatibus omnia ſunt fundata ſuper ſanctitate. Eademque eſt ratio cur Eccleſia non colat nativitatem Martyrum, ſed paſſionem, ut optimè obſervavit *S. Auguſt. Serm. 113. de S. Cypriano* dicens: *Quando natus eſt* (Cyprianus) *ignoramus, & quia hodiè paſſus eſt, natalem ejus hodiè celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus: illo enim die traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum &c.* Et paulò infrà: *Unde nos celebraremus natalitia ejus, niſi eſſet pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum*: Et *Serm. 95.* qui eſt de *S. Stephano* inquit: *Ideo Nativitatis & Paſſionis Chriſti diem geminæ devotionis obſequio frequentat Eccleſia, quoniam utrumque medicina eſt. Nam & natus eſt, ut renaſceremur; mortuus eſt, ut in perpetuum viveremus. Martyres autem ad mala certamina naſcendo venerunt, trahentes originale peccatum; moriendo autem ad bona certamina tranſierunt, finientes omne peccatum.* Ex quo etiam liquet *Auguſtinum* ſi viveret defenſurum Immaculatam Conceptionem; eſto (quod non; de quo infrà) materialiter docuiſſet contrarium.

Cur juxta B. Auguſtinum Eccleſia non colat nativitatem Martyrum, ſed paſſionem.

40. *Enucleatur mens Bernardi non contraria piæ doctrinæ.*

Dices I. *S. Bernardus Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes* redarguit eoſdem, quòd colerent feſtum Conceptionis B. Virginis. Reſp. *Bernardum*, ſi ſit ipſius Epiſtola (de quo Nonnulli dubitant, ut videre eſt apud *Cavellum in Roſario ſæculo 12.*) illos Canonicos redarguere, quòd hoc attentaſſent ſine exemplo & auctoritate Romanæ Eccleſiæ: quam ſi ſuo ævo *Bernardus* vidiſſet colere Conceptionem, certo certiùs ſenſiſſet id rectè fieri, & conſequenter Conceptionem eſſe ſanctam: nam (ut argumentatur) *Quomodo feſtivus haberetur conceptus, qui minimè ſanctus eſt.* Deinde (ut manifeſtè colligitur ex contextu) agit de conceptione ſeminali fetûs inanimati, quā coli apprehendebat, & improbabat *Bernardus*; qui proinde non eſt contra cultum Conceptionis, id eſt, animationis Deiparæ. Eodem modo de conceptione prima ſeminali agit *D. Thomas 3. p. q. 27. art. 2.* ut clarè patet ex tertio argumento: *Quidam* (inquit) *celebrant feſtum Conceptionis, ergo videtur, quòd in ipſa ſua Conceptione fuerit ſancta, atque ita quòd ante animationem fuerit ſanctificata.* Idem ſimiliter eſt evidens ex *D. Bonav. ſup.* dicente: *Si ergo ſanctitas non fuit in Virgine ante animæ infuſionem, non videtur uſquequaque ſecurum Conceptionis illius* (ſcilicet animæ infuſionem præcedentis) *etiam ſolemnitatem celebrare.*

41. *Non tantùm ſpiritualem ſanctificationem, ſed & Conceptionem coli evidenter oſtenditur.*

Dices II. cum *Cajetano*: Proponitur tantùm celebranda ſanctificatio B. Virginis, quæ facta eſt eodem die, quo fuit concepta. Reſp. Neg. Aſſ. cujus falſitas patet ex ipſo Conceptionis nomine, quo ſolo, & non nomine ſanctificationis, omnes uti debent ex Conſtitutione Gregorii XV. factâ An. 1622. die 24. Maii. Deinde Xiſtus IV. in alia quadam Bulla *Grave nimis* 17. in Bullario *Rodriguez* damnat tamquam erroneum, quòd non celebretur Con-

Cõceptio, ſed tantùm ſpiritualis ſanctificatio. Præterea ſimili modo eludi poſſet ſanctitas Nativitatis, illiuſque celebritas. Inſuper id patet ex cõmuni ſenſu Fidelium; & ampliùs patebit ex dicendis.

Non tàtùm inſtar gratiarũ actionis pro Dei beneficio, ſed etiam quia ſancta fuit, & in honorem Deiparæ.

Dices III. Poſſet celebrari Conceptio B. Virginis ſolùm in gratiarũ actionem quatenus fuit magnum Dei beneficium: ſicut in Mænologio Græcorum celebranda proponitur cõceptio S. Joannis Baptiſtæ. Reſp. idem pari jure dici poſſet de nativitate B. Virginis, quæ eodem modo & officio colitur quo nũc Conceptio. Deinde in utroque officio expreſsè dicitur: quòd celebretur *Sancta Nativitas, & Sancta Conceptio*. Denique ſenſus Fidelium oſtendit utramque celebrari, etiam in honorem ipſius Virginis; quæ tamen idcirco non eſſet honore digna, ſi in alterutra ſubdita fuiſſet peccato. Unde Eccleſia Catholica non celebrat aliquod feſtum alicujus Sancti merè per modum gratiarum actionis pro collato beneficio (quidquid fecerint Græci, quorum, utpote Schiſmaticorum, parvipendenda eſt auctoritas collata auctoritati Eccleſiæ Romanæ) ſed etiam in honorem Sancti, colens & celebrans ejuſdem ſanctitatem; ut ex præmiſſis patet.

42. *Quod clariſſimum eſt ex veteri Officio Romano à Xiſto IV. inſtituto & approbato.*

Probatur II. Auctoritate ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, quæ determinatè celebrat Immaculatam Conceptionem; ergo ipſa verè immaculata eſt. Antecedens patet Extrav. *Cùm præexcelſa, de Reliq. & Ven. Sanct.* in qua Xiſtus IV. approbat officium Leonardi de Nogarolis, quod incipit: *Sicut lilium inter ſpinas*, cum miſſa, illudque dicit à ſe inſtitutum, non (ut Quidam cavillantur) pro ſolis Franciſcanis, ſed (ut patet ex Extravagante) pro univerſis Chriſti Fidelibus: vi cujus inſtitutionis fuit olim Breviario Romano (quòd oculis meis vidi) inſertum, & per integram ferè annorum centuriam in Eccleſia Romana recitatum; & uſque modo ex conceſſione Pontificum in ordine Minorum recitatur; ad cujus etiam recitationem propoſitis indulgentiis Pontifex invitat: in eo autem ſæpè vocatur & celebrari dicitur *Immaculata Conceptio*. Immo Invitatorium ſic habet: *Immaculatam Cõceptionem Virginis Mariæ celebremus &c.* Idem Pontifex Extrav. *Grave nimis* reſpiciens ad idem officium dicit, *Sanctam Romanam Eccleſiam ordinaſſe ſpeciale & proprium officium* pro feſto Conceptionis. Deinde *ibidem* refert & damnat Quorumdam damnabilem præſumptionem, qui graviter peccare affirmabant *ejuſdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.*

43. *Pius V. confirmavit Conſtitutiones Xiſti IV.*

Dices: Pius V. expunxit Officium Leonardi, quod incipit: *Sicut lilium*, ex breviario Romano. Reſp. ipſum equidem illud non improbaſſe, quod probaverat Xiſtus IV. & Concilium Tridentinum confirmans Conſtitutiones Xiſti IV. quas etiam confirmavit ipſe Pius V. Bullâ *Super ſpecula*, qui ſimiliter non derogavit myſterio Præſentationis B. Virginis, aut Sanctitati B. Annæ, etſi officia ſimiliter ex breviario expunxerit. Feſtum præterea & cultum myſterii Immaculatæ Conceptionis non ſuſtulit, ſed intactum reliquit, ſolùm officium mutando, & in ejus locum ſubſtituendo Officium nativitatis, poſito nomine *Conceptionis* loco *Nativitatis*. In quo etiam patenter per totam Eccleſiam canitur: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam* SANCTAM CONCEPTIONEM. Conceptio autem Sancta & Immaculata coincidunt. Quare ex hoc ipſo officio & Epitheto probatur ſanctitas Conceptionis pariter ac Nativitatis.

Mutavit Officium, non cultum Myſterii.

Subſtituto Officio, in quo dicitur coli SANCTA CONCEPTIO.

44. *Confraternitates, immo & Religionem Immaculatæ Conceptionis S. Sedes probavit.*

Probatur III. Quia Sedes Apoſtolica erexit varias Confraternitates puriſſimæ Conceptionis. Et præſertim varii Pontifices approbarunt Religionem Monialium ſub titulo & in honorem IMMACULATÆ CONCEPTIONIS: quæ in ipſa forma Profeſſionis exprimitur. Quarum curam Julius II. commiſit Ordini Seraphico: *Propterea quòd* (ut loquitur) *Fratres hujus Ordinis indefeſſo ſtudio & vigilantiâ puritatis & innocentiæ Dei Genitricis ſemper defenſores exſtiterunt.* Xiſtus V. Bullâ: *Ineffabilia* 9. in Bullario *Rodriguez* præmiſſo quòd Fratres & Moniales Ordinis Minorum conſueverint *puriſſimam Dei Genitricis Conceptionem* devotiſſimè celebrare &c. & ſubjectâ petitione, quâ poſtulabatur cultûs amplificatio, approbat id tamquam *pium & laudabile propoſitum.*

45. *Favent plura antiqua Concilia, etiam generalia,*

Probatur IV. ex Conciliis. Nam in *Concilio Lateranenſi* ſub Martino I. *can.* 3. declaratur *Sancta & Immaculata Maria.* Similiter illam appellat *VI. Synodus generalis Act. II. in Epiſt. Sophronii*, lectâ ibidem, & approbatâ *Act. XIII.* Ubì etiam poſt initium dicitur: *Maria ſancta, & ab omni contagione liberata, & corporis, & animæ, & intellectûs.* Et *VII. Synodus generalis Act. III. in Epiſt. Synodica Theodori*, ibidem approbatâ dicitur: *Sancta & Immaculata Domina noſtra.* Idemque titulus *Immaculata* bis ibidem repetitur, & rurſum in *Definitione Synodali*, quæ habetur ad calcem Synodi. Illud autem epitheton excludit omnem prorſus maculam propriè loquendo, idque pro quovis tempore. Alioquin conſiderando præſentem ſtatum beatitudinis quilibet Sancti pariter dici poſſent immaculati: quod eſt alienum à mente Conciliorum, quæ titulum iſtum velut Deiparæ proprium ſtatuunt. Accedit, quòd *Tridentinum ſeſſ.* 5. in fine Decreti de peccato originali, cùm fusè tractaſſet de originalis peccati maculâ velut omnibus communi, appellet *Beatam & Immaculatam Virginem Mariam*, & declaret *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto Immaculatam Virginem*, deinde confirmet & innovet conſtitutiones Xiſti

Et noviſſimè Tridentinum.

IV. quæ quantùm huic doctrinæ faveant, ex præmiſſis liquet. Recole etiam dicta *num.* 38.

46. *Favent ſimiliter Patrum teſtimonia,*

Probatur V. ex Patribus, quos per omnia ſæcula recenſet *Cavellus in Roſario ſup. cit.* & plures alii. *S. Jacobus in Liturgia* vocat Deiparam *Immaculatam, modis omnibus irreprehenſam. S.Chryſoſtomus in Liturgia pro Virgine*, appellat *ſemper Beatiſſimam & penitùs immaculatam. S. Baſilius in ſua Liturgia* nominat *ſanctiſſimam & immaculatam. S. Athanaſius* dicit *omnibus gratiis abundantem per omnia tempora. S. Eligius* aſſerit *numquam immundam. S.Hieronymus* aut ei contemporaneus in *Pſal* 77. dicit ipſam *non fuiſſe in tenebris, ſed ſemper in luce.* Quæ loca & ſenſus integros vide apud *Cavellum ſup.* & alios.

Eaq; clariſſima.

His accedit *S. Ambroſius in illud Pſal.* 118. *Quare ſervum tuum* &c. ubì de B. Virgine ait: *Ab omni integra labe peccati. S.Ephrem Tom.*3.*orat. ad Dei Genitricem* eamdem aſſerit *immaculatam, intemeratam atque ab omni ſorde & labe peccati alieniſſimam. S. Ildephonſus l. de Virginitate S. Mariæ non longè ante med.* vocat ipſam *ab omni contagione primæ originis alienam.* Et *Serm. de parturit. & puriſ. B. Mariæ in fine* dicit, *in ea nullum peccatum primæ originis viguiſſe.* Et *Serm.*1.*de Aſſumpt. B.Mariæ* ait: *Mariæ nullum extrinſecùs irrepſiſſe peccati contagium.* Sanctiſſimus & doctiſſimus *Idiota l. de Contemplat. Virginis cap.*2. *Tota* (inquit) *pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte ſed in toto, & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis, non eſt in te, neque umquam fuit.* Eamdem Doctrinam expreſſiſſimè tradit *Petrus Damiani* Cardinalis, *B. Laurentius* Patriarcha Venetus, *S. Bernardinus* ejuſque Diſcipulus *B. Joannes Capiſtranus,* item *SS. Vincentius Ferrerius* & *Ludovicus Beltrandus* Ordinis Prædicatorum, *S. Birgitta* in ſuis revelationibus, *Joannes Roffenſis* Epiſcopus Cardinalis & martyr. Clara denique teſtimonia *SS. Anſelmi, Bernardi* vel Auctoris contemporanei, *Dominici,* & plurium aliorum, vide apud *Cavellum ſup.* His accedit cõſenſus Fidelium ac velut totius Chriſtianiſmi.

47. *Mens B. Auguſtini de præſenti quæſtione elucidatur.*

Agmen claudat *S. Auguſtinus,* qui *lib. de natura & grat.cap.*36. ait: *Exceptâ S.Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: Unde* (Alii legunt, inde) *enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Ubì etſi fortaſſe de peccatis actualibus potiſſimùm ſit ſermò contra *Pelagianos* (ut contendit noſter Illuſtriſſimus *Florentius Conrius in Opuſc. de mente B. Auguſtini* circa præſentem quæſtionem) ratio equidem eſt generalis, ſcilicet *propter honorem Domini,* & *quia concipere & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum;* utique ne quidem originale. Unde etſi *Auguſtinus* piam & veram ſententiam in terminis non expreſſiſſet (quod intento ipſius cõtra Hæreticos non deſerviebat) ſuo tamen ſublimiſſimo ingenio illam penetravit, mentemque ſuam de illa omnibus facillimè intelligendam reliquit ex ratione allegata, quæ potiùs urget immunitatem à peccato iſto ſerpentino, propter quod filia iræ, diaboli domicilium & mancipium efficeretur; ut rectè *Conrius ſup.* §.7. Accedit, quòd carentia actualis peccati in adulta ætate ſit infallibile ſignum carentiæ originalis in infantia, juxta *Auguſtinum l.*5. *contra Julian. cap.*15. *aliàs* 9. ubì de Chriſto ait: *Profectò peccatum etiam major feciſſet, ſi parvulus habuiſſet.* Adde quæ ex *Auguſtino* retulimus *num.*39.

Accedit vix aut ne vix unum ex veteribus Patribus reperiri, qui maculam originalis peccati à Deipara contractam fuiſſe exprimat. Et quàmvis aliqui reperirentur, id non præjudicaret ipſorum ſanctitati aut piæ doctrinæ veritati, quæ olim necdum erat expreſsè agitata, aut in controverſiam ſpecialiter vocata, nec tantis Eccleſiæ favoribus decorata. Generales autem locutiones ſive Patrum ſive Conciliorum juxta phraſim Apoſtoli generaliter dicentium omnes in Adam peccaſſe, in Adam eſſe mortuos, in peccato eſſe conceptos, patiuntur tacitam exceptionem B. Virginis per privilegium exemptæ: ſicut propter honorem Domini omnes illam excipiunt à generalibus locutionibus de nativitate in peccato, de peccato actuali &c. 48. *Quàm non reperiantur celebres Patres contrarii privilegio Mariano.*

Deinde, etſi B. Virgo actu non contraxerit maculam peccati originalis, illam tamen ex communi ratione propaginis contraxiſſet, niſi exempta ſeu præſervata fuiſſet privilegio ſingulari; adeòque poſſet dici in Adam peccaſſe & eſſe mortua quoad debitum.

Hinc autem manifeſta cernitur differentia inter conceptionem Chriſti & Deiparæ, quòd iſta fuerit à peccato immunis ex natura & modo quo facta eſt, hæc è contrà fuerit ei obnoxia, cùm caro Deiparæ fuerit genita per concupiſcentiam carnalem, adeòque immunitas competat ei per gratiam & privilegium. Unde multi dicunt in B.Virgine fuiſſe carnem peccati; non quaſi in ea fuerint inordinationes fomitis & inobedientia adversùs legem mentis, ſed quia habuit carnem genitam per concupiſcentiam. Miram autem cautelam in *B. Auguſtino* notat *Conrius ſup.* §.5. & 7. quòd (quidquid Nonnulli ſecùs putent) nuſquam expreſsè & ſpecialiter dixerit in Deipara fuiſſe carnem peccati: quantumvis oppoſita locutio cõgruam, ut diximus, explicationem pateretur. Dum verò idem *Auguſtinus Concione* 2. *in Pſal.*34. dicit *Mariam ex Adam mortuam propter peccatum,* ſolùm 49. *Differentia inter Conceptionem Chriſti & Deiparæ.* *An in Deipara fuerit caro peccati.*

ſolùm indicat ipſam citra privilegium & ex modo ſuæ generationis fuiſſe peccato obnoxiam, ideoque non liberè, ſed velut ex neceſſitate mori debuiſſe. Secùs quàm Chriſtus, qui voluntariè mortem ob delenda peccata ſuſcepit.

Quo ſenſu dicatur B. Virgo purgata fuiſſe. Quando denique in ſcriptis Sanctorum reperirentur ejuſmodi locutiones, quibus in ſpeciali aſſereretur B.Virgo fuiſſe mundata, purgata &c. intelligendæ forent, quòd ſit purgata præſervativè, ſeu potiùs præpurgata, etſi de facto numquam fuerit inquinata in ſua propria perſona. Quo etiam ſenſu in *VI. Synodo ſup.cit.* dicitur liberata ab omni contagione mentis & corporis & intellectûs, etſi nullam umquam habuerit. Eſtque hæc explicatio neceſſaria, ne aliàs fateri cogamur eſſe ceteris Sanctis commune, quod ibi attribuitur Deiparæ tamquam privilegium ſingulare.

50. *Immaculata Conceptio probatur ratione Theologicâ.* Probatur denique Concluſio ratione: quia indubiè Chriſtus potuit matrem ſuam eximere à contractione maculæ originalis; quòd autem voluerit, ſuadet matris dignitas, honor Filii, & amor ejuſdem erga matrem: oppoſitum enim eſſet ſummè indecens matri Dei, & honori ac amori Filii. Ex ſimili enim principio *D. Thomas* & alii omnes probant dictum illud *Anſelmi: Decuit Virginem eâ puritate nitere, quâ major ſub Deo nequit intelligi.* Quod canitur in Officio Immaculatæ Cõceptionis, quod incipit: *Sicut lilium inter ſpinas.* Ex eodem principio omnes concludunt, quòd ſit ſaltem in utero ſanctificata, ſive in ſanctitate nata, quòd fuerit immunis à leviſſimis etiã peccatis &c. Confirmatur: quia *non fuiſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando,* ait *D.Thomas 3.p.qu.27. art.4.* arguens inde, quòd nequidem habuerit culpã venialem: ergo à fortiori non fuiſſet idonea mater Dei, ſi incurriſſet maculam peccati originalis, quod ipſam conſtituiſſet filiam iræ, mancipium diaboli & æternæ damnationis.

51. *Non repugnat redemptioni, immo illam excellentiùs commendat,* Nec repugnat redemptioni factæ per Chriſtum: nam Deus B.Virginem præſervavit propter mortem & merita Filii ſui præviſa, infundens ipſo animationis inſtãti gratiam ſanctificantem, atque ita in ea ſimul condens animam, & largiens gratiam, quâ præventa non poterat peccatum contrahere, cui alioquin ex modo ſuæ generationis erat obnoxia. Immo hæc præſervativa redemptio eſt longè excellentior: cùm excellentius ſit præſervare à malo ne contrahatur, quàm à jam contracto mundare. Et juxta hoc rectè intelligitur, quod *S. Zozimus* Papa apud *Auguſtinum Ep. 157.* dixit: *Nullus, niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit antè captivus,* intellige, ſive in propria perſona, ſive in alio velut capite. Sic enim Princeps dici poſſet filium naſciturum liberare ab infamia, quâ tota parentis poſteritas erat notata, cum ſuâ voluntate præveniendo, & nolendo ne ipſe umquam infamis habeatur. Hæcque captivitas, & conſequenter redemptionis neceſſitas, etiam citra originalem maculam actu contractam, tantùm in B.Virgine fuit operata, ut neceſſe habuerit januam cæli per Filium ſibi aperiri, quam conſequenter non niſi per ejuſdem merita intraſſet; ideoque ſi ante mortem Filii obiiſſet, introitum cæli expectare debuiſſet cum ceteris, ob pretium redemptionis needum perſolutum.

Optimè verò conſiſtit præſervatio Deiparæ cum immutabilitate divini decreti, quo Adam conſtitutus fuit caput poſteritatis etiam quoad obligationem peccati & damnationis. Nam præviſo & ſecuto dein Adami peccato ſequitur quidem totam poſteritatem eſſe obnoxiam, adeòque contracturam peccatum, & incurſuram actu damnationem niſi impediatur. Sicut tamen poſteritas etſi damnationi obnoxia, ne eam contrahat ſeu incurrat, fuit per Chriſtum liberata: cur ſalvo decreto non potuit similiter liberari Deipara, ut ne quidem peccatum contrahat ſeu incurrat, cui erat obnoxia? Non enim decrevit Deus abſolutè, ut quotquot obnoxii ſunt, & peccatum & damnationem incurrant; ſed id per ſe conſecutũ fuiſſet, ſecluſo impedimento: quod quidem in ſola Virgine eſt poſitum quoad contractionem peccati; in ſolis autem juſtificatis & electis quoad incurſum damnationis. 52. *Optimèq; cõſiſtit cum immutabilitate pacti ſeu decreti divini.*

Ex his patet, quàm ſolida atque etiam in antiquitate fundata ſit Immaculata Cõceptio: quàm firmiter oraculis & decretis Pontificum roborata: quàm apertè per rationes theologicas ſtabilita: quàm fortiter & conſtanter ab Eccleſiaſticis Scriptoribus & Sanctis à multis annorum centuriis, & unanimiter hodie ab omnibus defenſa; adeò ut planè videantur non tanta præceſſiſſe contra Doctrinam de macula veniali B.Virginis præjudicia, priuſquam *Concilium Trid.ſeſſ.6.can.23.* declararet Eccleſiam tenere immunitatem B. Virginis à peccatis venialibus, quanta dudum præceſſerunt contra doctrinam adſcribentem B. Virgini culpam originalem. Immo ſunt, qui exiſtimant ex nunc Doctrinam piam eſſe habendam velut abſolutè certam, prout cenſet *Nirembergius ſup.c.25.* citans alios. Judicium ſit tamen finaliter penes Eccleſiam, quæ hactenus in patientia charitatis tolerat aliud interiùs ſentiẽtes, donec piam Doctrinam ipſa definiat, clariſſimè viſura (quam ſatis ex nunc videt) conſenſionem generalem omnium quaſi fidelium, & intellectura (quam ex nunc intelligit) admirationem (quam divinitùs cauſatam eſſe credendum eſt) in omnium pænè Chriſtianorum mentibus, quòd aliter de B.Virgine ſentiatur; adeò ut adversùs quaſlibet diſputationes, 53. *Corollariũ notabile.*

quas

quas infirmi diſcutere nequeunt, ipſâ admiratione Eccleſiæ ſenſûs de Immaculata Conceptione muniretur.

§. III.

An B. Virgo habuerit debitum contrahendi maculam originalis peccati?

54. *Debitum peccati, aliud proximum, aliud remotum.* NOTA debitum peccati aliud eſſe proximum, aliud remotum. Illud conſiſtit in hoc, quòd ei ſubjectus contineatur lege generali transfuſionis peccati, adeòque quoad hanc uti quoad transfuſionem juſtitiæ habeat ipſum Adamum pro capite: in cujus proinde voluntate cēſeatur etiam conſtituta moraliter iſtius voluntas. Inde enim oritur, quòd habens debitum proximum cenſeatur peccaſſe in Adamo, quatenus ipſe cenſebatur eſſe Adam; adeòque ſubjaceat obligationi contrahendi de facto maculam peccati, niſi ſpeciali privilegio præſervetur.

55. *In Deipara fuit debitum peccati proximum.* Debitum merè remotum conſiſtit in eo, quòd quis de facto quidem non ſit comprehenſus lege peccati, ſit tamen ad id ex modo cōmuni generationis obnoxius, niſi de gratia ſpeciali fuiſſet exceptus. Unde talis non cenſeretur peccaſſe in Adamo, neque habere Adamum velut caput morale; utpote non comprehenſus in pacto ſeu decreto, quoad partem ſaltem odioſam de transfuſione peccati. De debito remoto minor eſt quæſtio. Controverſia itaque movetur, an B. Virgo habuerit debitum etiam proximum cōtrahendi maculam originalis peccati? Affirmant vel ſupponunt communiter Doctores, ſaltem paulò antiquiores. Nimirum quia Chriſtus alioquin videretur non fuiſſe redemptor ſuæ matris. Deinde quia mors Chriſti prævisa (unde immunitas ſeu privilegium Virgini pēdet, juxta illud quod in Collecta Officii per Xiſtum IV. inſtituti Bullâ *Cùm praexcelſa de Reliq. & Ven. Sanct.* canitur: *Ex morte ejuſdem Filii ſui prævisâ eam ab omni labe præſervaſti*) eſt poſterior præviſione lapsûs Adæ, & poſterorum in ipſo tamquam capite. Favent etiam variæ Auctoritates. Immo non defuerunt Theologi qui oppoſitam doctrinam acriori cenſurâ perſtringerent. Nec videtur obeſſe dignitati aut puritati Deiparæ: nam juxta *Auguſtinum l. 6. contra Julian. c. 10.* aliàs 4. *peccatum originale quatenus conſideratur in actione alterius, alienum eſt; fit autem proprium tantùm contagione propaginis*, ſive per actualem contractionem. Aliundè etiam honor Reginæ judicium diligit, ut nimirū adſtruatur innocentia illius ſalvâ dignitate Redemptoris, & neceſſitate redemptionis, quæ & captivitatem ſaltem in debito, & paſſionem Chriſti ſaltem in divina præſcientia præſupponit: quod in oppoſita ſententia congruè ſalvari non poſſe videtur.

Oppoſitum nihilominus tenent multi Recentiores poſt noſtrum *Cornelium Muſſum* Virum tam ſpectatæ in *Tridentino* auctoritatis, ut teſte *Poſſevino in Apparatu ſacro*, ei à toto Concilio commiſſa fuerit decretorum compilatio: eamq; meritò probabilem cenſent plures Doctores alterius Opinionis. Ei quoque favent hæc verba Aſſueri ad Eſther: *Ego ſum frater tuus non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hac lex conſtituta eſt.* Quam figuram Conceptioni Deiparæ applicat Eccleſia in Officio *Leonardi de Nogarolis.* Deinde *Tridentinum ſeſſ. 5.* in fine declarat, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere Immaculatam Virginem in decreto de peccato originali; & conſequenter generalibus Apoſtoli & Conciliorum locutionibus, quas adducit, & quæ non ſolùm de contractione peccati, ſed etiam de debito ſeu lege contrahendi loqui videntur. Immo ipſum *Tridentinum can. 2.* agit de lege transfundendi juſtitiam, & ſimiliter peccatum; quâ proinde non intendit B. Virginem comprehendere, ſaltem quantùm ad ſecundam & odioſam partem. Ratio eſt: quia peccaſſe in Adamo, ſeu habere debitum propinquum contrahendi maculam originalem eſt magna vilitas & turpitudo; adeòque dedecens matrem Filii Dei: quare ſicut exempta idcirco fuit ab actuali contractione peccati originalis, aliiſque legibus ipſam minùs decentibus, ſic à lege ſeu debito propinquo contrahendi peccatum originale meritò dicitur fuiſſe exempta. 56. *Oppoſitum eſt probabile.*

Nihilominus Chriſtus manebit redemptor ſuæ matris; utpote quæ habuerit debitum remotum contrahendi peccatum, quatenus ex ſe ſive communi ratione propagationis erat obnoxia, ut comprehenderetur in lege generali transfuſionis peccati, à qua non minùs quàm ab ipſa actuali contractione poterat præſervari, etſi tam actualis contractio, quàm contrahendi debitum eſſet per legem quaſi generalem decretum.

Variant tamen plurimùm Auctores, quo modo id factum fuerit ex præviſis meritis paſſionis Chriſti, ut videre eſt apud *Lugo de Incarn. diſp. 7. ſect. 3. Arriaga de Incarnat. diſp. 16. ſect. 4.* Et *Salazar Tract. de Immaculata Conceptione.* Qui refutatis aliis ſententiis *cap. 24.* reſolvit Deiparam non fuiſſe comprehenſam in maſſa Adami; ſed intuitu Chriſti juxta ipſum prædeſtinati poſt præviſum Adæ lapſum, fuiſſe ſimiliter ordinatam B. Virginem velut novam creaturam, quæ tanti Filii mater eſſe mereretur. Hæc tamen explicatio graves patitur difficultates, ut videre eſt apud alios Auctores citatos. Nec meliùs rem explicant *Lugo* & *Arriaga.* Quare noſter *Franciſcus Caſtillo diſp. 3. de Præſervat. B. Mariæ q. 2.* dicit, quòd cùm 57. *Sed difficulter tunc explicatur, quomodo ſit Deipara præſervata ex præviſis meritis paſſionis Chriſti.*

cùm Chriſtus quoad ſubſtantiam ſit prædeſtinatus ante prævíſum lapſum generis humani, potuerit ſaltem in intentione B. Virgini prædeſtinari gratia coæva ob merita Chriſti independentia à paſſibilitate carnis: in executione tamen eadem gratia tamquam præſervativa fuerit eidem præordinata ob merita paſſionis Chriſti, ſive ex morte Filii ſui prævisâ. Sed iſta ordinis diverſitas non videtur hîc locum habere; aut certè non juvare: ſi enim jam abſolutè ob merita Chriſti independentia à paſſione erat gratia coæva præordinata, vi talis ordinationis debuiſſet ei in tempore conferri, etiam ſeclusâ omni Paſſione Chriſti. Quod non ſufficit ad neceſſitatem redemptionis, ſeu dependentiam neceſſariã Deiparæ à redemptione. Eſſetque nil aliud, quàm quòd gratia equidem danda, per ſuperveniens decretum detur inſuper novo titulo ſeu reſpectu. Aliter dici poſſet legem transfuſionis peccati, etſi generalem, potuiſſe habere hanc aut ſimilem conditionem: *niſi pro ſequentibus ſignis aliqua perſona excipiatur*; adeòque potuiſſe pro aliquo ſequenti ſigno ob cauſas tunc per ſcientiam viſionis propoſitas excipi perſonam Deiparæ Virginis ab ipſa lege in priori rationis decretâ. Et juxta hunc modum (qui tamen ſatis quæſitus apparet) fuiſſet ipſa quodammodò contenta, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed velut conditionatè, in lege generali, & tamen proximè non fuiſſet obnoxia peccato, nec in Adamo peccaſſet, ſive peccatum Adami non fuiſſet moraliter peccatum ipſius Virginis. Sic denique facilè explicatur, quo modo à Chriſto fuerit redempta, & ex morte Filii ſui pro iſto ſigno prævisâ fuerit à generali lege exempta, & gratia præſervativa eidem conceſſa.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint pœnæ Peccati Originalis in hac vita?

58. *Per peccatum originale poſteritas Adæ eſt ſpoliata gratuitis.*

PRIMA & præcipua pœna hujus vitæ eſt ſubtractio vel carentia juſtitiæ originalis. Nam per inobedientiam perdidit Adam juſtitiam & ſanctitatem, in qua fuerat conſtitutus, etiam poſteris, ut definit *Tridentinum ſeſſ.* 5. *can.* 2. & ſimul amiſit omnia bona gratuita, tum interna, tum externa, quæ ad juſtitiæ originalis complementum ſpectabant.

Et multipliciter vulnerata in naturalibus.

Nec tantùm eſt poſteritas ſpoliata bonis gratuitis, ſed etiam multipliciter vulnerata in naturalibus, ut habet communis Theologorum conſenſus: & probatur Auctoritate *Bedæ*, quæ habetur in *Gloſſa Ordinaria* ſuper illa verba *Lucæ* 10: *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Jericho.*

59. Aſſignantur autem communiter quatuor vulnera, ſcilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiſcentia in appetitu concupiſcibili, & infirmitas in appetitu iraſcibili. Nam juſtitia originalis præſtabat, quòd intellectus facilè & ſine errore omnem veritatem ſibi convenientem poſſet aſſequi, & in negotiis cum debita prudentia ac circumſpectione procedere. Quare hâc ſublatâ orta eſt in intellectu ignorantia, conſiſtens, tum in proclivitate ad errores, tum in inconſideratione rerum agendarum, tum in difficultate aſſequendæ veritatis neceſſariæ; tum denique in inſcitia neceſſariorum, etiam quoad corpus & ſuſtentationem, niſi adiſcantur; ut patet in parvulis: quibus hac in re multorum pecorum pulli ſuperiores ſunt (ut notat *S. Auguſtinus l.* 1. *de peccat. merit. c.* 38.) qui vix nati matres agnoſcunt, & eorum ubera quibus lactantur inveniũt. Deinde juſtitia originalis præſtabat, ut voluntas eſſet ad omnem virtutem valde proclivis, & ab omni vitio alienior; utque eidem perfectè ſubjicerentur vires inferiores, ac eſſent fortes ad ardua quæque perficienda. Quare ſublatâ hâc juſtitiâ ſunt quoque hi effectus ablati. Et in voluntate quidem ſecuta eſt proclivitas ad malum & ad bonum commutabile; quæ hîc malitia dicitur: eſtque tanta, ut vix pœnis coerceri poſſit, nec, niſi voluntas gratiâ Dei adjuvetur, à peccatis mortalibus abſtinere queat. Inſuper in appetitu ſenſitivo orta eſt rebellio contra voluntatem & rationem. Propter quod *Trid. ſeſſ.* 5. *can.* 5. de fomite concupiſcentiæ dicit, quòd ex *peccato ſit.* Quare in illo ſecundùm vim concupiſcibilem ſecuta eſt inordinata carnis rebellio contra ſpiritum, quæ ſtrictè concupiſcentia vocatur, & conſiſtit partim in eo quòd ſenſualitas præveniat rationem, partim etiam quòd contra voluntatem moveatur, partim denique quòd eamdem ad voluptates carnis & ſimilia huic appetitui accommoda trahat. Denique in vi iraſcibili appetitûs ſenſitivi orta eſt infirmitas ſeu debilitas, quâ fit, ut homo ſit tardior ad bona ardua, & facilè cedat malis. Quandoque etiam exardeſcit contra rationem, ut hominem quaſi in feram rationis expertem convertat. *Quadruplex naturæ vulnus explicatur.*

Hæc vulnera quatenus ſequuntur ex peccato originali ſuperaddunt potentiis tantùm privationem juſtitiæ originalis: quâ ſublatâ oriuntur eo ipſo hi defectus. Quatenus autem augentur per peccata perſonalia, ſuperaddunt habitus & conſuetudines pravas, quibus intellectus excæcatur, voluntas induratur, concupiſcentia inardeſcit, & difficultas bene agendi accreſcit.

60. *Ex originali quoque naſcitur neceſſitas moriẽdi ipſaq; mors.*

Quod ad pœnas ſeu pœnalitates corporis attinet: in primis neceſſitas moriendi, ipſaque mors eſt peccati originalis effectus, ut definit *Milevitanum can.* 1. *Arauſicanum*

Arauſicanum can. 1. *Tridentinum ſeſſ.* 5. *can.* 2. Et patet ex Apoſtolo *Ad Rom.* 5. *Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* Et alibi frequenter. Adam itaque ſic erat creatus, ut non niſi peccati merito morti fuiſſet obnoxius; cui proinde Deus erat minatus *Gen.* 2. *In quocumque die comederis ex eo*, ligno ſcilicet ſcientiæ boni & mali, *morte morieris.*

Ceteræque pœnalitates & miſeria hominum. Secundò, aliæ pœnæ corporis juxta *Tridentinum ſup.* ſunt effectus peccati originalis, ut morbi, dolores, aliique defectus & miſeriæ. Quibus accedunt extrinſeca, quæ vel ab hominibus aut dæmonibus, vel injuriâ cauſarum naturalium, vel etiam à beſtiis inferuntur, quæ (niſi homo peccaſſet) omnes ejus imperio pacifico paruiſſent. Unde *Eccli.* 40. meritò dicitur: *Jugum grave ſuper filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium.* Et *Arauſicanum ſup.* rectè definit *totum hominem in deterius commutatum*; ſcilicet *ſecundùm animam & corpus*, ut de Adamo loquitur *Trid. ſup. can.* 1.

Mors & pœnalitates corporis fuiſſent in ſtatu puræ naturæ. Alioquin mors & alii corporis defectus ſic ſunt pœna peccati, ut ſint etiam quodammodò defectus naturales juxta *D. Thomam q.* 85. *art.* 6. quia ſequerentur nudam naturam, niſi peculiari Dei beneficio impediantur. Unde in ſtatu naturæ nudæ fuiſſet homo illis obnoxius: facilè enim temperamentum naturale conſtans contrariis alteratur aut deſtruitur, ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco; niſi cuſtodiâ ſingulari in proportione debita ſervetur. Unde etiam Chriſtus ex conditione naturæ conſtantis ex contrariis fuiſſet mortuus, etſi non fuiſſet occiſus.

Mortem quo ſenſu Deus fecerit, quo non, juxta Scripturam. Ex his facilè erit in concordiam revocare Scripturas, in quarum una dicitur Deus mortem non feciſſe, *Sap.* 1. in altera verò dicitur mors eſſe à Deo, *Eccli.* 11. Nam prima intelligitur ſecundùm primævam hominis inſtitutionem. Secunda loquitur ſuppoſito peccato, in cujus pœnam Deus vult mortem hominum, quatenus ſubtractâ ob peccatum originali juſtitiâ factus fuit homo naturali neceſſitati moriendi obnoxius.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſint pœnæ Peccati originalis poſt hanc vitam?

61. *Poſt hanc vitam originale punitur æternâ damnatione ſeu pœnâ damni.* CERTISSIMUM eſt de Fide omnes parvulos in peccato originali decedentes eſſe in perpetuùm damnandos, ſive puniendos pœnâ damni; quæ cōſiſtit in excluſione hominis Deo inimici à Beatitudine cæleſti, ſive viſione & fruitione Dei. Patet ex *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et *ad Rom.* 5. *Ex uno in omnes in condemnationem.* Et aliis locis. Errorque contrarius fuit damnatus in *Epiſt. Concilii Carthaginenſis*, & in *Epiſt. Concilii Milevitani* ad Innocentium I. Item *Florentinum in Litteris Unionis* definit *In ſolo originali decedentes mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus* (factâ cōparatione cum peccatoribus actualibus) *puniendos.* Et *Tridentinum ſeſſ.* 5. *can.* 4. definit etiam filios baptizatorum neceſſariò expiari lavacro regenerationis ad vitam æternam conſequendam.

Sed perplexa difficultas eſt, an hujuſmodi parvuli paſſuri inſuper ſint gehennam ſeu tormentum ignis. Illud enim aſſerere omnino videtur *B. Auguſt. Serm.* 14. *de verbis Apoſt. c.* 3. ubi contra Pelagium aſſerentem pro parvulis dari locum quietis medium inter regnum cælorum & tormenta inferni, docet valde aſſeveranter non dari locum medium, ſed omnes parvulos à Chriſto judicandos, & qui non erunt à dextris fore à ſiniſtris, illos in regnum cælorum, hos verò (inter quos aſſerit procul dubio futuros eſſe parvulos non baptizatos) ituros in ignem, immo combuſtionem æternam. Propter quod (ut *cap. ſeq.* ſubdit) Apoſtolus 1. *ad Cor.* 6. non fuit ſolicitus exprimere ſupplicium ignis æterni, ſed ſimpliciter dixit: *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes &c. regnum Dei poſſidebunt*, quia nimirum noverat extra regnum infallibiliter non reſtare niſi ignis ſempiterni ſupplicium. Alibi etiam apertè docet eoſdem parvulos poſt hanc vitam manere mortem ſecundam; quam diverſis in locis docet pœnæ damni addere ſempiternum ignis ſupplicium, conformiter ad phraſim Scripturæ *Apoc.* 20. & 21. De quo vide noſtrum *Florentium Conrium* Archiepiſcopum Tramenſem *Tract. de Statu parvulorum c.* 11. & 12. Id ipſum etiam ſatìs apertè tradit *Auguſtini* diſcipulus *Fulgentius l. de Fide ad Petrum c.* 27. (& ſub nomine *Auguſtini* refertur tum apud veteres Scholaſticos communiter, tum c. *Firmiſſimè, de Conſecr.* d. 3.) dicens: *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, etiam parvulos, qui ſine Sacramento baptiſmi de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.* Ubì ſimiliter id tradit velut indubitatum.

S. Auguſtinus variis locis aſſerere videtur, quòd inſuper pœnâ ſenſûs. (62.)

Nec alibi *Auguſtinus* de hoc dubitaſſe, minùs contrarium ſenſiſſe videtur. Docet quidem habituros damnationem mitiſſimam, ut habet *Enchirid. c.* 93. ſive omnium leviſſimam, ut habet *l.* 5. *contra Julian. c.* 11. intelligere tamen videtur reſpectivè; quia nimirum etſi paſſuri ſint pœnam ignis, tamen ceteris leviorem, juxta id quod ait *Epiſt.* 106. *Ac per hoc quamlibet tolerabiliùs omnibus qui etiam propria peccata committunt, tamen æternâ morte mulctari*, morte ſcilicet ſecundâ, quæ ſignificat tormentum ignis. Dubitat tamen, qualis vel quāta erit etiam hæc ignis pœna, *loco cit. contra Julian.* dicens: *Quæ, qualis, & quanta erit,* 63.

Aliis locis de hoc dubitaſſe non ſatis oſtenditur.

erit, quàmvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quòd eos ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent, potius expediret; alludens ad illud Chriſti de Juda: *Melius erat illi, ſi natus non fuiſſet.* Quemadmodum non dubitavit *Auguſtinus* quin peccatis actualibus debeatur pœna ignis: de quibus tamen ſimiliter ait *lib. de natura boni c.9. Qualis autem, & quanta pœna cuique culpa debeatur, divini judicii eſt, non humani.*

64. ***Multò minus ullibi oppoſitum docuit.***

Non denique contrarium docuit *lib. 3. de lib. arbitr. c.23.* ubi *Manichæis* negantibus peccatum originale, & objicientibus ſuperfluè creari parvulos, qui antequam quidquam boni vel mali agere poſſunt excedunt è vita, quibus idcirco nec poſſit eſſe locus cum juſtis, quia nil boni fecerunt, nec cum malis, quia nihil etiam peccaverunt, *Auguſtinus* reſpondet, *Non eſſe metuendum, ne vita eſſe potuerit media quadam inter rectè factum atque peccatum, & ſententia Judicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium.* Ibi enim *Auguſtinus*, ſeponens peccatum originale & damnationem conſequentem, procedit ad hominem, q. d. dato quòd poſſet eſſe ſtatus medius inter rectè & malè facta, æquè poſſet dari medius inter præmia & ſupplicia. Immo *Epiſt.28.* teſtatur: *Non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui ſine illo,* baptiſmo, *ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur, agebatur.* Quomodo igitur mens *Auguſtini* de damnatione parvulorum hinc colligi poteſt? niſi quis malit conſequenter inferre *Auguſtinum* ibi nullam damnationem parvulis cenſuiſſe adſcribendam. Immo *Maſſilienſibus* inde poſtea arguentibus contra *Auguſtinum*, quaſi dubitaſſet de damnatione parvulorum, *lib. de bono perſev. cap.12.* ſe purgat, & inter alia reſpondet: *Abſit, ut cauſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicamus incertum, utrùm in Chriſto regenerati ſi moriantur parvuli, tranſeant in æternam ſalutem; non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam &c.* quæ utique non eſt ſine tormento ignis.

65. ***Durum id apparet malitiam univerſalis peccati non perfectè penetrantibus.***

Dura quidem videtur hæc pœna, *quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum deeſt ille ſenſus altiſſimæ puræq; ſapientiæ, quo ſentiri poſſit quantum nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit*, ut loquitur *Auguſt. 21. de Civit. cap.12.* Sanè (ut ait idem *Auguſtin. Epiſt. 28.*) *cùm ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor anguſtiis, nec quod reſpondeam prorſus invenio: non ſolùm eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio ..... ſed eas ipſas, quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos &c. Langueſcunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & ſiti cruciantur &c.* Nimirum ſicut ipſa ratio originalis peccati eſt ad intelligendum difficilis, ſic & pœna ejuſdem, tum hujus, tum maximè alterius vitæ. Eidem doctrinæ favet *Gregorius 9. Moral. cap. 12.* aliàs 16. de parvulis ſine baptiſmo morientibus dicens: *Illuc ad tormenta perveniunt.* Accedunt & alia argumenta poſtea alleganda.

Ob quæ negari non poteſt, quin ſententia hæc verè probabilis ſit. Quam ex Scholaſticis docuit quidam *Ubertinus* apud *Dionyſium Carthuſianum 2.d.13. Driedo, Eſtius,* Tractatuque ſpeciali ſuprà citato, ac à pleriſque Doctoribus Lovanienſibus & Duacenſibus probato & laudato doctiſſimè defendit noſter *Florentius Conrius.*

66. ***Nihilominus pœnam ſenſûs negant Scholaſtici communiſſimè cum Magiſtro, D. Bonav. D. Thoma & Scoto.***

Nihilominus *eſt* (ut utar verbis *S. Bonaventuræ 2.d.33.art.2. q.1. in corp.*) *alia poſitio mitior, quæ magis concordat pietati fidei, & judicio rationis, quòd, quia parvuli decedentes cum originali carent juſtitiâ & Spiritûs ſancti gratiâ, quæ eſt pignus hereditatis æternæ, privantur in æternum Dei viſione: quia verò in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali: ſed quia non habuerunt in ſe actualem delectationem peccati, nec in ſpiritu, nec in carne, ideo non ſentiunt pœnæ ignis acerbitatem.* Ita *D. Bonaventura.* Idem poſt *Magiſtrum diſt.* 33. ſentiunt *Scotus ibid. quæſt. unic. D. Thomas quæſt. 5. de malo art. 1. 2. & 3.* & reliqui Scholaſtici communiter, jam à quadringentis & ampliùs annis. Adeò (inquit *Malderus quæſt.83.art.4.dub.2.*) hæc Sententia communis eſt, ut vel ex eo conſenſu magnum peti poſſit argumentum: adeò clari ſunt pro ea Doctores, ut adverſarii vix ex Scholaſticis habeant quem producant, præter pauciſſimos.

Conſonat Innocentius III.

Eamdem Doctrinam ſatìs apertè tradit, etſi non definiat, Innocentius III. c. *majores, de Bapt. & ejus effectu*, dicens: *Pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei; actualis verò peccati eſt* (ſubintellige, inſuper) *gehenna perpetuæ cruciatus.* Quòd autem objici poſſet, Conſequentiam ibi factam à Pontifice non valere (valere ad hominem cenſet *Poncius d. 18. n.32.*) eſto gratìs diſſimuletur, parum refert: quia equidem conſtat ipſum pro aſſumpto probationis quaſi comperto ſtatuere hanc Sententiam de pœna originalis peccati.

Allegatur etiam *Florentinum* in decreto Unionis declarans decedentes cum ſolo originali eſſe *pœnis diſparibus puniendos*, factâ comparatione cum adultis decedentibus in mortali perſonali. Quæ tamen diſparitas ſatìs ſalvari poſſet, etſi ſimiliter patiantur pœnam ignis. Nam ſolùm vult *Concilium* totam illam maſſam hominum ſic decedentium habituram determinatas pœnas, pares quidem inter ſe, diſpares tamen reſpectu adultorum; quales verè adhuc haberent, etſi paterentur pœnam ignis, reſpectivè mitiſſimam.

Adducitur quoque Commentarius *Ambroſio* adſcriptus in *cap.* 5. *ad Rom.* Sed is *Ambroſii* non eſt; favetque in quibuſdam Pelagianiſmo. Alibi equidem videtur *Ambroſius* favere aſſertioni, ſcilicet *lib.* 2. *de Abraham c. ult.* ubì de infantibus non baptizatis ait: *Habeant tamen illam opertam pœnarùm immunitatem, neſcio an habeant regni honorem.*

S. Gregorius Nazianzenus. Accedit etiam *Nazianzenus Orat. in S. Baptiſma*, de iiſdem dicens, quòd *nec cœleſti gloriâ, nec ſuppliciis à juſto judice afficiantur, utpote qui licèt baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potiùs fuerint, quàm fecerint.* Ubì nota marginalis habet: *Parvuli ſine baptiſmo morientes pœnâ ſensûs non mulctantur.* Et *Nicetas* eumdem locum ſic commentatur: *Medius* gradus *eorum, qui cæleſtis regni voluptatem ſentiunt, nec pœnis ullis torquentur: in quo & pueruli, qui baptiſmo perfuſi non ſunt, conſtituentur.* Difficile tamen valde eſt, quòd ibidem S. Doctor videatur apertè ſupponere in hoc gradu medio etiam fore adultos, qui baptiſmum deſideratum nequeuntes ſuſcipere ex hac vita decedunt, quaſi votum baptiſmi non ſufficiat, etiam in neceſſitate, ad capeſſendum regnum cæleſte.

67. *Et ratio.* Denique accedit ratio: quia parvuli non peccarunt propriâ voluntate; ergo non merentur pœnam ignis, quæ correſpondet peccato propriæ voluntatis juxta illud *Apoc.* 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Confirmatur: quia ſi in humanis data ſit alicui dignitas pro tota poſteritate, is peccato ſuo meretur quidem illâ privari, & per conſequens in eo etiam poſteri; ſolus tamen pater propter crimen illud judicabitur dignus ſuppliciis & tormentis. Sic igitur ob peccatum Adæ meritus fuit ipſe & nos in illo privari dignitate gratiæ, & conſequenter cæleſtis gloriæ, ac perpetuò fieri exules numquam admittendi ad conſpectum Regis æterni; ſolus tamen Adam meritus eſt torqueri ac cruciari in igne ob peccatum ſuum quatenus erat perſonale, niſi facta ei fuiſſet remiſſio.

Confirmatur II. Quia pactum cum Adamo initum fuit tantùm circa conſervationem vel amiſſionem juſtitiæ originalis in poſteris; ergo cùm parvuli non habeant aliud peccatum quàm quatenus incluſi fuerunt in iſto pacto, non debetur eis alia pœna, quàm amiſſio illius juſtitiæ, &, quæ inde conſequitur in altera vita, pœna damni, quia nimirum in ipſis non eſt gratia ſanctificans, quæ eſt ſignum ac velut arrha gloriæ dandæ.

68. *Objectiones ex Scriptura allegantur & ſolvuntur.* Objicitur I. *Matth* 25. deſcribitur univerſale judicium, & ad illud congregandæ dicuntur omnes gentes; parſque una dicitur ſiſtenda ad dextram ſeu nobiliorem locum, pars altera ad ſiniſtram ſeu viliorem locum, & his, qui à ſiniſtris erunt (inter quos utique erunt parvuli) dicturus refertur Judex: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Reſpondēt Nonnulli quòd ad parvulos cum originali mortuos non ſpectabit judicium generale. Verùm omnino videtur dicendum contrarium cum *Auguſtino* & Doctoribus communiter. Nam utique ad eos ſpectat generalis reſurrectio, & poſt mortem judicium particulare ſeu ſententia condemnationis, adeòque etiam judicium univerſale: eorumdem etiam Chriſtus eſt ſtatutus univerſalis Judex, uti Redemptor. Unde reſpondent plerique alii interfuturos quidem judicio, ea tamen quæ deſcribuntur *Matth.* 25. ſolùm concernere adultos judicandos ex operibus, & qui (ut in *Symbolo Athanaſii* dicitur) *reddituri ſunt de factis propriis rationem.*

Objicitur II. illud *Apoc.* 20. *Vidi mortuos magnos & puſillos ...... & qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Reſp. de ſolis adultis eſſe ſermonem, ut oſtendunt verba intermedia: *Judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Et *cap. ſeq.* præmiſſo victorum præmio ſpecificat illos Apoſtolus quos dixerat fuiſſe miſſos in ſtagnum ignis, ſcilicet *Timidos, incredulos, homicidas &c.* Quare per puſillos non intelliguntur infantes, ſed potiùs homines plebei ac vilis conditionis. Vide *A lapide* & Expoſitores. Quòd ſi denique ad parvulos prædicta quis contendat debere extendi: adhuc locus eſſet reſponſioni, quam habet *Bellarminus l.* 6. *de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati c.* 5. parvulos mittendos in locum ſeu ſtagnum ignis, ſed ab eo non inflammandos.

Objicitur III. Auctoritas *Auguſtini, Fulgentii, & Gregorii*, quorum verba ſunt relata *num.* 62. & 65. Reſpondet *D. Thomas ſup. art.* 2. *ad* 1. nomen tormenti, ſupplicii, gehennæ vel ſi quid ſimile in dictis Sanctorum reperiatur, eſſe largè accipiendum pro pœna, ut ponatur ſpecies pro genere. Ideo autem Sanctos tali loquendi modo uſos fuiſſe, ut deteſtabilem redderent Errorem *Pelagianorum*, qui aſſerebant in parvulis peccatum non eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi. Et hoc (inquit *D. Bonav. ſup. art.* 1.) valdè abundanter exprimit, *Auguſtinus* ſcilicet, plus dicens, & minùs volens intelligi. Similiter reſpondet *Scotus* & ceteri ferè Theologi. Quæ reſponſio inde poteſt confirmari, quòd *Auguſtinus* & *Fulgentius* agant de re velut indubitatâ; certum autem videtur, quòd non fuerit nec ſit indubitatum, parvulos pati cruciatum ignis. Immo id non fuit vocatum in controverſiam inter Catholicos & *Pelagianos*, 69. *Reſpondetur ad auctoritatem Auguſtini.*

nos, ſed an parvuli habeant peccatum, & conſequenter damnationem, an verò ob carentiam peccati ſint extra damnationem, attamen etiam extra regnum cælorum in æternâ & beatâ extra illud vitâ. Contendit verò *Auguſtinus* cum Eccleſia, quòd non, & arguit non extare beatitudinem extra regnum cælorum, ſolumque ſupereſſe æternum ignem, ſcilicet veram damnationem. Dum autem parvulis adſcribit mortem ſecundam, intellige in genere, prout conſiſtit in pœna æterna & infernali; non autem ſtrictiſſimè, prout in ſpecie includit cruciatum ignis. Adde, quòd ſi parvuli æternaliter cruciarentur igne, jam eſſet melius ipſis non eſſe quàm ſic eſſe; quod tamen de illis *Auguſtinus* aſſeverare non audet, uti nec definire qualis vel quanta ſit damnatio eorumdem; quod rectè accipitur quaſi dubitaverit etiam de qualitate pœnæ, an ſcilicet damni tantùm vel ſenſûs ſit. Quòd autem *lib. de natura boni cap.9.* videatur id ipſum non poſſe definire de pœna peccatorum actualium, non ita accipiendum eſt, quaſi id in genere non poſſet definire (prout utique poſſet, dicendo eſſe pœnam damni, vermis, ignis, & ſulphuris &c. adeòque ſimiliter poſſet in præſenti, ſi aſſeveranter ſenſiſſet oppoſitum Concluſionis) ſed quia id non poſſet de ſingulis culpis in particulari definire proportionatè ad gravitatem, & facto reſpectu ad invicem: id enim rectè dixit eſſe *divini judicii,non humani.* Quòd ſi denique nil aliud reſponderi poſſet, opponi adhuc poſſet tam gravis Auctoritas *Innocentii III. SS. Thomæ, Bonaventuræ*, & tot aliorum ſanctorum & doctiſſimorum virorum in re, de qua non ſatis conſtat ex doctrina revelata, & in qua, ſi quid dictum ſit à *S. Auguſtino*, ſaltem non eſt poſitivè approbatum ab Eccleſia; etſi alioquin ſit ejus doctrina maximæ auctoritatis, adeò ut etiam in præſenti faciat oppoſitum valdè credibile ob vehementem præſumptionem, quòd *Auguſtinus* illud tradiderit.

70. Objicitur IV. Chriſtus paſſus eſt gravia tormenta propter peccatum originale: ergo huic peccato correſpondet etiam pœna ſenſûs. Reſp. Neg. Conſeq. quia Chriſtus illa paſſus etiam eſt propter peccata actualia, ſignanter Adami & Hevæ, quibus correſpondebat pœna ſenſûs. Deinde ex decreto Dei poterat pro peccato originali ſatisfieri per pœnas diſſimiles. Unde & Chriſtus non fuit paſſus tormentum ignis: & certum eſt fuiſſe paſſum pro parvulis etiam ut tolleretur pœna damni; adeòque nullo modo ſequitur eos eſſe obligatos ad pœnam ſenſûs.

Ex tormentis Chriſti patientis nō rectè infertur pœna ſenſûs in parvulis.

Objicitur V. Parvuli in originali morientes deſcendunt in infernum: ergo patiuntur ab igne ibi exiſtente. Reſp. Neg. Conſeq. quia per infernum intelligitur generaliter locus damnatorum: in quo tamen poſſunt dari varia receptacula, in quorum uno ſit ignis, ubi ſint damnati ob perſonalia peccata; in altero autem non ſit ignis, ibique ſint parvuli, quorum locus vulgò limbus puerorum dicitur. Sunt tamen, qui putent hæc receptacula eſſe intrà eamdem cavitatem, in cujus una parte ſint pueri, in altera reliqui damnati.

Neque ex eo quòd juxta fidem deſcendant in infernum.

Objicitur VI. Parvuli in hac vita ob peccatum originale puniuntur pœnâ ſenſûs, v. g. frigore, fame, ſiti &c. quid ni ergo & in altera? Reſp. quia illæ pœnalitates conſequuntur directè naturam ipſam, prout ſpectatur ſine juſtitia originali: ideòque etiam fuiſſent in ſtatu puræ naturæ; & modò ſunt inæquales in diverſis, etſi æqualiter originali infectis. Quare directè non ſunt pœnæ peccati originalis,ſed indirectè & conſecutivè. Adde quoſdam parvulos in hac vita pati dolores acerbiſſimos; cùm tamen poſt hanc vitam juxta adverſarios leviſſimam pœnam ſenſûs eſſent paſſuri. 71.

Neque ex doloribus quos frequenter in hac vita patiuntur.

Objicitur VII. Admittitur ab omnibus Catholicis pœna damni, quæ tamen eſt maxima: quid ni ergo pœna ſenſûs, quæ eſt minor? Reſp. quia prior ſufficit, & eſt ſatis gravis, nec fides amplius docet. Eſt quidem pœna damni maxima ratione boni quo privat; non tamen ideo parvulos maximè affligit. Quare equidem poſſent eſſe in damnatione mitiſſima; & quamquam illos affligeret, certè leviter: atque eſto quòd graviter, eſſent in damnatione mitiſſima reſpectivè; quia ſcilicet mitior foret damnatione illorum, qui inſuper patiuntur pœnam ſenſûs.

Nec deniq; ex ipſa pœnâ damni.

Verùm adhuc controvertitur, utrùm parvuli affligantur ſive triſtitiam habeant ob carentiam vitæ æternæ, ſicuti inde graviſſimè affligi adultos peccatores conſtat. Affirmant non tantùm ii qui parvulis adſcribunt pœnam ignis, ſed etiam varii hanc pœnam non admittentes: ut *Bellarminus ſup. cap. 6.* & alii. Docet tamen *Bellarminus* dolorem fore mitiſſimum: tum quia parvuli non niſi remotam diſpoſitionem habuerunt ad beatitudinem: tum quia intelligent ſe non amiſiſſe gloriam propriâ negligentiâ: tum quia videbunt in inferno multos ſe infeliciores; ad quorum ſortem ipſi quoque pervenire potuiſſent, & plurimi perveniſſent, ſi diutiùs vivere contigiſſet. Ratio hujus opinionis eſt: quia omnino connaturale eſt, eos habere dolorem de amiſſione tanti boni, à quo ſe excidiſſe cognoſcent. 72.

Triſtitiâ omni non carituros, valdè probabile eſt.

Atque eſto id ignorarent ante diem judicii, tunc ſaltem iis innoteſcet, quando alios ſui ſimiles videbunt beatos cum Chriſto, &

ſto, & ſententiam generalem cum aliis hominibus accipient. Ad quod non requiritur ſupernaturalis cognitio (ut etiam patet in infidelibus adultis) ſed ſufficit cognitio naturalis ex evidentia ſignorum, quæ ſaltem in judicio videbunt & audient. Habebunt ergo ex ſuo ſtatu dolorem, ſaltem aliquem & aliquando, ſi non gravem & continuò; qualem habere ſolemus de infortuniis, quæ etiam nolentibus accidunt: qualiter etiam dolemus in hac vita primos parentes umquam peccaſſe. Neque enim congruum eſt, ut ſint in feliciori ſtatu damnati, quàm fuerunt in exilio etiam feliciſſimi, quando in hoc vivebant, ubì non omnino erant immunes ab omni moleſtia animi. Accedit denique ratio loci tenebroſi, captivitas, & aliæ circumſtantiæ, quæ natæ ſunt triſtitiam generare. Et hæc quidem ſententia eſt mihi valde probabilis.

73. *Oppoſitum nihilominus cenſent plerique Scholaſtici.*

Nihilominus *D. Thomas ſup. quæſt.* 3. *D. Bonaventura ſup. quæſt.* 2. *Scotus ſup.* (qui tamen dubitanter loquitur) & antiquiores Theologi communiter, ac plerique Recentiores eximunt parvulos ab omni triſtitia: eò quòd pœna originalis peccati, præcisè correſpondens amiſſioni juſtitiæ originalis in Adamo peccante, videatur adæquatè compleri in carentia æternæ gloriæ: cui proinde non videtur ſuperaddenda pœna triſtitiæ, quæ ſe habet inſtar increpationis & flagelli, quo illi tantùm digni ſunt, qui propriâ voluntate peccarunt. Et quàmvis connaturaliter ex amiſſione gloriæ videatur ſequi triſtitia: parvuli tamen *erunt ſuo ſtatu contenti, ſcientes Deum ita de ſe diſpoſuiſſe* (cujus voluntati ſe conformabunt) *nec ſuo actu hoc aliquando demeruiſſe*, ut inquit *Scotus nu.* 4. divina etiam providentia poterit hanc triſtitiam impedire; cùm eam parvuli videantur non demeruiſſe. Qui tamen priorem ſententiam ſequi mallet, facilè reſponderet conformitatem cum divina voluntate non excludere omnem triſtitiam. Nec Deum potiùs impediturum in parvulis jam damnatis triſtitiam, quæ naturaliter conſequitur notitiam amiſſæ in Adamo beatitudinis, quàm nunc impediat in iiſdem multa mala, quæ hîc naturaliter conſequuntur amiſſionem originalis juſtitiæ.

74. *Quis erit ſtatus parvulorum poſt diem judicii.*

Petes, quis ſit futurus ſtatus parvulorum poſt diem judicii? Reſp. veroſimiliùs eos manſuros in inferno ſeu limbo: cùm conſtet ex fide eos, utì ceteros damnatos, poſt mortem mox in infernum deſcendere; ex nullo autem ſolido fundamento conſtet eos aliquando inde liberandos potiùs quàm ceteros damnatos. Neque etiam Scriptura ſacra ullum nobis ſolidum præbet fundamentum, quòd per judicium generale à ſuo carcere liberentur. Omnino equidem dicendum eſt, quòd etſi voluntas eorum ſemper ſit futura habitualiter averſa à Deo, tamen ſit futura actualiter recta, ſic ut numquam ſint peccaturi, ſicut nec in hac vita propriâ voluntate peccarunt. Unde ſequens articulus eſt à tribus Pontificibus damnatus: *Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus diſcedens ſine regenerationis ſacramento, quando uſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.* Carebunt conſequenter etiam verme conſcientiæ: quia hic oritur ex actualibus peccatis. Erunt autem ſive in perpetua & continuâ triſtitia, ſive in interpolata per aliquod gaudium modicum, ſive in perpetua animi æqualitate ab omni tam gaudio quàm triſtitiâ vacui, ſive etiam ita fruentur quibuſdam levibus recreationibus, ut tamen triſtitiâ ſemper careant, prout diverſi diverſimodè conjecturant. De cetero incertum eſt, quid per totam æternitatem ſint acturi. Et quàmvis Nonnulli ingentem ſcientiam illis promittant; non videtur tamen unde eam hauſuri ſint in iſto carcere conſtituti.

Hæc ſine præjudicio aliter & fortè meliùs ſapientium dicta ſint. Non enim deſunt Scriptores non infimi, etiam recentiores, qui de iſtis infantibus longè benigniùs ſentiant: inter quos *Smiſing Tract.* 3. *De Deo Uno diſput.* 6. *num.* 399. *& ſeq. Suarez* 3. *p. Tom.* 2. *d.* 50. *ſect.* 5. *Leſſius lib.*13. *de divin. perfect. cap.* 22. qui varia dicit, quæ ſi vera ſint, maximam adferunt conſolationem. Putat enim illos accepturos ſententiam Judicis, ſed benignam, & bonis ordinis naturalis excellenti modo perficiendos, ſcilicet tam in corpore, quàm in anima: adeòque habituros inſignem notitiam etiam rerum ſpiritualium, ipſiuſque Dei, eoſque in perpetuum laudaturos & amaturos Deum. Etſi autem dubitet quo in loco ſint futuri: putat tamen hunc futurum lucidum, amœnum & ampliſſimum pro tanto numero, qui eſt futurus longè major, quàm ſit omnium hominum qui modò toto orbe ſimul extant, & quem facilè ad mille millionum & ultrà aſcenſurum dicit eſſe credibile. Alii autem determinant eis locum in aliqua parte terræ innovatæ. Unde concludit *Leſſius* credibile eſſe, eorum ſtatum longè feliciorem ac lætiorem fore, quàm ſit alicujus hominis mortalis in hac vita. Immo addit *Catharinus* & quidam alii eos fruituros beatitudine naturali. Quod tamen plures graviter cenſurant, — 75. *Benigniùs quàm fundatiùs de iis Nonnulli cenſent.*

ſurant tamquam Pelagianum. Sed excuſari poſſet, ſi verum ſit, quod cenſet *Smiſing ſup. num.* 290. *Pelagium* in hoc erraſſe, quòd parvulis juxta ipſum innocentibus attribuerit veram beatitudinem ſupernaturalem, tamen extra regnum cælorum, per quod intellexerit quemdam ſpecialem cœtum electorum, qui baptiſmum ſunt conſecuti, qui cœtus tum ex parte ſpecialis loci, tum ex parte forſan aliorum privilegiorum & circumſtantiarum baptizatis peculiarem honorem, gaudiumque accidentale adferat. Nihilominus idem *Smiſing num.* 401. ex *Scoto* cenſet eos non fore ſimpliciter & perfectè beatos etiam naturali beatitudine propter labem peccati remanentem, ob quam manent averſi à Deo ultimo fine; quæ averſio non ſtat cum naturali beatitudine. Sed hæc omnia valde incerta ſunt, & ferè ex conjecturis tantùm dicuntur.

Unde cùm omnes parvulos non baptizatos maneat graviſſimum malum æternæ ſeparationis à Deo & inimicitiæ; cùmque ſentētia adſcribens eis etiam pœnam ignis, comparativè quidem levem, verè tamen gravem, ſit probabilis; patet, quantâ diligentiâ baptiſmus ſit parvulis procurandus, præſertim in mortis diſcrimine conſtitutis: quia ex dilatione ſummum eis damnum poteſt obvenire: neque etiam opinionum faventium probabilitas efficere poterit, ut ſi rigidiores à parte rei veræ ſint, parvuli in æternùm non crucientur. Ad hoc tamen illæ conducere poterunt, ut ipſarum veroſimilitudine mitigentur animi parentum triſtitiâ ſauciati ob præmaturam prolium mortem, quæ abſque illorum culpa acciderit. Et hæc dicta ſint de hac quæſtione, immo totâ Diſputatione difficili. 76. *Corollarium notabile.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Peccato Mortali & Veniali.

QUÆSTIO I.

An dentur aliqua peccata mortalia, aliqua venialia, & quod ſit inter illa diſcrimen?

1. *Peccatum dici poteſt veniale ab eventu,* NOTA peccatum tripliciter poſſe dici veniale. Primò ab eventu, cujus videlicet de facto veniam conſequimur. Quo ſenſu *Ambroſius lib. de Paradiſo c.*14. dicit: *Veniabilis culpa, quam ſequitur profeſſio delictorum.* Eodem ſenſu omnia peccata prædeſtinatorum poſſent dici venialia, & generatim illa, etſi alioquin verè mortalia, de quibus pœnitet viator ſufficienter ad veniam conſequendam. *Ex cauſa,* Secundò ex cauſa, quòd aliquo modo ſecundùm æſtimationem, ſaltem humanam, veniâ dignum eſt, eò quòd ſcilicet proceſſerit ex cauſa diminuente gravitatem peccati, v.g. quod ignorantiâ vel alterius dolo, paſſione ſeu gravi animi perturbatione eſt commiſſum, quantumvis verè ſit mortale. Quo modo plerumque explicatur illud 1. *ad Timoth.* 1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* *Denique & propriè, ſecundùm ſe.* Tertiò propriè & vulgò ac ad ſenſum præſentis materiæ ſumitur pro eo quod eſt veniale ſecundùm ſe, quia videlicet quantùm eſt ex ſe veniam non excludit, ſed pro quo facilè impetratur, eò quòd nec amicitiam diſſolvat, nec mortem animæ adferat, nec dignum ſit ex ſe pœnâ æternâ. Idque ſive quia ex objecto & genere ſuo eſt levis offenſa, ſive quia eſt talis ex levitate materiæ, ſive denique ex imperfectione actûs ſeu imperfectâ deliberatione. Et diſtinguitur contra mortale, quod amicitiam ſolvit, & pœnam æternam meretur. Hoc notato

2. *Referuntur errores circa 1. partem quæſtionis.* Circa primam partem præſentis quæſtionis ſunt varii errores. Nam *Joannes Wiclef* docuit omnia peccata eſſe mortis æternæ inductiva, de facto tamen in ſolis reprobis illam inducere, adeòque omnia peccata præſcitorum eſſe mortalia, omnia autem prædeſtinatorum venialia. Similiter *Calvinus l.*2. *Inſtit. c.*8. *§.*59. dicit, *Sanctorum delicta venialia eſſe, non ex ſuapte natura, ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur.* Et *l.*3. *c.*4. *§.*28. ait, *Fidelium peccata venialia eſſe: non quia non mortem mereantur, ſed quia Dei miſericordiâ non imputantur, quia veniâ delentur.* Similiter *Lutherus* docuit omne peccatum naturâ ſuâ eſſe mortale, fieri autem veniale credentibus.

3. *Dantur peccata mortalia, etſi à prædeſtinatis, fidelibus vel ſanctis committantur.* Et primò quidem dari nonnulla ſic mortalia, ut non fiant venialia, eò quòd à prædeſtinatis Fidelibus vel Sanctis committantur, patet ex Apoſtolo *ad Galat.*5. ubì enumeratis variis peccatis mortalibus generaliter concludit: *Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur*; ergo ſunt mortalia à quocumque fiunt, fiunt autem non ſolùm à reprobis & infidelibus, ſed ſæpè etiã à prædeſtinatis & fidelibus. Idem colligitur manifeſtè ex 1. *ad Cor.* 6. *ad Epheſ.* 5. 1. *Joan.*3. & aliis locis. Confirmatur: quia Adam erat prædeſtinatus, & tamen indubiè peccavit mortaliter prævaricando mandatum Dei; adeò ut *Greg. l.*5. *Epiſt.*14. dicat: *Hoc quiſquis negat, Catholicus non eſt.* Bonus latro quoque erat prædeſtinatus, & tamen ob ſcelera meritò

meritò crucifixus. Similiter S. Petrus, qui (ut ait *Aug. Tract. 66. in Joannem) mortuus eſt negando, & revixit plorando.* Idem eſt de Davide, qui erat fidelis & prædeſtinatus, & tamen graviſſimè peccavit adulterando & occidendo innocentem. Ludicrum autem eſt dicere, Davidem, (idem eſt de ceteris) non niſi venialiter peccaſſe tam enormia patrando: alium autem, quia reprobus vel infidelis eſt, peccare mortaliter verbo otioſo, curioſo aſpectu &c.

4. *Fundamenta Hæreticorum evertuntur.*

Fundamentum Wiclef eſt omnino frivolum. Nam quod ex Apoſtolo *ad Rom.* 8. allegat, *Nihil damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, intelligitur de actualiter juſtis, quàm diu tales manent; non autem, ſi & quando à Chriſto Jeſu peccando excidunt. Quod alternativè locum habere poteſt tam in prædeſtinatis, quàm in reprobis. Similiter cooperantur omnia juſtis prædeſtinatis in bonum, etiam peccata, ſcilicet finaliter, quatenus juxta *Aug. l. de corrept. & grat. c.* 9. ex peccato evadunt humiliores & doctiores. Tamen ſi peccata gravia ſint, etiam in ipſis deſtruunt amicitiam Dei, adeòque mortem animæ præſentem adferunt, etiam allatura mortem æternam ſeu ſecundam, ſi (quod in prædeſtinatis non fiet) ita morerentur.

Fundamentum etiam commune recentiorum Hæreticorum confidentium in fide ſua ſpeciali, ob quam Deus peccata confidentibus in ſe non imputet, eſt merum figmentum in materia de Juſtificatione refutari ſolitum; quod laxat habenas peccatis, dum tali fundamento innixus liberè patrabit gravia peccata, confidens ſibi non imputanda eſſe. Immo nec de ipſo infidelitatis peccato debebit eſſe ſolicitus; ſiquidem ſemel per talem fidem juſtificatus nequit ſecundùm ipſos excidere à juſtitia, adeòque nec mortaliter peccare.

5. *Omnia peccata eſſe ex naturâ ſuâ mortalia, ſed ex benignitate Dei venialia, etiam quidam Catholici ſenſerunt,*

Quòd verò non dentur peccata ſecundùm ſe venialia, adeòque omnia ſint ſuapte naturâ mortalia, præter Hæreticos relatos docuiſſe referuntur quidam Doctores Catholici, ſcilicet *Gerſon p.*3. *de vita ſpirituali Lect.* 1. *Corroll.* 1. *Almainus* 3. *moral. c.*20. *Joannes Roffenſis in Refutatione* 32. *articuli Lutheri*; qui cenſent omne peccatum ex natura ſua eſſe mortale, ſeu in actu primo dignum morte æternâ, de facto tamen aliqua peccata, ſive ob levitatem materiæ, ſive ob imperfectam deliberationem, eam non mereri, ex benigna & generali diſpoſitione Dei nolentis ut reatum pœnæ æternæ inducant, à quocumque committantur; adeòque remittentis quaſi jus ſuum, juxta quod ſi rigidiùs & ſtrictiùs nobiſcum voluiſſet agere, potuiſſet etiam ob illa hominem à ſua amicitia & cælorum regno excludere.

In quo hi differant ab Hæreticis.

Quare differunt hi Doctores ab Hæreticis in eo, quòd dicant Deum ita generaliter diſpoſuiſſe ſine reſpectu ad certa genera perſonarum, ut revera plura peccata, à quocumque committantur, non ſint de facto mortis æternæ inductiva.

Contra quos ſtat indubitatus omnium Theologorum conſenſus. Qui 6.

Contra omnes aſſeritur & probatur dari peccata ex naturâ ſuâ venialia.

Probatur I. Quia tres Pontifices reprobarunt hunc articulum: *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Secundò, quia Scriptura & Patres docent dari quædam levia peccata, quæ non diſſolvunt amicitiam Dei; nec tamen id referunt in miſericordiam Dei ſtatuentis punire infra meritum, ſed potiùs exiſtimant oriri ex ipſa natura actionum & modo quo fiunt. Sic *Luca* 6. aliqua peccata comparantur trabi, alia feſtucæ. *Matth.* 23. alia culici, alia camelo. *Luca* 12. comparantur aliqua noviſſimo minuto. Quibus metaphoris ſatis indicatur, quòd ſicut ex natura ſua feſtuca eſt minor trabe, culex camelo, & minutum naturâ ſuâ eſt minimum in ratione debiti, ita quædam peccata naturâ ſuâ ſunt minora aliis, immo aliqua etiam minima. Et 1. *ad Cor.* 3. aliqua comparantur ligno, fœno, ſtipulis, quæ ex natura ſua facilè abſumuntur; ſed de gravioribus ſubjungitur: *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Similiter Patres non ſemper aſſignant diſtinctionem mortalis à veniali ex divina revelatione (quæ in paucis habetur) ſed ex variis circumſtantiis & conditione materiæ: quod etiam habet praxis totius Eccleſiæ. Id autem fieri non poſſet, ſi ex ſola Dei voluntate aliquod peccatum eſſet veniale.

Tertiò, quia etiam in omni ſocietate humana ſunt quædam offenſæ ex natura ſua leves, quæ non ſolvunt amicitiam mutuam, etſi ſuo modo diſpliceant amico: quid ni ergo reſpectu Dei? cùm non minùs intelligatur, quomodo ob parvitatem materiæ aut imperfectionem libertatis poſſit contingere, talem aliquam offenſam eſſe reſpectu Dei, quàm talem inveniri inter homines, ob quam nemo prudens humanam amicitiam diſſolvat. Confirmatur: quia videtur notum lumine naturæ verbum otioſum, furtum unius oboli, inflictionem levis talitri &c. non eſſe graves Dei offenſas, uti non graviter adverſantur rectæ rationi. Neque in hoc ullus recurrit ad voluntatem Dei, qui non ponderet illas quantùm bene merentur; ſed quilibet exiſtimet eas eſſe leves ex natura ſua.

7. *Quo ſenſu admitti poſſet pendere à Dei miſericordia quòd quædã peccata*

Adverte tamen jam dicta intelligi de voluntate ſeu miſericordia Dei velut conſequente peccati venialis malitiam, quòd videlicet ſuppoſito præcepto aut prohibitione juxta capacitatem materiæ, non pendeat à voluntate Dei deſtinantis actionem ad pœnam æternam vel temporalem tantùm

non ſint mortalia.

tùm, aut aliâ ſimili. Nihilominus dum materia eſt ſufficiens ad gravem obligationem, pendet à voluntate præceptiva legiſlatoris, utrùm velit ad illam graviter an leviter obligare; cùm etiam rem gravem poſſit leviter præcipere vel prohibere. Quando tamen aliundè non conſtat de contrario, cenſetur Deus velle obligare juxta capacitatem materiæ. Immo quamquam materia ſecundùm ſe eſſet levis, Deus tamen abſolutâ ſuâ poteſtate & illimitatâ juriſdictione poſſet juxta varios & *Poncium diſp.* 22. *n.*63. (qui hoc modo interpretatur & ſequitur ſententiam *Gerſonis*) eam præcipere vel prohibere ſub gravi obligatione; adeòque ad miſericordiam ejus pertinet, quòd ſic non fecerit. Et quidem meritò ſic non fecit; cùm id ſaltem non ſit conſentaneum noſtræ fragilitati, ſuavique Dei providentiæ: ideoque regulariter non cenſeatur graviorem impoſuiſſe obligationem, quàm poſtulet rerum conditio. Et quàmvis excipiendum videatur præceptum datum primis parentibus; dici tamen poteſt materiam illius circumſtantionatam verè fuiſſe gravem: quia nimirum abſtinentia à fructu certi ligni exigebatur velut homagium & tributum in ſignum debitæ Deo ſubjectionis, & ſupremi illius dominii.

8. Dices I. cum *Calvino*: Scriptura peccato generatim adſcribit mortem, inimicitiam Dei &c. *ad Rom.* 6. *Stipendium peccati mors.* 1. *Joan.* 3. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Et alibi. Denique *Matth.* 5. dicit Chriſtus: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*; id eſt, viliſſimus & quaſi nullus in reſurrectione erit, adeòque excludetur à regno cælorum. Reſp. in his Scripturis agi de ſolo peccato mortali, quod nempe perfectam peccati rationem obtinet. Per mandata etiam minima intelliguntur obligantia quidem ſub mortali, ſed minima in reputatione Phariſæorum, v. g. quibus prohibetur interna voluntas concupiſcendi vel occidendi, odium inimicorum &c. (de quibus poſtea Chriſtus loquitur) ideoque mox ſubditur: *Dico enim vobis: niſi abundaverit juſtitia veſtra plùs quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Scriptura ſoli peccato mortali adſcribit mortem & excluſionem à cælo.

In aliis namque Scripturis manifeſtè deſignatur ſolvi poſſe legem aliquam peccato non excludente à regno cælorum; & peccatum leve contra grave diſtinguitur; ut patet ex præmiſſis, & prætereà ex eo quòd Scriptura ſępè doceat eſſe in præſenti vitâ homines iuſtos & mundos, ac incedentes in omnibus juſtificationibus Domini; ut de Noë *Gen.* 6. De Job *c.* 1. *&* 2. De Zacharia & Eliſabeth *Luca* 1. Et apertè Supponitur 1. *Joan.* 2. *&* 3. Et *ad Tit.* 1. requirit Apoſtolus, ut Epiſcopus ſit *ſine crimine*, id eſt peccato mortali. Quòd autem non ſine omni peccato ſint homines in hac vita, apertè docet alibi Scriptura, 1. *Joan.* 1. *Eccle.* 7. & alibi; utique ob quotidiana & levia peccata, in quæ iugiter labuntur etiam ii, qui ſine crimine ſeu gravi peccato vivunt. Supponit itaque Scriptura præter mortalia dari quædam venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur.

Dices II. *Joan.* 13. Petro, etſi ſola venialia habenti, dictum eſt à Chriſto: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; ergo venialia ſunt etiam ex ſe digna, quæ hominem à Chriſto in perpetuùm ſeparent. Reſp. Neg. Conſ. quia Chriſtus nolebat Petrum admittere ad communionem Euchariſtiæ, niſi permitteret ſibi lavari pedes; vel (ut cum *D. Baſilio* explicant plures) minabatur eum excludere etiam à regno cælorum, non propter ſordes venialium peccatorum, ſed propter culpam inobedientiæ, quam incurreret, ſi pertinaciùs obſtitiſſet.

Dices III. Eccleſia orat pro animabus 9.
fidelium defunctorum cum ſolis venialibus, *ne abſorbeat eas tartarus*; ergo ſentit eas poſſe obligari ad pœnas perpetuas tartari, ſi ſecundùm rigorem juſtitiæ cum ipſis ageretur. Reſp. Neg. Con. quia Eccleſia conſiderat animas velut ex corpore migrantes, & quæ necdum ſententiam ſuæ manſionis, aut loci, ad quem ire debent, acceperunt: ſicque precatur, ne deducantur ad loca inferiora pœnarum (quæ generaliter nomine tartari intelliguntur) ſed abſque eo, quòd in tenebroſis & pœnalibus purgatorii locis diuturniorem patiantur remoram, repræſentet eas ſignifer S. Michael in lucem ſanctam. Eaſdem quoque preces in Anniverſariis ſub ſimili conſideratione repetit: ſicut tempore adventûs preces fundit, quaſi Chriſtus tunc in carne venturus expectetur. Nullo autem modo orat ut poſtquam jam defuncti ſunt, non mittantur in infernum damnatorum: quia eſſent preces inutiles, immo perverſæ, ſi intenderet ſuccurrere aliquibus in infernum alioquin mittendis, ſive extra ſtatum gratiæ mortuis.

Quo ſenſu in Offertorio Miſſæ defunctorũ oret Eccleſia pro liberatione animarum à pœnis inferni & tartaro.

Dices IV. Pœna æterna non adæquat 10.
malitiam culpæ etiam venialis; ideoque eſſet præeligenda etiam minimo veniali peccato: ergo quodlibet peccatum eſt ex ſe dignum pœnis perpetuis. Reſp. pariter inferri poſſe, quodlibet eſſe dignum pœnis perpetuis quantumvis intenſis, immo omni poſſibili pœnarum cumulo, qui potiùs deberet eligi, quàm minimum peccatum. Dico itaque minimum peccatum eſſe majus in ratione mali, non tamen in ratione demeriti: nam in ratione mali nulla pœna eſt comparabilis cum culpa, quæ eſt malum diverſi ordinis nullo modo eligibile, ſed infinitè magis fu-

Peccatum veniale ſuperat omnẽ pœnam in ratione mali, non in ratione demeriti.

gis fugiendum quàm alia mala. Non meretur tamen minimum peccatum pœnas quantumcumque magnas & diuturnas, ſed ex communi ſenſu parvæ culpæ in ratione demeriti reſpondet parva pœna, magnæ magna.

Dices V. Omne peccatum quantumvis leve eſt offenſa Dei; adeòque ex parte perſonæ offenſæ trahit quamdam infinitatem, & quantùm eſt de ſe meretur pœnam æternam. Reſp. Neg. Seq. nam ſicut perſona gravis poteſt offendi non graviter, ſic perſona infinita poteſt finitè, immo leviter offendi: ſicut è contrario perſona infinita finitè à nobis amatur & honoratur.

11. Dices VI. Quòd peccatum veniale remittatur, eſt miſericordiæ: ergo ex rigore juſtitiæ in æternùm puniretur, niſi miſericordia intercederet. Reſp. remiſſionem venialis eſſe miſericordiæ, ſed ſuo modo debitæ, cùm eam juſtus mereatur de condigno. Et quàmvis ita non mereretur, ipſa tamen amicitiæ (quæ non tollitur) conditio poſtulat Dei miſericordiam, ut veniã petenti tribuat, ſicut leges amicitiæ inter vaſallum & principem requirunt ut leves offenſas vaſallo ſe humilianti remittat. Denique etſi mera Dei miſericordia intercederet, equidem non ſequeretur peccatum non eſſe ex natura ſua veniale; cùm ut judicemus quanta peccato pœna debeatur, non oporteat illud conſiderare ſupponendo quòd numquam remittatur, ſed quantus ſit in ipſo reatus pœnæ ſecundùm ſe: ſic autem in veniali ſolùm invenietur reatus pœnæ temporalis. Ut clariùs pateret, ſi dimiſsâ huic culpâ mortali, alteri culpâ veniali, Deus exigeret pœnam utrique adæquatè debitam: indubiè enim illa foret perpetua, hæc tantùm temporalis. Quomodo autem veniale peccatum mereatur in æternùm puniri, quando poſt hanc vitam reperitur conjunctum cum mortali, viderint illi qui ita docent: nos enim *Diſp. ſeq.* defendemus oppoſitum.

Remiſſio culpæ venialis eſt miſericordiæ ſuo modo debita.

Atque eſto mera miſericordia, nil inde conſici poſſet contra doctrinam hic traditam.

12. Quod ad ſecundam quæſtionis partem attinet, verum & indubitatum diſcrimen inter mortale & veniale ſatis conſtat in eo conſiſtere, quòd illud ſit deliberata tranſgreſſio gravis præcepti, adeòque gravis Dei offenſa, deſtruens amicitiam Dei, & conſtituens hominem reum æternæ damnationis: veniale autem ſit tranſgreſſio quidem, ſed præcepti levis, aut certè non perfectè deliberata præcepti gravis, ideòque tantùm levis offenſa, & compatibilis cum divina gratia. Et huc revocari debent reliqua diſcrimina aſſignata à præcipuis Scholaſticis: inter quos non poterat de re ipsâ eſſe controverſia.

Verum diſcrimen inter mortale & veniale.

In primis huc revocatur diſcrimen aſſignatum à *D. Thoma. D. Bonaventurâ, Scoto* & aliis communiter; quòd peccans mortaliter ſtatuat in creatura ultimum finem, ſcilicet interpretativè, quatenus amori creaturæ amicitiam Dei poſtponendo deſtruit ordinem ad ultimum finem. Secùs eſt de peccante venialiter. In idem redit, quòd *D. Thomas* dicat peccatum mortale eſſe deordinationem circa finem, veniale circa media. Alioquin in obvio ſenſu (quo *D. Thomam* intellexit *Caietanus*) poteſt peccatum veniale dari etiam circa finem ex imperfecta deliberatione; & è contrà circa creaturas ſive media ſæpiſſimè committitur peccatum mortale, ut patet in luxuria, injuſtitia &c.

Eodem modo intelligendus eſt *Durandus*, dum peccatum mortale dicit eſſe offenſam Dei, ſcilicet deſtruentem amicitiam; non autem veniale. Quàmvis indubiè etiam veniale ſit quædam Dei offenſa, & aliquo modo puritati amicitiæ adverſetur. Unde dicitur *Jacobi 3. In multis offendimus omnes.* quod etiam de venialibus dictum eſt.

Huc præterea revocatur, quod *Alenſis, D. Thomas, D. Bonaventura*, & alii dixerunt, peccatum mortale eſſe contra legem, veniale præter legem: nam etſi veniale verè etiam repugnet alicui legi; mortale tamen eſt contra legem antonomaſticè ſumptam, ſcilicet graviter obligantem, & cujus obſervantia eſt ad finem neceſſaria. De qua intelligitur illud Chriſti *Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Simili ſenſu juſtus venialibus peccatis obnoxius veraciter dicit ſe diligere Deũ & proximum; cùm tamen Scriptura dicat *1. Joan. 2. Qui dicit ſe noſſe Deum,* notitiâ ſcilicet affectivâ, quæ affectũ veræ dilectionis comprehendit, *& mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Et ad Rom. 13. Qui diligit proximum, legem implevit.* Quæ intelliguntur de lege ſeu mandato concernente rem ad finem præcepti neceſſariam. Alioquin dubium non eſt, quin lex divina prohibens grave furtum etiam prohibeat leve, quin eadem prohibeat omnem concupiſcentiam etiam venialem, omne mendacium &c. Immo aliàs verè non eſſet peccatum. 13.

Quo ſenſu veniale ſit præter legem.

Denique huc revocatur quod *Scotus 2. d. 21. q. 1. n. 3.* & alii dixerunt, mortale eſſe contra præceptum, veniale contra conſilium: non quòd hoc nullatenus ſit contra aliquod præceptum (ut præter *Scotiſtas* rectè notavit *Lorca*) cùm *Scotus* ubique definiat peccatum ut ſic per oppoſitionem ad legem ſeu præceptum: ſed quòd ſolum mortale ſit contra præceptum, cujus obſervantia eſt ad conſecutionem finis ultimi neceſſaria; cùm è contrà obſervantia præcepti leviter obligantis ſit ad hoc quidem utilis & conſulta, non tamen neceſſaria. Alioquin dici non poſſe aliquid ideo eſſe peccatum quòd ſit contra conſilium præciſè, manifeſtum eſt: cùm conſilium ſit de re planè libera. Unde Apoſtolus *1. ad Corinth. 7.*

Et contra conſilium.

rinth. 7. dans conſilium cælibatûs, addit: *Si nupſerit Virgo, non peccavit.*

14. *Veniale eſt cum mortali univocè peccatum;*

Hinc colligitur peccatum veniale eſſe univocè peccatum cum mortali: cùm utrumque certò ſit propriè dictum peccatum & intrinſecè diſſentaneum legi. Quàmvis moraliter & theologicè loquendo diviſioni mixta ſit analogia: eò quòd in Scriptura, Conciliis & Doctoribus peccatum per ſe poſitum per quamdam antonomaſiam ſtare ſoleat pro mortali ob perfectam & completam illius defectionem, non ſolùm à lege, ſed etiam à fine legis; non autem pro veniali, niſi rarò, & quando ex adjunctis id poteſt colligi: idque quia veniale non niſi imperfectam defectionem habet. Sic ſumitur *Proverb.* 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Et 1. *Ioan.* 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.*

Quod tamen antonomaſticè ſtat pro mortali.

15. *Difficile eſt exactè diſcernere inter mortale & veniale,*

Pro fine adverte, difficile eſſe exactè in quavis materia dignoſcere, quæ ſint peccata venialia, quæ mortalia. Ut propterea *Auguſtinus Enchirid. cap.* 78. dicat, *iſta non humano, ſed divino penſanda judicio.* Et 21. *de Civit. cap. ult.* ſcribat: *Ego uſque ad hoc tempus, cùm inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata vitanda pigreſcat.* Qui tamen *Serm.* 41. de Sanctis multa recenſet in quibus anima non occiditur, alia item in quibus occiditur. Ad formandum proinde de his dictamen attendendum eſt primò ad Scripturam, in qua ſi peccata referantur velut execranda, abominanda, à Regno Dei excludentia, digna morte, aut ſi committentibus dicatur *Væ*; ſignum eſt eſſe mortalia. Secundò ad Patrum & Scholaſticorum unanimem conſenſum, & ad concors judicium timoratorũ ac Doctorum virorum; qui ſi cenſeant eſſe mortalia, pro talibus ſunt habenda. Tertiò ad judicium naturale recurrendum, conſiderando, an illud dictet actum vel omiſſionem graviter adverſari rationi, & ſignanter Charitati Dei vel proximi. Ad quod ulteriùs attendenda eſt quantitas materiæ, genus peccati, gravitas præcepti, ſeu modus præcipiendi, & qualitas conſenſûs ſeu deliberationis. De quibus partim infrà, partim in materia ſingularum Virtutum & oppoſitorum Vitiorum.

Tria ad diſcernendum indicia.

QUÆSTIO II.

An Malitia peccati mortalis ſit infinita?

16. *Mortalis malitia non eſt ſimpliciter infinita.*

Reſp. non eſſe infinitam ſimpliciter & abſolutè. Ita *Scotiſtæ* & alii communiùs. Et patet in primis ſupponendo, quòd unum infinitum non poſſit eſſe altero majus: nam alioquin omnia peccata mortalia eſſent æqualia; immo unum contineret malitiam omnium, & ſingula tantum haberent malitiæ, quantum omnia ſimul. Deinde probatur reſponſio abſolutè: quia etſi Deus, qui per peccatum mortale contemnitur ſit infinitus, concurrit tamen ſolùm per modum objecti extrinſeci, quod non attingitur adæquatè, adeòque nec adæquatè influit in actum, nec tribuit ei infinitatem: ſed potiùs ſemper magìs ac magis contemni & odio haberi, utì perfectiùs & perfectiùs amari poteſt. Confirmatur manifeſtè exemplo peccati venialis, quod habet malitiam finitam, etſi ſit perſonæ infinitæ offenſa. Præterea quòd infinitas objecti non debeat tribuere infinitatem actui, patet in amore quo creatura Deum amat.

Nec urgeri poteſt exemplum operum meritoriorum Chriſti, quæ traxerunt valorem ſimpliciter infinitum ab infinitate perſonæ operantis: nam hoc ſuppoſito (de quo *in Tract. de Incarnat.*) id eſſet, quòd dignitas perſonæ operantis infinita & velut ſubſtantialis communicet ſe totam ſeu quaſi formaliter operibus ejuſdem perſonæ. Non ſic autem ſe communicat objectum ipſi operi; ut manifeſtum eſt in peccato veniali. Deinde ſi inſiſtendum ſit ſimilitudini deſumptæ ex meritis infinitis Chriſti, pariter ſequeretur, quòd ſicut ſingula Chriſti opera idcirco tantum meruerunt quantum omnia ſimul, & ſingula quoque infinitum præmium; ſic peccatũ mortale levius demereretur tantum, quantum gravius, immo quantum omnia ſimul, & ſingula demererentur pœnam ſimpliciter infinitam, immo omnem poſſibilem.

Nihilominus fatendum eſt malitiam peccati mortalis eſſe abſolutè valde gravem, non tantùm quia graviter adverſatur rectę rationi, ſed potiſſimùm quia ſimul graviter adverſatur legi Dei, adeòque per illud graviter offenditur Deus infinitè bonus & infinitè dignus amore; idque cum quadã illius vilipenſione, quatenus mortaliter peccans graviter violat auctoritatem Dei præſentis & inſpectantis, ejuſque amicitiam poſtponit vili creaturæ. Ideoque frequenter in Scriptura dicuntur peccatores Deum contemnere, abjicere, derelinquere. In quibuſdam autem peccatis mortalibus invenitur contemptus formalis ac magìs expreſſus: ſicut enim ſi quis non ſolùm principe vidente peccaret, ſed ei etiam palam convitiaretur, formaliter eum contemneret; ſic quoque contemnit Deum, qui ipſum odit, blaſphemat, vel qui pejerat. Vide *Leſſium lib.* 13. *de divin. perfect. cap.* 26. *num.* 183. *& ſeqq.* Cùm itaque per peccatum mortale vilipendatur majeſtas Dei infinita, indubiè continet 17.

Eſt tamen abſolutè valdè gravis.

tinet graviſſimam malitiam: nam quò major eſt majeſtas quæ contemnitur, eò offenſa eſt gravior. Confirmatur: quia major eſt injuria contemnere nobilem quàm plebeium, principem quàm nobilem: quanta igitur malitia eſt contemnere Deum, cui debetur reverentia infinita? maximè quia is qui offendit ſeu contemnit eſt creatura adeò vilis, tot nominibus obſtricta Deo, cui infinitum, ſi poſſet, amorem exhibere deberet.

Et ſecundùm quid infinita.

Et hinc malitia peccati mortalis poteſt dici infinita extrinſecè & ſecundùm quid: quia videlicet eſt tam gravis offenſa & quaſi vilipenſio Dei infiniti, & quia privat Deo hìc ſecundùm gratiam & amicitiam, poſtea ſecundùm gloriam, ac denique quia meretur pœnam infinitam extenſivè, ſive ſecundùm durationem. Quod addo: nam intenſivè infinitam nō meretur juxta DD. communiter; eò quòd non habeat malitiam ſimpliciter infinitam, condignitas autem ad pœnam correſpondet quantitati malitiæ.

18.

Juſtè nihilominus pro momētaneo quaſi peccato mortali infligi æternā pœnam, certum eſt, etſi captu difficile.

Dices I. Si malitia peccati mortalis non ſit ſimpliciter infinita, ſequi videtur, quòd nequidem mereatur pœnam infinitam extenſivè ſeu æternam. Reſp. Neg. Seq. quia ſicut juxta prædicta habet peccatum mortale malitiam ſecundùm quid infinitam, ſic etiam meritò illi reſpondet pœna ſecundùm quid ſeu durationem infinita: quod etſi ſit ſupra noſtrum captum, eò quòd malitiam peccati, majeſtatem Dei, & motiva juſtitiæ vindicativæ ejuſdem non ſatìs penetremus, debet tamen eſſe perſuaſiſſimum cuilibet Chriſtiano; cùm conſtet talem pœnam de facto eſſe à Deo ordinatam, qui illam non ordinaſſet, niſi exigente peccati demerito: nam (ut *Sap.* 12. Sapiens Deo loquitur) *cùm ſis juſtus, juſtè omnia diſponis, ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute.*

19.

Quàmvis autem *omnino cùm Deus aliquid facit nullâ opus ſit ratione*, ut ait *Chryſoſtomus Homil.* 65. *in Joan. poſt med.* tamen varii Patres & Doctores conati ſunt inveſtigare & allegarunt varias rationes, quibus aliqualiter ſuadeatur quomodo æterna pœna ſit commenſurata mortali culpæ frequenter quaſi momentaneæ.

Æternitas pœna non ſatis juſtificatur per culpa permanentiam.

Et quidem nonnulli Doctores æternitatem pœnæ referunt non in quantitatem culpæ, ſed in permanentiam ſeu irremiſſibilitatem. Verùm ſi quantitas culpæ æternitatem pœnæ non mereretur, Deus utique illam non infligeret. Deinde alioquin ſi venialium peccatorum non daretur remiſſio, punirentur meritò in æternùm; atque ita illis nihil deeſſet ad rationem & naturam peccati mortalis, quàm quòd Deus ſtatuat venialia etiã poſt hanc vitam remittere. Tertiò reatus culpæ mortalis poſſet remitti, manente integro reatu pœnæ; quemadmodum ita remittitur reatus culpæ venialis animabus purgatorii: tunc autem maneret reatus pœnæ æternæ; ergo æternitas pœnæ non fundatur in permanentia culpæ. Denique habitualis permanentia nullam meretur pœnam, ſed tantùm actualis commiſſio vel omiſſio contra legem Dei: ergo etiamſi quis diutiùs perſeveret in peccato mortali, non propterea meretur majorem pœnam, niſi quando poteſt & debet culpam illam tollere. Quàmvis etiam damnati multa peccata actualia committant in inferno, non ideo tamen merentur novam aut diuturniorem pœnam, eò quòd ſint extra ſtatum viæ & meriti ſive demeriti.

Nec obſtat auctoritas *Scoti* 3. *d.* 19. *n.* 14. *ad* 3. ubì hanc rationem æternitatis pœnæ allegat: *quia ſubiectum ſemper manet ſub culpa*; *& hoc ex ordinatione divina* &c. Idem faciunt varii Patres. Nam non videtur mens illorum, quòd permanentia habitualis ſit radix & fundamentum demeriti, ac juſtæ punitionis quatenus æternæ, ſed quòd ſit conditio ſine qua non ordinationis Dei, qui non puniret æternaliter, ſi culpa tolleretur, adeòque æternitatem pœnæ annexuit permanentiæ ipſius culpæ.

Poncius d. 22. *n.* 48. & quidam alii cenſent pœnam æternam juſtè præfixam fuiſſe peccato mortali hac ratione, quòd è contrà bono operi ſit promiſſa præmii ſuperexcedentis æternitas, quod peccator tam leviter contemnit ac deſerit. Sed contrà facit, quòd ſic etiam peccato veniali poſſet annecti demeritum pœnæ æternæ, utì bono oppoſito eſt annexum æternum præmium. Deinde æternitas promiſſi præmii non ſic aggravat malitiam, quin ſine illo adhuc conſiſteret malitia propria peccati mortalis; adeòque nec ita aggravat demeritum in malitia fundatum: & conſequenter jus puniendi æternaliter deſũptum ex oppoſiti præmii æternitate ſpectaret potiùs ad jus Dei denominativum, quàm ad juſtitiam illius vindicativam. 20.

Nec per oppoſiti, ſi non peccetur, præmii æternitatem.

Alii conſiderant, quòd peccator mortaliter peccando voluntariè ſe in ſtatum talem projiciat, ut nec velit nec poſſit peccatum in æternùm deſerere. Item quòd privet ſe omni gratiâ acceptâ, & ſe reddat indignum omni accipiendâ. Inſuper quòd ita amet objectum, propter quod mortaliter peccat, ut propter illud Deum in perpetuùm deſerat, & quantùm eſt ex ſe vellet illud in æternùm committere. Sed hæc ſimiliter difficultate non carent. 21.

Melius itaque dicitur peccatum mereri pœnam *Sed per ipſius operis*

vel omiſſionis graviſſimam malitiam.

pœnam æternam, quatenus eſt injuria & contemptus, ſaltem virtualis infinitæ Dei majeſtatis: unde ſicut contrahit malitiam ſecundùm quid infinitam, ſic etiam meritò correſpondet illi pœna ſecundùm quid ſeu durationem infinita. Ad quod juvabit conſiderare, quòd (ut docet *S. Aug.* 21. *de Civit. cap.* 11.) in nullo judicio requiratur, ut pœna adæquetur culpæ ſecundùm durationem: nam delictum quaſi momentaneum diuturno ſæpè cruciatu, immo perpetuo carcere aut exilio, & tandem ipsâ morte punitur; in qua non tam conſideratur mora occiſionis, quàm quòd reus in perpetuùm auferatur à ſocietate viventium. Sic igitur acerbitas & duratio pœnæ non debet in judicio divino adæquari durationi actûs peccaminoſi, ſed gravitati & demerito: quàmvis illud non ſatis penetremus.

22. Dices I. Si malitia mortalis peccati eſſet finita, poſſet ad æqualitatem compenſari per opus puræ creaturæ: conſequens autem eſt contra Patres & Doctores: immo (ut ait *Leſſius ſup. n.* 188.) contra ſenſum omnium Chriſtianorum, quatenus ad hoc neceſſariam dicunt fuiſſe incarnationem perſonæ divinæ. Reſp. ſi Conſequens ſupponatur falſum, Neg. Seq. eò quòd malitia peccati, etſi finita, ſit tamen longè ſuperioris rationis, quàm vis merendi in actu bono: judicio enim morali longè ampliùs cenſetur Deus per grave peccatū inhonorari & contemni, quàm per opus bonum honorari. Si quidem gravitas offenſæ creſcit, tum ex gravitate perſonæ quæ offenditur, tum ex vilitate perſonæ quæ offendit: excellentia autem honorationis ſpectatur potiſſimùm ex conditione perſonæ honorantis, quæ tamen eſt vilis, Deoque ſubjecta ac obſtricta. Unde moraliter cenſetur Deus plùs inhonorari per peccatum mortale, quàm per quodvis opus bonum puræ creaturæ cenſeatur honorari. Ita *Præpoſitus q.* 88. *a.* 1. *dub.* 4.

An pura creatura potuiſſet de condigno ſatisfacere pro culpa mortali.

Reſp. II. Neg. Subſumpt. cujus falſitatem plùs æquo elevat *Leſſius*: nam præſuppoſito pacto ſecundùm *Scotiſtas* potuiſſet etiam pura creatura v. g. angelus, vel homo aliquis ab origine ſanctus, de condigno ſatisfacere pro peccato mortali alieno (quidquid ſit de proprio) ſicut pacto Dei præſuppoſito poteſt ſibi mereri augmentum gratiæ & gloriam, & Deo volente etiam aliis. Quamquam indubiè tam abundans & rigoroſa ſatisfactio, qualis eſt Dei hominis, nequiverit à pura creatura adhiberi; ideoque congruè neceſſarium fuerit perſonam divinam incarnari. Immo de ordinata lege id fuit ſimpliciter neceſſarium: eò quòd conſtet nullius puræ creaturæ opus de facto fuiſſe acceptatione ſeu pacto divino ad ejuſmodi ſatisfactionem elevatum. Nec aliud volunt Patres. Plures difficultates vide apud *Præpoſitum ſuprà.*

QUÆSTIO III.

An ad Peccandum mortaliter ſufficiat conſenſus conditionatus?

RESPONSIO affirmativa eſt indubitata, quando opus ſeu objectum, in quod voluntas conſentit, graviter adverſatur rectæ rationi, nec per appoſitam conditionem ab objecto malitia præſcinditur. Idque videtur per ſe manifeſtum. 23.

Conſenſus conditionatus in objectum graviter malum eſt grave peccatum, Niſi per conditionem præſcindatur omnis malitia ab objecto.

Quòd ſi verò per conditionem omnis malitia ab objecto præſcindatur, voluntas conditionata non eſt peccatum, niſi vitietur à pravo fine. Idque ſatis conſtat in materia juris poſitivi: ſed negatur à Variis in materia juris naturæ, in quantùm malitia non poteſt etiam per Deum ſeparari à materia jure naturæ vetita, prout exiſtimant plerique extra ſcholam *Scoti. Scotiſtæ* tamen reſtringunt ad jus naturæ ſtrictè dictum, prout ſunt præcepta negativa primæ tabulæ: nam in materia juris naturalis largè ſumpti conditio iſta ſecundùm *Scotiſtas* non eſt impoſſibilis; eò quòd Deus poſſit diſpenſando malitiam auferre. Verùm generaliter probatur quod diximus: quia objectum ut ſubſtans tali conditioni nullam habet malitiam; ergo nec voluntas, quæ circa illud ut ſic verſatur: voluntas enim efficax abſoluta vel conditionata deſumit malitiam ſuam ab objecto.

Quantumvis probito jure naturæ.

Nec obſtat, quòd malitia à quibusdam objectis ſit inſeparabilis etiam poſitâ quacumque conditione: quia etſi nulla conditio poſſit realiter auferre malitiam ab objecto, poteſt tamen intentionaliter ſeparari per intellectum; adeòque poteſt affectus in illud ferri, quatenus præciſum à malitia, & ut tale appetere, ſi eſſet: in quo objecto, licèt ficto, cùm nulla ſit malitia, non poterit inde voluntas interior malitiam concipere.

Dices I. Cap. fin. *de Condit. appoſitis*, conditio impoſſibilis habetur pro non adjecta. Reſp. hoc tantùm habere locum pro foro externo ex diſpoſitione juris in contractibus, præſertim in matrimonio, immo in illo ſolo, ut ex multis juribus probare conatur *Caſtro Palao Tract.* 2. *d.* 2. *punc.* 10. § 3. *n.* 5. 24.

Satisfit objectionibus.

Dices II. Qui complacet ſibi in mendacio ſi liceret, quantùm eſt de ſe optat ut ſit licitum: ſed hoc optare eſt illicitum ergo &c. Reſp. Neg. Maj. Nam talis poſſet abſolutè optare ut ſit illicitum, ſed addere: ſi tamen licitum foret (quod non opto) vellem illud committere. Reſpondent

dent II. Varii Neg. Min. ſi ſit ex bono fine, v. g. ſi quis deſideraret fornicationem non eſſe peccatum mortale, eò quòd frequenter ex fragilitate labendo in illam Deum graviter offendat. Alioquin ſine cauſâ id deſiderare videri poſſet illicitum: quamquam *Vaſquez diſp. 116. cap. 2.* & *Caſtro Palao ſup.* cenſeant non eſſe mortale, eò quòd ſit ſolùm deſiderium ineſficax ſeu ſimplex affectus ex bono fine ſeu motivo.

Dices III. Ergo hîc actus erit licitus: vellem deſtruere Deum, ſi licitè poſſem. Reſp. Neg. Seq. quia talis actus eſt odii Dei, adeòque eſt malus ex parte objecti motivi, quod eſt malè eſſe Deo. Si tamen poſſet talis actus elici ſine malo motivo, & conditio ſeriò apponeretur, non video cur eſſet graviter malus. v. g. ſi quis diceret: Si daretur malus Deus, non vellem ipſum amare. Sic etiam, ſi quis ex odio erga inimicum dicat, Occiderem illum, ſi liceret, graviter peccat, non quidem malitiâ homicidii, quæ per conditionem excluditur, ſed malitiâ odii.

25. *Varia Corollaria.* Hinc ſequitur I. non peccare illum, qui die jejunii, quia famet, vellet comedere, ſi non eſſet jejunium: quia nec objectum eſt malum, ſcilicet comedere tempore licito, nec etiam finis, qui eſt depellere famem. Similiter nec is, qui, cùm non poſſit commodè vivere, optaret furari, ſi eſſet licitum. Immo ejuſmodi voluntas potiùs videtur fuga peccati; cùm ideo talis non velit furari, quia peccatum eſt.

Sequitur II. peccare illum qui vellet occidere, niſi timeret pœnam hîc, aut in futuro: quia talis conditio non abſtergit malitiam ab objecto. Idem eſt de eo qui diceret: niſi conſiderarem meum ſtatum ſacerdotii, religionis &c. occiderem te, fornicarer &c. ſi non eſſes ſacerdos, percuterem te: ſi non eſſes conjugata, tecum fornicarer &c. quia per tales conditiones non abſtergitur omnis malitia ab objecto, ſed ſubinde aliqua, puta ſacrilegii vel adulterii. E contrà autem non peccat, qui niſi ſacerdos eſſet aut voto adſtrictus, vellet uxorem ducere, aut ſi uxor eſſet mortua vellet ducere aliam: idque ob oppoſitam rationem.

Sequitur III. peccare ſenem, qui diceret: vindicarem me, ſi eſſem adhuc juvenis; modò adſit voluntas conditionata vindictæ. Secùs eſt ſi ſenſus ſit enuntiativus: cùm eſſem juvenis, talis eram, ut hoc feciſſem: tunc enim non deſignatur præſens voluntas mali, ſed opinio illius habendæ in tali circumſtantia, quæ opinio frequenter eſt vera & bene fundata.

Sequitur IV. non eſſe malam voluntatem, ſi quis vellet non jejunare v. g. ſi non timeret Deum, ſcilicet filialiter, id eſt, ſi non timeret Deum offendere. Secùs eſt, ſi de timore ſervili intelligatur: nam tunc conditio non abſtergit malitiam. Excipe, quando ſimili modo loquendi non exprimeretur præſens voluntas conditionata, ſed tantùm judicium intellectûs. Nihilominus plerumque ſunt periculoſa ejuſmodi conditionata deſideria, præſertim in materia venerea, eò quòd facillimè ſubrepat peccaminoſa & non conditionata delectatio.

QUÆSTIO IV.

An peccatum mortale reperiri poſſit in ſimplici complacentia ſeu moroſa delectatione?

NOTA I. præter conſenſum abſolutum & efficacem voluntatis in opus malum, qui ſuppoſitâ ſufficienti deliberatione certiſſimè eſt peccatum proportionatè ad ipſum opus, & præter conſenſum conditionatum in ipſum opus (de quo *quæſt. præc.*) dari in voluntate ſimplicem aliquem motum abſque ulla cogitatione operis exequendi, qui ſimplex complacentia ſeu delectatio nominatur; quamvis ipſa delectatio potiùs videatur eſſe paſſio conſequens ipſam complacentiam inſtar cujuſdam ſpiritualis riſûs, ſeu gaudii voluntatis. Poteſt autem eſſe etiam in illo, qui poſitivè non vult operis executionem, ſed tantùm vult in eo per intellectum propoſito ſimpliciter complacere. Soletque hæc complacentia dici delectatio moroſa, non à mora temporis, ſed à perfecta deliberatione voluntatis, quæ ei deliberatè inhæret ſeu immoratur. Hæc autem deliberatio poteſt adeſſe breviſſimo tempore; & è contrà poteſt longo tempore non adeſſe, & tunc, etſi diu durans, delectatio non dicitur moroſa ad ſenſum præſentis loci. 26. *Datur in voluntate ſimplex complacentia.* *Cur vocetur delectatio moroſa.*

Nota II. delectationem poſſe concipi, tum de rei alicujus cognitione, tum de ipſa re cognita ſeu cogitata. conſtat autem per ſe non eſſe peccatum delectari de cognitione alicuius rei, etiam turpis aut venereæ: nam poteſt hæc cognitio eſſe honeſta & licita, immo neceſſaria, v. g. Doctoribus aut Confeſſariis: poteſt quoque eſſe ſubtilis, ingenioſa &c. quæ omnia poſſunt eſſe cauſa honeſtæ delectationis. Confirmatur: quia cognitio intellectiva, quæ eſt delectationis objectum, eſt magna hominis perfectio; de qua proinde delectari poſſumus, etſi nullo modo placeat pravum cognitionis objectum. Unde etiam ipſe Deus cognoſcit turpia, & de ſua notitia lætatur, etſi peccata ei ſummè diſpliceant. Per accidens tamen hæc delectatio poteſt eſſe peccatum ratione periculi 27. *Differentia inter delectationem de cognitione, & de ipſa re turpi cognitâ.*

culi conſenſûs in rem cogitatam; ideoque diſſuadendum omnino eſt verſari in cogitatione materiæ venereæ, niſi quatenus neceſſitas, pietas vel officium urget: quia alioquin facilis in illa eſt tranſitus à cogitatione ad rem cogitatam, & à delectatione de ſpeculatione ad delectationem de ipſa re ſumptam. Quòd ſi quis non afficiatur rebus turpibus, poteſt eò faciliùs ſibi perſuadere quòd ſolùm delectetur de notitia ſeu cognitione, & quòd cogitatio turpium procedat ex deſiderio ſciendi: ſi autem ſit habitualiter erga res venereas affectus, verendum eſt, ne delectatio ſumatur ex rebus ipſis. His notatis

28. *Moroſa delectatio eſt peccatum mortale,*

Reſp. & dico: Moroſa delectatio, etiam citra conſenſum in opus vel periculum ejuſdem, eſt peccatum mortale, quando opus cogitatum, ſeu quod per cognitionem præſens ſiſtitur, & de quo eatenus delectatio ſumitur, graviter adverſatur rationi. Ita *D. Thomas q. 74. a. 8. Scotus 2. d. 42. num. 13. Corduba* & alii Theologi communiter contra *Martinum de Magiſtris*, qui ſenſit moroſam delectationem de re venerea non eſſe mortalem: quàmvis addat relinquendum id eſſe ſtudioſis examinandum. Cujus ſententiam probabilem reputat ipſe *Corduba*: immo (ut apparet) etiam *D. Thomas ſuprà*, dum pro noſtra reſolvendo ait: *eſt communior & veroſimilior*, tacitè indicans alteram etiam eſſe veroſimilem. Eam tamen *Vaſquez* notat erroris, Plures temeritatis. Sed quidquid ſit de cenſura,

Probatur communis doctrina à *D. Thoma & Scoto* ex *Auguſtino 12. de Trinit. c. 12.* ubi ait: *Nec ſanè, cùm ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum reſpui debuerunt; negandum non eſt eſſe peccatum, ſed longè minùs, quàm ſi & opere ſtatuatur implendum.* Et quàmvis ſubdat: *Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſq́; percutiendum atque dicendum: Dimitte nobis debita noſtra;* Non vult tamen indicare tantùm eſſe veniale peccatum, eò quòd ſubjungat: *Totuſq́; damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* Non damnabitur autem totus homo, niſi ob mortale peccatum. Plura Patrum teſtimonia Varii congerunt, quæ tamen omnia aliis non videntur intentum probare.

Probatur II. ratione: quia complacentia & quies in objecto graviter malo ibi ſiſtendo, graviter adverſatur rationi; cùm mediante imaginatione voluntas per illam voluptatem cenſeatur ſibi unire opus malum, illudque facere moraliter præſens dum ita delectatur, ac ſi exteriùs præſens eſſet. Confirmatur: quia gaudere de opere malo aut in eodem complacere, malum eſt, ut quilibet etiam rudis interrogatus reſponderet: ergo ſi ſit graviter malum opus, erit ſimiliter grave peccatum de eo gaudere, aut in eo complacere.

Specialiter autem in materia venerea accedit delectatio carnalis & ſenſibilis inſurgens ex commotione ſpirituum generationi deſervientium, ſimilis ei, quæ habetur ex opere exercito; hæc autem graviter adverſatur rationi.

Hinc ſequitur I. ſolutos mortaliter peccare, dum ſe oblectant actibus venereis cogitatis, etſi nullo modo velint opus exercere: quia illis per imaginationem opus ſiſtitur tamquam in præſenti, & ut præſens placet. 29. *Sive verſetur circa objecta venerea,*

Sequitur II. peccare mortaliter eum qui ſibi complacet in furto, aliove opere graviter jure naturæ prohibito, ſiſtens ſibi per imaginationem ipſum opus malum tamquam delectationis objectum. Aliud eſt, ſi non peccatum, ſed modus operis non peccaminoſus tamquam objectum delectationis proponatur: v. g. dexteritas aut ſubtilitas, quâ quis uſus eſt in furando, in parandis inſidiis, in rapienda puella &c. Ita communiter Doctores: quàmvis Nonnulli paulò aliter diſtinguant, & pro parte à nobis recedere videantur. *Sive circa alia opera graviter prohibita jure naturæ,*

Sequitur III. complacentiam in objecto graviter prohibito etiam per legem tantùm poſitivam ſive divinam ſive humanam eſſe graviter malam: quia militat eadem ratio. Ita plurimi Doctores: quàmvis etiam non pauci contradicant. Unde ſi quis propoſitâ ſibi comeſtione carnium faciendâ die prohibito tamquam præſenti delectetur, peccat, ſicut peccaret, ſi de præterita comeſtione tali die factâ lætaretur. Secùs eſt, ſi affectus non feratur directè in objectum prohibitum, ſed præſcindendo à prohibitione, ita ut objectum eatenus non ſit malum, v. g. ſi quis die veneris delectetur eſu carnium ſimpliciter per intellectum propoſito, ſic ut delectatio non feratur in circumſtantiam prohibitionis ſive diei tamquam objectum. Neque in hoc videtur diſtinctio facienda inter objecta jure naturæ & jure poſitivo prohibita, eo prætextu, quòd ab his, non autem ab illis queat malitia ſeparari. Nam per mentem poteſt pariter ab utriſque ſeparari. Realiter quoque ab utriſque præſcindi poteſt malitia, capiendo opera ipſa independenter à circumſtantiis. Sicut enim comeſtio ſecundùm ſe eſt indifferens ad prohibitam & non prohibitam, ſic occiſio hominis ad juſtam & injuſtam, ablatio rei ad juſtam & injuſtâ, &c. Includendo autem utrobique in objecto delectationis ipſas circumſtantias, eſt ſimiliter pari- *Aut etiam jure poſitivo,* *Niſi fiat ſufficiens præciſio.*

paritas. Proinde non videtur ſubſiſtere diſtinctio aliorum inter iſtiuſmodi opera ſeu objecta.

30. *Illicitum quoque eſt delectari de actibus malis à culpa formali excuſatis ob ſomnum &c.*

Sequitur IV. contra nonnullos Doctores illicitum eſſe delectari de actibus ex ſe mortalibus, à culpa tamen excuſatis ratione ſomni, ebrietatis, amentiæ, vel ignorantiæ: v. g. de homicidio in ebrietate commiſſo vel à ſe vel ab alio. Ratio eſt: quia iſti actus, etſi per accidens ſint à formali culpa excuſati, in ſe tamen ſunt objecta diſconvenientia & repugnantia rationi: ergo voluntati liberæ placere non poſſunt. Confirmatur: quia non poſſunt in ſomno v. g. obventura ejuſmodi opera deſiderari; ergo nec de præteritis poſſumus gaudere. Nihilominus ob rectum finem poſſumus lætari de effectibus talium operum, v.g. de morte hominis nocivi reipublicæ, de paupertate inimicorum Eccleſiæ &c.

Nec refert, quòd ejuſmodi opera à peccato excuſata ſint tantùm effectus peccati: nam ſunt effectus ex objecto peccaminoſi & repugnantes rationi, de quibus gaudere non licet; etſi liceat de illis, qui ſic non repugnant, v. g. de filio genito ex fornicatione.

Non refert etiam, quòd excuſatus à lege ob diſpenſationem, infirmitatem, aliamve cauſam, non peccet complacendo ſibi in omiſſione v. g. ſacri aut horarum: nam talis omiſſio ne quidem objectivam habet malitiam; ideoque non peccat talis, etiamſi liberè omittat. Secùs eſt in aliis.

31. *An idem quoad hoc cenſendum de pollutione nocturna.*

Non refert III. quòd licitum ſit gaudere de pollutione in ſomnis habita ob finem bonum v.g. ſanitatem corporis, aut ſedationem concupiſcentiæ. Nam in primis Multi conſequenter cenſent hoc ipſum non eſſe licitum, ſed tantùm gaudere de ipſa ſanitate ſive bono effectu. Deinde etſi cum *Vaſquez*, *Leſſio* & plurimis aliis admitteretur eſſe licitum gaudere propter ſanitatem v. g. etiam de ipſa pollutione, diſparitas aſſignari poſſet, quòd naturalis illa & non procurata paſſio non ſit opus malum, ſed naturalis affectio corporis; neque ſit actus humanus, ſed naturalis evacuatio, ſicut expulſio ſudoris & aliorum humorum. Porrò ſicut ob prædictos fines licitum eſt gaudere de præterita, ſic etiam ſimpliciter deſiderare futuram; modò vi ſimilis deſiderii non timeatur provocanda, & corpus in ſomno ad illam commovendum. Indubiè enim illicitum eſt procurare pollutionem nocturnam; uti & gaudere ob voluptatem carnis in ea habitam. Rectè etiam monet *Leſſius l. 4. de Virt. Card. c. 3. num.* 105. præfata deſideria non eſſe facilè admittenda: eò quòd præter periculum, ad quod poſſunt inducere, indicent imperfectum caſtitatis affectum, & ſanctiora à viris ſanctis ſint uſurpata remedia. Quòd ſi pollutio in ſomnis orietur ex cooperatione propria vel alterius impellentis naturam, patet illicitè illam deſiderari aut præteritam placere quocumque fine; cùm tunc non ſit naturalis evacuatio, ſed actus objectivè & intrinſecè malus, de quo liberè nemo gaudere poteſt.

Sequitur V. delectationes moroſas in materia venerea non omnes eſſe ejuſdem ſpeciei: cùm enim alia ſpecie ſit malitia fornicationis quàm pollutionis aut alterius peccati contrà naturam, conſequens videtur diverſam delectationis moroſæ circa illas actiones eſſe malitiam. Ita Doctores paſſim; etſi *Arriaga* & nonnulli alii Recentiores contradicant. 32. *Non omnes delectationes moroſæ in materia venerea ſunt ejuſdē ſpeciei.*

Sequitur VI. Ex conditione operantis inveniri in moroſa delectatione circa materiam veneream ſpecialem malitiam v. g. ſacrilegii, ſi is qui delectatur ſit ſacerdos aut voto caſtitatis adſtrictus. Idem eſt juxta *Vaſquez* & alios paſſim (quàmvis Nonnulli dubitent aut contradicant) ſi ſit conjugatus, eò quòd non tantùm actus externos, ſed etiam internos affectus conjugati ſibi invicem obligarint per fidem conjugii: accedente eo, quòd ejuſmodi interiores affectus ſint inchoatio quædam motuum carnalium, qui ſunt externi, & per fidem conjugii prohibentur, uti ipſa ſeminatio vel pollutio, ad quam ſunt via. *Conditio ſe delectantis addere poteſt ſpecialem malitiā*

Sed difficultas eſt, An circumſtantia perſonæ circa quam addat malitiam ſpecialiter in confeſſione explicandam? Affirmant plurimi. Negat *Vaſquez*, *Dicaſtillo*, *Ovedo* & plures Recentiores cenſentes moroſam delectationem ab illis tantùm objecti circumſtantiis infici, in quas tamquam objectum directum expreſsè tendit; adeòque non eſſe explicandum, quòd perſona de qua percepta eſt delectatio fuerit conjugata, Deo dicata &c. niſi quando ipſa delectatio hanc circumſtantiam reſpicit pro objecto directo. Ratio eſt: quia ſimplex complacentia tantùm ſumit malitiam ab opere externo tamquam ab objecto. Secùs eſt de actu efficaci, qui præterea ſumit ab actu externo malitiam tamquam ab effectu. Unde in ſimplici complacentia tantùm reperitur malitia objecti ſecundùm illam rationem, quæ per intellectum repræſentata terminat complacentiam tamquam objectum. At actus efficax cùm feratur in objectum tamquam mandandum executioni, vult interpretativè ſimul omnia, quæ novit eſſe executioni annexa & inſeparabilia; ideoque cenſentur circumſtantiæ reipsâ annexæ & cognitæ ſimul velli, & inficere ipſum actum efficacem, etſi hic directè non feratur in 33. *An exprimenda ſit conditio perſona circa quam*

illas

illas circumſtantias. Nihilominus in praxi ſecuriùs eſt exprimere circumſtantiam perſonæ circa quam: tum propter oppoſitam opinionẽ. Tum quia ſimplex complacentia videtur frequẽter etiã tendere in ejuſmodi circumſtantiam tamquam objectum; utì magìs apparet, quando verſatur complacentia circa actum præteritum: neque enim videntur lubrici ſubtiliter ad præciſiones faciendas attendere, ſed in objectum quatenus cum ſuis circumſtantiis propoſitum ferri, etſi motivum ſit ipſa ſenſualis objecti delectabilitas. Tum denique quia ſimilibus carnalitatibus dediti plerumque volunt etiam ipſam operis executionem, ſolùmque abſtinent ob infamiam, impotentiam, aliamque cauſam extrinſecam.

34.

Sponſis de copula conjugali futurâ, viduis de præterita illicitum eſt delectari.

Sequitur VII. Sponſis illicitum eſſe delectari de copula tempore matrimonii futurâ, & viduis de præterita, loquendo de delectatione venereâ, quæ ſcilicet ex ſe nata eſt adferre voluptatem junctam commotioni ſpirituum ſubſervientium generationi; qualis eſt quæ capitur de jucunditate ſenſuali operis cogitati quaſi præſentis. Quia talis delectatio propriè eſt carnalis ex parte motivi, & adverſatur virtuti caſtitatis. Etſi enim objectum conſideratum pro tempore præterito aut futuro videatur licitum, proponitur tamen per imaginationem quaſi ſenſibiliter v. g. me in præſenti afficiẽs, eatenus autem eſt illicitum reſpectu mei in ratione motivi delectationis. Prout mors licita proximi illicitè eſt objectum mei gaudii, quatenus conſideratur malum proximi, utpote contra virtutem Charitatis. Prout etiam illicitum eſſet cum voluptate aſpicere oculis copulam conjugalem alienam; iſtud enim objectum ſub ratione delectabilis mihi propoſitum excitat ſeu commovet naturam, & ad hoc ex ſe ordinatur, planè ſicut tactus inhoneſti, oſcula laſciva &c. Actus itaque ſimiles opponuntur virtuti caſtitatis, quotieſcumque in objecto delectationis non præſupponitur actuale jus & proprietas reſpectu ſe delectantis: voluptas enim venerea non conceditur homini, niſi cum cõjuge; adeòque eſt contra caſtitatem, dum ſcis non eſſe tuam de qua delectaris. Talìſque delectatio cauſat & adfert ſecum commotiones carnales, utì tactus inhoneſtus, quas excludit virtus caſtitatis. Confirmatur: quia ſi liceret ſponſo delectatio de copula futura aut viduæ de præterita, pari jure liceret illa ſacerdoti aut religioſo viduo, & cuilibet cælibi de copula conjugali aliena; quod tamen eſt contra omnes.

35.

Licitè tamen ſponſi futuram deſiderant etiam efficaciter, viduæ præteritam approbant.

Nihilominus juxta omnes Doctores non peccat vidua approbans actum præteritum conjugii, nec ſponſa approbans & intendens actum futurum poſt initum matrimonium: nam efficaciter velle aut approbare id quod eſt licitum, nequit eſſe peccatum. Idem eſt, ſi vidua gaudeat ſe expertam, & ſponſa ſe experturam ſine peccato, iſtud voluptatis genus. Quo modo poteſt etiam quis approbando gaudere de copula licitâ alienâ, v. g. parentes de copula prolis conjugatæ: ſicut poſſunt delectari de eo, quòd proles bene comederit, & cibus ſapuerit. Ratio eſt: quia objectum tam materiale, quàm motivum eſt bonum: nec inde natus eſt cauſari in parte ſenſitiva effectus inordinatus, ſicut quando delectatio reſpicit copulam ſecundùm rationem delectabilitatis venereæ afficientis eum qui delectatur. Et ſic in concordiam fortè revocari poſſent Auctores, quorum aliqui ſimpliciter aſſerunt illicitam eſſe ſponſis & viduis delectationem de actu futuro aut præterito; plurimi alii aſſerunt eſſe licitam in voluntate, illicitam in appetitu ſenſitivo, & practicè vitandam ob periculum ne in appetitu ſenſitivo ſequatur, aut voluntas in illam conſentiat.

36.

Conjugi in abſentia compartis non licet ſeipſum tangere inhoneſtè vel de copula cogitatâ venereè delectari.

Sequitur VIII. Conjugem in abſentia compartis non poſſe ſe ipſum tangere inhoneſtè; immo veroſimilius nequidem venereè delectari de copulâ conjugali cogitata. Prima pars Corollarii (quæ eſt ſatis communis Doctorum contra *Sanchez* exiſtimantem ejuſmodi tactus ſecluſo pollutionis periculo non eſſe mortales) probatur: quia delectatio inde conſurgens non habetur in ordine ad alterum conjugem abſentem, ſed potiùs tactus iſti, qui per ſe ordinantur ad ſeminis deciſionem, tunc per ſe tendunt ad mollitiem ſeu deciſionem ſeminis extra vas. Secunda pars, quam docet *Navarrus*, *Rodrigues*, *Corduba*, *Vega* & plures alii contrà *Antoninum*, *Cajetanum*, *Vaſquez*, *Sanchez*, *Diana* & plures alios, probatur: quia delectatio ſumpta de copula in abſentia conjugis per ſe in iſtis circumſtantiis tendere videtur ad motus carnales, quales ex tactibus oriuntur, & hi ulteriùs ad pollutionem; ſicut dum ſolutus tali caſu delectatur de copulâ conjugali.

37. Nec obſtat, quòd objectum non videatur malum, & alioquin ſtatus matrimonialis cohoneſtet non tantùm copulam, ſed actus etiam ſubordinatos: quia tantùm cohoneſtat actus, qui hîc & nunc cenſeri poſſunt uſus conjugii; prout ſunt tactus mutui, oſcula, item tactus proprii corporis in ordine ad copulam habendam: delectatio autem præfata nullo modo tunc poteſt cenſeri uſus conjugii, etſi intentionaliter referatur ad copulam habitam aut habendam cum conjuge abſente: quia reverà delectatio conſurgens in carne hîc & nunc non eſt ordinabilis vel ordinata ad copulam, aut ad aliquem uſum conjugalem, ſed

ſed verè quæritur ut in ipſa ſiſtatur. Voluptas autem venerea & actus venereus quicumque, ſi non ſit ordinatus vel ordinabilis ad actum conjugii aut communem ſocietatem cum conjuge, eſt contra rationem: immo videtur etiam eſſe contra obligationem matrimonii, quâ quiſque tenetur corpus ſuum caſtè ſervare conſorti. Et hæc ſine præjudicio meliùs fortè ſententium dicta ſint, ſuppoſitâ ſemper Doctrinâ communi de malitia mortali moroſæ delectationis venereæ etiam circa objectum aliàs licitum in ſolutis. Quàmvis, ſi rationem præcisè ſpectem, hactenus nulla occurrerit convincens dari non poſſe aliquam levem delectationem ratione levitatis motuum, ſuppoſito quòd levitas materiæ dabilis ſit in genere luxuriæ. Quod tamen nolim practicè in quæſtionem vocare.

QUÆSTIO V.

Qualiter ad peccatum mortale requiratur conſenſus perfectus, ſive perfecta deliberatio?

38\. *Ad mortale peccatum indubiè requiritur perfecta deliberatio.*

CERTUM eſt ex conſenſu omnium Doctorum & praxi totius Eccleſiæ ad mortaliter peccandum requiri conſenſum perfectum ſive perfectè deliberatum. Cùm enim mortale peccatum diſſolvat amicitiam Dei, & reum conſtituat pœnæ æternæ, non eſt credibile hominem tanto ſupplicio obnoxium fieri ſine perfecta deliberatione ſive advertentiâ. Alioquin ſanè quantis & quàm frequentibus peccatis mortalibus gravatæ forent conſcientiæ etiam maximè timoratorum. Unde quàm diu cogitatio aut dubium rationabile circa objecti malitiam non occurrit, non eſt ſufficiens principium deliberandi, etſi alioquin intellectus conſideret utilitatem aut delectabilitatem rei. Hæc autem imperfecta deliberatio conſiſtit in quadam confuſione cognitionis, & minùs vividâ objecti expreſſione, nec non in diſtractione ad alia objecta, ex qua plerumque naſcitur iſta confuſio. Ad cauſas præterea indeliberationis refertur ignorantia inculpata, oblivio naturalis, improviſio inculpata, ſubita aut nimia animi turbatio &c.

Imperfecta deliberatio in quo conſiſtat, & unde oriatur,

39\. *Et quomodo diſtinguatur à perfecta deliberatione.*

Plena verò & perfecta deliberatio ad mortale requiſita non videtur commodiùs explicari poſſe, & ab imperfecta ad veniale peccatum ſufficiente diſtingui, quàm quòd hæc ſit ſimilis ei, quâ nondum plenè à ſomno excitati aut ſemiebrii advertunt ad malitiam actûs alicujus quem faciunt. Plena verò ſit illa, quæ ſimilis eſt ei quæ reperitur in perfectè excitatis à ſomno. Sicut enim ibi ſomnus vel ebrietas, ita hîc paſſio aut alia quævis cogitatio poteſt impedire rationem, ut non advertat ſufficienter ad malitiam mortalem. Ita *Sanchez l.* 1. *Summæ c.* 1. *n.* 10.

Dices I. Qui ſemiplenè malitiam conſiderat, habet principium ſufficiens deliberandi ſeu examinandi: ergo ſi id negligat, non excuſabitur à mortali, quia potuit & debuit plenè conſiderare. Reſp. etſi principium iſtud ſit abſolutè ſufficiens ad pleniorem deliberationem; hæc tamen non niſi valde difficulter ex illo haberi poteſt. Unde tantùm habet potentiam remotam, & moraliter loquendo non poteſt. Deinde etſi quodammodo habeat principium deliberandi, fieri tamen poteſt, ut hoc non advertat, ſive ut non conſideret ſe poſſe & debere pleniùs conſiderare. 40.

Dices II. Etiam concupiſcentia minuit libertatem, & facit hominem difficulter abſtinere à malo. Reſp. cum concupiſcentia ſtare perfectam deliberationem; quâ deficiente etiam deficeret culpa mortalis. Difficultas autem quantumvis gravis non excuſat à gravi peccato in materia intrinſecè malâ: neque in difficultatem præcisè operis referendum eſt, quòd ſic excuſet imperfecta deliberatio, ſed in debilitatem ſeu imperfectionem potentiæ, quæ multum habet impotentiæ; ideoque *Philoſophus* potentiam debilem impotentiam vocavit.

Ceterùm quia in particulari frequenter dubitatur, utrùm voluntas verè conſenſerit, aut ſaltem perfectè & deliberatè, in ejuſmodi dubio ſervire poſſunt hæc indicia ſatis probabilia. 41.

Regulæ practicæ ad dignoſcendum, an adfuerit perfectus & deliberatus conſenſus, an non.

Prima.

Primò, quando quis poſtea plenè ſibi præſens ſentit ſe ita animo diſpoſitum, ut, etſi facilè poſſet, non tamen exequeretur peccatum, judicari poteſt non fuiſſe plenam advertentiam vel conſenſum.

Secunda.

Secundò, ſi ſæpè antea habuit firmam voluntatem non peccandi, & ſibi redditus eodem modo ſe ſentit affectum, & in exterioribus peccati occaſionibus cõſtitutus illud ſemper adeò deteſtatur, ut mallet quodvis aliud præ peccato eligere, ſignum eſt non fuiſſe conſenſum, ſaltem deliberatum, voluntatis in peccatum: quia tanta mutatio voluntatis, ut perfectè amare incipiat, quod ſemper odio habere ſolet, facilè poteſt cognoſci.

Tertia.

Tertiò, quando motus pravus breviſſimo tempore inſurgit, vel ſubinde non ita brevi, ſed intellectu circa aliud occupato; quamprimùm autem intellectus advertit peccati mortalis periculum, voluntas timore & triſtitiâ concutitur, & dolet talem motum fuiſſe: tunc credendum eſt non adfuiſſe conſenſum voluntatis, ſaltem deliberatũ. Ex quo inferunt nõnulli eos. qui

primùm

primùm à peccatis ad vitam meliorem ſunt converſi, quamdiu adhuc retinent pravos habitus, frequenter longo tempore inhærere alicui pravæ delectationi, nec tamen peccare mortaliter, eò quòd priores habitus quaſi naturaliter operentur primum motum, nec ſemper vacet homini aliis intento ad illos motus reprimendos advertere.

Quarta. Quartò, quando quis dubitat, an turpis delectatio, quam habuit, fuerit in ſomno, an in vigilia, poteſt probabiliter exiſtimare, quòd non conſenſerit cum plena deliberatione: ſi enim fuiſſet plena deliberatio, ipſe ſciret ſe fuiſſe à ſomno perfectè excitatum.

Quinta. Quintò & præcipuè conſideranda eſt qualitas perſonæ, quæ ſi ſit timoratæ conſcientiæ, & aliàs ſolicita pravas tentationes, dum eas advertit, repellere, in dubio an peccatò, quod in mente vel imaginatione habuit, præbuerit conſenſum, vel an conſenſerit perfectè, poteſt prudenter præſumere, ſe non ita conſenſiſſe: ſecùs eſt, ſi non ſit conſcientiæ timoratæ, & ſoleat vel conſentire vel de bona conſcientia parum curare.

42. *Tepida reſiſtentia excuſat à mortali.* Huc accedit tepiditas & negligentia in quavis prava ſuggeſtione repellenda, quæ ad peccatum veniale ſufficit, etſi alioquin voluntas firma ſit in denegando conſenſu. Et hâc ratione intelligendus eſt *Auguſtinus l. 2. contra Julian. c.* 10. docens, non lethaliter, ſed venialiter peccare *continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, ſed intentionem mentis, non ſicut oportet, ne illò incidat inde avertentes, aut ſi inciderit, inde rapientes.* Nam certè credi nequit *S. Auguſtinum* velle delectationes moroſas, quantùmvis adſit perfectus conſenſus & deliberatio, ſolùm eſſe peccata venialia. Putat etiam *Cajetanus* V. *Delectatio moroſa* in fine, illos, qui habitualiter in animo gerunt ſe potiùs velle mori quàm peccare mortaliter, rariſſimè condemnandos peccati mortalis circa negligentias in repellendis pravis ſuggeſtionibus ſeu cogitationibus delectabilibus. Si autem anceps hæreat quis, utrùm velit peccare mortaliter, & hoc dubium ſive fluctuationem ratio ſufficienter advertat, adeſt ſufficiens conſenſus pro peccato mortali: quia voluntas deliberatè hærens in tali æquilibrio appretiativè non magìs afficitur Deo quàm peccato; ac proinde præſenti periculo ejuſdem ſe exponit, atque eo ipſo peccat. Unde hoc debet in confeſſione explicari, quando opus non foret ſubſecutum. Vide *Sanchez l.* 1. *c.* 1. *n.* 16. & deinceps.

QUÆSTIO VI.

An ad peccatum mortale requiratur gravis materia, & qualiter hæc ſit æſtimanda?

Ad primam quæſtionis partem Reſp. affirmativè. Eſt indubitatum apud omnes, & conſtat ex praxi Eccleſiæ. Ratio eſt: quia ubi eſt parva materia, ibidem reperitur repugnantia contra rationem, parvaq; Dei offenſio. Idque locum habet, non tantùm in illis peccatis, quæ ex genere ſuo ſunt levia, ſive intrà quorum limites manendo materia ſemper eſt levis, v. g. in moroſitate &c. ſed etiam in illis, quæ ex genere ſuo ſunt gravia, ſive intrà quorum limites manendo datur materia gravis & peccatum mortale; v. g. in furto & ceteris peccatorum generibus, quæ ſunt contra juſtitiam humanam aut virtutes juſtitiæ affines, & in quibuſdam peccatis contra religionem, v. g. in violatione voti, ac etiam in peccatis contra charitatem proximi, uti & juxta plures Doctores in peccatis contra caſtitatem; quàmvis multi exiſtiment in luxuria directè procuratâ non dari materiæ parvitatem. 43. *Ad peccatū mortale requiritur gravis materia.* *In pleriſque peccatorum generibus locum habet levitas materiæ,*

Nihilominus in quibuſdam peccatis, potiſſimùm iis, quæ directè ſunt cõtra Deum, omnis materia eſt gravis; adeòque etſi detur in illis peccatum veniale ex deliberatione imperfecta, non tamen ex levitate materiæ. Cujuſmodi ſunt infidelitas, deſperatio, vera & formalis blaſphemia aut contemptus Dei, perjurium aſſertorium, ſuperſtitio, odium Dei, & juxta Doctores paſſim ſimonia, per quam res verè ſpiritualis venditur pro temporali. In his enim actionibus cenſetur malitia ſeu offenſa omnibus numeris completa in quavis materia, totaque ratio malitiæ peccati ejuſdem generis in quantumvis modica materia reperitur. Sic in quavis infidelitate reperitur integra malitia, quatenus virtualiter habetur Deus tamquam mendax aut ignarus, potens fallere aut falli. Eſtque æquè indecens Deo non credere in una materia, ac in altera. Similiter eſt æquè indecens Deum teſtari falſum in una, ac in altera materia; adeòque à nobis in teſtem falſi vocari. Similiter in quacumque materia ſimoniæ teſtor rem ſpiritualem eſſe commutabilem cum temporali, & practicè cenſeo pecuniam v. g. eſſe dignum pretium rei ſpiritualis: in quo conſiſtit malitia ſimoniæ. Denique excellentia objecti ipſarumque virtutum theologicarum facit peccata eis directè oppoſita omnia eſſe gravia; ſicut ob excellentiam perſonæ nulla contumelia aut blaſphemia contra Deum eſt levis. Unde ex odio, ſive ex eo quòd ſit malum extrinſecum Dei, deſi- 44. *In quibuſdam non.*

derare Deo levem illius offenſam, graviter repugnat rationi; adeòque eſt peccatum mortale.

Dices: In levi furto etiam reperitur integra ratio furti. Reſp. non tamen tota ratio malitiæ, quæ intrà eamdem ſpeciem creſcit à quantitate uſque ad mortale; cùm in levi quantitate parum diſſonet rationi: in prædictis autem materiis graviter diſſonat opus in quavis materia.

45. *Ad gravitatem materiæ prudenter æſtimandam attendendus eſt communis ſenſus Doctorum,*

Ad ſecundam quæſtionis partem Reſp. gravitatem vel levitatem materiæ in quovis peccati genere æſtimandam eſſe prudenti judicio. In quo ferendo primò attēdi debet cōmunis Doctorum æſtimatio, quæ in moralibus ſæpè plùs valet quàm ratio. Sic ex communi potiſſimùm ſenſu habetur, quòd ſæpiùs quàm ſemel in die jejunii comedere, ſit peccatum mortale. Item quòd ſit mortale omittere unam v. g. parvam horam: quàmvis unus aut alter hoc cœperit negare.

46. *Et timoratorum frequenter etiam ſimplicium,*

Secundò attendi debet ſenſus communis hominum timoratorum, etiam ſimplicium, qui ſpiritu Dei aguntur; præſertim in materia juris naturæ, inſcripti cordibus ſingulorum: quod enim his non videtur grave, non eſt pro tali habendum. Quod tamen non ita locum habet in legibus poſitivis: quàmvis in his quoque ſenſus plebis ſuum momentum habeat, ut de legis vigore, ſenſu quo eſt acceptata, & obligationis gravitate judicetur: & ſimiliter Fidelium ſenſus in materia fidei & præceptorum illius non ſit contemnendus.

47. *Item finis legis & proportio operis ad illum.*

Tertiò attendi debet tum finis à legiſlatore juſtè intentus, tum proportio ſeu neceſſitas rei præceptæ ad illum conſequendum. Unde ſi finis ſit gravis ac neceſſarius, & ſimiliter materia præcepta ad illum notabiliter conducat, etſi in ſe parva videatur, tamen gravis eſt cenſenda: ſi autem vel finis ſit levis, vel gravis quidem, ſed materia præcepta ad illum non notabiliter conducat, cenſenda eſt materia levis in legibus poſitivis.

Unde res alioquin levis cenſeri poteſt capax gravis obligationis.

Hinc ex fine gravi poteſt ſuperior graviter præcipere aut prohibere rem alioquin indifferentem aut levem eò notabiliter conducentem: v.g. præcipere ſilentium certâ horâ & certo loco, quando inde penderet notabiliter religioſa diſciplina: item prohibere acceſſum ad certam domum, ſumptionem cibi & potûs in certis locis, &c. propter ſcandalum, alioſque notabiles fines. Ita de facto in Religionibus quibuſdam ſub peccato mortali interdictus fuit ingreſſus in mutuas cellas oſtiis clauſis. E contrà, quia abſtinētia à levi opere ſervili brevi tempore abſolvendo, præcepta propter cultum ſeu honorem diei feſti, modicum eò confert, idcirco non cenſetur gravis materia. Sicut etiam etſi auditio ſacri ſit gravis materia, quatenus ab Eccleſia profectum ſpiritualem & cultum Dei intendente præcipitur; non cenſetur tamen gravis, ſi reſpublica vel univerſitas ſuis præcipiat intereſſe ſacro, cùm illa tantùm ſpectet bonam gubernationem reipublicæ aut univerſitatis, ad quam non videtur adeò conferre ſacri auditio.

Quartò ſciendum eſt, non ſolùm totam materiam ſub mortali præceptam, ſed etiam notabilem illius partem eſſe gravem, etſi reſpectu totius non ſit tertia pars. Nam alioquin qui voviſſet integrum pſalterium, & omitteret quadraginta pſalmos, non peccaret mortaliter; uti nec debitor centum millium florenorum, ſi omitteret ſolutionem viginti quinque millium. Ratio eſt: quia vis præcepti ſuppoſitâ voluntate legiſlatoris deſumenda eſt ex gravitate aut levitate objecti, ſive totale ſit, ſive partiale: ſicut enim hoc non facit ad materiæ gravitatem, ſic per ſe loquendo nec ad gravitatem obligationis. Unde etiam in auditione ſacri, etſi Doctores ferè conveniant tertiam ſaltem partem eſſe gravem materiam, & eam quæ eſt minor quartâ non eſſe gravem: non tamen hoc ſolùm vel præcipuè eſt ſpectandum, ſed ipſa qualitas partis, etſi minoris, quo modo videlicet ſpectet ad ſacrificii integritatem. Quare indubiè peccaret mortaliter, qui tempore conſecrationis exiret ex templo, & eâ peractâ rediret, ac ſimiliter ageret tempore communionis: quia talis omitteret partem maximè notabilem miſſæ, immo ſubſtantiæ ſacrificii non intereſſet, quod tamen Eccleſia potiſſimùm præcipit. 48. *Non ſolùm tota materia ſed etiā pars, eaq; minor tertiā poteſt eſſe gravis.*

Itaque quantitas materiæ videtur abſolutè definienda prudenti judicio in ordine ad finem legis, non autem ex reſpectu ad totum; adeòque tertia pars totius materiæ gravis præceptæ non ſemper eſt gravis, v.g. tertia pars unius parvæ horæ, nec quidquid eſt infra tertiam partem eſt leve, v.g. unus nocturnus ex matutino. Conſideratio enim illa tertiæ partis cum reſpectu ad totum non facit, quòd ipſa idcirco ſit ſufficiens & gravis, ſi ipſa ſecundùm ſe, & independēter ab ullo toto, conſiderata, non ſit notabilis. E contrà etiam ſi pars minor tertiâ ſecundùm ſe in ordine ad finem legis ſit notabilis, non deſinet eſſe talis per hoc, quòd ſit minor tertiâ parte totius. Aliàs laborans per ſeptem horas (quæ needum ſunt pars tertia diei naturalis) non peccaret mortaliter contra præceptū abſtinentiæ ab opere ſervili diebus feſtis. Item aliàs poſſet peccare mortaliter, qui omitteret aliquam partem matutini in die feſto, qui ſic non peccaret, ſi omitteret eamdem in officio de Dominica, quod eſt majus. Ratio eſt: quia eo ipſo, quo materia integra, aut aliqua ejus pars, ſive major, ſive minor tertiâ, aut etiam quartâ, notabiliter conducit ad gravem finem legis, eſt in ſe capax gravis obligationis; adeòque cenſetur graviter præcipi, ſaltem regulariter. 49. *Quantitas materiæ non tam ex reſpectu ad totum, quàm fine hoc definienda videtur ex ordine ad finem legis.*

Hinc

Hinc cùm inſtitutio feſtorum fiat ob cultum Deo exhibendum, & in ordine ad hunc prohibeantur opera ſervilia, quatenus animum à cultu Dei abſtrahunt, ſtandum eſt prudenti judicio, quod ſpatium cenſeatur notabile, ſi labori impendatur: quod quidem non poteſt eſſe valde breve; cùm enim non poſſit homo totâ die divinis intendere, videtur labor facilè eſſe debere duarum aut trium horarum, ut cenſeatur à cultu Deo debito impedire, etiamſi non requiratur labor correſpondens tertiæ parti diei.

50\. *Plures parvæ materiæ faciunt magnam ſi continuentur: aliàs non.*

Quintò denique attendendum eſt num plures parvæ materiæ continuentur inter ſe, ut efficiant unum quid morali æſtimatione, quæ in moralibus ſemper magnam vim habet, etſi ſæpè videatur ſpeculativè eſſe paritas rationis. Unde quoties materia ultimi peccati venialis nequit moraliter continuari cum materia præcedentium, ſic ut pro una reputetur, idque nequidem ratione effectûs relicti, ſingulæ materiæ manent leves: dum autem ita continuantur, fiunt materia gravis, & tandem ſufficiens ad mortale peccatum.

Varia exempla, in quibus materiæ non continuantur.

Hinc qui ſingulis jejuniorum diebus aliquot bolos comedit, ſingulis feſtis parum laborat, quotidiè parvam partem horarum omittit, venialiter tantùm peccat: quia illæ materiæ vel actiones non continuantur, ſingulíſque diebus reſpondent ſingula præcepta, quorum obligatio cum die extinguitur. Unde etiam propoſitum numquam ſervandi perfectè jejunium, ſicut in executione numquam continet objectum peccati mortalis, ſed tantùm plura objecta venialia, ſic ipſum quoque aliam quàm venialem malitiam nō habet. Idem eſt, ſi plures in eodem opere continuò laborarent per totum diem feſtum, ſed ſinguli pro modico tempore: ſinguli enim tantùm peccarent venialiter ob defectum continuationis plurium parvarum materiarum. Idem quoque eſt de eo, qui faceret opera ſervilia à pluribus exerceri, ſed à ſingulis pro eo ſolùm tempore, pro quo non peccant graviter. Præterea idem eſt ſi beneficiarius v.g. die feſto incidente in diem jejunii omitteret parvam partem officii, item parvam partem ſacri, parum laboraret, & modicum quid extra tempus comederet: quia omnes hæ materiæ non continuantur, ſed ſingulæ reſpiciunt diſtincta præcepta, & obligationes invicem non reſpicientes. Ita *Sanchez l. 1. Moral. c. 4.*

51\. *Excipiunt Nonnulli vota.*

Idem tamen *Sanchez* cum *Bonacina* aliud ſentit de votis, ſi plura parva vota concurrant circa eamdem vel diverſam materiam: v. g. ſi quis voverit quotidiè legere quinquies *Pater* & *Ave*, & poſtea rurſus tantumdem voveat, donec fiat gravis materia; vel ſi primò voveat quotidiè legere unam orationem de B. Virgine, deinde voveat alteram de S. Anna, & ſic conſequenter uſque ad gravem materiam: aut ſi voveat certo die dare parvam eleëmoſynam, deinde voveat recitare aliquas preces, & ſic conſequenter. Ratio illorum eſt: quòd obligatio cujuſlibet voti ſit ejuſdem rationis pertinens ad religionem, cujus præceptum tunc in re notabili violatur. Sed facilè reſpondetur non violari in re notabili, ſed pluties in multiplici re levi. Sicut ſi in diverſis materiis à ſuperiore diſparatè præceptis violetur obedientia debita, non cenſetur violari in re gravi, ſi ſingulæ materiæ ſeorſim ſint leves, quantumvis conveniant in obligatione ejuſdem rationis pertinente ad obedientiam.

52\. *Sed in his quoque non neceſſariò continuari inter ſe leves materias, oſtenditur.*

Quare cum reliquis Doctoribus dicendum, utrobique tantùm eſſe plura venialia; adeòque religionem vel obedientiam violari circa plura, ſeu graviter extenſivè, non tamen graviter intenſivè, ſive non mortaliter: eò quòd iſta vota, etſi obligent pro eodem tempore, uti præcepta, ſingula tamen ſint facta inſtar actuum totalium, & diviſim, ſive independenter à ſe invicem exequendorum. Aliud eſſet, ſi quis illas materias per intentionem conjungeret; ut plerumque videtur contingere, dum vovens reſpicit idem ſingulare motivum: v.g. ſi in periculo naufragii quis primò aliquid voveat, deinde aucto periculo aliud ſuperaddat: tunc enim ſecundum videtur ſolùm addi ad augendum prius, ita ut votum poſterius virtualiter etiam complectatur ſimul materiam prioris. Aliud eſt, dum motivum quidem eſt idem, ſed generale, v. g. obſequii & honoris Dei: hoc enim non videtur ſufficere ad uniendas materias diſparatas (quales juxta *Oviedo Tract. 6. controv. 3. num.* 139. ſunt non tantùm quæ ad diverſas virtutes ſpectant, ſed etiam quæ communiter diſtinctis legibus præcipi ſolent, v. g. auditio ſacri, lectio roſarii aut aliarum precum) motivum enim eſt planè univerſale, & objecta ex ſe nullam habent unionem, adeòque ſunt referenda ad obligationes votorum diſparatas. Confirmatur I. Quia in dubio votum eſt interpretandum inſtar legum circa eamdem materiam; cenſeretur autem impoſita duplex obligatio ei, cui præciperetur auditio miſſæ, lectio roſarii, datio eleëmoſynæ &c. Idque iuxta *Oviedo ſup.* verum eſt, etſi plures iſtæ materiæ ſint eodem actu promiſſæ, quaſi videlicet actus iſte phyſicè unus ſit multiplex votum ratione materiæ, prout conſtat eſſe multiplex votum, dum ſimul vovetur caſtitas, obedientia &c. Confirmatur II. Quia ſi generatim parvæ materiæ in diverſis votis coaleſcerent in unam gravem, deberent pariter magnæ materiæ coaleſcere in unam gravio-

graviorem; & ſic unum tantùm peccatum contra religionem committeret, qui omitteret audire ſacrum, legere roſarium, jejunare &c. ad quæ omnia pro eodem tempore per diverſa vota eſſet obligatus. Idemque ſequi videtur de eo, qui ſimul vellet tranſgredi, aut actu tranſgrederetur votum caſtitatis & paupertatis. Et hæc poſſunt ſervire quando aliundè non conſtat de intentione voventis; quæ alioquin eſt certiſſima regula.

53. *Cōtinuātur parvæ materiæ, ſive in ſe, ſive in effectu. Quod declaratur in omiſſione v. g. ſolutionis,* Continuantur autem materiæ moraliter, ſive in ſe ſive in effectu, & conſtituunt unam gravem. Primò in omiſſione v. g. ſolutionis qui enim alteri quotidiè debet quinque ſtuferos per modum cenſus, ſi per plures dies non ſolvat, tandem peccabit mortaliter, utpote injuſtè retinens notabilem ſummam alteri debitam: obligatio namque per diem non extinguitur, ſed ſequentis diei obligationi accreſcit.

In votis, Secundò in votis: ſi quis enim v. g. voverit rem magnam certis diebus per partes ſolvendam, quàmvis ſingulæ omiſſiones ſecundùm ſe eſſent veniales, tamen quando materia omiſſa incipit eſſe notabilis, committitur mortale quaſi in virtute præcedentium omiſſionum, quarum cenſetur una materia. Secùs eſt, ſi quis voverit parvas materias per modum plurium v. g. quotidiè per annum ſequentem legere unum *Ave Maria*: tunc enim tantùm peccat venialiter, etſi omittat totum. Qua in re attendendum eſt, an dies annexa ſit ad finiendam obligationem, an ad ſollicitandam executionem, & conſequenter cumulandam obligationem. Ad quod ſuborientè dubio juvat conſiderare, an in honorem certæ diei quid promiſſum fuerit: tunc enim obligatio non manet nec continuatur. Aliam regulam ad hoc tradunt *Soto, Caſtro Palao, Diana* & alii, in votis perſonalibus, quæ ſcilicet non poſſunt per alium delegatum exſolvi, cenſeri obligationem affixam diei, in realibus verò prorogari, niſi aliud conſtet; uti conſtaret, ſi quis ſingulis diebus ſabbatinis voviſſet dare eleemoſynam in honorem Deiparæ. Tamen non video differentiam, ſive quantùm ad naturam utriuſque voti, ſive quantùm ad experientiam voventis v. g. quotidiè legere unum *Ave*, & voventis quotidiè parvam eleemoſynam erogare. Et aliundè in obſcuris minimum eſt ſequendum; ac in dubio non videtur onus aggravandum, ſed præſumendum pro libertate voventis, dum penſatis verbis, aliiſque circumſtantiis nil determinatè cognoſci poteſt.

54. *In furtis minutis,* Tertiò in furtis minutis; quorum materia tandem ſic accreſcit, ut fur notabiliter proximum damnificet, injuſtè detinendo rem alienam notabilem invito domino; idque juxta Doctores paſſim contra *Leſſium l. 2. de juſt. c. 12. dub. 8.* non tantùm quatenus poſt ultimam acceptionem completur detentio, ſed etiam per ipſam ultimam acceptionem, quæ moraliter unitur præcedentibus, ſic ut his ſuppoſitis talis jam inferat damnum notabile. Simile eſt in exemplis ſtatim allegandis ultimæ intemperantiæ, ultimæque levis comeſtionis in die jejunii. Item in effundēte paulatim vas vini alieni, qui utique tandem ipsâ effuſione ſecundùm ſe levi graviter peccare incipit. Similiter etiam peccat in ipſo diſceſſu, qui præceptum habens non abeundi, pedetentim per levia ſpatia diſcedit.

Quartò in intemperantia: quando enim per plures modicos exceſſus eò devenitur, ut homo tandem graviter naturam lædat, aut morbum lethalem accipiat, mortaliter peccabit in ultimo exceſſu, etſi in ſe levi, quo in gravem morbum incidit. Ita *Vaſquez diſp. 146. c. 2. Sanchez ſup. nu. 11.* Qui ſimiliter exemplificant in die jejunii: quia multæ parvæ comeſtiones eodem die factæ tandem poſſunt unâ parvâ conſummari, ut ſimul cenſeantur notabilis violatio jejunii. Idemque eſt, ſi quis per intervalla eodem feſto modicè, ſed ſæpè laboret: nam iſta plura modica tandem conſtituunt laborem diuturnum contra idem præceptum ejuſdem diei. *In intemperantia, violatione jejunii & feſti,*

Poſtremò idem eſt, ſi quis de ſingulis horis modicum quid omitteret, quando omnia ſimul ſumpta eſſent pars notabilis: nam eō ipſo omitteretur notabilis pars divini Officii per modū unius præcepti, juxta Doctores paſſim. Quàmvis in ſententia illorum, qui cum *Leſſio l. 2. c. 37. dub. 9.* putant ſingulas horas præcipi tāquam opera planè inter ſe diſtincta, ſcilicet diverſo tempore ponenda, adeòq; omittendo totum officium divinū diei committi ſeptem peccata mortalia, non appareat mihi, quomodo parvæ omiſſiones ſingularum horarum uniantur inter ſe, aut efficiant unam magnam; & conſequènter quomodo peccet mortaliter, qui ex ſingulis horis omitteret unum ordinarium pſalmum. Quod etſi conſequenter admittat *Moneta* apud *Oviedo Tr. 6. controv. 3. n. 132.* repugnat tamen communi doctrinæ & praxi. Sequela autem probatur: quia non potiùs plures parvæ materiæ diverſarum horarum coaleſcere debent in unam gravem, quàm plures graves materiæ in unam graviorem; adeòque ſi hæ non coaleſcant, ſed ſingulæ conſtituant ſingula mortalia, etiam illæ non coaleſcent, ſed ſingulæ conſtituent ſingula venialia. Utrobique enim eadem ratio militat, nimirum ipſorum operum præceptorum perfecta diſtinctio, & diſtincta virtualiter præceptio, uti ſi eādem lege præcipiantur diverſa jejunia, aut jejunium cum auditione ſacri &c. Proinde ſicut hæc inter ſe non continuantur, ſic nec continuarentur ex præmiſſa ſuppoſitione omiſſiones concernentes diſtinctas horas divini officii. 55. *In omiſſione alicujus modici ex qualibet hora canonica.*

Seclusâ itaque connexione plurimum 56.

parva-

Seclusâ materia continuatione venialia quantùvis multiplicata non faciunt peccatum mortale. parvarum materiarum in ordine ad conſtituendam unam magnam, plura peccata venialia, quantùmvis multiplicata, non efficiunt peccatum mortale; ut habet certa Theologorum doctrina contra *Gloſſam* in Can. *Tres ſunt, de pœnit. diſt.* 1. quæ auctoritate Pontificiâ ex Jure eſt deleta. Ratio eſt, quia peccatum mortale habet malitiam ſuperioris ordinis, ideòque meretur pœnam extenſivè infinitam: venialia autem, quantumvis multa, tantùm merentur pœnam temporalem quæ æternæ non æquivalet, etſi venialium peccatorum, quantumvis multiplicatorum, pœna ſimul ſumatur. Deinde ſepties in die cadit juſtus ſalvâ juſtitiâ. Alioquin etiam quilibet hærebit perplexus, utpote incertus futurus, quanta venialium ſive ejuſdem, ſive diverſi generis multitudo requiratur, ut incipiant cenſeri eſſe mortale. Confirmatur: quia actus replicati ſunt ejuſdem ſpeciei ac deformitatis cum primo: nec numerus poteſt facere gravem deformitatem intenſivè, niſi ratione connexionis materiarum, quæ abeſſe ſupponitur. Quòd ſi quandoque Patres (ut *Auguſtinus*) ſignificent, venialia multa demergere & occidere animam, intelligunt diſpoſitivè: quia venialia paulatim ad interitum animæ diſponunt, ut propterea cautiùs ſint vitanda.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Veniale tranſeat in Mortale ratione finis vel contemptûs?

57. QUÆSTIO intelligitur de peccato cum plena deliberatione commiſſo: ubì enim deeſt perfecta deliberatio, ſemper tantùm eſt veniale peccatum in quacumque materia, quocumque fine, & quàmvis ex contemptu vel quovis alio modo fiat.

Veniale fit mortale, dum in eo ſtatuitur ultimus finis, Dico I. Peccatum ex genere ſuo leve fit mortale, quando in eo ſtatuitur ultimus finis. Eſt certum apud omnes: tunc autem in eo conſtituitur ultimus finis, quando quis ita afficitur materiæ veniali, ut propter eam conſequendam ſit paratus violare præceptum obligans ſub mortali: ille enim creaturam appretiativè præponit Deo ejuſque amicitiæ; adeòque ordinem ad verum ultimum finem deſtruit: quemadmodum mortaliter peccans communiter dicitur hâc ratione in creatura interpretativè conſtituere ultimum finem. Unde qui die feſto ita inhæret vanæ converſationi, ut propterea paratus ſit omittere ſacrum, aut nollet illam deſerere, quàmvis eſſet graviter prohibita, peccaret mortaliter: nam talis habet affectum tranſgrediendi potiùs præceptum graviter obligans, quàm deſerendi objectum veniale. Quod rectè extendit *Suarez d.* 22. *de pœnit. ſect.* 4. *n.* 11. ad opera indifferentia, immo bona, v.g ſtudium &c. quia militat eadem ratio.

Non ſufficit tamen diſpoſitio habitualis, quâ quis ita eſt affectus, ut facilè & reverà committeret opus veniale, etſi ſciret eſſe prohibitum ſub mortali: nam diſpoſitio habitualis non influit in actum. Unde requiritur actualis affectus, quem operans in ſe advertat; ita ut hæc inordinata objecti venialis appretiatio habeatur ex vi præſentis amoris ſeu affectûs.

Dico II. Peccatum ex genere leve fit mortale, ſi fiat ex intentione finis graviter mali. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia medium imbibit malitiam finis, ſive ipſum ſit bonum, ſive malum, ſive indifferens. Non habet tamen idcirco mortalem malitiam diſtinctam à malitia mortali finis; ideòque ſufficit in confeſſione explicare voluntatem finis, ſicuti dum medium indifferens ad finem mortalem adhibetur. 58. *Vel dum fit ob finem graviter malum,*

Dico III. Peccatum ex genere veniale fit mortale, ſi fiat ex contemptu. Ita omnes Theologi cum *S. Bernardo l. de diſpenſat. & præcep. c.* 12. ubì de levioribus præceptis ait, *non contemni ſine crimine.* Deinde ſubdit: *Porrò contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis & communiter damnabilis eſt.* Idem ſupponit Pius V. apud *Portel V. Statutum in Additione,* ubì declarans Franciſcanos ad peccatum mortale non adſtringi per ſtatuta Religionis etiam Apoſtolica, excipit inter alia: *dummodo non ſit contemptus.* Indiget nihilominus concluſio ulteriori declaratione. Pro qua 59. *Aut ex contemptu.*

Adverte I. contemptum alium eſſe materialem, qui reperitur in opere vel in omiſſione, quo perſona actu poſtponitur alteri rei vel perſonæ, etſi iſta poſtpoſitio directè non intendatur. Quo modo omnis mortaliter peccans dicitur à Patribus & Doctoribus Deum contemnere, ipſum poſtponendo creaturæ. Alium eſſe contemptum formalem (de quo hîc quæritur) dum ſcilicet iſta poſtpoſitio directè intenditur. Eſtque actus, quo aliquis deſpicitur ac vilipenditur, vel quo aliquid fit, ut interna animi vilipenſio oſtendatur aut ſimilis apud alios gignatur. Reperitur autem primò & formaliſſimè in actu intellectûs vilipendentis; qui cùm liberè eliciatur, ſupponit libertatem voluntatis conſentientis, ſeu imperantis iſtum actum. Eſtque iſte contemptus interior, & peccatum intellectûs, quod interiùs conſummatur, ſicut hæreſis. Contemptus autem exterior eſt ſignum ſeu opus expreſſivum contemptûs interioris; & procedit à volitione, quâ is qui in corde contemnit vult ſuum iſtum contemptum per opus externum notificare. Sicut hæreticus internus vult ſuam hæreſim ſignificare per opus exterius, quod dicitur hæreſis externa. 60. *Contemptus, alius materialis,* *alius formalis.*

Adver-

61. *Peccare cum contemptu, & peccare ex contemptu, in quo differant.*

Adverte II. aliud eſſe peccare cum contemptu, aliud peccare ex contemptu. Priori modo peccat, qui interiùs quidem contemptum fovet, non tamen ex contemptu movetur ad tranſgreſſionem legis, neque hanc tranſgreditur idcirco, ut ſuam vilipenſionem oſtendat: quàmvis ſi abeſſet interior contemptus, atque adeò adeſſet debita legis ac legiſlatoris æſtimatio, non foret tranſgreſſio tam frequens, & tunc ipſa tranſgreſſio legis non accipit ſpecialem malitiam, ſed tota malitia contemptûs interiùs conſummatur. Poſteriori modo, ſive ex contemptu peccat, quando contemptus movet ad tranſgreſſionem; quæ tunc cenſetur contemptus exterior, habens interiorem contemptum pro objecto quod ſignificat ſeu exprimit. Et hæc tranſgreſſio propriè eſt peccatum externum contemptûs (de quo agitur) participatque malitiam interioris contemptûs.

62. *Peccatum ex contemptu nō coincidit cum peccato ex certa malitia,*

Adverte III. non rectè à quibuſdam confundi peccatum ex contemptu, cum peccato ex certa malitia. Nam in primis ex hoc capite veniale non fit mortale, neque ſpecialis accedit malitia. Deinde poteſt quis peccare ex contemptu, qui tamen movetur aliquâ paſſione. Non rectè etiam ab aliis confunditur cum peccato ex conſuetudine: nam poteſt eſſe peccatum ex contemptu ſine conſuetudine; uti poteſt eſſe ſine ea ipſe contemptus. Poteſt etiam conſuetudo eſſe ſine contemptu. Neque ex conſuetudine accedit nova aut mortalis malitia v.g. mendacio jocoſo, verbo otioſo &c. Immo conſuetudo non eſt unus ſpecialis actus, uti eſt contemptus: neque diſtinguitur ipſa ab ipſo habitu vel actibus frequentatis, à quibus tamen diſtinguitur ipſe contemptus. Malitia equidem vel conſuetudo poteſt generare contemptum, & interdum facere aliquam præſumptionem ejuſdem. Non rectè denique confunditur à variis peccatum contemptûs cum peccato formalis inobedientiæ: cùm etiam peccatum contemptûs poſſit dari contra conſilia; quæ tamen non ſunt materia obedientiæ, adeòque nec formalis inobedientiæ, quæ utraque præſupponit præceptum. Quamquam inobedientiæ interdum tribuatur nomen contemptûs, quòd illa hunc ſupponat, ſeu ex hoc naſci ſoleat, veluti aptum medium ad ſuperiorum contemptum. Quòd ſi etiam quis multùm contendat cum Nonnullis ipſam inobedientiam, etſi non ſolam, eſſe formaliſſimè contemptum, quaſi contemnere formaliter ſit nolle ſeu renuere aliquam rem ſecundùm ſe, prout per inobedientiam formalem quis renuit legibus ſe ſubjicere, & inde ad earum tranſgreſſionem movetur; nolim cum his ſeriosè verbi controverſiam facere.

Nec cum peccato ex conſuetudine,

Neque generatim cum peccato inobedientia formalis.

63. *Alius eſt contemptus materiæ præceptæ, alius ipſius legiſlatoris.*

Adverte IV. alium eſſe contemptum ipſius rei ſeu materiæ præceptæ, alium ipſius legiſlatoris, adeoque præcepti ut ſic. Itaque contemptus rei præceptæ in materia gravi eſt peccatum mortale, in materia autem levi tantùm veniale, niſi aliquando per accidens, ut ſi parva res contemnatur cum aliquo errore in fide. Contemptus verò legiſlatoris ſemper eſt peccatum mortale, ſi legiſlator ſit Deus, quantumvis res ratione cujus contemnitur ſit in ſe parva & modica: quia contemptus Dei, ſicut & odium ejuſdem, non poteſt non eſſe peccatum graviſſimum. Magna enim eſt irreverentia Deum directè contemnere, & indignam de illo æſtimationem habere, vel in deſpectum illius quidquam facere. Immo certum putat *Oviedo Tr.6.Controv.3.n.68.* contemptum Dei præcipientis ſecundùm ſe ſemper continere peccatum hæreſis, eò quòd vilis æſtimatio de Deo præſupponat denegationem alicujus perfectionis, vel attributionem alicujus imperfectionis: intellectus enim non deſpicit, quod optimum eſſe omniquc defectu carere judicat. Alii nihilominus cenſent, quòd ſicut poteſt quis eſſe externus idololatra & infidelis contra præceptum confeſſionis fidei abſque interno errore, ſic etiam poſſet quis practicè velle quid agere in deſpectum Dei, ſine interno errore aut falsâ exiſtimatione. Conſequenter dicendum eſt, gravem ſubeſſe culpam, etſi quis dicatur tantùm peccare ex contemptu parvi alicujus præcepti divini ut ſic (quidquid dicat *Leſſius lib. 2. de Virtut. Card. c. 46. dub. ult. n. ult.*) nam ſic etiam divina poteſtas legiſlativa contemnitur; adeòque ſicut graviter peccat, qui in re etiam minima injuriam facit divinæ veritati ei diſcredendo, ſic etiam qui injuriam facit divinæ poteſtati legiſlativæ eam contemnendo. Quod multo clarius eſt, & admittit etiam *Leſſius*, ſi divinum præceptum contemnatur tamquam vanum & inutile, ideoque quis nolit ei obedire: nam ibi continetur error in fide & tacita blaſphemia. Similiter etſi conſilia Chriſti ſine culpa omittantur, non tamen ſine graviſſimo peccato contemnuntur tamquam vana aut vilia, aut in deſpectum Dei.

Hic ſemper eſt mortalis, ſi legiſlator ſit Deus.

Etſi ſit præceptum leve.

Immo graviter peccat contemnens divina conſilia.

64. *Contemptus legiſlatoris humani, quà homo eſt, non ſemper eſt mortalis.*

Si legiſlator ſit homo, & contemnatur, non tamquam ſuperior, ſed tamquam homo habens aliquos defectus, v.g. quatenus eſt imprudens, ſtupidus, infimæ ſortis &c. ſi ex hoc contemptu nolis ei obedire in re levi, non erit peccatum mortale: etſi contemptus conjunctus ſit cum levi aliqua indignatione; ut ſi aliqualiter ſuperiori offenſus non velis ipſum eâ in re afficere ſolatio: tunc enim non contemnitur formaliter ejus poteſtas, ſed perſona ob defectus quos habet: quàmvis id ſit valde periculoſum, & facilè contingat, ut vilipenſio perſonæ vel amaritudo circa illam redundet in contemptum poteſtatis.

Si verò

65. *Secùs eſt de contemptu illius quà ſuperior eſt, & tranſgreſſione cõſequente.*

Si verò quis violet legem ex contemptu legiſlatoris humani ut ſic, committitur ſpeciale peccatum mortale, ita ut ſi aliundè opus ſit mortaliter peccaminoſum, accedat hinc ſpecialis malitia mortalis, ſi veniale, malitiæ veniali accedat alia mortalis contemptûs. Ratio eſt: quia etſi res imperata ſit levis, tamen ex eadem imperatur poteſtate, quâ res gravis; adeòque ſemper peccat graviter, qui peccat ex contemptu hujus poteſtatis à Deo datæ. Unde paſſim Doctores tradunt Religioſum peccare mortiferè, ſi ex contemptu regulas vel juſſa ſuperioris violet, dum videlicet non ex negligentia aut cupiditate, ſed quia non vult regulæ aut ſuperiori ſubjici, juſſa tranſgreditur, vel dum eo fine directè violat, ut ſuperioris mandatum aut regulæ ordinationem ſe nihili facere oſtendat: hæc enim ſunt valde gravia; nec poſſunt cadere, niſi in malignum animum, & contemptorem ſui inſtituti, & judicij auctoritatiſque Eccleſiæ, quâ inſtitutum eſt confirmatum, & poteſtas ſuperiori tradita. Et hæc quidem indubitata videntur, ſi peccatum fiat ex abſoluto contemptu poteſtatis ſuperioris. Nihilominus ſi quis legiſlatorem ejuſque præcepta abſolutè non contemnens, ſed obedire in rebus gravibus paratus, vilipenderet illius poteſtatem ac præceptum quatenus præcisè verſatur in aliqua levi materia, v. g. in ſilentio ſervando, probabile multis videtur, contemptum non fore mortalem, adeòque nec peccatum fore mortale, quod ex tali contemptu fit: ſicut enim poteſt dari levis contemptus aliarum rerum aut hominum, ſic & parvæ legis aut poteſtatis humanæ legiſlativæ quatenus in levi materia verſatur: immo juxta Varios hic contemptus non differt à formali inobedientia (cui ſaltè valde affinis eſt) quæ poteſt eſſe venialis ex levitate materiæ juxta *Leſſium ſup.* & plures alios. Plerique tamen Doctores indiſtinctè aſſerunt omne peccatum ex contemptu legiſlatoris, utpote vicem Dei gerentis, eſſe mortale, & redundare in contemptum ipſius Dei. Quâ ratione *Lucæ* 10. Chriſtus dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Id ſaltem dicendum, hujuſmodi præciſionem ac reſtrictum contemptum non ſolere à contemptoribus adhiberi.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo opus veniale fiat mortale ratione periculi?

66. *Opus non mortale fit tale ratione periculi proximi.*

Dico: Opus alioquin venialiter malum, immo indifferens fit peccatum mortale ratione proximi periculi incidendi in mortale. Ita omnes Doctores: nam ille operans convincitur ſalutem ſpiritualem contemnere, & interpretativè cenſetur ipſum peccatum velle, qui tãtum illius periculum amat. Remotum tamen periculũ non ſufficit: ideoq; peccatum veniale non ſtatim fit mortale, etſi ad hoc remotè diſponat.

Cenſetur autem proximum periculum morale, quando occaſio ex ſuo genere eſt talis, ut frequentiùs (prout Varii loquũtur) vel ferè ſemper (ut loquuntur Alii) vel ordinariè ſeu ut plurimùm (ut Alii) homines ſimilis genii & cõditionis inducat ad mortale, vel experimento conſtet in hoc homine effectum talem habere. Quod poſtremum addo: nam fieri non rarò poteſt, ut varia, quæ in ſe ſeu ex genere non ſunt proxima occaſio ſeu periculum peccati, ſint tamen in certa perſona, attentâ ejuſdem conditione: cui proinde ſunt vitanda ſub peccato mortali, niſi aliundè excuſetur. Semper tamen eſt neceſſarium, ut operans advertat periculum, aut illud ſubeſſe ſibi perſuadeat, aut certè practicè de illo dubitet: alioquin non poſſet imputari in culpam ei in cujus mentem non venit, quantumvis verè ſubeſſet. Ex quo principio frequenter poſſunt plurimi à peccato, ſaltem mortali, excuſari opere non ſubſecuto, ob naturalem periculi inadvertentiam, aut imperfectam advertentiam; illi præſertim, qui rudioris ſunt ingenii, ideoque futuros eventus neſciunt prævidere. 67. *Quando cenſeatur proximum periculum.*

Quomodo pœnitens illud in confeſſione explicare debeat.

Debet porrò in confeſſione non tantùm exprimi periculum, ſed etiam ipſe actus & circumſtantiæ mutantes ſpeciem actûs, cujus periculo quis ſe expoſuit: cùm periculum ſumat ſpeciem & malitiam à peccato cujus eſt periculum. Si tamen peccatum eâdem moraliter actionè ſubſequatur, ſufficienter in eo explicatur ipſum periculum: alioquin neceſſarium eſſet explicare periculum, item quot diſtinctis moraliter vicibus quis ſe illi expoſuerit.

68. *Confeſſarij abſolvere debent manẽtem in occaſione remota:*

Hinc Confeſſarii debent diligenter attendere, utrùm pœnitens ſit in occaſione proxima vel remota tantùm peccandi mortaliter. Et quidem ſi occaſio ſit tantùm remota, pœnitens certò abſolvendus eſt, ut patet ex ſenſu omnium: maximè cùm in humano conſortio foret difficillimum, ac moraliter impoſſibile, ab iis occaſionibus recedere: *Alioquin* (ut dicebat Apoſtolus 1. *ad Cor.* 5.) *debueratis de hoc mundo exiiſſe*; adeò nẽpe familiares ſunt hæ occaſiones in ſingulis ferè hominum ſtatibus, officiis & negotiis, etſi inæqualiter. Indubiè tamen ſuadendum eſt, ut etiam has occaſiones, quantùm commodè fieri poteſt, quiſque ſtudeat vitare, periculoſioribus officiis, negotiis, converſationibus ceteriſque actibus amputatis: prout vitare ſtudent, qui ſeriam ſalutis curam habent.

69. *At in proxima occa-*

Si autem ſit occaſio proxima, in qua pœnitens ordinariè labitur in peccatum, non eſt abſolvendus regulariter, juxta omnes Doctores

ſione manẽtem ſine abſolutione dimittere.

Doctores, & *Rituale Pauli V. Tit. de Sacramento pœnitent.* Niſi firmiter proponat illam relinquere quamprimùm poteſt: nam talis in ejuſmodi periculo peccatum interpretativè diligit; immo ipſum periculum ei in peccatũ cedit: adeóq; non habet propoſitum abſtinendi à peccato, niſi abſtineat à periculo. Idque verum eſt juxta *Averſa q. 11. de pœnit. ſect.* 3. non tantùm ſi ſit occaſio pertrahens ordinariè hominem ad peccatũ certæ ſpeciei, ſed etiam ſi ad aliquod indefinitè, modò hoc, modò aliud; v. g. ſi quis ex ſocietate alterius experiatur ſe ordinariè induci ad peccandum mortaliter, ſive peccato furti, ſive fornicationis, ſive aliquando alicujus alterius: eſt enim eadem ratio. Hujuſmodi tamen occaſio proxima indefinitè ad varia peccata non ſolet ita occurrere, ſicut ad certum peccati genus. Quòd ſi pœnitens bis terve fidem fefellerit, Confeſſarius inſtar medici, non obſtante propoſiti aſſeveratione adhuc aliàs ſibi vel alteri factâ eum non abſolvat, donec cum effectu occaſio relinquatur: experientia enim docet ejuſmodi pœnitentes exinde maturare dimiſſionem occaſionis (ſimile eſt de reſtitutione) & plerumq; alioquin de ea poſteà non curare, ſed peccata peccatis cumulare, præſertim eos qui rarò per annum confitentur.

Etſi ſit occaſio peccati alicujus mortalis indefinitè.

Cautela pro Confeſſario dum pœnitens aliquoties fidem fefellit,

70. *Abſolvi poteſt, dum ab occaſione aufertur periculi propinquitas,*

Dixi *regulariter*: nam in primis ſi in futurùm à tali occaſione auferatur periculi propinquitas per alias circumſtantias, vel media extraordinaria, quibus prudenter ſperet homo ſe præſervare à peccato, poterit talis abſolvi: eò quòd deſinat obligatio deſerendi occaſionem, utpote non ampliùs proximam. Secundò etſi maneat proxima occaſio, immineat tamen grave malum v. g. in fama, fortunâ &c. vel ſit in proximo neceſſitas cui aliter ſuccurri non poteſt, poteſt abſolvi pœnitens, cùm tunc occaſio non ſit moraliter auferribilis, adeòque ſit involuntaria & tantùm permiſſa: unde ſicut tunc non adeſt obligatio illam deſerendi, ſic ex hac parte nihil obſtat, quò minùs pœnitens abſolvatur. Ita plerique Doctores, & conſonat illud, quod ex *Baſilio cap. 4. Conſtitutionum monaſticarum* referri ſolet (ubì tamen non reperiuntur ſimilia verba, & docente contextu agitur etiam de fugiendis periculis remotis; quod ſolùm eſt conſilii) *Qui urgente aliquâ causâ & neceſſitate ſe objicit periculo, aut permittit eſſe in illo, cùm tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm invitus illud ſubire; & ideo magìs providebit Deus ne in illo pereat.*

Vel dum ipſa deſeri non poteſt ob neceſſitatem,

Allegari etiam ſolet c. *Conſultationi*, Et c. *Laudabilem, de Frigidis*, ubì impotentibus permittitur cohabitatio, ob ſcandalum & infamiam vitandam; cùm tamen ſupponi debeat periculum proximum. Sed contrà facit quòd non debeat ibi præſupponi periculum proximum: uti non præſupponitur in iis, qui poſt votum continentiæ manent cohabitantes. Vitatio quoque ſcandali vel infamiæ non videtur ſubeſſe: cùm in Canonibus citatis ſupponatur res publica & publicè diſcuſſa. Quare potiùs ſequeretur ſcandalum & infamia ex tali cohabitatione, ſi alia cauſa deeſſet, & periculum proximum ſubeſſe ſupponeretur.

Debet autem Confeſſarius in particularibus caſibus prudenter conſiderare, an reſpectu hujus pœnitentis meritò cenſeri poſſit malum notabile comparatione periculi peccati, an etiam malum verè immineat, an denique aliter impediri nequeat. Interea varii caſus ſpecificantur à Caſuiſtis, ut *Navarro c. 3. Manualis* & aliis. Et certè aliqui nimiùm videntur excedere, dum ubi agitur de morte animæ vitanda, nimis facilè determinant, malum aliquod eſſe notabile; prout *Joannes Sancius in Selectis diſp.* 10. *num.* 10. inter damna notabilia recenſet, ſi quis per ablationem occaſionis, puta per dimiſſionem concubinæ, privaretur commoditate & jucunditate quam capit ex cibis ab illa ſibi paratis, cùm non inveniat aliam ſimilem.

71 *Quæ cauſa ſeu neceſſitas ſufficiat, relinquitur in particularibus caſibus judicio confeſſarii.*

Quorumdam nimia laxitas taxatur.

Tanta porrò poteſt eſſe neceſſitas, ut non obſtante periculo alioquin proximo peccati, teneatur quis opus aggredi vel proſequi, v. g. ſi alioquin parvulus in domo concubinæ certò moreretur ſine baptiſmo; vel quando aliàs proximus eſt in extrema neceſſitate: nam taliter conſtituto debet quis ſuccurrere jure divino; meritoque is ſperabit auxilium in periculo tam inevitabili, concurrente præſertim lege charitatis proximi. 72.

Neceſſitas poteſt eſſe tanta, ut etiam obliget non obſtante periculo.

Dices: Si quis ex revelatione Dei certò ſciret ſe damnandum, poſito quòd talem domum intret vel inhabitet, tenetur ab ejus ingreſſu abſtinere, poſthabito quovis alio malo temporali; atqui peccatum eſt majus malùm quàm damnatio: ergo pro illo vitando non minùs tenetur quis abſtinere ab ingreſſu domûs v. g. concubinæ, ex quo peccatum moraliter certò ſecuturum ſupponitur, poſthabito quovis malo temporali. Reſp. Neg. Conſ. quia urgente neceſſitate poteſt & debet pœnitens ſperare de divina bonitate & gratiâ, adhibitis cautelis ſuggerendis, ſe non lapſurum in occaſione, quam alioquin paratus eſſet dimittere: ſicut ſperare debet, & abſolvi poteſt, cui vitare occaſionem eſt phyſicè impoſſibile, v. g. ob periculum in propria carne, ob inevitabilem concluſionem in eodem loco cum concubina &c. In caſu autem ficto antecedentis, damnatio foret phyſicè certa & abſolutè inevitabilis; cùm in caſu noſtro peccatum adhuc occaſione ſuppoſitâ pendeat à libera voluntate, & ſit futurum contingens. Adde damnationem eſſe

eſſe malum irreparabile, & ſpectatis annexis longè majus peccato, immo eſſe refertum peccatis per totam æternitatem ingeminandis.

Loquendo autem de peccato proprio finali tenetur homo quocumque diſpendio periculum proximum in illud incidendi auferre: hoc enim damnum eſſet irreparabile & æternum.

73. *Quid nihilominùs pœnitenti in occaſione, quam non obligatur deſerere, cõſtituto ſit faciendum.* Nihilominus in caſu, quo pœnitens moraliter non poteſt occaſionem proximam amputare, debet adhuc efficaciter de peccatis dolere, ac firmiter proponere, etiam ſtante occaſione, à peccatis cavere, adhibendo preces, vitando conſortia ſolius cum ſola, & utendo ceteris mediis à Confeſſario miniſtrandis. Quod quidem propoſitum mirabiliter adjuvatur à fiducia, quâ quis credit & ſperat quòd reſiſtet peccato, ideoque ad hanc eſt pœnitens prudenter inducendus à Confeſſario pro majori ſecuritate ſacramenti. Nihilominus poteſt illud propoſitum in præſenti haberi ab eo, qui putat ſe non perſeveraturum: cùm relapſus tunc non oriatur ex defectu veri propoſiti, ſed ex mutatione illius.

74. Quòd ſi is, qui non poteſt niſi cum gravi damnò occaſionem relinquere, identidem relabatur, Plurimi cenſent eſſe cogendum ad relinquendam equidem occaſionem licitè relinquibilem. Quod etſi ſit ſaluberrimum conſilium, tamen non ita conſtat eſſe graviter præceptum extra periculum mortis. Ideoque *Lugo d.* 14. *de Pœnit. ſect.* 10. *Averſa ſup.* & alii exiſtimant talem equidem eſſe abſolvendum: nam grave detrimentum facit occaſionem ei non eſſe voluntariam aut peccaminoſam: moralis autem certitudo relapsûs ſtat cum præſenti cõtritione & propoſito non peccandi; prout patet in relabentibus in peccata venialia, quibus ob hoc non denegatur abſolutio. Sic etiam abſolvuntur qui in propria carne proximum peccandi periculum patiuntur, vel ſine illo identidem relabuntur. Nec obſtat, quòd Rituale Pauli V. doceat, non eſſe abſolvendos, qui manent in occaſione proxima peccati: loquitur enim de illis qui manent ex ſua culpa & voluntariè; non autem de illis qui coactè & neceſſitate excuſante compulſi. Interdum tamen prudens Confeſſarius meritò dubitabit de efficacia propoſiti, attentâ conditione pœnitentis, qualitate peccati, vehementiâ occaſionis, diuturnâ & toties repetitâ reincidentiâ. Et juxta hoc prudenter ſubinde abſolutionem negabit ſive ad tempus differet, ut pœnitens ad majorem cuſtodiam & peccati æſtimationem, firmumque propoſitum inducatur. Quod etiam in illis locum habet, qui abſque externa occaſione ex prava inclinatione & conſuetudine ſemper relabuntur. Idque utile eſſe experientia probat. Quàmvis *Joannes Sancius diſp. 9. n. 12.* judicet numquam id fore rectum conſilium in habentibus conſuetudinem peccandi, etiamſi ſint contenti.

Quid faciendum Confeſſario, ſi pœnitens identidem relabatur.

Ex dictis hâc quæſtione *Sanchez* & alii inferunt peccare mortaliter eum, qui haberet propoſitum committendi omnia venialia, quaſi in tali propoſito contineatur affectus exponendi ſe proximo peccati mortalis periculo, quod alicui ex omnibus iſtis venialibus poſſet eſſe annexum. Sed quamquam iſtud propoſitum non ſit natum elici, nec cadere niſi in animum perverſum: in rigore tamen cùm aliis Doctoribus cenſeo non eſſe mortale; non enim major poteſt in eo eſſe malitia, quàm in ipſa executione: at committere omnia, quæ dum hîc & nunc fiunt, tantùm eſſent venialia, non eſt mortale; ergo nec propoſitum illa præcisè committendi. Neque verum eſt intrà objectum iſtius propoſiti contineri aliquod veniale, cui annexum ſit periculum proximum: nam tale ſingulare peccatum non foret veniale, ſed mortale. Alioquin ſi vel in hoc ſolum peccatum tenderet propoſitum, foret ipſum indubiè mortale. Uti etiam ſi tenderet in unum vel plura opera de ſe indifferentia, quibus ſit annexum ejuſmodi periculum. 75. *An propoſitum committendi omnia venialia ſit mortale ratione periculi.*

QUÆSTIO IX.

Quomodo opus veniale vel indifferens vel alioquin bonum fiat mortale ratione ſcandali?

OPPORTUNE hîc eadem operâ præmittemus quædam de Scandalo; de quo alioquin tractari à multis ſolet in materia de Charitate.

§. I.

Quid & Quotuplex ſit Scandalum?

SCANDALUM nihil eſt aliud, quàm occaſio ruinæ ſpiritualis alterius; ſive eſt actio vel omiſſio præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis: poteſtque actio ejuſmodi eſſe, & plerumque eſt ſecundùm ſe mala: poteſt etiam eſſe ſpeciem mali habens, v.g. comeſtio cibi vetiti facta ab occultè infirmo aut diſpenſato: poteſt denique nequidem in ſe mali ſpeciem habere, v.g. egreſſus è domo, acceſſus ad templum vel confeſſionale, ex quo quis prævidetur accendendus ad amorem inhoneſtum. 76. *Quid ſcandalum propriè ſeu activum.*

Scandalum hoc ſolet dici activum, eſtque propriè dictum ſcandalum. Ipſa autem ſpiritualis ruina proximi dicitur ſcandalum paſſivum. Vulgò autem ſæpè dicitur quis ſcandalizare alios, qui dat illis occaſionem turbationis, indignationis, admirationis, ſiniſtræ opinionis &c. ſive iſti effectus in illis ſint peccaminoſi, ſive non; prout ſæpè non ſunt. At theologicè ſcandalum ſolùm dicitur, quando præbetur occaſio ruinæ ſpiritualis, ſive hæc de facto ſequatur, ſive prudenter ſecutura timeatur. Quòd ſi ſciatur non ſubeſſe probabile periculum lapsûs proximi, non committitur peccatum ſcandali conſiſtentis in pravis exemplis. Et ſic excuſantur multi à peccato ſcandali, ſive quia præſentes ſunt ita in bone firmati, ut nullatenus credantur inde ad peccatum movendi (quo ſenſu dici ſolet ſcandalum non cadere in perfectos) ſive quia ſunt ita depravati, ut non ſit periculum, ne exemplum pravum illos immutet in pejus, aut in novum peccatum inducat.

Quid ſcandalum paſſivum.

77. Poteſt tamen malitia ſcandali reperiri citra periculum lapsûs proximi, quando ſcandalizans conſilio vel alio modo directè intendit ruinam ſpiritualem: prout intendebat diabolus tentans Chriſtum, ſed fruſtrà. Regulariter quoque præſumendum eſt ex publicis actis de ſe ſcandaloſis oriri in aliis peccata, ſive ſimilia ſive diſſimilia, v. g. vivendi liberiùs, contemnendi virtutes, Religionem, Eccleſiaſticas perſonas ſeu ſtatum ipſum &c. id enim per ſe natum eſt fieri, per accidens autem eſt, quòd nullus inde moveretur. Unde in confeſſione explicandum eſt, ſi publicè peccaveris, & conſequenter periculum ſcandali modo meliori quo potes. Quamquam in rigore non foret peccatum ſcandali, quantumvis coram plurimis commiſſum, ſi inde non niſi peccati deteſtationem, admirationem, fundatam ſuſpicionem, aut ſimilem effectum non peccaminoſum oriturum eſſe prudenter putaretur. E contrà patet, quàm graviter peccent, qui peccatis publicis ſcandala velut perpetua excitant: prout faciunt quantùm eſt de ſe Hæreſiarchæ, & reliqui pravorum dogmatum propagatores.

78. Scandalum activum eſt duplex. Aliud per ſe, quo intenditur ruina ſpiritualis proximi, ſive ex induſtria & intentione expreſſa operantis, ſive ex intentione ipſius operis, quod ex natura ſua invitat proximum ad peccatum. Aliud per accidens, in quo lapſus proximi præter intentionem operis & operantis oritur ex mala proximi voluntate.

Scandalum activum, aliud per ſe, aliud per accidens.

Similiter ſcandalum paſſivum eſt duplex, datum videlicet & acceptum. Scandalum datum (quod etiam puſillorum ſeu infirmorum dicitur, & reſpondet ſcandalo activo per ſe) contingit, quando proximus ex ignorantia vel infirmitate labitur verè occaſione tui operis. Acceptum ſive phariſaicum (quod reſpondet activo per accidens) contingit, quando ruina proximi verè non oritur ex ſcandalo activo operantis, ſex ex malitiâ propriâ.

Scandalum paſſivum, aliud datum, aliud acceptum.

Præterea ſcandalum aliud eſt generale, aliud ſpeciale. Generale dicitur, quando non intenditur directè ſpiritualis proximi ruina quà talis. Speciale verò dicitur, quando iſta ruina ſic intenditur. Eſtque hoc peccatum diabolicum, & rarò in hominibus formaliter & expreſsè reperitur. Et ſpectat ſive ad odium Dei, ſive ad odium proximi, ſive ad aliud genus peccati, prout motivum illius eſt malè eſſe Dei vel proximi, vel aliquid aliud. 79.

Item ſcandalū, aliud eſt generale, aliud ſpeciale.

Denique ſcandalum aliud eſt directum, quo expreſsè intenditur ruina ſpiritualis proximi; prout fit in ſcandalo ſpeciali: aliud indirectum, quo ſolùm interpretativè peccatum proximi intenditur; prout fit in ſcandalo dato per malum exemplum, ex quo ſolùm prævidetur ſecuturus lapſus proximi. Si autem ſcandalum detur per conſilium, vel mandatum, ſimilemve expreſſam invitationem ad peccandum, non tamen intendendo ruinam alterius quà talem, quam potiùs deſideraret ſcandalizans abeſſe, ſed proprium lucrum, commodum &c. vocari poſſet ſcandalum directum, quatenus eſt actio ex ſe directè reſpiciens opus peccaminoſum proximi, ſecùs quàm in ſcandalo dato per malum exemplum: vocari quoque poſſet ſcandalum indirectum, quatenus ipſa ruina ſpiritualis operi annexa formaliter ſeu directè non intenditur, ſed ſolùm interpretativè ratione operis, cui eſt annexa. Scandalo indirecto Nonnulli annectunt omiſſionem correctionis fraternæ: quod tamen ſpectat ad quæſtionem de nomine, nec immutat aliquid circa malitiam ejuſdem omiſſionis, de quo ex profeſſo agitur in materia de Charitate. Paſſim autem nomine Scandali intelligi videtur occaſio ſpecialis objectivè quaſi alliciens ad peccandum, diſtincta à non poſitione impedimenti. Sed de nomine non eſt contendendum.

Denique aliud directum, aliud indirectum.

§. II.

An Scandalum ſit peccatum, & quando contineat ſpecialem malitiam etiam contra Charitatem?

SCANDALUM activum per ſe loquendo eſſe peccatum eſt apud omnes indubi- 80.

Scandalum certò eſt

peccatum per ſe loquendo

indubitatum, ex Scriptura *Matth.* 18. *Qui ſcandaliʒaverit unum de puſillis iſtis .... expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus &c. Væ mundo à ſcandalis &c. Væ homini illi per quem ſcandalum venit. Ad Rom.* 14. *Malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.* Et 1. *ad Cor.* 8. per totum. Unde *Chryſoſtomus Hom.* 20. *in* 1. *ad Corinth. Eſt quovis vulnere gravius ſcandaliʒare ſeu offenſionem adferre.* Ratio eſt manifeſta: quia inferre voluntariè malum ſpeciale proximo ſeu eſſe occaſionem illius, per ſe apparet diſſonum rationi, & quidem graviter ex genere ſuo ob gravitatem damni, uti & ob virtutem charitatis vel miſericordiæ (ſi tamen diſtinguantur inter ſe) cui id opponitur.

Ex genere mortale.

81. Controvertitur autem inter Doctores, an ſcandalum etiam generale habeat ſpecialem malitiam contra charitatem proximi. Nam *Vaſquez* (prout ordinariè intelligitur) & multi alii contendunt ſolum ſcandalum ſpeciale habere ſpecialem malitiam contra charitatem. Verùm ſic rariſſimè cõmitteretur peccatum proprium, ſeu malitia ſcandali; cùm tamen Auctoritates peccatum iſtud reprehendant tamquam inter homines uſitatum & frequens. Immo *ad Rom.* 14. & 1. *ad Cor.* 8. expreſsè agi videtur de ſcandalo generali per malum exemplum dato.

In ſcandalo etiam generali reperitur malitia ſpecialis contra charitatem proximi.

Unde melius *Sylveſter, Navarrus, Suareʒ diſp.* 10. *de Charitate ſect.* 2. *Coninck de Virtut. Theologic. diſp.* 32. *dub.* 5. & alii (à quibus ſolo nomine malitiæ ſpecialis differre Auctores alterius opinionis probat *Arriaga Tract. de Charitate diſp.* 49. *ſect.* 6.) cenſent ſcandalum habere ſpecialem malitiam contra charitatem, ſive ſcandalizans directè intendat ruinam proximi ut ſic, ſive non. Ratio eſt: quia charitas obligat nos, ut quantùm commodè poſſumus impediamus peccatum proximi, ſicut & alia mala, & ob hoc omiſſio correctionis fraternæ repugnat ſpecialiter obligationi charitatis: ergo multò magìs ipſa obligat, ne peccatum proximi procuremus, ſive directè intendendo, ſive interpretativè, dando ſponte peccandi occaſionem.

Confirmatur I. Quia in moralibus intentio directa & interpretativa ſunt ejuſdem rationis, quando diſſonantia ſeu malitia non ſumitur ab objecto formali, ſed ab effectu; prout ſumitur in ſcandalo, utpote ad quod per ſe & proximè tantùm conducit actio externa: ergo ſi directa ſpiritualis ruinæ intentio ſit ſpecialitèr contra charitatem, erit etiam intentio interpretativa, quæ in præſenti concurrit.

Confirmatur II. Quia in aliis materiis peccatur contra charitatem faciendo aliquid ex quo per ſe ſequitur damnum proximi v. g. mors corporalis, etſi hæc expreſsè non intendatur; cur ergo non ſimiliter in præſenti materia, in qua agitur de morte ſpirituali.

Non eſt tamen oppoſitio iſta tam ſpecialis, quàm illa quæ cernitur in ſcandalo ſpeciali, & dici poſſet ſpecialiſſima: nam actus ſcandali generalis non ita diametraliter opponitur actui charitatis ex modo tendendi in objectum, uti opponitur actus odii vel ſcandali ſpecialis. Ideoque dici ſolet, quòd ſcandalum generale repugnet charitati, quatenus repugnat præceptis & obligationi illius. Sicut etiam omiſſio actûs amoris præcepti aliter adverſatur charitati, quàm actus poſitivus odii. Nihilominus malitia præfata eſt ſpecialis, quia non invenitur in omni peccato mortali: non enim in mortalibus merè internis, nec in externis quæ ſecretò fiunt, aut ubì non eſt periculum ruinæ proximi. Ex quo ulteriùs apparet, cur potiùs illa ſit exprimenda in confeſſione, quàm malitia contra charitatem propriam, quæ videtur eſſe in omni peccato mortali; nempe quia hæc ſatis generaliter ſubintelligitur, non iſta. 82.

Specialior tamen adhuc reperitur in ſcandalo ſpeciali.

Dices: Ergo conſulens alteri homicidium graviùs peccaret, quàm ipſe occidens: uterque enim peccaret contra propriam charitatem & contra juſtitiam proximi; conſulens verò peccaret inſuper contra charitatem proximi. Reſp. cum *Lugo, Oviedo* & aliis Conc. totum: quia talis, & homicida eſt, & dat alteri graviſſimum ſcandalum: ideoque malum conſilium conſultori peſſimum. Idque clariùs apparet in mandante homicidium; qui, ſi ſuperior ſit, habetur etiam in foro externo pro primario auctore. Reſponderi poteſt II. Neg. ſeq. quia etſi conſulens peccet multipliciùs, fieri tamen poſſet, ut diverſus modus concurrendi ad homicidium efficeret peccatum ipſius phyſici homicidæ æquivalenter gravius & majori pœnâ dignum. Homicida enim eſt cauſa efficax, ſcandalizans inefficax quodammodò: homicida eſt cauſa adæquata & neceſſaria; non ita ſcandalizans. Ita *Suareʒ* & alii. 83.

An conſulens alteri homicidiũ graviùs peccet ipſo homicidâ.

Itaque ſcandalum activum, etſi generale, datum juſſu vel conſilio, ſimilive directâ incitatione, ſi ſit opus in ſe peccaminoſum, præter malitiam operis in ſe, habet inſuper malitiam ſpecialem contra charitatem proximi, & præterea malitiam ſpecialem peccati ad quod proximum inducit: quandoquidem illud expreſsè velit fieri. Hæc autem malitia poſtrema quandoque eſt ejuſdem, quandoque diverſæ ſpeciei; prout ſcandalum paſſivum, ſive peccatum proximi eſt ejuſdem vel diverſæ ſpeciei cum ſcandalo activo: nam publicè peccans peccato ſuo inducit proximum ſubinde ad peccatum ſimile faciendum, 84.

Scandalum activum datum juſſu vel conſilio præter malitiam operis in ſe participat malitiam operis alieni, & alteram cõtra charitatem.

ſubinde etiam ad peccatum alterius ſpeciei; ut ſi quis ob peccatum alicujus concipiat temerariam opinionem de Religione aut ſtatu Eccleſiaſtico, exiſtimans ceteros aut plures eſſe tales, ideoque Religionem aut ſtatum contemnat. Unde publicè peccantes obligantur exprimere tum circumſtantiam ſcandali ob periculum ruinæ ſpiritualis proximi, tum ſpeciem peccati ad quod juſſu aut conſilio incitarunt, ac denique quantùm fieri poteſt numerum perſonarum, quibus occaſio data eſt: quidquid Aliqui quoad hoc ſecùs ſentiant, quorum opinionem tamquam probabilem & in praxi tutam defendit *Dicaſtillo diſp.9. de pœnit. n.*351.

85. Quando autem ſcandalizat quis alterum ſolùm indirectè malo exemplo, adhuc reperiri malitiam ſpecificam peccati ad quod proximus inducitur per exemplum, v. g. contra caſtitatem, juſtitiam &c. prout fuerit peccatum proximi, valde probabiliter docet *Sanchez*, *Azorius*, *Dicaſtillo* & plures alii; & defendere debent quotquot non agnoſcunt in ſcandalo indirecto malitiam ſpecialem ſcandali. Ratio eſt: quia ex obligatione primaria virtutis, v.g. juſtitiæ, in altero videtur in me reſultare obligatio non faciendi aut procurandi directè vel indirectè tranſgreſſionem alterius, neque illum impediendi in impletione debiti officii virtutis, v.g. juſtitiæ. Aliud eſt de purâ permiſſione, ſeu de non impeditione tranſgreſſionis: nam ex obligatione virtutis alterum concernentis non reſultat ex ullo capite in me obligatio poſitivè procurandi, ut alter ſatisfaciat obligationi, ſecluſo officio aut contractu. V. g. juſtitia obligat, ne procurem ut alter furetur, non tamen ut poſitivè procurem ne furetur: caſtitas, ne inducam alterum ad libidinem, non tamen ut poſitivè procurem ne fornicetur &c. etſi enim poſſit juſtitia, caſtitas &c. ad hoc inclinare, non tamen obligare; ſed ad ſummum charitas.

Idem probabile eſt in ſcandalo dato per pravum exemplum,

86. Neque hinc ſequitur inducentem alterum malo exemplo ad furandum v.g. obligari in hujus defectu ad reſtitutionem: nam hanc obligationem ſola illa malitia injuſtitiæ inducit, quæ ſumitur ab actione externa per ſe & directè ex propriis circumſtantiis ordinatâ ad injuſtitiam; prout ordinatur mandatum, conſilium, petitio &c. non autem ex illa, quæ tantùm per accidens & ex circumſtantiis extrinſecis iſtam malitiā ſumit; prout fit in malo exemplo. V. g. quòd ego furer à Petro pecuniam, ex ſe non ordinatur ad hoc ut Paulus ſimile furtum committat; prout ordinatur mandatum vel conſilium. Quod clarius eſt, ſi Paulus induceretur ad furandum ex malo meo exemplo alterius generis, v. g. ex eo, quòd videret me fornicari. Neque Petrus habet directè jus contra me, ne fornicer, aut abſtineam à furto pecuniarum Joannis, ad hoc ut Paulus meo exemplo non incitetur ad furandum à Petro: ſicut habet jus, ne alteri mandem, conſulam, vel expreſsè incitem ad furandum à Petro; adeòque ego non teneor ad reſtitutionem: quia malitia injuſtitiæ, quæ eſt in meo malo exemplo non oritur ex eo, quòd ego lædam jus Petri, ſed ex eo, quòd ſpecialiter diſſonet rationi exemplo inducere Paulum ad injuſtitiam: quæ poſſet vocari malitia ſecundaria injuſtitiæ. Unde etiamſi interiùs directè intenderem meo exemplo movere Paulum ad furandum, certò quidem contraheret malitiam injuſtitiæ ille internus affectus, non tamen induceret obligationem reſtituendi; utpote quæ non oritur ex internis affectibus, ſed ex effectibus externis, ſive ex actione externa ad injuſtitiam ex ſe ordinatâ.

Citra tamen obligationem reſtituendi, ſi detur in materia juſtitiæ.

Nihilominus *Lugo d.16.de Pœnit. n.*159. & alii probabiliter docent, præter malitiam operis in ſe (ſi in ſe ſit peccaminoſum) tantùm reperiri malitiam contra charitatem proximi in quavis materia is peccet; ſicut in omiſſione correctionis ſeu non impeditione peccati proximi tantùm peccatur contra charitatem (inter omiſſionem autem & exemplum malum difficulter aſſignatur ſolida differentia) adeòque ſpeciem peccati alieni non eſſe exprimendam in confeſſione. Ex quo obiter adverte, non rectè *Baſſeum* V. *Scandalum n.* 4. & alios dixiſſe, in quavis opinione neceſſariò explicandam eſſe ſpeciem ſcandali, tum activi, tum paſſivi; ideoque præmiſſam *num.* 81. controverſiam inter *Vaſquez* & alios potiùs eſſe metaphyſicam, quàm moralem. 87.

Solam nihilominus tunc ineſſe malitiam contra charitatem, eſt probabile.

Petes I. An qui directè vel indirectè eſt alteri occaſio peccati, ad quod equidem aliundè occaſionem habuiſſet, peccet peccato ſcandali? Reſp. Aff. quia illud non excuſat, quin is de facto equidem ſit alteri occaſio peccati; adeòque ipſum ſcandalizet. Sicut ſi incendas domum, vel occidas proximum, non te excuſat ab injuſta damnificatione, quòd alius equidem id facturus fuiſſet, ſed hujus iniquitatem & obligationem præventione tuâ contrahis. 88.

Non excuſat à ſcandalo quòd proximus aliundè foret habiturus occaſionem.

Petes II. An locum habeat malitia ſcandali, quando proximus eſt habitu vel actu ad peccandum paratus? Reſp. Aff. cum *Cajetano*, *Sanchez*, *Vaſquez*, *Bonacina* & plurimis aliis contra *Suarez diſp.* 22. *de pœnit. ſect.* 4. *n.* 18. *Diana* & plures alios. Ratio eſt: quia in primis ſi proximus ſit tantùm habitu paratus, actu autem non cogitet de peccato, præbetur illi hîc & nunc occaſio talis individui peccati, quod alioquin non committeretur. Idque verum exiſtimo cum *Suarez*, *Vaſquez*, *Bonacina* & aliis, etſi quis petat 89.

Neque quòd ſit ad peccandum paratus, ſive habitu ſive actu.

petat rem indifferentem aut de ſe bonam, quam tamen certò ſcit cum peccato præſtandam, v.g. ſacramentum à miniſtraturo in malo ſtatu, mutuum ab exacturo uſuras &c. ſi æquè commodè ab alio ſacramentum, mutuum &c. accipere poterat. Proinde vulgata doctrina tradens id licere, eò quòd petas rem tibi utilem, quam alter bene præſtare poteſt & debet, quòd ſi non bene præſtet ſibi imputet; hæc (inquam) doctrina intelligenda eſt, ſi cauſa rationabilis adſit petendi à tali.

Quòd ſi proximus ſit actu paratus ad peccandum, adhuc datur ei occaſio novi & diſtincti peccati, ſcilicet determinatæ volitionis conſentiendi v.g. Petro, quæ eſt diſtinctum peccatum ab illa generali volitione ſeu propoſito peccandi. Quòd ſi præterea ſupponeretur etiam præfata determinata volitio, adhuc ſaltem datur ei occaſio hujus individui peccati externi. Etſi autem actus externus per ſe non addat fomalem malitiam interno ſecundùm veriorem doctrinam: per accidens tamen ordinarium formalem addit malitiam, quatenus eſt occaſio, ut loco actûs inefficacis eliciatur efficax aut intenſior, aut diuturnior, vel ſæpiùs repetatur. Quòd ſi denique hæc omnia ſecludantur (quod quomodo in intellectu ſeu conſcientia ſcandalizantis fieri poſſit, difficulter apparet) facilè admiſerim non fore malitiam ſpecialem contra charitatem in præbente hujuſmodi occaſionem: cùm tota ruina ſpiritualis præſupponatur. Nihilominus adhuc talis peccare poſſet peccato illius ſpeciei, in qua eſt peccatum proximi, quatenus hoc ipſum vult ſeu petit fieri. Et ſic petens ſolvi maleficium per novum maleficium ab altero ad hoc actu parato, etſi non peccaret peccato ſcandali, ſaltem peccat peccato maleficii. Similiter is, qui paratos invitat ad pugnam vel inſtrumenta ſubminiſtrat, peccat ſaltem voluntate operis alieni pravi; ac ſpecialiter ratione nocumenti corporalis inde nati ſequi, etiam injuſtè, ſaltem in uno pugnantium.

90. *An vel quomodo in peccatis quæ fiunt cum complice explicanda ſit inductio.*

Quod tamen attinet ad confeſſionem peccatorum quæ ſine complice non patrantur, cenſet quidem *Vaſquez*, referente & probabile cenſente *Caſtro Palao de Charitate diſp. 6. p. 3. num. 4.* non eſſe in confeſſione explicandam inductionem factam v. g. ad fornicandum ſecum, quaſi illa ſatis explicetur in ipſa copula, ad quam refertur, uti ipſi tactus, oſcula & cetera prævia. Probabiliùs tamen cenſet idem *Palao* cum *Sanchez* & aliis id non ſufficere: cùm in copula non intelligatur ſatis inductio, utpote quæ regulariter non eſt in feminis. Equidem dici poteſt in explicatione copulæ ſatis intelligi à communiter accidentibus virum induxiſſe, quando contrarium non exprimitur. Secùs foret; ſi contrà quàm fieri ſolet femina petiiſſet. Addit *Dicaſtillo diſp. 9. de Euchariſtia n. 233. & 238.* in peccatis quæ non niſi inter duos abſolvuntur ſingulos peccare peccato duplici, proprio ſcilicet & cooperationis ad peccatum alienum, tam qui inducit, quàm qui inductus peccat. Nam etiam hic verè cooperatur peccato alterius, quod alioquin non committeretur. Poteſtque peccatum unum ab altero ſeparari, ſi v. g. committatur cum ſtulto, ebrio, ignorante: tunc enim una pars peccat, quàmvis non cooperetur peccato formali compartis. Quia tamen hoc rarum eſt, ordinariè ſolet ſatis intelligi hæc cooperatio explicata peccato proprio.

Petes III. Ad quid teneatur, qui proximum ſcandalizavit? Reſp. quando in ſcandalizato eſt periculum recidivi, aut quòd non pœnitebit, tenetur ſcandalizans ex lege charitatis laborare ut ſcandalizatus reſipiſcat, non tamen ex juſtitia ſtrictè dicta, dùmodo fraus vel metus non intercesserit. Ratio eſt: quia ſcãdalizans tunc non intulit quidem proximo injuriam (quę non fit ſcienti & volenti) & per conſequẽs non obligatur ad reſtitutionẽ damni, utpote non injurioſè illati. Nihilominus ſicuti ex charitate tenetur tam grave animæ detrimentum à proximo tollere, etiam is qui occaſionem peccato non dedit; ſic potiori ratione obligatur pro converſione proximi per conſilia, preces, & bona exempla laborare, qui peccandi occaſionem præbuit. Quæ quidem obligatio eſt gravis, ac etiam comparativè reſpectu aliorum ſpectata à multis ſatis exaggeratur: quamquam *Leſſius lib. 2. de Juſt. c. 8. dub. 2.* exiſtimet eam tantùm eſſe ſub veniali comparativè ad alios, ſeu præ aliis: eò quòd alter ſuâ libertate peccaverit. 91. *Ad quid teneatur proximo qui ſine dolo vel metu eum ſcandalizavit,*

92. *Ad quid verò, ſi intervenerit fraus vel metus.*

Dixi *dummodo fraus vel metus non interceſſerit*: nam ſi fraude vel metu quis induxerit alterum ad peccandum, tenetur ex juſtitia fraudem detegere & metum tollere: fecit enim proximo veram injuriam: ſicut qui fraude vel metu eſt alteri occaſio damni temporalis. Tenetur inſuper damna, quæ ipſi ſcandalizato vel aliis emerſerunt, compenſare: quia hæc ſunt illata invitis per veram injuriam. Secùs eſt de damnis, quæ ex peccato ſequuntur poſt ſublatam fraudem vel metum. Denique tenetur ex charitate, etiam ſublatâ fraude vel metu, laborare ad correctionem ſeducti; idque ex quadam æquitate, ſub veniali ſaltem peccato, pluſquam ceteri.

93. *Ad quid denique etiam citra fraudem & metũ obligetur interdum alicui tertio.*

Eſt etiam reſponſio intelligenda de obligatione ſcandalizantis reſpectu ſcandalizati: nam qui mandato vel conſilio inducit proximum ad injuſtè damnificandum alios, infert aliis veram injuriam, eſto non ipſi ſcandalizato: ideoque tenetur aliis damnum paſſis reſtituere, ſive primò, ſive in defectum alterius, juxta ordinem reſtitutionis in Tract. de Juſtitia tradi ſolitum,

utpote efficaciter cooperans ad injuſtam tertii damnificationem. Si autem peccatum injuſtitiæ in proximo tantùm ſequatur ex malo ſcandalizantis exemplo, aut ex pura permiſſione, ſeu non impeditione damnificationis tertii, non eſt obligatio reſarciendi damna ipſi tertio, niſi reſpectu hujus ex officio vel contractu ſcandalizans fuerit obligatus impedire.

§. III.

Reſponſio ad Quæſtionem principalem.

94.
Veniale fit mortale dum inde proximus ſumit occaſionem peccati mortalis,

RESP. I. Opus veniale tunc ſolùm & ſemper fit mortaliter malum ratione gravis ſcandali, quando proximus inde ſumit probabilem occaſionē peccati mortalis. Ita communiter Doctores. Niſi quòd *Vaſquez d.* 102. *c.* 7. & quidam alii exiſtiment eſſe inſuper peccatum mortale ſcandali, ſi detur occaſio etiam venialis tantùm peccati ex intentione expreſſa peccati, ſive ruinæ ſpiritualis proportionatæ. Ratio eſt: quia graviter eſt inordinatum peccato noſtro veniali eſſe occaſionem proximo tam gravis mali, quale eſt peccatum mortale. At ſicut peccatum veniale eſt in ſuo genere malum leve, & ruina ſpiritualis levis, ſic non poteſt eſſe grave peccatum ad illud inducere proximum, quantumvis directè intendatur. Quemadmodum nec ipſe venialiter peccans ex directa intentione venialiter peccandi idcirco peccat mortaliter. Quemadmodum etiam leve damnum corporale proximo inferens non peccat graviter, etſi illud inferat cum expreſſa damnificandi intentione.

Secùs, ſi ſolùm venialis etſi à ſcandalizante directè intenti,

95. Quòd ſi quis urgeat gravitatem nocumenti, quod etiam veniale cauſat; præſertim pœnas purgatorii. Reſpondetur id etiam aliis eſſe ſolvendum: nam inde pariter ſequeretur (quod tamen nemo admiſerit) quemlibet peccare graviter, qui ſibi aut alteri eſt occaſio venialis peccati, etiam ſine directa intentione ruinæ: quia poneret cauſam ex qua prævideretur grave damnum ſecuturum. Itaque nocumentum iſtud eſt leve in genere ſuo, & facilè reſarcibile. Sicut etſi quælibet fama longè ſuperaret quamlibet pecuniam, non tamen quælibet detractio foret mortalis, quia aliqua fama per ordinem ad aliam famam eſt levis. Quàmvis denique modus iſte ſcandalizandi appareat diabolicus, equidem non apparet mortalis; cùm ſupponatur ſola malitia odii proximi in re levi. Sicut etiam peccare ex malitia eſt diabolicum, & tamen dantur peccata venialia ex malitiâ commiſſa. Si tamen levis ruina ſpiritualis proximi quà talis intenderetur ex motivo odii Dei, conſtat fore peccatum mortale, eò quòd in odio Dei non detur levitas materiæ.

Niſi intenderetur ex odio Dei.

Reſp. II. Opus etiam indifferens fit mortale ratione gravis ſcandali, ſemper quidem quando operans id facit intentione ſcandalizandi; aliàs autem quando abſque juſta & ſufficienti cauſa facit opus indifferens (quod ſcilicet bene & malè fieri poteſt) quo alios credit abuſuros ad peccatum mortale: nam lege charitatis tenetur quilibet, quantùm commodè poteſt, peccatum mortale proximi cavere; adeòque multò magìs non præbere occaſionem ſic peccandi. Si tamen abſit prava intentio, & æqualiter ignoret proximum abuſurum, non erit operanti imputandum proximi peccatum: non enim debet operans tunc præſumere proximum inde accepturum occaſionem peccandi. Similiter dum adeſt juſta cauſa non peccat, etſi alterius peccatum ſequatur; quod tunc non cenſetur velle, ſed tantùm permiſſivè ſe ad illud habere. 96.

Opus indifferens fit mortale ratione gravis ſcādali, niſi juſta cauſa excuſet.

Juſta autem cauſa faciendi aliquod opus indifferens, quo quis credit alterum abuſurum, non debet ſemper eſſe grave damnum, quod abſtinendo ab opere pateretur; ſed ſufficit etiam alia quævis cauſa, quæ judicio prudētis viri rationabilis cenſeatur. Quàmvis quò propinquiùs opus concurrit ad peccatum, eò urgentior cauſa vel neceſſitas requiratur: ac ſimiliter quò ipſius virtutis, cui peccatum adverſatur, ſtrictior eſt obligatio, eò major cauſa exigatur. Immo poteſt opus indifferens adeò notabiliter ex ſe ad peccatum eſſe inductivum, ut ſpectatâ communi hominum infirmitate non liceat extra graviſſimam neceſſitatem coram aliis illud facere; v.g. alicui, & præſertim feminæ, ſic coram aliis apparere, ut partes ſecretiores appareant. 97.

Quæ cenſeatur juſta cauſa.

Hinc titulo ſervitii & ſubjectionis ad dominos vel parentes honeſtari poſſunt miniſteria indifferentia, remotiùs ſe habentia ad peccatum, v.g. cibos condire, menſam ſternere domino violaturo jejunium, lectum concubinæ domini ſui ſternere, illam ornare, munuſcula & id genus urbanitates ei deferre &c. comitari dominum ad templa hæreticorum &c. Miniſteria verò proximiùs concurrentia præſtari poſſunt, accedente inſuper urgentiori neceſſitate v.g. mali vel damni notabilis; puta expulſionis è domo paterna aut heri, gravis & jugis indignatio, defectus comparandi meliorem dominum &c. Famulo enim v.g. taliter preſſo liceret concubinam portare, ſignificare ubì ſit, pedem domini ad fornicandum in domum aſcendere volentis tenere &c. At ſcribere vel deferre litteras amatorias continentes turpia & ad libidinem invitantia (idem à fortiori eſt de ſcriptis ad duellum provocantibus) prorſus eſſe illicitum, & velut intrinſecè malum numquam poſſe honeſtari, cenſet *Sanchez*, *Bonacina* & alii paſſim: 98.

Caſus in quibus excuſat titulus ſubjectionis ſeu ſervitii.

Alii in quibus urgentior cauſa eſt neceſſaria.

ſim: quamquam dubitet *Palao ſup. pu.* 11. *n.* 7. Et famulos litteras amatorias deferentes excuſet *Saa* V. *peccatum*. Id eſt certum, non licere ſaltem niſi urgentiſſima de cauſa. In dubio tamen, an litteræ ſint ejuſmodi, poterit famulus ſimpliciter procedere, immo ſecundùm Varios debet.

99. *In miniſteriis propinquè ſubſervientibus peccatis injuſtitiæ urgentiſſima cauſa requiritur.* Si verò de miniſteriis, ſecundùm ſe quidem indifferentibus, tamen propinquiùs ſubſervientibus peccato injuſtitiæ, ſit ſermo; qualia ſunt hero furari volenti miniſtrare & ſuſtentare ſcalas, aut præbere dorſum, occidere volenti præbere gladium, & ſimilia: etſi interdum poſſint honeſtari, requiritur tamen urgentiſſima cauſa vel neceſſitas: cùm non ſolùm agatur de vitando peccato domini, ſed inſuper & potiſſimùm de vitando periculo & damno injuſto innocentis.

100. *Quid liceat Chriſtianis captivis in Turcarum triremibus aut exercitu.* Major eſt difficultas de Chriſtianis captivis, an in Turcarum Chriſtianos oppugnantium triremibus remigare, arma porrigere, aliave ad bellum neceſſaria præparare poſſint. Et quidē Doctores ſatis conveniunt ipſos non poſſe per ſe tormenta explodere in Chriſtianos, vel ignem admovere &c. hæc enim velut directè damnificativa vitæ proximi ſunt intrinſecè mala. Similiter fatendum eſt, non excuſari metu mortis remigantes, ſi videant eò loci rem conſtitutam, ut eis non remigantibus vel auxilium ferentibus grave dānum reipublicæ Chriſtianæ evitari poſſet. Quàmvis vix natum ſit contingere, ut hoc titulo aliquis in particulari ad hoc obligetur, & perſuadeat alios ceſſaturos, ſi ipſe ceſſet, ceſſationeque ipſius commune dānum evitandum eſſe. De cetero probabile ſatis eſt, ipſos metu mortis aut graviſſimi mali excuſari: ut docet *Corduba, Petrus Navarra, Leſſius, Vaſquez* & plures alii contra *Suarez, Navarrum* & alios: nam verè ejuſmodi opera ſunt indifferentia, ut rectè conſideranti facilè patebit.

101. *Qualiter ſit agēdum in venditione illarum rerum, quæ regulariter ad malū uſum deſtinātur.* Circa venditionem & ſubminiſtrationem rerum indifferentium, quibus ſcilicet poteſt quis bene & malè uti, advertendum, nonnulla regulariter deſtinari ad malum uſum v. g. venenum, alia plerumque ad bonum uſum v. g. cibos, potus, arma, veſtes &c. Res prioris generis vendi aut præparari non poſſunt, quin moraliter conſtet alterum bene uſurum, juxta *Suarez* & alios. Moraliter autem id conſtare poterit ex qualitate perſonarum, modo petendi, & ſimilibus circumſtantiis. Ideoque perſonæ timoratæ circa venditionem talium, uti & circa medicinas cauſativas abortûs, ſunt valde circumſpectæ. Communiter tamen præſumendum eſſe de bono uſu, ſi publicè & abſque affectatione ſecreti petantur, cenſet *Caſtro Palao ſup. pu.* 8. *n.* 4. eò quòd rarò quis adeò audax reperiatur, ut, ſi delictum velit efficere, non curet ſecretum. Tamen interdum poſſet contingere, ut quò minùs ſuſpicio pravi finis ingeratur, res talis eò inverecundiùs petatur. Quare prudentis id arbitrio relinquitur.

Res poſterioris generis licet ſubminiſtrare, quoties non conſtat de abuſu petentis, de quo proinde inquirendo non debet quis per ſe loquendo eſſe ſolicitus. Si verò de malo fine conſtaret, non poſſet quis eas ex obligatione charitatis ſubminiſtrare vel vendere, ſi commodè & abſque proprio detrimento poſſit abſtinere. Eò autem faciliùs juxta Varios vendens excuſatur, quòd ipſo non vendente, equidem peccatum non impediretur, ſed alibi res venalis facilè reperiretur. Quæ autem ſit cauſa legitima & ſufficiens ad excuſandum, non poteſt certâ regulâ definiri, ſed arbitrio prudentis penſandum eſt, attentâ gravitate peccati, qualitate occaſionis, & præſertim gravi damno tertii innocentis: quale ſi ex delicto (prout v. g. eſt homicidium patrandum per arma) ſit inferendum, gravior jactura ſeu cauſa requireretur. Unde videntur ordinariè excuſari tabernarii ſeu caupones miniſtrantes hoſpitibus poſtulantibus cibos in die jejunii, quorum ſaltem conſcientias in dubio non tenentur examinare (quidquid dicat *Leſſius l.* 4. *de Virtut. Card. c.* 2. *dub.* 4.) aut cœnulam pomeridianam, aut veroſimiliter ſe inebriaturis potum. Iſta enim de ſe indifferentia ſunt, atque ordinariè non poſſunt commodè à cauponibus denegari, nec denique per hoc poſſent peccata impediri; cùm alibi æquè opportunè cibi & potus haberi poſſint. 102. *Qualiter in ſubminiſtratione eorum quæ plerumque deſtinantur ad uſum nō malum.*

Reſp. III. Opera bona ut ſic, quantumvis ſint ſolùm conſilii, non ſunt propter ſcandalum omittenda: ſi enim foret obligatio omittendi, non poſſent eſſe bona; quod tamen ſupponitur. Nihilominus fieri poteſt ut opera alioquin bona fierent mala ratione ſcandali, ſi non omitterentur. Subinde enim habent mali ſpeciem: ac proinde puſilli alioquin ſcandalizandi debent inſtrui de operum bonitate; aliàs, ſi fieri poteſt, debent omitti, vel potiùs tantiſper differri. Comparanda porrò eſt utilitas boni operis cum ruina proximi, & prudenter videndum, quid reſpectu operantis meritò debeat præponderare. Subinde autem tantum malorum pondus in proximis ſequi poterit, ut propterea manentibus iiſdem circumſtantiis opus bonum neceſſariò ſit penitùs omittendum, quandoque neceſſariò differendum, quandoque utiliter, quandoque nullo modo. Sic non tenetur quis abſtinere ordinariè ab ingreſſu Religionis ob ſcandalum aliorum, v. g. parentum: cùm eorum ruinam non teneatur quis vitare tanto ſuo detrimento. Immo probabiliùs ne quidem tenetur ingreſſum differre, ſaltem notabiliter, ſi parentes ſint ſatis informati de juſti- 103. *An vel qualiter ſint ob ſcandalum omittenda opera bona.*

tia facti: quia talis etiam dilatio eſt malum notabile; cùm bonum propoſitũ facilè evaneſcat. E contrà poteſt quis aliquando obligari, ſaltem ad tempus, ad non audiendum ſacrum die profano, vel omittenda opera devotionalia, ob vitandam ruinam proximi. Si tamen ſit ſcandalum phariſaicum, non eſt propter malignitatem aliorum ex melle venena ſugentium abſtinendum ab operibus nobis vel proximo utilibus exemplo Chriſti, qui *Matth.* 15. diſcipulis interrogantibus: *Scis quia phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt?* reſpondit: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.*

104. *Omittenda interdum opera aliàs etiam præcepta ob ſcandalum.* Reſp. IV. Similiter opera præcepta ut ſic certum eſt non debere omitti propter ſcandalum: alioquin obligaretur quis ſimul ad faciendum & omittendum. Verumtamen in præceptis affirmativis, quæ non obligant pro ſemper & ad ſemper, ſed pro determinato tempore, quo poſſunt ſine majori incommodo impleri, ſubinde fit, ut eorum obligatio ſuſpendatur. Idem eſt de præceptis negativis juris poſitivi. Sic ne uxor vel famulus det occaſionem gravis offenſæ marito vel domino poteſt non jejunare, ſacrum aliquando omittere, die feſto laborare &c. Similiter femina poteſt abſtinere à ſacro (quidquid ſit, utrùm abſtinere obligetur, ſaltem pro aliquot vicibus, ut inſuper docet *Coninck*, *Valentia* & alii) ſi ſciat aliquem ex infirmitate occaſione ſui lapſurum. Sic etiam Multi docent pœnitentem poſſe in confeſſione retinere peccatum, cujus expreſſio erat Confeſſario futura occaſio gravis lapſûs. Similiter ſubinde omittenda eſt juſta ac ſuperiores obligans punitio delinquentium ob ſecuturam inde perturbationem boni communis (paucorum enim perturbatio non eſt curanda) quod eſt finis ipſius punitionis. Unde *Auguſtinus l.3. contra Epiſt. Parmeniani c.2. poſt. med.* ait, Propter ſchiſmatis periculum aliquando ſimulandam eſſe Hæreticorum punitionem.

105. *Nonnullis oppoſitum docentibus non favet c.2. de Novi operis nuntiat.* Quare non eſt admittendum, quod *Vaſquez*, *Torres* & alii cenſent, numquam eſſe omittendam actionem alioquin præceptam etiam jure poſitivo propter ſcandalum quodcũque. Neque eis favet, quod Innocentius III. c.2. *de Novi operis nuntiatione*, reſcribens Archiepiſcopo Cantuarienſi, dicat: *Opera illa quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt, non ſunt pro vitando ſcandalo dimittenda; nec ea debent pro ſcandalo vitando committi, quæ ſine peccato mortali committi non poſſunt*; qualia ſunt omnia, quæ cadunt ſub grave præceptum. Nam loquitur Pontifex de iis tãtùm præceptis, quæ non obſtante ſcandalo obligant, non autem de iis quorum obligatio tunc ceſſat; ut rectè *Covarruvias* & alii. Nec ideo inepta aut frivola erit reſponſio Pontificis, eò quòd ita explicaſſet idem per idem, quòdque rem iſtam Archiepiſcopus Cantuarienſis non potuerit ignorare. Nam non vult Pontifex hunc eatenus inſtruere de re ignorata, ſed corripere illum volens ob datum ſcandalum, ſimul interſerit, ob illud equidem vitandum non eſſe committenda peccata, quod ipſum Apoſtolus *ad Rom.* 3. aliis verbis tradiderat damnans iſtud dictum: *Faciamus mala, ut veniant bona.* Quare non magìs idem per idem explicat dicens, ob vitandum ſcandalum non eſſe committenda quæ hîc & nunc ſunt mala, quàm ſi dixiſſet, Non ſunt facienda mala, ut evitentur alia mala.

Generaliter autem conſiderandum eſt, quantum momẽti habeat legis hîc & nunc obſervantia, & quanta ſit ſcandali ac malorum gravitas: quibus penſatis quandoque erit neceſſarium, quandoque conſultum in legis obſervantia pergere. E contrà quandoque judicabitur neceſſarium, quandoque conſultum ratione infirmitatis proximi obſervantiam legis ſuſpendere. In præceptis tamen negativis juris naturæ certum eſt neminem poſſe ob ullum ſcandalum committere quod illis præceptis prohibetur, v.g. occidere, fornicari &c. immo nequidem otioſè mentiri: cùm juxta Apoſtolum ad *Rom.* 3. *non ſint facienda mala* (quæ videlicet mala permanent) *ut veniant bona.* Unde etiam dicitur Extra *de Reg. juris*: *Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Idem eſt de præceptis affirmativis virtutum theologicarum, ſive eorum quæ ſunt media ad ſalutem neceſſaria: quilibet enim debet ante omnia proſpicere ſuæ ſaluti. Pleraque alia judicio prudentis ſunt relinquenda. 106. *Regula generalis.*

QUÆSTIO X.

An peccatum veniale poßit inveniri cum ſolo originali?

Resp. Aff. cum *S. Bonaventura* & aliis Doctoribus cõmuniter cõtra *D. Thomam qu.* 89. *a.* 6. Probatur: quia parvulus peccato originali infectus, dum incipit acquirere uſum rationis, poteſt v.g. leviter mentiri, aut cum imperfecta deliberatione malum aliquod committere: tunc autem peccaret venialiter, quàmvis adhuc infectus peccato originali, utpote à quo nec per baptiſmum, nec etiam per actum aliquem ſupernaturalem v.g. amoris Dei, ſupponitur mundatus. 107. *Veniale poteſt reperiri in eo qui habet ſolum originale.*

Dices I. cum *Thomiſtis*: Parvulus graviter obligatur primo inſtanti acquiſiti uſûs rationis convertere ſe ad Deum per amorem Dei ſuper omnia: quod ſi fecerit, jam erit ab originali juſtificatus; ſin minùs, jam peccaverit mortaliter, & conſequenter cum originali priùs eſt mortale 108.

quàm

Præceptum ſe convertendi ad Deum per amorem perfectum primo inſtanti uſûs rationis, quod non extat, gratìs admiſſum non obſtaret.

quàm veniale. Reſp. Neg. Aſſ. nuſquam enim præceptum hoc eſt revelatum, neque etiam dictatur à lumine naturali. Immo nemini incidit, donec veniẽs ad ſcholam theologicam audiat hanc *Thomiſtarum* doctrinam proponi. Deinde etſi verè ſubeſſet, poſſet tamen parvulus ad uſum rationis veniens de eo non cogitare, aut illud invincibiliter ignorare. Immo hæc ignorãtia ordinariè adeſſe debet: & tamen poſſet parvulus interim committere veniale peccatum. Confirmatur: quia gratìs ſuppoſito præcepto præfato fieri poteſt, ut primo iſto inſtanti non proponatur ullo modo Deus: atque eſto proponatur, non tamen ut ſub præcepto amandus: & dato quòd ſic, non tamen ut amandus ſtatim: atque hoc etiam dato, non tamen perfectè & deliberatè. Accedit, quòd (ut *quaſt. ſeq.* probabitur) talis eſt hominum conditio, ut in principio acquiſiti uſûs rationis tantùm habeant deliberationem ſeu libertatem ſufficientem ad peccandum venialiter, & non ad peccandum mortaliter.

Dices II. *Innocentius* III. *c. Majores de baptiſmo* §. *Sed adhuc* dicit, non poſſe originale dimitti per baptiſmũ adultis amentibus & dormientibus, ſicut parvulis, ſine proprio conſenſu; quia non poteſt originale dimitti ſine mortali, & mortale non dimittitur ſine propria diſpoſitione adulti. Supponit ergo nullum adultum eſſe in peccato originali ſine mortali. Reſp. Pontificem loqui de adultis peccato mortali adſtrictis, quales ordinariè ſunt qui perfectè adoleſcentes diu in originali, adeòque extra ſtatum gratiæ perſeverant. Quo non obſtante poſſunt aliqui in principio acquiſiti uſûs rationis reperiri, qui ſolo originali & veniali ſint infecti: de quo certum eſt Pontificem non fuiſſe ſolicitum.

109. *Quo loco puniendi, qui in ſolo originali & veniali decederent.*

Petes ubinam punirentur, qui ſic morerentur? Reſp. parum referre de loco: ubicumque enim (inquit *Joannes Major* 4. *d.* 21. *q.* 1.) quis punitur poſt hanc vitam, ibi ejus eſt purgatorium aut infernus. Dici autem poteſt illos quidem certò puniri in inferno ſeu loco infero, fortaſſis uno & eodem promiſcuè cum ceteris damnatis, ſi ibidem puniantur etiam reliqui ſolo originali infecti: aut ſi hi ſint ab aliis damnatis ſeparati, poterunt illi, de quibus eſt quæſtio, puniri temporaliter pœnâ ignis in loco etiam ab his aliqualiter ſeparato, ad eoſdem transferendi, poſtquam pro venialibus ſatis paſſi fuerint. Cujuſmodi fortè multi erunt totius mundi decurſu, attentis ſemifatuis, & ſemiadultis, qui inſtar ſemidormientium aut ſemiebriorum ſunt apti peccare venialiter, non mortaliter. De quibus ſtatim.

QUÆSTIO XI.

An omnis capax venialis, ſit capax mortalis peccati?

RESP. I. Juxta communem omnium ſenſum & praxim, ſemiſtultos, ſemidormientes & ſemiebrios eſſe in ſtatu, in quo ob imperfectum rationis adeòque libertatis uſum non poſſunt peccare mortaliter, & tamen poſſunt peccare venialiter. 110. *Dantur capaces venialis peccati, qui non mortalis.*

Reſp. II. ſimiliter pueros circa diluculum uſûs rationis priùs eſſe capaces peccati venialis quàm mortalis. Ita *Durandus, Major, Salas, Valentia, Felix, Tannerus, Oviedo* & alii contra *Suarez, Vaſquez* & alios. Probatur: quia pueri non ſimul ſed ſucceſſivè perveniunt ad perfectum de moralibus judicium & rationis uſum, prout organorum alteratio, per quam ad uſum rationis perveniunt, eſt ſucceſſiva: ergo antequam perveniant ad potentiam perfectè judicandi & deliberandi, attingunt potentiam id agendi imperfectè; adeòque ſunt in ſimili ſtatu, in quo ſemiebrii aut ſemiſtulti. Cui etiam videtur conſonare commune Confeſſariorum judicium, qui non facilè judicant ſimiles reos peccati mortalis, bene tamen venialis. *Etiam pueri,*

Dices I. Eo ipſo quo poteſt aliquis venialiter peccare, debet poſſe diſcernere inter bonum honeſtum, & malum inhoneſtum: atqui talis poteſt etiam diſcernere, utrùm ſit multùm vel parum inhoneſtum. Immo faciliùs videtur poſſe apprehendere quod eſt notabiliter inhoneſtum, adeòque mortale: ſicut objectum magnum eſt faciliùs viſibile, quàm parvum. Reſp. poſſe quidem inter bonum & malum diſcernere, ſed imperfectè tantùm; adeò ut defectu luminis etiam magnum malum non niſi leviter & imperfectè cognoſcat, nec ſatìs à levi malo diſtinguat. Sicut in crepuſculo objectum etiam magnum cognoſcitur imperfectè: non quia non ſit faciliùs & perfectiùs viſibile, ſed quia lumen crepuſculi non ſufficit, ut ullum perfectè videatur. Unde in ejuſmodi parvulis velut in crepuſculo uſûs rationis conſtitutis non eſt perfectum & maturum judicium, adeòque nec perfectum voluntarium, quale requiritur ad peccandum mortaliter: quemadmodum nec in ſemidormientibus & ſemifatuis, contra quos militat idem argumentum. 111. *Etſi poſſint aliqualiter inter bonum & malum diſcernere.* *Quemadmodum & ſemifatui ac ſimiles.*

Dices II. Qui poteſt peccare venialiter, poteſt etiam honeſtè & meritoriè operari: quia poteſtas bene & poteſtas malè operandi ſunt in hac vita invicem concomitantes. Confirmatur: quia ejuſmodi poteſt mereri purgatorium venialiter peccando: ergo etiam cælum bene operando. Hinc ulteriùs fit argumentum: ſi 112.

ſit

ſit potens mereri cælum, ergo ſimiliter potens eſt peccando demereri infernum. Reſp. hoc argumentum etiam militare contra ſemiſatuos & ſemidormientes. Deinde dico tales poſſe operari non tantùm honeſtè, ſed etiam meritoriè, etſi imperfectè ſolùm, uti poſſunt demereri. Unde cùm impedimenta beatitudinis poſſint venialiter peccando demereri, videntur probabiliter etiam mereri poſſe ipſam beatitudinem. Quàmvis id non ſit certum, cùm plures (quibus favet *Scotus* 3. *d.* 39. *nu.* 4.) ad hoc requirant voluntarium perfectum. Non poſſunt equidem demereri infernum: quia hunc nemo meretur, quando opus eſt tantùm imperfectum in ratione voluntarii, adeòque in ratione demeriti. Cælum autem ſi mereantur, id oritur accedente liberali promiſſione Dei, qui opera etiam imperfectè libera ad tam ſublime præmium fortaſſe elevavit: non tamen elevavit opera mala ad amplius ſupplicium, ſed illa potiùs citra condignum punire decrevit.

An hi omnes poſſint meritoriè operari.

QUÆSTIO XII.

De Pœna peccati mortalis & venialis.

113. *Quæ pœna peccati mortalis, remiſſivè.*

CERTISSIMUM eſt apud omnes Catholicos peccatum mortale in præſenti mereri privationem gratiæ ſanctificantis, adeòque amicitiæ & filiationis Dei ac hereditatis vitæ æternæ: in futuro autem ei reſpondere pœnam æternam damni & ſenſûs. De quibus ex profeſſo actum eſt *Tract.* 1. *d.* 4. *qu.* 4. & 5.

114. Unica controverſia reſtat hîc dirimenda. Nam quia frequenter contingit, ut reprobi ad tempus juſti ſint, & à peccatis mortalibus, immo etiam venialibus emundentur, ordinariè tamen non ſic, quin aliqua pœna temporalis pro peccatis remiſſis ſolvenda remaneat, cum cujus debito frequenter moriuntur: hinc difficultas eſt, utrùm hæc pœna temporalis in damnatis fiat æterna ob conjunctionem cum mortali numquam remittendo, ſeu ob ſtatum damnationis. Affirmat *D. Thomas* & alii. Sed longè probabiliùs *Scotus* & plures Antiqui & Recentiores negant. Et patet in primis ex mox dicendis de peccatis venialibus, quæ etiam hîc non remiſſa, non obſtante damnationis ſtatu, ſolùm temporaliter puniuntur in damnatis; ergo potiùs idem dicendum de pœnis temporalibus reſtantibus poſt culpas remiſſas. Deinde idem convinci videtur ex abſoluta remiſſione (quam fides adſtruit) æternitatis pœnæ ſimul cum culpa mortali: ſi enim rediret pœnæ æternitas, jam contra ſuppoſitum non foret abſolutè remiſſa, ſed limitatè, ſcilicet pro tempore quo peccator non reincidet in novum mortale. Sicut ex abſoluta remiſſione culpæ convincitur illam numquam reviviſcere. Deinde pro æternitate pœnæ, utì pro reatu culpæ fuit Deo oblata & ab ipſo acceptata ſatisfactio condigna Chriſti: ergo nulla juſtitiæ ſpecie poteſt redire æternitas pœnæ. Hoc ſuppoſito

Mortalia quoad culpam & pœna æterna reatum ſemel dimiſſa non niſi temporaliter, ſi tamen adhuc aliquid luendum reſtat, puniuntur in damnatis.

Dices: Æternitas pœnæ non redit quaſi directè, ſed per accidens ratione ſtatûs damnationis. Reſp. id videri abſurdum: cùm ſtatus damnationis non faciat talis pœnæ demeritum, adeòque non ſufficiat, ut redeat. Deinde pœnis iſtis temporalibus datur ſolutio per ſatiſpaſſionem (utì patet in humanis quantùm ad malefactores) non autem per ſatisfactionem: ſtatus autem damnationis non obeſt ſatiſpaſſioni. Immo hanc intrinſecè involvit, etiam ratione pœnarum propriarum inferni, quibus damnati ſatiſpatiuntur pro mortalibus.

Hæc autem longè clariora ſunt in pœnis reſtantibus poſt culpas veniales remiſſas: ſi enim ipſæ culpæ non mereantur pœnam æternam, quâ juſtitiæ ſpecie poterit pœna illorum jam remiſſorum in damnatis fieri æterna? Et tamen conſequenter debent alii Auctores admittere etiam has pœnas fore in damnatis æternas.

Multò magis venialia remiſſa, quoad pœnæ reatum totaliter nondum deleta,

Nihilominus loquendo de abſoluta potentia, potuiſſent pœnæ reſtantes poſt culpam mortalem remiſſam in damnatis fieri æternæ, hâc ratione: quia nimirum potuiſſet Deus reatum culpæ ſic remittere, ut tamen pœnæ æternitatem ſolùm remitteret limitatè, ſcilicet niſi reus ante integram pœnæ expiationem ſeu ſatisfactionem rurſum labatur in mortale, & ſic moriatur. Confirmatur: quia potuiſſet Deus reatum culpæ remittere, relicto ſimpliciter toto reatu pœnæ, adeòque æternitate ejuſdem: ergo multò magis poteſt hanc remittere, redituram ſub certa conditione. Sic etiam peccata venialia, quibuſcum juſti ſæpè diſcedunt, quoad culpam remittuntur primo inſtanti poſt hanc vitam juſtis tunc contritis, relictâ integrâ pœnâ purgatorii: ergo ſimiliter poſſet relinqui pœna æterna, aut remitti limitatè juxta dicta. 115.

Potuiſſet tamen de abſoluta potentia mortale remitti, puniendum æternaliter in caſu recidivi ante reatum non plenè extinctum.

Quod ad pœnam peccati venialis attinet, in primis ſatis conſtat, nullam partem gratiæ ſanctificantis, quantumvis parvam, amitti per peccata venialia: nam alioquin poſſet multiplicatione venialium amitti tota. Dicitur tamen minui charitatis fervor, quatenus venialia hominem impediunt ab actibus perfectiſſimis amoris Dei, & deteſtationis omnium peccatorum, etiam leviorum. De quo in materia de Charitate. 116.

Pœna venialis peccati quæ in hac vita.

Satis etiam certum videtur ſæpè in hac vita à Deo infligi pœnas temporales ob peccata venialia, per quas ab eiſdem electi in hac vita frequenter purgantur. Immo

mo ſubinde propter illa infertur pœna mortis; utì videtur contigiſſe in illo Propheta, qui ab altero ſeductus comedit panem in terra Iſraël 3. *Regum* 13. Similiter in Oza extendente manum ad arcam ſuſtinendam. Eodem modo ob culpam judicio Doctorum & Interpretum tantùm venialem oportuit Moyſen mori ante ingreſſum Iſraelis in terram promiſſam. Et quamquam exempla de facto non extarent, non eſſet tamen dubitandum de divina poteſtate. Nam etſi id non poſſet judex humanus, eò quòd pœna mortis ſit graviſſima in foro externo, adeòque à judice limitatæ poteſtatis infligi nequeat citra gravem culpam (quod tamen dubium eſt: cùm multi putent ob ſolam culpam civilem, etiam citra culpam gravem theologicam, interdum ſtatui & infligi pœnam mortis) equidem id poſſet judex divinus, in cujus foro pœna iſta non cenſetur adeò gravis, aut improportionata peccato veniali.

Inſuper juſtiſſimè poteſt Deus in pœnam venialium peccatorum ſubtrahere ſpecialia & copioſiora gratiæ auxilia, & procul dubio frequenter ſubtrahit: cùm enim illa dare non obligetur, & quandoque ob ſolum torporem ſpiritûs, aut ſine ulla cauſa ex parte noſtri ſubtrahat, multò magìs id poterit ob veram culpam. Et tunc ſolùm habet rationem pœnæ. Non ſemper tamen id facit Deus: cùm etiam poſt multa & gravia peccata mortalia frequenter illis, quibus vult, tribuat gratiarum abundantiam eos elevando ad magnam ſanctitatem.

117. *Quæ in altera, remiſſivè,* Pœna autem peccato veniali poſt hanc vitam per ſe correſpondens certiſſimè tantùm eſt temporalis: cùm veniale ſit tantùm levis Dei offenſa, quæ proinde non meretur privationem gratiæ in præſenti, adeòque nec perpetuam damnationem in futuro. De pœnis autem temporalibus ſeu purgatoriis in futura vita infligendis pro venialibus, hîc non plenè quoad culpam & pœnam remiſſis, actum eſt *Tract.* 1. *diſp.* 4. *qu.* 2. & 3.

118. Solùm reſtat difficultas, utrùm veniale ſaltem puniatur per accidens pœnâ æternâ in damnatis ob conjunctionem cum mortali peccato needum remiſſo, ſive ob ſtatum damnationis. Nam æternaliter illud puniri exiſtimat *D. Thomas*, quem plurimi alii ſequuntur. Sed oppoſitum veroſimiliùs docet *Scotus* 4. *d.* 21. *q.* 1. *n.* 6. *Gabriel, Navarrus, Coninck*, & multi antiqui ac Recentiores. Ratio eſt: quia non poteſt juſtè puniri ultra demeritum; atqui peccatum veniale non demeretur pœnam æternam: ergo &c. Nec conjunctio cum peccato mortali aut ſtatu damnationis immutat proprium demeritum peccati venialis: utì nec immutat ejuſdem malitiam (ex qua ſola reatus ſeu demeritum pœnæ

Non niſi temporaliter punitur in damnatis.

poteſt augeri) nam peccatum in ſe ſemper idem & veniale manet. Confirmatur: quia alioquin contingeret aliquem longè graviùs in inferno æternaliter puniri propter venialia, quàm propter mortale: v. g. qui moreretur cum uno mortali, cui reſponderet pœna æterna ad quatuor, & inſuper cum centum venialibus, quorum ſingulis reſponderet pœna tēporalis ad unum gradum: ſi enim hæc in damnatis fiat æterna, talis puniretur ob ſua venialia æternaliter ad centum, & ob propriam damnationis cauſam ad quatuor tantùm gradus: cùm tamen venialia quantumvis multa non poſſint in ratione demeriti, adeòque nec in ratione ſupplicii adæquari uni mortali.

Itaque non obſtat I. quòd damnati patiantur pœnam involuntariè: nam equidem ſatis patiendo exolvunt debitum pœnæ per juſtitiam Dei vindicativam inflictæ: quemadmodum in republica humana non exigit judex, niſi ut malefactor pœnam taxatam patiatur, quantumvis invitus, & quàmvis non admittatur in gratiam. Aliud eſſet de ſolutione pœnæ per modum ſatisfactionis, quæ requirit voluntariam acceptationem. Confirmatur: quia damnati indubiè luunt pœnas æternas pro peccatis mortalibus, & ſatiſpatiuntur quantum divina juſtitia decreverit. Quid ni ergo ſatiſpatiātur pro peccatis venialibus; adeòque abſoluto tempore paſſionis pœnarum peccatis venialibus per ſe reſpondentium eis finis imponatur, non quidem per modum gratioſæ redemptionis, ſed ſufficientis ſecundùm rigorem juſtitiæ paſſionis? 119. *Quantumvis hi involuntariè, tamen ſatiſpatiuntur.*

Non obſtat II. quòd culpa venialis maneat in damnatis, tam diu verò maneat pœnæ dignitas: nam manet quidem dignitas pœnæ quæ erat ab initio debita, & jam eſt perſoluta, ſive manet illud, quod eſt verè dignum pœnâ vel ſolvēdâ vel jam ſolutâ; non autem manet dignitas novæ pœnæ. Priori itaque ſolutâ tollitur reatus ſive obligatio ad pœnam, eſto maneat ipſa macula ſive habitualis culpa, poſito quòd à reatu pœnæ diſtinguatur. 120. *Non obſtat etiam maculæ venialis permanentia,*

Dices: Si malefactor malam ſuam voluntatem & crimen actu continuaret, quamdiu id faceret, non tolleretur dignitas & reatus pœnæ continuandæ: ſed hoc habet locum in damnatis; ergo &c. Reſp. Diſt. Seq. Majoris: poſitò quòd maneat in ſtatu demerendi, concedo Seq. majoris, & nego minorem: poſito quòd non maneat ampliùs in ſtatu demerendi, nego Seq. Majoris: damnati autem non ſunt ampliùs in ſtatu demerendi: propter quod etiamſi in inferno perpetrent nova & graviora, etiam mortalia, non tamen idcircò magìs puniuntur aut novæ pœnæ reatum incurrunt.

Aut ipſorum peccatorum actualium extra ſtatum demerendi.

Ex dictis hâc quæſtione patet, damnatos plurimos in principio acriùs torqueri, 121.

ob

Refrigerii proinde ex ceſſatione pœnarum temporalium oriundi damnati ſunt capaces,

ob pœnas ſcilicet temporarias poſt ſatiſpaſſionem adæquatam ceſſaturas, quàm poſt elapſum tempus ejuſmodi ſatiſpaſſioni reſpondens, adeòque illos eſſe capaces hujuſmodi refrigerii, donec paulatim extinctis pœnis temporariis maneat ſola pœna invariabiliter ſemper durans, & damnatis quà talibus competens. Non rectè autem hanc ſententiam duriſſimam cenſet *Lugo de pœnit. diſp.* 10. *n.* 34. cùm potiùs oppoſita videri deberet duriſſima.

Quãtumvis in inferno nulla ſit redemptio,

Nec refert, quòd Eccleſia canat: *In inferno nulla eſt redemptio.* Tum quia id juxta obvium ſenſum ſignificat, nullam eſſe ſpem evaſionis ſeu liberationis ex inferno. Tum quia id explicando tantùm de liberatione partiali aut refrigerio, intelligitur de cauſis per ſe inductivis inferni, ſcilicet peccatis mortalibus nondum remiſſis. Tum denique quia etiam in reliquis, ſcilicet pœnis temporariis, propriè locum non habet redemptio, videlicet per gratioſam remiſſionem, ſed rigoroſa uſque ad ultimum quadrantem ſolutio abſque ulla ſpe aut obtentione miſericordiæ, etiam per interceſſionem aliorum: adeò ut ne eatenus quidem ſit pro damnatis orandum. Quamquam *Joannes Poncius diſp.* 22. *n.* 73. cenſeat parum referre, quid de hoc dicatur.

Et quodam ſenſu nulla pœnarum mitigatio.

Similiter Auctoritates aſſerentes, *quòd vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur*; immo quòd nulla in eis detur pœnarum mitigatio, quas objicit *Lugo ſup.* loquuntur, ſive de pœna æterna & damnatorum propriâ: ſive de mitigatione etiam temporalium pœnarum faciendâ ex aliqua gratia Judicis, ſic ut aliquando mitiùs cum illis agatur, quàm alioquin digni eſſent. Immo ceſſatio pœnæ poſt ſatiſpaſſionem non dicitur propriè mitigatio. Sic enim damnatus ad perpetuos carceres & ducenta verbera ſuſtinenda non diceretur propriè accipere mitigationem pœnarum ex eo, quòd acceptis verberibus per ſententiam decretis ulteriùs non vapularet. Et hæc ſufficiant dicta de libero Arbitrio, Actibus humanis, Conſcientiâ & Peccatis, ad gloriam Dei, qui gratiâ ſuâ noſtrum liberum arbitrium efficaciter moveat, ut conſcientiâ ab operibus mortuis Peccatorum emundatâ, uſque in diem æternitatis Actibus humanis Chriſtiano dignis ac in fide & charitate radicatis ſolicitè inſiſtamus.



TRA-

TRACTATUS III.
DE
LEGIBUS,
PRIVILEGIIS
ET
POENIS ECCLESIASTICIS.

PRÆFATIO.

QVEMADMODUM *Conſcientia eſt actuum humanorum regula velut interna, ita & Lex eſt eorumdem extrinſeca norma, cui ut recti ſint, debent neceſſariò conformari. Quare Diſputatio de Legibus Theologo eſt neceſſaria: quàmvis enim Juriſconſulti Leges pertractet, id equidem faciunt diversâ planè ratione, videlicet in ordine ad forum externum, & ad pacem externam, juſtitiamq́ politicam reipublicæ procurandam & conſervandam; cùm tamen Theologi de iis agant, quatenus hominem ad finem ultimum, quò tendit, dirigunt, eòq́ perducere natæ ſunt.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Lege in communi, & de Lege naturæ in particulari.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Lex?

1. *Quæ ſit Etymologia vocis Lex.* LEX juxta nominis Etymologiam dicitur, vel à legendo paſſivè; idque ſive quia leges ſolebant olim in publicis tabulis ſcribi & populo legendæ proponi, ut ſentit *Iſidorus l.2. Etymol.c.*10. ſive quia frequenter legendo eſt lex in corde tenenda & meditanda, ut aliis: vel à legendo activè ſive deligendo, eò quòd lex ordinet quid ſit deligendum ſeu eligendum ut vult *Cicero l.1.de legibus:* vel à ligando, eò quòd legibus homines ligentur ad aliquid præſtandum vel omittendum, ut vult *D. Thomas* 1.2.*q.*90.*art.*1 & alii.

Juxta quam poſteriorem nominis Etymologiã, quæ ipſam legis vim & rationem meliùs explicat, Lex nihil eſt aliud, quàm regula ab eo qui poteſtatem habet ordinata obligans creaturam rationalem, ut illi ſe cõformet. Unde omnis Lex debet eſſe præceptum, id eſt, decretum obligans: adeòque Lex imponit neceſſitatem quamdam moralem, ut id fiat, quod ipſa præſcribit. In quo diſtinguitur à conſilio, quòd hoc videlicet præſcribat aliquid citra obligationem, juxta illud *Hieronymi lib.*1. *contra Jovinianum* longè à princip. *Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt, ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis.* *Lex debet eſſe præceptum ſeu decretum obligans.*

Nec obſtat, quòd novum Teſtamentum vocetur Lex evangelica, in quo tamen plurima continentur conſilia; ac ſimiliter in Jure plures reperiantur Cõſtitutiones aliquid citra obligationem præſcribentes: quia per legem quandoque intelligitur tota diſpoſitio legiſlatoris circa ſubditos. Hujuſmodi tamen Conſtitutiones & conſilia ſeorſim ſpectata propriè non ſunt lex: ſed ita ſubinde vocantur, vel ob ſimilitudinem cum legibus ſtrictè dictis, vel quia eidem cum veris legibus volumini ſunt inſertæ.

Non eſt tamen exiſtimandum, quodvis præceptum ſeu regulam obligantem habere rationem legis ſtrictè dictæ. Nam præterea

2. *Latum ab habente publicam auctoritatem,* Primò requiritur ad legem, ut feratur ab habente publicam auctoritatem ſeu juriſdictionem, quæ ſcilicet ordinata eſt ad regimen communitatis, & diſtinguitur à poteſtate privata & œconomica, quæ eſt in capite privatæ familiæ, v. g. in patre reſpectu prolium, hero reſpectu famulorum &c. quibus poteſt dare præcepta domeſtica, non leges. Non omnis tamen juriſdictio ſufficit: cùm hæc etiam pro foro externo in plurimis reperiatur limitata, v.g. in judicibus ordinariis, & ſuperioribus multis, quibus competit regiminis politici auctoritas, non tamen legiſlativa poteſtas; ut in ſeqq. ampliùs patebit, ubi inquiretur penes quos iſta poteſtas reſideat.

3. *Reſpiciens communitatem perfectam,* Secundò requiritur ad legem, ut ſit lata communitati ſeu hominum multitudini: cùm tamen ſimplex præceptum poſſit imponi particulari perſonæ. Unde *leg.* 1. *ff. de legibus* dicitur: *Lex eſt commune præceptum &c. communis reipublica ſponſio.* Et *l. Jura ff. Eodem: Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Conſonat etiam communis uſus Doctorum, idemque exigit ſtabilitas ad legem requiſita, quam habere non poſſet, niſi rei de ſe perpetuæ imponeretur. Hinc quando *l.* 1. §. 2. *ff. de Conſtitut. Principum* dicitur: *Planè ex his* (ſcilicet legibus) *quædam ſunt perſonales, nec ad exemplum trahuntur: nam quæ Princeps alicui ob merita indulſit, vel ſi quam pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit, perſonam non egreditur.* Per *leges perſonales* non intelliguntur ibi leges propriè dictæ, de quibus Jura & Doctores loquuntur, ſed privilegia perſonalia: quæ leges perſonales dici poſſunt per quãdam, licèt non omnimodam, cum legibus ſimilitudinem. Videri poteſt *Gloſſa* in *l. cit.*

Communitas autem, cui lex fertur, debet eſſe perfecta, quæ videlicet Reipublicæ nomen ſortiatur, ſitque capax politicæ gubernationis, juxta *D. Thomam q.* 90. *art.* 3. *ad* 3. & colligitur ex Juribus citatis. Ideoque præceptum datum communitati imperfectæ, puta alicui familiæ domeſticæ, ſeu quæ œconomicè gubernatur, non eſt lex ſtrictè dicta, quantumvis ferretur præceptum ab habente alioquin poteſtatem legiſlativam. Quàmvis id ſpectet ad quæſtionem de nomine.

Communitas tamen, ut ſit capax recipiendæ legis, non debet ita eſſe perfecta, ut complectatur totam collectionem omnium hominum: quia in regno, provinciâ aut civitate poteſt ferri lex pro certo tantùm genere hominum, qui collectionis iſtius pars ſunt v. g. pro mercatoribus, militibus, Eccleſiaſticis. Immo pro iis tantùm qui ſunt pars alicujus civitatis, v. g. ſi cives certo loco teneantur ſervare certam formam ædificiorum &c. Addit *Salas* præceptum, quod imponeretur Prætori vel alteri Officiali & omnibus ejus ſucceſſoribus, legem dici poſſe.

Tertiò requiritur ad legem, ut ſicut fertur communitati, ſic etiam feratur ob communitatis bonum, ſive cedat in bonum commune. Conſentiunt omnes, etiam Juriſtæ, in *l.* 1. *ff. de Legibus*, ſic explicantes quod *ibid.* dicitur *Lex eſſe commune præceptum.* Sumiturque ex *Iſidoro lib.* 5. *Etymol. cap.* 5. & refertur cap. *Erit autem, diſt.* 4. ubi dicitur: *Erit autem lex honeſta .... nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.* Idem etiam patet ex lumine naturæ: cùm enim finis legis ſit bonum & felicitas reipublicæ, hinc eam ad privatum commodum detorquere non licet: aliam namque Deus aut reſpublica non cenſetur dediſſe ſuperioribus poteſtatem, quàm ut leges ferendo procurent bonum commune. Unde communiter inter Regem & Tyrannum diſtinguitur, quòd ille publicum, hic privatum commodum in gubernatione quærat. 4. *Et commune bonum.*

Objicitur I. quòd Scriptura indicare videatur bona ſubditorum poſſe tolli à Principe in proprios uſus; 1. *Reg.* 8. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis &c.* Reſp. ibi ſolùm indicari, quidnam juris Rex ſibi, etſi iniquè, arrogabit; non autem ſignificari, quod jus ſecundùm Deum ipſi competet. Simili ratione dicitur *Lucæ* 22. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur ....* 5.

Objicitur II. quòd lex tributorum, quæ cedit in ſolam Principis utilitatem, ſecundùm hanc doctrinam cenſenda foret iniqua. Idem dicendum eſſet de aliis legibus latis in favorem certi generis perſonarum; v.g. leges pupillorum, minorum, militum &c. Item de privilegiis, quæ v. g. Religioſis, clericis aut aliis ſunt conceſſa. Reſp. in caſibus propoſitis etiam reſpici ad bonum commune, ſaltem mediatè ſeu remotè; quamquam immediatè & proximè reſpiciatur ad bonum particularium: nam etiam cedit in bonum *Quod etiã reſpicitur in legibus tributorum, pupillorum, minorum &c.*

bonum commune, & ratio poſtulat, ut Princeps debitè ſuſtentetur, ac tum ideo, tum ad levanda onera reipublicæ tributa recipiat. Similiter exigit bonum commune, ut pupillis & ſimilibus perſonis concedantur favores, & ob eorum defenſionem fiant leges, ne alioquin injuriis pateant. Neque etiam in his attenditur bonum cujuſcumque perſonæ ſingularis quà talis, ſed quà inducit rationem communem pupilli, minoris, militis &c. Denique bonum publicum exigit, quòd perſonis bene meritis aut certo generi perſonarum concedantur privilegia: quidquid interim ſit de privilegiis, utrùm vel quando veræ leges ſint, de quibus poſtea. Omnes itaque leges eò referuntur, ut communitati bene ſit, adeò ut ſi Princeps etiam in dandis privilegiis ſic reſpiceret utilitatem privatorum, ut illa cederent in detrimentum commune quod non cenſeatur aliâ ratione compenſari, cenſenda ſint iniqua privilegia.

6\. Obſervandum tamen in legibus condendis non oportere bonum commune eſſe intentum intẽtione operantis, ſed ipſius operis; adeò ut foret lex valida, ſi res per eam præcepta redundaret in bonum commune, etſi id proveniret præter vel contra mentem legiſlatoris: nam ſicut prava intentio judicis non refert ad valorem ſententiæ, ſi non ſit contra illius æquitatem; ſic intentio perverſa legiſlatoris non deſtruit valorem legis: illa enim prava intentio eſt merè perſonalis, non redundans in actum quatenus ad bonum communitatis ſpectat, quæ abſque paſſione poteſt exequi, quod ei ex libidine eſt præceptum, ut docet *Auguſtinus l.1.de lib.arbit.c.5.*

Aliàs non eſſent veræ leges neque obligarent. Quòd ſi verò moraliter certò conſtaret materiam legis editæ nullatenus cedere in bonum commune, ſed potiùs ei obeſſe, ſolùmque ex libidine à ſuperiore præcipi, ejuſmodi lex in conſcientia ſecluſo ſcandalo non obligaret: nam potiùs eſſet injuſta violentia, quàm lex; lex enim eſſe non videtur quæ juſta non fuerit, juxta *D. Auguſtinum ſup.* Dixi *ſecluſo ſcandalo*: nam ob illud evitandum debet quandoque ſubditus obſervare legem, etſi alioquin irrationabilem & injuſtam, modò obſervari poſſit abſque peccato.

7\. *Debet etiã Lex eſſe ſtabilis ſeu quodammodo perpetua.* Quartò ad legem propriè dictam requiritur, ut ſit ſtabilis: juxta omnes enim lex per hoc ſolùm diſtinguitur à præcepto ſimplici dato communitati, quòd iſtud, non illa expiret morte præcipientis. Quare Generales & Provinciales variorum Ordinum, ſignanter Ordinis noſtri, quibus per ſe ſtatuta ſeu leges condendi poteſtas eſt adempta, adhuc retinent poteſtatem ferendi præcepta ſimplicia pro tempore Officii duratura. Eadem quoque ſtabilitas uſu omnium gentium comprobatur. Nimirum ſicut ſtatus communitatis eſt ſtabilis, ſic eam congruit per regulas ſtabiles dirigi & conſervari; ideòque frequens legum mutatio magnam ſolet reipublicæ adferre perturbationem.

Porrò ſtabilitas ſeu perpetuitas omnium legum non eſt eadem, nam poſitivæ leges frequenter ceſſant ob revocationem aut ceſſationem materiæ aut finis. Habent itaque hæ leges perpetuitatem velut negativam, ut loquuntur: quia nimirum indefinitè ſunt latæ, adeò ut quantùm eſt de ſe, poſſint eſſe perpetuæ. Quòd ſi juri aliqua decreta temporalia ſint inſerta (ut eſt Extravagans *Ad regimen, De Præbendis*) illa idcirco non habent propriam rationem legis, etſi fortè phyſicam ab ea diſtinctionem non habeant. Quod parum refert: cùm legem conſideremus inſtar alicujus moralis, plura præter phyſicam rationem actûs legiſlatoris includentis.

Quintò denique ad legem requiritur promulgatio, juxta omnes poſt *Gratianum* §.*leges cap.3 d.4.* ubi ait: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur.* Immo communior doctrina eſt, promulgationem eſſe de eſſentia vel quaſi eſſentiâ legis, non quidem phyſicè ſpectatæ, ſed moraliter, quatenus eſt actus legiſlatoris, prout in actu ſecundo obligativus communitatis: nam citra promulgationem nequit habere vim obligãdi. Immo eò uſque potiùs rationem propoſiti efficacis, quàm præcepti obtinet: præcipere enim eſt alteri voluntatem ſuam intimare. Nam quemadmodum completè alteri non conſulit, qui ei conſilium ſuum non aperit, ita nec completè & ſufficienter præcipit, qui voluntatem ſuam in notitiam ſubditorum non deducit. Unde ſecluſâ intimatione ſeu promulgatione, non eſt conceptibilis perfecta legis eſſentia. Eſt tamen inter ipſas leges differentia: quia lex naturalis ſufficienter per judicium privatum ſingulis intimatur, ſicut ſingulis naturaliter eſt indita; poſitiva autem ſolemniorem & magis externam requirit promulgationem: de qua infrà. 8. *Et debitè promulgata.*

Adderet fortè aliquis acceptationem. Sed certum eſt in primis illam non requiri ad omnem legem, etiam divinam vel naturalem. Quoad humanam autem etiam non conveniunt Doctores, an requiratur ad obligationem legis; & nos quidem infrà oſtendemus, quòd non, ſaltem & præcipuè quoad legem Pontificiam.

Ex dictis formari poteſt definitio legis ſtrictè dictæ, nempe: *Præceptum ſtabiliter obligativum communitatis, eíq; ſatis intimatum.* Vel (ut definit *Suarez lib.1.de Legibus cap.12.*) *Præceptum commune, juſtum ac ſtabile, ſufficienter promulgatum.* Vel (ut *Marchant To.2.Tribun.Sacram. Tract.1.Tit.1. q.1.*) *Regula perſeverans actionum humanarum, indita vel poſita multitudini, auctoritate & vo-* 9. *Ex quibus formatur varia Legis definitio.*

& voluntate publicam poteſtatem habentis, obligans ad ſui ſequelam in proſecutione boni & fugâ mali. Definitiones ſatis patent ex dictis.

QUÆSTIO II.

In quo reperiatur ratio Legis?

10. *Varii actus ad legem ferendam concurrentes recenſentur.*

NOTA in legibus, præſertim poſitivis, de quibus hîc ſpecialiter controvertitur, varia concurrere. Primò enim reperitur judicium, quo legiſlator judicat hoc vel illud eſſe bonum, ut fiat, ac expedire, ut decernatur ſub obligatione. Secundò invenitur voluntas decernendi, & obligandi ſubditos. Tertiò exterior actus ſeu intimatio per vocem vel ſcripturā. Quartò invenitur in ſubditis judicium, quòd ita obligentur, prout per legem decernitur. Hoc notato

11. *D. Thomas ſtatuit phyſicam legis eſſentiam in actu intellectûs.*

Duplex eſt de præſenti Quæſtione Sententia principalis. Prima aſſerit rationem legis, prout eſt actus legiſlatoris, reperiri in intellectu, ſeu formaliter eſſe actum intellectûs. Ita *D. Thomas q. 90. a. 1.* quem ſequuntur *Thomiſtæ* & plures alii. Nonnulli autem eorum cenſent eſſe actum intellectûs practicum conſequentem decretum voluntatis, quem vocant imperium, & explicant per *Fac hoc*, *Ne facias* &c. Alii verò meritò illud imperium velut inutile & confictum rejiciunt, ſtatuentes rationem legis in primo actu ex ſuprà numeratis: nam poſito judicio de convenientia rei præcipiendæ, voluntate obligandi, ac externâ intimatione, invenitur perfecta ratio legis; adeòque ſupervacaneum eſt illud imperium. Immo confictum eſt: tum quia voluntatis, non intellectûs officium eſt imperare: tum quia ne in propriis quidem actionibus moralibus poſt efficacem electionem tale judicium ad executionem faciendam eſt neceſſarium, ſed voluntas per efficacem & abſolutam electionem ſatis movet ceteras potentias ad operis electi executionem.

12. *Rectiùs Scotiſtæ & plures alii in actu voluntatis.*

Secunda Sententia tenet Legem formaliter eſſe actum voluntatis legiſlatoris, etſi actum intellectûs velut conditionem præſupponat; adeòque legem reperiri in voluntate. Ita Plures Doctores, & *Scotiſtæ* cōmuniter cum *Scoto 1. d. 44. q. unic. n. 2.* & in eam etiam inclinat *Suarez lib. 1. de leg. c. 5. n. 24.* dicens, *Spectando rem ipſam meliùs intelligi legem mentalem* (de qua agimus) *in ipſo legiſlatore eſſe actum voluntatis juſtæ & rectæ, quo ſuperior vult inferiorem obligare.*

In quem proprius legis effectus, ſcilicet obligatio, eſt referenda,

Hæc ſententia videtur omnino verior. Probatur: quia propria legis ratio, per quam diſtinguitur ab aliis actionum humanarum regulis, conſiſtit in decreto obligativo communitatis: atqui vis obligativa oritur tantùm ex actu voluntatis; ergo propria legis ratio conſiſtit in ſolo actu voluntatis. Verum quidem eſt, judicium quo legiſlator judicat materiam legis eſſe convenientem ut ſub obligatione decernatur, neceſſariò ad lationem legis concurrere, ut ipſa prudens ſit; adeòque etiam ſuo modo dirigere ſubditos, lege jam poſitâ & intimatâ: propria tamen legis directio, quæ eſt per impoſitionem obligationis, in ſolum actum voluntatis eſt refundenda; quādoquidem judicium illud nullam obligationem inducat, immo reperiri poſſit in legiſlatore, qui ob rationes oppoſitas, ſive prudenter, ſive imprudenter, præcipere renuit, quod expedire judicaverat ut præcipiatur. Confirmatur: quia legiſlatio eſt actus juriſdictionis ſeu poteſtatis ſuperioris: unde eſt velut uſus cujuſdam dominii; uſus autem eſt actus voluntatis, & præſertim uſus dominii, qui eſt liber.

Dices, Legis officium eſt illuminare & inſtruere ſubditos juxta illud *Pſal. 18. Præceptum Domini lucidum, illuminās oculos &c.* Et *Pſal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum*, quæ conveniunt actui intellectûs, & non voluntatis. Reſp. hæc quoque convenire actui voluntatis: ſic enim omnes loquuntur, cùm dicunt voluntatem divinam eſſe menſuram & regulam omnium noſtrarum actionum. Et *Anſelmus lib. de volunt. Dei c. 4.* inquit: *Voluntas Dei eſt magiſtra humanæ voluntatis.* Unde etiam voluntas illuminat & inſtruit, voluntas, inquam, ſuperioris ſubditos, quatenus illa objectivè propoſita monſtrat ſubditis eam cognoſcentibus, quid ipſorum voluntas amplecti debeat; veluti manus in via poſita docet quâ eundum ſit. Neque actus intellectûs ſuperioris aliter quàm objectivè dirigit aut illuminat ſubditos: formaliter enim tantùm illuminat actus intellectûs illum cui ineſt. 13.

Cui etiam legis officiū convenit, ſcilicet illuminare ſubditos.

Auctoritates porrò ſacræ Scripturæ potiùs favent noſtræ ſententiæ, dum variis locis Scriptura indicat legem eſſe opus divinæ voluntatis, ut *Pſal. 102. Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas,* id eſt, leges & præcepta ſua. *Pſal. 142. Doce me facere voluntatem tuam.* *2. Machab. 1. Det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem,* id eſt, ſervetis ejus legem. Et alibi. Idem indicant Patres & alii Auctores: *Auguſtinus 4. de Civit. c. 6.* dicens arbitria Principum apud priſcos pro legibus fuiſſe. Et *lib. 1. ff. De Conſtit. Prin.* ubi dicitur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem. Ariſtoteles lib. de arte Rhetorices c. 1. & 2.* & alii. Quamquam ob concurſum judicii ad legem prærequiſiti etiam ſubinde legem ad rationem ſive intellectum ſpectare dicant. 14.

Favet etiā Auctoritas.

Petes, An actus voluntatis, qui eſt lex, debeat eſſe efficax? Reſp. debere eſſe efficacem, quatenus efficaciter inducit obligationem faciendi quod lege decernitur: 15.

An vel quo ſenſu Lex ſit actus efficax voluntatis.

non

non debere autem eſſe efficacem reſpectu operis præcepti; cùm Deus multa præcipiat, quæ ex malitia creaturæ rationalis non fiunt, & tamen fieri deberent, ſi Deus abſolutè & efficaciter id voluiſſet.

QUÆSTIO III.

De Cauſis, Effectibus, & Diviſionibus Legis.

16. *Quæ cauſa Legis.* DE cauſis legis in communi ſatis conſtat ex dictis quid de illis ſit ſentiendum: nam finem legis diximus *quæſt.* 1. eſſe bonum commune. Formam verò eſſe normam juſtitiæ, patet: cùm lex debeat eſſe juſta, ut cuique tribuat aut imponat quod debitum & decens eſt, idque convenienti proportione ſervatâ. Materiam verò ſeu cauſam ſubjectivam legis eſſe voluntatem legiſlatoris conſtat ex *quæſt. præced.* Denique cùm per legem inducatur obligatio, nullus autem poſſit obligare non ſubditum, conſtat cauſam efficientem legis eſſe ſuperiorem habentem juriſdictionem in perſonam cui lex imponitur, idque per reſpectum ad materiam de qua diſponitur, ſive ſuperior ſit ipſa communitas, ut fit in regimine democratico ſive populari; ſive optimates, ut fit in regimine ariſtocratico: ſive Rex aut Princeps, ut in regimine monarchico. Unde ſi materia vel perſona legiſlatori non ſubſit, non inducitur obligatio. Quamobrem Principes ſæculares non poſſunt leges eccleſiaſticas condere, quia earum materia illis non ſubjicitur.

17. *Qui legis effectus.* Quod ad effectus legis attinet, patet proprium & principalem effectum eſſe obligationem: cùm propria ratio legis conſiſtat in decreto obligativo communitatis. Immo eadem eſt effectus legis adæquatus: adeò ut ceteri effectus recenſiti à *D. Thoma quæſt.* 92. *art.* 2. & cap. *Omnis autem, diſt.* 3. (quod deſumptum eſt ex *Iſidoro lib.* 5. *Etymolog. cap.* 19.) videlicet præcipere, vetare, permittere & punire, ſub ea comprehendantur, ut de præcepto & vetatione patet. De permiſſione autem inde probatur, quòd dum lex aliquid fieri permittit, eatenus non habeat rationem legis ſeu decreti obligantis: quatenus tamen aliquid permittendo obligantur alii non impedire uſum rei permiſſæ, eatenus quidem permiſſio eſt effectus legis, ſed ab obligatione indiſtinctus. De punitione conſtat idem: quia hæc ad propriam rationem legis pertinet, in quantùm vel judex obligatur pœnam inferre, vel reus ipſe in ſe exequi, aut ſaltem ſuſtinere. Poſtremò alius effectus legis, quem aſſignat *D. Thomas ſup. art.* 1. nempe facere homines bonos, eſt tantùm effectus mediatus, quem lex ſortitur mediante obligatione, quam injicit ſubditis, ad actum ex genere bonum faciendum. Immo cùm lex juxta infrà dicenda poſſit impleri per actum ex mala intentione vitiatum aut indifferentem, non facit lex homines ſimpliciter bonos, niſi quantùm eſt de ſe, aut niſi omnium legum, etiam divinarum, ac potiſſimùm charitatis, congeries ſpectetur.

Dividitur Lex immediatè in naturalem & poſitivam. Poſitiva in divinam & humanam. Divina in novam & veterem. Humana in ſpiritualem & temporalem, ſive eccleſiaſticam & civilem. 18. *Dividitur lex in naturalem & poſitivam &c.*

Aliter dividitur Lex in affirmativam, quâ aliquid faciendum præcipitur; ut, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et negativam, quâ aliquid fieri prohibetur; ut, Non mœchaberis. Unde Lex affirmativa actionem præcipit, negativa actionem aliquam vetat. Quæ diviſio non tantùm legi in genere, ſed etiam ſingulis ejus ſpeciebus accommodari poteſt. *Item in affirmativam & negativam.*

Contra priorem Legis diviſionem objicitur, quòd ibi non annumeretur lex æterna; quæ tamen celebris eſt, etiam apud *S. Auguſtinum*, *D. Thomam*, ac Theologos paſſim. Reſp. in rigore quidem nullam legem completè ſpectatam eſſe æternam; cùm nulla lex ab æterno fuerit promulgata, nec etiam ab æterno fuerint ſubditi, quibus lex ferretur. Quemadmodum hâc ratione nec dominium, nec juriſdictio aut gubernatio Dei (cujus actus eſt lex) fuit æterna. Quia tamen in quæſtione de nomine loquendum eſt, ut multi, admittenda eſt lex aliqua æterna, ſcilicet incompletè ſpectata ſecundùm quod importat actum ipſius legiſlatoris. Quâ equidem ratione lex æterna non diſtinguitur à lege divina, quæ omnis eſt æterna ſecundùm actum voluntatis Dei, quem importat, & qui eſt ab æterno. Hoc modo de lege æterna loquitur *Auguſtinus* præcipuus illius aſſertor *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 27. definiens *peccatum eſſe dictum factum vel concupitum contra legem æternam*: quia nimirum omne peccatum vel adverſatur directè & proximè legi divinæ, vel ſi fiat contra legem humanam, opponitur legi divinæ ſaltem indirectè & mediatè, voluntati ſcilicet divinæ generali, quâ ſuperioribus dedit poteſtatem præcipiendi, ac ceteris juſſit, ut ſuperioribus obtemperarent. 19. *Nulla lex æterna completè, Sed incompletè, Sic coincidit cum lege divina. Quo ſenſu de lege æterna interdũ Auguſtinus loquitur.*

Aliquando autem *D. Auguſtinus* per legem æternam intelligit æternam ſapientiam & providentiam Dei, ſumptâ lege impropriè pro quocumque dictamine, vel voluntate, quâ aliquid neceſſariò vel liberè in finem dirigitur: prout Deus dicitur legem poſuiſſe aquis ne tranſirent fines 20. *Alibi tamē hoc nomine intelligit æternam ſapientiam & providentiam.*

nes ſuos, aliiſque creaturis irrationalibus ſtatuiſſe præcepta, v.g. mandaſſe nubibus ne plucrent &c. Quo etiam ſenſu dicitur Deus non poſſe facere ſecundùm legem ordinariam quin ignis ſit calidus, licèt poſſit ſimpliciter ſecundùm legem aliam extraordinariam. Hoc modo de lege æterna loquitur *l.* 83. *qq. q.* 27. dicens: *Lex incommutabilis omnia mutabilia pulcherrimâ gubernatione moderatur.* Sic quoque de æterna ſapientia intelligi poteſt quod habet *l.* 1. *de libero arbitr. c.* 6. *Nihil eſt in temporali lege juſtum, quod ex lege æterna non derivetur.* Non quòd ex ea derivetur tamquam ex lege propriè dictâ, ſed tamquam ab æterna ſapientia & æquitate, quæ eſt menſura æquitatis omnium legum, ut nulla earum juſta ſit, quam pro tali divina ſapientia non habeat. Sicut *Proverb.* 8. dicitur: *Per me reges regnant, & conditores legum juſta decernunt.*

21. *Conformiter accipit D. Thomas.* Simili modo de lege æterna loquitur *D. Thomas quæſt.* 93. videlicet tamquam de parte aliqua divinæ providentiæ: quam quia conſtituit in intellectu, dicit legem æternam eſſe rationem omnium faciendorum exiſtentem in mente divina. *Eatenus tamen in rigore non eſt lex.* Quæ tamen rationem legis propriè dictæ non obtinet. Primò, quia lex eſt actus voluntatis. Secundò, quia etſi loquamur de providentia iſta tamquam actu voluntatis, ejuſmodi lex non tantùm reſpicit facienda à creaturis rationalibus, ſed etiam irrationalibus; juxta Theologos communiter ex *D. Auguſtino lib.* 83. *qq. cit.* quâ parte tamen nequit eſſe vera lex. Tertiò, quia non tantùm reſpicit facienda ex præcepto, ſed etiam ex conſilio & plenâ libertate. Denique conſiderata quatenus reſpicit facienda ex obligatione à creatura rationali, eſt quidem lex, ſed coincidit cum lege divina, ſive poſitiva, ſive naturali, adeòque enumerari non debet tamquam membrum condiſtinctum.

QUÆSTIO IV.

Quid & Quotuplex ſit Lex naturalis?

22. *Lex naturalis quid.* Lex naturalis eſt regula obligans ad faciendum vel fugiendum ea, quæ ex ſe conveniunt vel diſconveniunt naturæ rationali.

In quo autem hæc regula conſiſtat, eſt inter Doctores controverſum. Multi enim cum *Suarez l.* 2. *de legibus c.* 6. *n.* 7. *& ſeqq.* *Aliqui eam ſtatuunt in ſpeciali juſſione Dei.* eam ſtatuunt in ſpeciali juſſione Dei. At alii paſſim contradicunt, exiſtimantes etiam citra hujuſmodi juſſionem ſubſiſtere legem naturæ.

Illud in primis indubitatum videtur apud omnes, de facto ſpecialem Dei juſſionem concurrere, quâ jubeat aut vetet ea quæ vulgò cenſentur de jure naturæ: eo ipſo enim quo creaturam rationalem condidit, voluit ut conformiter naturæ viveret. *Quæ indubiè intervenit.* Unde *Aug.* 22. *contra Fauſtum c.* 27. peccatum generaliter definit per oppoſitionem ad legem æternam, quæ (ut ſubdit) *eſt ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* Et *l.* 2. *de peccat. merit. & remiſſ. c.* 16. loquens de omni omnino peccato (ut ex contextu patet) ait: *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur, ut non ſit.* Et *Anſelmus l. de volunt. Dei c.* 2. ait: *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non facit.*

Cùm itaque de hujuſmodi divina juſſione conſtet, non eſt cur ipſa bono ſenſu vocari nequeat lex naturæ. *Nec incongruè nomen legis naturalis uſurpat.* Confirmatur: quia per legem naturæ concipitur regula talis, in cujus tranſgreſſione intrinſecè includatur ſtricti nominis peccatum; hoc autem non reperitur, niſi per ordinem ad divinam juſſionem ſeu legem, juxta *Auguſtinum ſup.* Deinde paſſim ab omnibus vocatur lex divina naturalis; non eſſet autem propriè divina, niſi ratione divinæ juſſionis.

An autem hâc ſeclusâ, per poſſibile vel impoſſibile, non reſtaret aliqua regula, ex ordine ad quam illa, quæ adverſari cenſentur juri naturæ, adhuc cenſerentur moraliter mala ac diſſona rationi, & peccata (ut loquuntur) philoſophica, eſto non theologica; quæri poſſet. 23. *Occam* & ceteri *Nominales* negant, exiſtimantes in iſta hypotheſi (quam non implicare credunt) odium Dei v.g. (idem eſt de ſimilibus) non fore moraliter malum. *Eâ tamen ſeclusâ, per poſſibile aut impoſſibile, adhuc malum eſſet odiſſe Deũ &c.* Sed planè ex ipſis terminis apparet, in quavis hypotheſi contra rectam rationem eſſe odium Dei, in quo eſt infinita ratio amabilitatis, & nulla odibilitatis. Sicut contra rectam rationem eſſet nolle obedire Deo, eſto Deus ſpecialiter non juſſiſſet ſibi obediri. Et hinc naſcitur vulgata apud Theologos diſtinctio inter vetita jure naturæ, & jure tantùm poſitivo, quòd hæc ſint mala quia prohibita, iſta prohibita quia mala.

24. Aſſerendum proinde eſt cum Doctoribus communiter etiam citra ſpecialem juſſionem Dei fore debitum aliquod morale ſeu obligationem vitandi odium Dei, blaſphemiam & ſimiles actus; cùm malum ſit neceſſariò fugiendum ex primo principio morali. *Adeòque debitũ quoddam fugiendi odium &c.* An verò radix hujus obligationis ſeu debiti ſit dicenda lex naturæ an non, videri poteſt quæſtio de nomine. *An oriundum ex lege, quæ dicatur natura, eſt quæſtio de nomine.* Si enim per legem intelligatur actus ſuperioris, patet quòd non. Idem eſt, ſi per legem intelligatur regula, cujus tranſgreſſio ſit peccatum theologicum. Si verò per legem generatim intelligatur regula obligativa quomodocumque, patet vocari poſſe legem naturæ. Et ſic poſſet dici eſſe duplicem naturæ legem, unam conſiſtentem

in

in juſſione Dei, alteram ab hac independentem.

25. *Hæc verò lex naturæ non eſt ipſe intellectus creatus,*

De qua inſuper controvertitur, in quo ſita ſit. Nam aliqui eam ſtatuunt in ipſo intellectu creaturæ rationalis. Sed minùs rectè: quia intellectus non cauſat, ſed ſupponit debitum fugiendi vel amplectendi aliquem actum; ſolùmque oſtendit bonitatem vel malitiam in objecto repertam. Ob quam rationem non poteſt etiam cum *Caietano*, *Valentia* & aliis ſtatui in actuali dictamine intellectûs ſeu rationis: quandoquidem etiam huic præſupponatur bonitas vel malitia actioni intrinſeca, adeòque debitum illius faciendæ vel omittendæ. Unde potiùs eſt ſignum oſtenſivum & applicativū legis, quàm ipſa lex: quemadmodum idcirco intellectus vel actus intellectûs ſubditi non eſt lex poſitiva, etſi oſtendat ſubdito, quidnam ſit ei ex lege poſitivâ faciendum. Deinde etſi intellectus omni actu careret, non careret lege naturæ. Potiori jure non poteſt ſtatui in habitu; utpote adhuc poſteriori quàm ſit actus intellectûs, ex quo generatur. Et quàmvis non generaretur, ſed nullus eſſet habitus, non ideo deſineret malitia v. g. odii Dei, aut obligatio illud fugiendi.

Neque actuale dictamen illius, *Neque habitus,*

Neque etiã propoſitiones quædam objectivæ.

Non poteſt etiam cum *Lorca* & aliis ſtatui in propoſitionibus objectivis, quæ citra interventum ſpecialis juſſionis dictant, quid ſit agendum vel non agendum, v.g. Deum eſſe colendum, non eſſe odio habendum &c. Nam hæc dictamina non ſunt aliud ex parte objecti, quàm eſſe obligationem colendi Deum, non habendi odio &c. dum autem de lege quæritur, aſſignanda eſt radix hujuſmodi obligationis, ſeu quid obligationem inducat.

26. *Sed probabiliter ipſa actionum conveniẽtia neceſſaria vel diſconvenientia.*

Quare *Poncius in Comment. Scoti d.*37. *l.*3. *Sentent. n.*29. cenſet eſſe ipſam intrinſecam convenientiam actionum cum natura rationali. Convenientiam intelligit, non quamcumque (cùm etiam operationes conſilii ex ſe ſint convenientes & bonæ) ſed talem, ut actionem omittere ſit malum & dedecens naturam rationalem. Ratio eſt: quia ab hujuſmodi convenientia vel oppoſita diſconvenientia habent primò actiones, quòd ſint faciendæ vel fugiendæ, adeòque iſta eſt propria radix obligationis, utpote quæ poneretur vel tolleretur poſitâ vel ſublatâ ſolâ convenientiâ vel diſconvenientiâ præfatâ. Aliud eſt in lege poſitiva: nam in iſtius materiam inducitur obligatio per actum voluntatis ſuperioris, & hoc poſito demum reſultat convenientia vel diſconvenientia in actibus lege poſitivâ præceptis vel prohibitis. Eſtque hæc doctrina probabilis. Sed contrà facit, quòd ſic lex naturæ eſſet quid malum, immo ipſa malitia v.g. odii Dei; communis autem conceptus habet, quòd ipſa ſit quid bonum & ſanctum. Deinde lex debet eſſe regula recta obligativa; malitia autem ſeu diſconvenientia non eſt regula, ſed contra regulam rectam.

Unde optimè videtur ſtatui cum *Vaſquez d.*150. *cap.*3. in ipſa natura rationali: hæc enim eſt regula, penes quam regulanda eſt actio, ejuſque bonitas & malitia, adeòque obligatio faciendi aut vitandi. Nec tam malitia obligat ad vitandum v. g. odium Dei, ad eligendum amorem Dei &c. quàm ipſa ratio ſeu potiùs conditio creaturæ rationalis, quæ ex intrinſecis ſuis principiis id poſtulat, adeòque ad id obligat, ſuppoſitâ conditione objecti. 27. *Vel potiùs ipſa natura creaturæ rationalis.*

Dices: Lex naturæ dicitur ſcripta & impreſſa cordibus hominum ſeu menti noſtræ, *ad Rom.*2. Et apud *Auguſt.*2.*confeſſ.*4. ergo videtur formaliter conſiſtere in intellectu ſeu lumine rationis. Reſp. Neg. Seq. nam ſicut propriè dicitur lex poſitiva ſcribi in tabulis, etſi ſcriptura vel tabulæ non ſint formaliter ipſa lex, ſed tantùm ſignum legis, ob quod tamen vulgariter lex vocantur: ſic etiam lex naturæ ſcribitur in intellectu tamquam ſigno oſtendente ſeu exprimente legem, quatenus lumine naturali poteſt inter bonum & malum diſcernere, abſque eo quòd per vocem vel ſcripturam proponatur. Ideoque Apoſtolus dicit Gentes legem Moſaicam non habentes eſſe ſibi ipſis legem naturalem, ſumptâ lege pro inſtrumento oſtenſivo ſeu expreſſivo legis. 28. *Lex naturæ eſt ſcripta in intellectu tamquam ſigno indicativo illius.*

Petes, An Deus dici poſſit habere legem naturæ, eâque obligari? Reſp. propriè loquendo Neg. ſive lex naturæ ſtatuatur in juſſione ſuperioris, ſcilicet Dei, ſive non: quia nihilominus ſaltem ipſa dicit reſpectum ad Deum, qui legem naturæ cenſetur ferre quatenus naturam condit, cui obligatio legis naturæ cenſetur intrinſecè annexa. Deinde ſola regula dicitur lex, quæ reſpicit aptos in finem dirigi, & defectibiles in actionibus, ac quibus ſaltem non repugnat habere ſuperiorem: nihil autem horum Deo competit. Denique Deus non tam obligatur ad ſibi intrinſeca vel ad actiones extrinſecas rectè peragendas, v. g. ad implenda promiſſa &c. quàm bene ad illa ex intrinſeca ſua perfectione & eſſentiali rectitudine vel immutabilitate decreti determinetur aut neceſſitetur. Si quis autem vellet Deum quodammodo habere legem naturæ, utì debitum & obligationem, nolim magnopere de voce contendere. 29. *Deus propriè non habet legem naturæ.*

Lex naturæ eſt multiplex, ſaltem terminativè, ſcilicet pro multiplicitate actionum habentium intrinſecam convenientiam vel diſconvenientiam *præced. Concluſ.* explicatam, ut alia ſit lex juſtitiæ, alia temperantiæ, alia de non mentiendo &c. Sic etiam aliqua præcepta legis naturæ ſpectant ad Deum, ut ſunt præcepta Decalogi primæ tabulæ: alia ſpectant ad proximum, ut præcepta ſecundæ tabulæ. Conſiderando 30. *Lex naturæ eſt multiplex.*

Et quodammodò una atque eadem. derando tamen naturam rationalem, & intellectum ſeu lumen rationis, cui lex naturæ inſculpta, accipit ipſa eatenus quamdam unitatem. Et hinc etiam ſortitur cōmunitatem ſeu generalitatem, quatenus quælibet lex naturæ eadem eſt apud omnes, ſive obligat omnes homines manentibus iiſdem circumſtantiis; quandoquidem ſit apud omnes eadem natura & ratio, cum qua materia legis naturalis neceſſariò convenit vel diſconvenit. Denique ut ait *D. Thomas q.* 94. *art.* 2. omnia præcepta legis naturæ unitatem quamdam participant, quatenus fundantur quodammodò in uno principio practico: *Bonum eſt faciendum, malum autem fugiendum.* Quemadmodū in ſpeculativis etſi plura ſint principia à priori indemonſtrabilia, tamen quodammodò fundantur in hoc uno: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

QUÆSTIO V.

Quæ ſit materia legis naturalis?

31. *Quæ materia legis naturalis.* DICO I. Omne illud eſt materia legis naturalis, quod lumē naturale judicat eſſe ex ſe neceſſarium vel contrariū naturæ rationali: nam lex naturæ juxta cōmuniſſimam Theologorum doctrinam à lege poſitiva in hoc diſtinguitur, quòd illa ſit de neceſſariis ex natura rei ad honeſtatē creaturæ rationalis, iſta verò de neceſſariis ſolùm ex voluntate legiſlatoris. Unde non ſolùm prima morum principia, ſed etiam concluſiones practicæ ex iis evidenter deductæ ſpectant ad legem naturæ, ut rectè *Scotus* 3. *d.*37. *n.*5. *D.Thomas q.*94. *art.*4. & alii Theologi communiter: nam etiam hujuſmodi concluſiones ſunt neceſſariæ creaturæ rationali, ſicut earum principia; deſtructâ ſiquidem concluſione deſtruitur principium juxta argumentationem ab oppoſito conſequentis. Quapropter Apoſtolus *ad Rom.* 2. generaliter ad legem naturę revocat ea, quæ Gentes naturali inſtinctu judicant eſſe bona vel mala, ſeu facienda vel fugienda; qualia ſunt omnia jam dicta.

Ad eam non ſolùm prima morum principia, ſed & multa concluſiones ſpectant.

32. *Quædam ſpectant ad jus naturæ elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem.* Adverte I. leges naturæ non tantùm inveniri reſpectu naturæ ſecundùm ſe ſpectatæ, ſed etiam reſpectu ejuſdem ut elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem & lumine fidei inſtructæ. Sic enim ſunt varia præcepta hunc ſtatum conſequentia ex natura ipſius ſtatûs: v.g. poſitâ inſtitutione Sacramentorum, oritur lex non recipiendi ea indignè, ac non exhibendi illis aliquam irreverentiam &c. Hæc autem & ſimilia præcepta vocantur quidem ſupernaturalia, ſunt tamen connaturalia ſtatui gratiæ, & diſtinguuntur contra præcepta poſitiva: nam recta ratio fide illuſtrata poteſt judicare, etiam ſepoſitâ omni lege ſuperioris, Sacramenta v. g. non eſſe adminiſtranda indignis &c. Unde ad dignoſcenda præcepta legis naturæ, non ſolùm debet conſiderari lumen naturæ ſibi relictæ, ſed etiam fide illuſtratæ.

Adverte II. cùm lumen naturæ ſeu recta ratio non dictet quemlibet actum virtutis eſſe ex ſe neceſſarium ad finem creaturæ rationalis, non cenſeri quemlibet eſſe lege naturæ præceptum, quàmvis variarum virtutum actus, puta Religionis, Charitatis, ſint præcepti; actus autē omnes alii ſaltem eatenus ad legem naturæ pertineant, quatenus ipſa inclinat & ſuadet illos veluti convenientes: ſicut conſilia evangelica hâc ratione dicuntur ad legem Evangelicam pertinere. Deinde modus, quo ſunt exercendi, eatenus ad legem naturæ pertinet, quatenus hæc præſcribit, ut, dum fiunt, non exerceantur niſi ob debitum finem, v. g. non ob vanam gloriam &c. Ac denique cùm ex omnibus virtutibus ſimul ſumptis, hominique ſecundùm ſuum ſtatum congruis, reſultet integra ipſius rectitudo; fortè nulla aut vix ulla eſt virtus, cujus aliqui actus non ſint ex propria ſingularum virtutum obligatione pro loco & tempore exercendi, à diverſis diverſi. 33. *Non quilibet virtutum actus eſt jure naturæ preceptus.*

Adverte III. quamquam omnia præcepta Decalogi ſint ex ſe neceſſaria ad honeſtatem creaturæ rationalis, ſequanturque ex primis principiis practicis, etiamſi peculiariter à divina voluntate non præciperentur aut vetarentur: aliqua tamen non ita neceſſariò ex iſtis principiis inferri, quin ſubjaceant divinæ volūtati, quæ poſſit malitiam, quæ aliàs ineſſet, præcepto vel licētiâ ſuâ contrariâ tollere. Unde quædam ſunt omnino neceſſariò convenientia vel diſconvenientia, quædam verò ſunt neceſſariò talia, quando licentia vel præceptum divinū contrarium non adeſt. Et hæc poſteriora dicit *Scotus* 3. *d.* 37. *n.* 8. eſſe largè de lege naturæ, in quibus proinde juxta infrà dicenda poteſt Deus diſpenſare. Priora autem dicit *n.*5. eſſe ſtrictiſſimè de lege naturæ, quantumvis utraque ſatis propriè ad legem naturæ pertineant, nec *Scotus* hoc neget, prout Nonnulli falſò ei imponunt. Contrarium etiam ipſum lumen naturale ſatis indicat, nempe malum & diſſentaneum naturæ eſſe adulterari, furari, inhonorare parentes &c. ubi licentia vel præceptum Dei in contrarium non ſubeſt. Immo ipſe Apoſtolus *ad Rom.* 1. enumerans vitia Gentilium contra legem naturæ, refert pleraque facta contra præcepta ſecundæ tabulæ; quæ cùm Gentibus non innotuerint, niſi quatenus mediante lumine naturali judicarunt illa eſſe ex ſe mala, & rationali naturæ contraria, patet illa pertinere propriè ad legem naturæ. Sunt tamen quidam *Scotiſtæ*, qui in materia juris naturalis largè ſumpti, citra prohibitionem 34. *Omnia præcepta Decalogi ſunt propriè de jure natura.*

nem ſpecialem Dei, admittunt quidem incongruentiam non modicam, non tamen tantam, ut aſcendat ad malitiam propriè dictam, quàmvis dicant ob id eſſe prohibitam, prohibitionemque inſculptam à Deo cujuſvis intellectui.

35. *An ſub legem naturæ cadat non ſolùm actûs ſubſtantia, ſed etiam modus, & quis,*

Inquiritur præterea, an ad materiam legis naturæ ſpectet non ſolùm ſubſtantia actûs, ſeu illa ratio quam actus præcisè deſumit ab objecto; ſed etiam modus, ideſt, circumſtantia aliqua requiſita ad moralem actûs bonitatem, potiſſimùm una ex his, nempe quòd actus fiat voluntariè, quòd ex cognitione præcepti, quòd propter honeſtatem virtutis, vel denique quòd fiat ex motivo Charitatis ſeu propter finem Charitatis, qui eſt Deus. Moveturque ſolùm quæſtio de præceptis affirmativis: ut enim præceptis negativis ſatisfiat, nullus actus quantùm eſt ex forma præceptorum requiritur; cùm per ſolam non poſitionem actûs prohibiti homo ſit conformis præcepto negativo. Si tamen quis ab actu poſitivo prohibito v.g. homicidio abſtineret, habens voluntatem conditionatam illud perpetrandi, omittendo quidem præceptum implet, per actum tamen adjunctum idem tranſgreditur, ſi ſit conditio non abſtergens malitiam aut prohibitionem; ut etiam de impletione præcepti affirmativi dicetur *n.* 37.

Quæſtio movetur de ſolis præceptis affirmativis.

36. *Lex naturæ impleri debet per actū voluntarium.*

Dico II. Actus, quo lex naturæ impletur, debet fieri ſcienter & voluntariè. Patet: quia per legem præcipitur actus humanus, ſicut ille ſolus per legem prohibetur; actus autem humanus debet eſſe voluntarius & ex certa cognitione. Unde ex defectu huius modi ſeu conditionis non ſatisfacit propriè præcepto juſtitiæ ſeu miſericordiæ, ſive non facit actum lege juſtitiæ vel miſericordiæ præceptum, qui in ebrietate, aut aliàs ſine uſu rationis reſtituit rem alienam, vel dat eleëmoſynam extremè indigenti. Quàmvis poſtea non teneatur iterum reſtituere aut eleëmoſynam dare, eò quòd materia præcepti ſit ſublata, altero recipiente quod ſuum eſt, aut neceſſitate pauperis ſublevatâ. Hinc ſi quis alius me inſcio aut invito reſtituiſſet quod abſtuleram, æqualiter ego ab obligatione reſtituendi liberarer; cùm tamen tunc non poſſim dici impleſſe præceptum reſtituendi, ſed tantùm materia præcepti iſtius auferatur.

37. *Impletionem non impedit concomitans diſplicentia.*

Petes, An impediat impletionem præcepti affirmativi diſplicentia operi adjuncta. Reſp. Neg. quia eâ non obſtante ſimpliciter & abſolutè vult homò facere quod lege præcipitur; quàmvis in iſta diſplicentia frequenter poſſit latere ſpeciale peccatum contra eamdem legem. Et primò quidem ſi diſplicentia ſit indeliberata, non eſt peccaminoſa: prout etiam non eſt ſimplex aliqua diſplicentia ſeu triſtitia de incommodo aliquo naturali conjuncto actioni præceptæ, per ſe loquendo. Si autem ſit diſplicentia vel voluntas conditionata non faciendi opus præceptum, eſt ſemper peccaminoſa, quando malitiâ non abſtergitur per conditionem; ut ſi quis v.g. vellet non implere præceptum, etiam eo ſtante, niſi per pœnam aut aliàs cogeretur. Secùs eſt ſi conditio appoſita malitiam operis abſtergat; ut ſi quis v.g. vellet aliquid facere ſi non offenderet Deum, ſi non foret malum aut prohibitum; ſaltem in illis quæ volente Deo poſſunt licitè fieri.

Dico III. Non requiritur, ut actus lege naturæ præceptus fiat tamquam præceptus. 38.
Ratio eſt: quia lex hoc non mandat, ſed ſolùm ut actus liberè fiat: nec aliã obligationem Chriſtiani apprehendũt. Immo etiamſi obligatio legis ignoretur, v.g. ignoretur legem colendi Deum obligare pro hoc die, & aliquis iſto die liberè Deum coluerit, præcepto ſatisfecit, nec tenetur poſtmodum reſciens obligationem præcepti denuo cultum Deo exhibere: prout in ſimili inferiùs de lege humana dicetur.

Non requiritur, ut actus fiat tamquam præceptus.

Dico IV. Lex naturæ non obligat generaliter, ut actus fiat ob honeſtatem virtutis, & multò minùs ut fiat propter finem charitatis. Ratio eſt: quia neque ex lumine naturali, neque ex auctoritate cõſtat hoc eſſe neceſſarium: ex tenore enim præceptorum non aliud habetur, quàm quòd præcipiatur actus ex genere honeſtus, v.g. ut proximo velimus quod nobis ipſis, miſeriæ proximi ſuccurramus, non autem quòd id fiat tali modo. 39.

Vel ob honeſtatem virtutis, multò minùs ut ob finem charitatis.

Unde Lex aliqua naturæ poteſt impleri per actum ex circumſtantia vitiatum; v.g. ſatisfit præcepto dandi eleëmoſynam aut honorandi parentes, etſi id fiat ob vanam gloriam. Quàmvis tunc peccetur contra aliam legem naturæ, quæ prohibet vanam gloriam. Unde non poteſt integrè impleri lex naturæ per actum malum, quia ſemper obviabitur alicui præcepto legis naturæ particulariter iſtam malitiam prohibenti, aut ſaltem generali præcepto de fuga mali.

Quin immo poteſt lex aliqua naturæ impleri per actum ex circumſtantia vitiatum,

Videtur tamen ſic poſſe impleri lex aliqua naturæ per actum indifferentem (quàmvis hoc negent ii qui non admittunt actus indifferentes in individuo) ſi enim ſatisfaciat præcepto eleëmoſynæ qui illam dat ob vanam gloriam, ſic ut non peccet contra præceptum eleëmoſynæ, multò magis ſatisfaciet tribuens illam ex naturali commiſeratione, aut alio motivo indifferenti. Quem actum cùm aliundè nulla lex prohibeat, ſequitur actu indifferenti poſſe legem aliquam naturæ abſque ullius alterius tranſgreſſione impleri.

Et à fortiori indifferentem,

Dices: Finis legis naturæ eſt moralis perfectio hominis; atqui ad hanc requiritur actus virtuoſus ſeu factus ob honeſtatem: ergo ejuſmodi actum præcipit lex naturæ. 40.
Reſp. majorem intelligi, vel de fine extrinſeco legis naturæ, quem Deus naturæ con-

Qualiter nihilominus

ſubſiſtat finu legis naturalis. conditor intendit, & de hoc habet commune dictum, quòd finis præcepti non cadat ſub præceptum. Quo modo etiam finis præcepti eſt charitas; cùm tamen certum ſit multa præcepta poſſe impleri ab homine manente in ſtatu peccati. Vel intelligi de fine intrinſeco ipſius legis (de quo accipitur commune dictum: *Finis legiſlatoris eſt anima legis*) & iſte finis, vel perfectio ſic intenta à lege naturæ poteſt conſiſtere abſque formali honeſtate, modò opus materialiter impleatur. Quamvis autem legi naturæ ſatisfieri non poſſet (prout revera quibuſdam illius præceptis ſatisfieri non poteſt) niſi per actum ſimpliciter bonum aut honeſtum, certum tamen eſt, non requiri, quòd intendatur honeſtas quæ actui competit ex proprio objecto: nam indubiè præceptum v.g. temperantiæ implet, qui temperanter vivit ad vindictam ſuorum peccatorum, vel quodvis aliud præceptum implet ex amore Dei, quamquam propriam honeſtatem ſingulorum actuum non intendat. Solum præceptum charitatis exigit in actu præcepto honeſtatem ex proprio motivo deſumptam; cùm enim ſit perfectiſſima virtutum habet peculiarem aliquam honeſtatem, quam nulla alia virtus poteſt ſupplere.

Quæ ex Scriptura & *Auguſtino* poſſent objici, partim Tractatibus præcedentibus ſoluta ſunt, partim in materia de gratia ſolventur.

QUÆSTIO VI.

An Lex naturæ ſit immutabilis?

41. *Lex naturæ mutatur impropriè per additionem.* NOTA I. dupliciter intelligi legem naturæ poſſe mutari. Primò additione. Secundò ſubtractione. De priori modo, quo revera lex naturæ non mutatur (utpote quæ in ſua integritate perſeverat) ſed tantùm per legem poſitivam aliquid ei additur, non eſt difficultas: nam multæ leges, tam divinæ quàm humanæ, ſunt adjectæ ut utiles ad finem, quæ tamen intrà limites rationis ex ſe non obligabant.

42. *Quædam ſunt de lege naturæ permiſſivè.* Nota II. dupliciter poſſe aliquid dici de jure naturæ. Primò permiſſivè ſeu negativè, quatenus lex naturæ non inducit contrarium. Secundò poſitivè & propriè, quatenus jus naturæ illud præcipit aut vetat. Priori modo matrimonium clandeſtinum dicitur eſſe validum de jure naturæ, quia videlicet per illud non irritatur: *& poſſemus dicere* (inquit *D. Thomas q. 94. a. 5. ad 3.*) *quòd hominem eſſe nudum eſt de jure naturali, quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars adinvenit.* Similiter jure naturæ dicuntur omnia communia, quia nimirùm diviſionem rerum & dominiorum, non natura, ſed jus Gentium introduxit. Denique libertas ſic dicitur eſſe juris naturæ: quia natura ſervitutem non introduxit, nec etiam prohibuit, ſaltem ſuppoſitâ culpâ: ſi enim jure naturæ liceat hoſtem in bello interficere, licebit quoque eumdem ſervatâ vitâ redigere in captivitatem. Idem licet juſtâ judicis ſententiâ, aut etiam proprio arbitrio alicujus, libertatem ſuam, ſicut dominium aliarum rerum, alienantis. Quod hoc modo eſt de jure naturæ, patet poſſe mutari introducendo contrarium illius quod natura nec præcipit nec prohibet. Unde *Circa quæ procul dubio poteſt fieri mutatio.*

43. Nota III. ſolùm inquiri, an id quod eſt propriè de lege naturæ, poſſit deſinere eſſe de lege naturæ, ſeu obligare, manentibus iiſdem circumſtantiis; iis enim mutatis, manifeſtum eſt poſſe mutari id, quod alioquin lege naturæ præſcribitur. Sic namque gladius depoſitus, alioquin jure naturæ reddendus, reſtitui nequit furenti: occiſio alioquin prohibita licet poteſtati publicæ reſpectu malefactoris: reſtitutio præcepta non obligat, domino illam remittente &c. Unde tunc verè non mutatur lex naturæ, quæ reſpicit ac præcipit actum circumſtantionatum, iiſdemque circumſtantiis manentibus ſemper manet, niſi per alicujus voluntatem malitia ſeu prohibitio tollatur. Unde *Uti & circa ea quæ ſunt propriè juris naturæ mutatis circumſtantiis.*

44. Nota IV. hanc quæſtionem aliis etiam verbis ſolere proponi, utrùm nempe jus naturæ poſſit abrogari, vel in illud cadat diſpenſatio, ſaltem divina. Abrogatur porrò lex, quando illius obligatio univerſaliter tollitur per voluntatem ſuperioris. Fit autem propriè diſpenſatio, non quando declaratur legem in certo caſu non obligare, ſed quando in particulari caſu vel perſona obligatio legis relaxatur, eâ remanente in aliis caſibus ac reſpectu aliarum perſonarum, & remanentibus iiſdem circumſtantiis objectivis, propter quas lex obligabat. His notatis *Sed quæſtio eſt, an iis immutatis mutari poſſit jus naturæ abrogatione vel diſpenſatione divinâ.*

45. Prima ſententia in hac quæſtione eſt *Occami* & quorumdam aliorum, qui exiſtimant omne malum ideo eſſe malum quia à Deo prohibetur, Deumque poſſe pro libitu ſuo non prohibere; adeoque poſſe totum jus naturæ abrogare, ſicut poteſt tollere omnium actionum malitiam juxta ipſos. *Nonnulli generaliter affirmant,*

Secunda ſententia generaliter docet jus naturæ eſſe immutabile etiam à Deo, ſive per abrogationem ſive per diſpenſationem. Ita *D. Thomas q. 94. a. 5.* & pleriquc alii. *Plerique generaliter negant.*

Tertia ſententia (quæ eſt *Scoti 3. d. 37. n. 6.* & Diſcipulorum ejus) docet eſſe omnino immutabile, etiam per Deum, quoad præcepta ſaltem negativa primæ tabulæ, & quæ eò reducuntur, ut præceptum vetans infidelitatem, odium Dei &c. eſſe autem mutabile divinitùs per diſpenſationē quoad præcepta ſecundæ tabulæ, & quæ ad illa reducuntur, excepto ſaltem hoc: *Non falſum teſtimonium dices.* Unde prioris generis *Scotus cenſet duo prima præcepta primæ tabulæ eſſe indiſpenſabilia.*

neris præcepta appellant hi jus naturæ ſtrictiſſimè ſumptum: poſterioris autem generis præcepta dicunt jus naturæ largè ſumptum.

46. *Idq; probatur,* Probatur hæc ſententia quoad priorem partem (quæ eſt communiſſima Theologorum) quia malitia actionum ejuſmodi præceptis ſeu juri naturæ ſtrictiſſimo oppoſitarum, v.g. odii Dei, idololatriæ &c. eſt intrinſeca illis ex natura ſua independenter à voluntate Dei, ſic ut per hanc non magìs poſſit ab iis ſeparari malitia, quàm mutari intrinſeca earumdem natura: nequit autem Deus facere ut malum, manens tale, non ſit fugiendum.

Confirmatur: quia nequit Deus facere, quin malum ſit v.g. non obedire ipſi aliquid jubenti: nec magìs facere poteſt ut malum non ſit facere Deo injuriam vel irreverentiam, quàm ut malum non ſit ei non obedire. Per duo autem prima præcepta Decalogi prohibetur injuriam vel irreverentiam Deo irrogari per cultum falſorum Deorum, aut per aſſumptionem nominis ejus in vanum. Hæc igitur ſunt de jure naturæ, ſtricto & omnino immutabili.

De tertio Decalogi præcepto dubitat Scotus: De tertio præcepto primæ tabulæ, quatenus eſt ceremoniale reſpiciens cultum Sabbati, conſtat non eſſe ullatenus de jure naturæ: quatenus autem generaliter reſpicit cultum Dei, ſic quidem ratio naturalis dictat creaturam oportere aliquando exhibere Deo ſuo cultum; an autem neceſſitas iſta ſit adeò immutabilis, ut nequidem ceſſare poſſit Deo diſpenſante, incertum eſt, & dubitat *Scotus ſup. n.* 7.

47. *Præcepta verò ſecundæ tabulæ eſſe diſpenſabilia aſſerit; Idq; probatur ex Bernardo,* Quoad poſteriorem partem probatur eadem ſententia *Scoti* expreſſâ auctoritate *S. Bernardi lib. de diſpenſat. & præcepto cap.* 5. ubì ait: *Deinde quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitùs promulgatum, niſi à Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur; ut exempli causâ, non occides, non mæchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiſcita; quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere aut licuit aut licebit; Dominus tamen horum quod voluit & quando voluit ſolvit.* Ubì *Bernardum* loqui de diſpenſatione propriè dictâ, patet, tum ex verbis propriè intellectis, tū quia illo libro expreſsè agit de diſpenſatione propriè dicta: tum quia ſubdit commixtionem Oſeæ Prophetæ cum muliere fornicaria futuram fuiſſe flagitii turpitudinem, *ſi non excuſaſſet factum auctoritas imperantis*; quod non ſubſiſtit, ſi (quod alii volunt) Propheta ei copulatus fuerit legitimo matrimonio, adeòque loquitur *Bernardus* de imperio Dei diſpenſativo. Tum denique quia opponit diſpenſationem quam Deo concedit, diſpenſationi humanæ, quam omnino negat in iſtis præceptis; cùm tamen etiam homines poſſint mutare materiam aliquorum præceptorum; v.g. furti, transferendo dominium rei ablatæ in auferentem. Quo modo Doctores oppoſitæ ſententiæ explicant ſpoliationem Ægyptiorum Hebræis à Deo conceſſam. Quinimmo & ipſe *Scotus* 3. *d.* 37. *q. unic. n.* 15. addens præterea titulum juſtæ mercedis ab Ægyptiis denegatæ Hebræis pro operis impenſis.

Probatur II. Quia ut Deus propriè diſpenſet in præcepto v.g. non occidendi innocentem, ſufficit quòd per actum ſuū poſſit efficere, ut occiſio illa ſit licita, manentibus ceteris omnibus circumſtantiis, ob quas aliæ occiſiones ſunt prohibitæ; atqui Deus id facere poteſt, immo de facto fecit, ergo &c. Minor patet in occiſione Iſaac præceptâ Abrahamo, quæ afficiebatur omnibus circumſtantiis, ob quas aliæ occiſiones ſunt prohibitæ, præter circumſtantiam præcepti divini contrarii. 48. *Et facto ipſius Dei;*

Nec dicas, Deum in iſto caſu mutaſſe materiam præcepti de non occidendo, quo non prohibetur occiſio qualiſcumque, ſed quæ fit privatâ auctoritate: nam contrà facit, quòd ſimili ratione dici poſſet, ſuperiorem non diſpenſare dando præceptum vel licentiam homini ſano comedendi carnes in die jejunii, aut alteri citra neceſſitatem portandi noctu arma prohibita, ſed ipſum dumtaxat mutare materiam præcepti, quo ſolùm prohibetur comeſtio carnis, aut portatio armorum facta propriâ auctoritate & citra præceptum vel licentiam ſuperioris. Cùm igitur in caſibus iſtis ſit vera diſpenſatio, erit etiam in noſtro caſu, eò quòd occiſio Iſaac non minùs habeat omnes circumſtātiās ob quas eſt prohibita occiſio in Decalogo, exceptâ circumſtantiâ præcepti divini contrarii, quàm habeat comeſtio carnis præcepta homini ſano in die jejunii omnes circumſtantias ob quas ſimiles comeſtiones ſunt prohibitæ. Pro clariori intellectu

Adverte dupliciter poſſe propter actum ſuperioris deſinere alicujus actionis prohibitionem. Primò ſi fiat mutatio ex parte materiæ, ob quam reverà actio fiat diſtinctæ moralitatis ab aliis actionibus prohibitis, quantùmvis ſuperior non præciperet vel conſuleret aut ſpecialem licentiam actionis exercendæ daret. v.g. ſi dominium alicuius rei concedat, facit ablationem illius non eſſe prohibitam, utpote diverſæ jam moralitatis, cùm præſupponatur rem non eſſe ampliùs alienam. Unde ablatio iſta liceret, quàmvis ſpecialem illius licentiam ſuperior non daret, & multò magìs quàmvis illam non præciperet. Secundò præciſè per hoc, quòd præcipiat vel conſulat ſuperior id quod alioquin foret prohibitum. Hoc notato 49. *Poſſet quidem ceſſare obligatio per mutationem materiæ,*

Conſtat Deum quidem priori modo potuiſſe ſe habere dando Abrahæ dominium *Attamen propriam diſpenſatio-*

nem Deus adhibuit; nium vel jus in vitam Iſaac, Hebræis in bona Ægyptiorum, Oſeæ in corpus fornicariæ, & tunc non habituram fuiſſe locum propriam præcepti diſpenſationem. Nihilominus potuit etiam Deus poſteriorem adhibere modum, & de facto adhibuit, ſaltem in occiſione Iſaac (quidquid ſit de aliis exemplis) quandoquidem illam præciſè præceperit, quæ hoc præcepto ſecluſo prohibita fuiſſet: ubì proinde non minùs diſpenſatio interceſſit, quàm dum Papa v. g. præciperet ſano comeſtionem carnis in die jejunii.

50. *Nec eſt urgens ratio hanc Deo facultatem negandi,* Probatur III. Quia non poteſt urgens ratio aſſignari, ob quam Deus non poſſet dare licentiam faciendi actus alioquin jure naturæ largè ſumpto prohibitos; v. g. non honorandi parentes, occidendi innocentem &c. quod tamen Deo ſine urgenti ratione denegari non poteſt. Confirmatur hoc tum ex facto divino, quo Abrahæ datum eſt præceptum occidendi Iſaac; tum quia etiam in humanis multa ſunt, quæ aliquam indecentiam habent, quæ tamen accedente juſſu Principis eluitur.

Qui idcirco non mutaret naturas rerum. Unde non ſequitur Deum mutare naturas rerum: ea enim quæ præcipiuntur vel prohibentur jure naturæ largè ſumpto ſunt quidem ex ſe talia, ut non debeant per actum voluntatis ſpecialiter præcipi vel prohiberi ad hoc ut eorum omiſſio vel cõmiſſio ſit mala; non tamen ita independenter à voluntate ſuperioris vel Dei, quin hâc accedente poſſit indecentia, quæ alioquin ineſſet, tolli. Ea igitur eſt & ſemper manet natura iſtarum actionum, ut earum omiſſio vel commiſſio debeat eſſe mala, aut certè valde incongrua, quando non adeſt contraria voluntas Dei.

51. *Communiter excipitur præceptum vetans mẽdacium, ſed inefficaciter probatur.* Dixi n. 45. *Excepto ſaltem hoc: Non falſum teſtimonium dices*: nam communiter Doctores & *Scotiſtæ* paſſim cenſent mendacium eſſe adeò intrinſecè malum, ut nequidem divinitùs poſſit eſſe licitum: nam ob ejuſmodi indecentiam nequit abſolutè Deus ipſe mentiri. Sed ratio iſta non convincit: dici enim poſſet, quòd etſi mendacium non foret malum intrinſecè omni caſu poſſibili, equidem implicaret (prout certiſſimè implicat) Deum per ſe vel per alium nomine Dei loquentem mentiri ſeu decipere; eò quòd adhuc phyſicè id repugnaret primæ Veritati, quæ eſt perfectio Dei infinita & ſimpliciter ſimplex. Sicut deceptio paſſiva ſeu error, etſi non ſit intrinſecè malus moraliter, tamen abſolutè Deo repugnat. Similiter ei repugnat comedere, bibere, mori &c. etſi in his non ſit malitia moralis.

52. *In nullo juris naturæ præcepto diſpenſat Pontifex.* Ulteriùs adhuc movetur difficultas, an in aliquibus præceptis juris naturæ poſſit etiam diſpenſare Pontifex. Aſſerit *Sanchez l. 8. de Matrimon. d. 6. n. 5.* & quidam alii. Sed meritò id negant alii communiter: cùm de ejuſmodi conceſſione non conſtet. Deinde admiſsâ in quibuſdam exemplis tali poteſtate, æquo jure extendi hæc poſſet ad alia, v.g. Matrimonii conſummati diſſolutionem, ad fornicationem &c.

Nec dicas, poſſe in quibuſdam caſibus adeſſe ſummam utilitatem, immo neceſſitatem relaxandi aliquod præceptum naturæ; ad quod proinde debet eſſe à Deo relicta poteſtas in Eccleſia, cui ipſe ſufficienter providit. Nam Reſpondetur neceſſitatem vel fore tantam, ut ob illam lex per ſe ipſam non obliget nec caſum comprehendat, vel facilè tolli poſſe aliâ viâ quàm diſpenſatione; vel certè ob illam, utpote fundatam in malitia hominum, poteſtatem tollendi obligationem legis naturæ non debuiſſe hominibus concedi. Alioquin argumentum, ſi quid probet, nimiùm probat: nam ſimilis neceſſitas vel utilitas poteſt quoque occurrere in caſibus, ad quos tamen ne Alii quidem poteſtatem Papæ extendunt. Nam major eſt neceſſitas diſpenſandi ut aliquando frater ſororem accipiat, aut uxorem ſterilem poſt matrimonium conſummatum relinquat, vel veneno interimat & aliam ducat, quando inde dependeret conſervatio fidei Catholicæ in aliquo regno, quàm diſpenſandi in matrimonio rato, illudque diſſolvendi ob privatas difficultates in eo ſubortas, quod Varii tamen dicunt poſſe fieri.

Allegari nihilominus ſolent varia exempla, in quibus videri poſſet altera opinio habere locum. Nam Eccleſia diſpenſat in votis; item in reſidentia Epiſcoporum, quæ (ut colligi videtur ex *Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.*) ſimiliter eſt obligatoria jure divino naturali: diſſolvit matrimonium ratum (quod jure naturæ eſt inſolubile) in caſu ſolemnis profeſſionis, ut patet ex *Trid. ſeſſ. 24. de Matrimon. can. 6.* immo & frequenter in aliis caſibus id feciſſe Pontificem Varii referunt. 53. *Allegantur in oppoſitum varia exempla,*

Reſpondetur à Nonnullis, Eccleſiam in propoſitis exemplis propriè non diſpenſare, ſed tantùm declarare, quo caſu jus naturæ ob gravem cauſam vel neceſſitatem occurrentem non obliget. Hæc tamen reſponſio eſt difficilis: nam in iſtis exemplis requiritur poteſtas juriſdictionis, ut conſtat ex praxi, quæ tamen non requireretur, ſi tantùm interveniret interpretatio juris; cùm hæc ſolùm requirat prudentiam, cujus eſt actus. Deinde ſatìs conſtat in adductis exemplis frequẽter eſſe diſpenſatum, quando ſecundùm interpretationem prudentis non erat ſufficiens ratio aut cauſa, ut lex cenſeretur per ſe non obligare; ac proinde nõn potuit ſola juris interpretatio interveniſſe. *Reſponſio quorumdam rejicitur.*

Reſpon-

54. *Pontifex non diſpenſat in jure naturæ, dum relaxat vota.*

Reſpondeo itaque adducta exempla facilè poſſe explicari abſque interventu humanæ diſpenſationis. Nam in primis quod ad vota attinet, in eorum diſpenſatione ſeu relaxatione tantùm concurrit remiſſio partis cui facta eſt promiſſio: Deus enim per ſuum Vicarium remittit ſeu condonat jus ſibi ex promiſſione acquiſitum; quemadmodum etiam promiſſio vel alius contractus civilis jure naturæ ad ſui impletionem obligans diſſolvitur parte jus ſuum remittente.

Vel diſpenſat in reſidentia Epiſcoporum.

Simili modo ad exemplum de Reſidentia reſpondet *Suarez l.2. de leg. c.14. n.22.* ſcilicet Papam remittere obligationem reſidendi nomine Eccleſiæ, cui Epiſcopus per pactũ ſe ad reſidendum addixit. Aliter dici poteſt Eccleſiam diſpenſare cum Epiſcopis in caſibus in quibus ſolo jure humano ad reſidendum obligantur: non enim toto tempore obligantur jure divino reſidere, nec id colligitur ex verbis Concilii; cùm equidem in abſentia provideri poſſit gregi, cui jure divino ſunt obligati. Si tamen talis caſus daretur, in quo equidem Papa diſpenſaret, fieri hoc non poſſet, niſi ob graviſſimam cauſam & neceſſitatem, ob quam meritò videri poſſet præceptum divinum de reſidendo in tali caſu ceſſare.

55. *Vel ſolvit ſeu potiùs ſolutum declarat matrimonium ratum in caſu profeſſionis ſolemnis.*

Ad tertium exemplum reſpondetur eſſe inter Doctores controverſum, quo jure matrimonium ratum ſit inſolubile, an ſcilicet jure pontificio, an divino poſitivo, an jure naturali; & ſi jure naturali, an ſimpliciter, an potiùs ſecundùm quid, quatenus ſcilicet jus naturæ non vetat illud omnino ſolvi, ſed ſolvi propriâ contrahentium auctoritate. De quo in materia de Matrimonio. Sed pro nũc demus eſſe ſimpliciter inſolubile jure naturæ largè ſumpto, adhuc dici poteſt cum DD. plurimis, Papam vel Eccleſiam in caſu profeſſionis religioſæ matrimonium ratum ſuâ auctoritate non diſſolvere, ſed tantùm declarare illud à Deo ob melius bonum diſſolvi. Unde etiam in Canonibus non aliud dicitur, quàm matrimonium in tali caſu diſſolvi, divinâ ſcilicet auctoritate. Si verò aliis caſibus Papa aliquis illud diſſolverit, id factũ eſt, vel quia allegatæ ſunt apparentes rationes nullitatis matrimonii, prout contigit in Matrimonio Ludovici XII. cum B. Joanna, vel quia Papa ſecutus eſt aliam opinionem probabilem in facto non concernente univerſam Eccleſiam.

Petes, an in legem naturalem cadat interpretatio, vel epikia? Reſp. in legem naturæ prout eſt Decalogo inſcripta indubiè cadere interpretationem, id eſt, explicationem & declarationem: cùm enim omnes circumſtantiæ in quibus lex præcipit vel prohibet ibi non apponantur, clarum eſt poſſe hoc magìs explicari & declarari: quod etiam patet ex tot declarationibus ſuper Decalogum factis. Si verò ſpectetur lex naturæ, prout intellectui noſtro naturali eſt inſcripta, ſic per ſe loquendo & ſecluſis impedimentis nulla cadit in illam explicatio; quandoquidem ipſa lex ſufficienter explicet ſemetipſam & omnes circumſtantias in quibus obligat: non enim ſimpliciter eſt rationi inſcriptum v.g. non occides, ſicuti in Decalogo legitur, ſed ratio judicat non eſſe occidendum aliquem innocentem, aut etiam nocentem, niſi ab illo, qui publicâ fungitur auctoritate, aut certè niſi hoc neceſſarium ſit ad ſui defenſionem. Unde in Angelis, in quibus non ſunt aut fuerunt aliqua impedimenta, locum non habet interpretatio juris naturæ. Quia tamen varia nos impediunt, quò minùs poſſimus clarè dignoſcere vel legere in tabulis mentis noſtræ aliqua præcepta naturæ, etſi alioquin cum omnibus circumſtantiis eis inſculpta, ideòque nonnulla à quibuſdam ignorantur, & varia in dubium revocantur: hinc manifeſtum eſt in nobis habere locum eam legis naturæ interpretationem vel explicationem, per quam oculi mentis noſtræ clarificentur, ut poſſint intueri legem ſibi inſcriptam. Denique epikia, per quam ex æquitate quadam interpretamur non fuiſſe mentem legiſlatoris comprehendere certum caſum, etſi textu legis in rigore comprehenſum, ſi eum prævidiſſet; etſi, dum legem ferret, nullum caſum exceperit, immo etſi interrogatus nullum ſe velle excipere declaraverit: hæc inquam, locum habere non poteſt in lege naturæ; cùm illa ſit quædam legis correctio & emendatio, quâ emendatione lex naturæ non indiget; nec aliquis caſus lege naturæ ſit comprehenſus, qui per ejuſmodi interpretationem excipi debeat. 56. *Cadit in legem naturæ aliquo ſenſu interpretatio.*

DISPUTATIO SECUNDA.

De Lege Divina poſitiva.

1. *Lex divina poſitiva quid.*

Lex divina ſic dicta eſt, quòd per ſpecialem Dei juſſionem ſit Legi naturæ addita ſeu appoſita: partim præcepta legis naturæ renovãdo: partim (quod eſt proprium legis poſitivæ munus) varia præſcribendo, quæ ex natura rei non ſunt neceſſaria ad honeſtatem creaturæ rationalis. Ejuſmodi præcepta poſitiva in omni ſtatu

Fuit aliqua in ſtatu innocentiæ. ſtatu fuerunt, v.g. in ſtatu innocentiæ præceptum de non comedendo fructu ligni ſcientiæ boni & mali. Quod etiam Hevam concernebat, ut patet ex *Gen.*3. ſimiliter & poſteros, ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet, juxta Doctores paſſim, etſi hoc Quidam negent.

2. *Et in ſtatu legis naturæ.* In ſtatu quoque Legis naturæ, qui à lapſu Adæ uſque ad tempus Legis Moſaicæ protendebatur, fuit præceptum de uſu Remedii contra peccatum originale: item de non comedendo carnem cum ſanguine *Geneſ.*9. item præceptum circumciſionis datum familiæ Abrahami. Erat etiam tunc obligatio eliciendi actus virtutum Theologicarum; ut eſt de fide; & colligitur ex *Tridentino ſeſſ.*14.*cap.*4. docente, ***Motum contritionis fuiſſe quovis tempore neceſſarium ad impetrandum veniam peccatorum.*** Nec de his reſtat aliqua ſpecialis difficultas. Poſtea verò Deus ſeligens poſteros Jacob ſeu Iſraëlitas in populum ſuum peculiarem, non ob ipſorum merita, ſed ob promiſſionem factam Abrahæ, ex cujus ſemine Chriſtus erat naſciturus, tulit eis legem ſpecialem, ſeu potiùs multorum præceptorum congeriem, quæ ſimpliciter Lex Moſaica vel Vetus dicitur. Ea verò quæ ſtatu legis veteris deſinente fuit à Chriſto pro tempore gratiæ & pro omnibus hominibus ſubrogata, Lex Evangelica & Nova appellatur. De quibus ſunt nonnulla ſequentibus quæſtionibus diſcutienda. *Famoſa legis divinæ in Moſaicã & Evangelicam, ſeu veterem & novam diviſio.*

QUÆSTIO I.

An Lex vetus fuerit bona?

3. NEGARUNT hoc olim plures Hæretici qui à variis referuntur, peculiariter autem *Manichæi*, ut refert *Auguſt. Hæreſi* 21. *&* 46. qui exiſtimabant Legem Moſaicam eſſe malam & procedere à malo principio.

Lex vetus fuit bona & ſancta. Sed contrarium eſt de fide. Patet ex Apoſtolo *ad Rom.*7. *Lex quidẽ ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum.* Et infrà: *Conſentio legi, quoniam bona eſt.* Unde & Chriſtus legem ſervavit, tum quando fuit circumciſus, tum aliàs paſſim: & ſervare illam docuit *Matth.*8. *Vade* (inquit) *oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes.* & alibi.

A Deo lata. Idem conſtat ex cauſa ejuſdem legis: nam principalis auctor illius eſt Deus juxta illud *Exodi* 20. *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos. Matth.*15. *Deus dixit: Honora patrem & matrẽ &c.* Et alibi. Unde *Concilium Toletanũ* in Confeſſione fidei: *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum eſſe priſcæ legis, alterum Evangeliorum, anathema ſit.*

Per miniſterium Angelorum. Cauſa miniſterialis fuerunt Angeli, *ad Galat.*3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris &c. Ad Hebr.*2. *Qui per angelos dictus eſt ſermo.* & aliis locis. Cauſa promulgans fuit Moyſes, à quo idcirco nomen traxit, juxta illud *Joan.*1. *Lex per Moyſen data eſt.* Idemque patet ex *Exodo, Levitico* & *Deuteronomio.* *A Moyſe promulgata.* Cauſa finalis non fuit ſolùm æterna beatitudo, & proſperitas temporalis, ſed etiam finis velut proprius fuit diſpoſitio hominum ad Chriſti adventum, quapropter omnia in figura contingebant illis: omneſque ritus & ſacrificia antiqua ſignificabant myſteria Chriſti, præcipuè ſacrificium cruentum in ara Crucis oblatum. Hinc *ad Rom.*10. dicitur: ***Finis legis Chriſtus. Ad Galat.*3. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.*** Si denique materiam Legis veteris ſpectemus, conſtabit per eam bona quæque præcipi, & mala ac inordinata vetari. Conſtat itaque legem iſtam fuiſſe bonam & ſanctam. *Quis finis Legis veteris.*

Adverte quòd quàmvis Lex vetus fuerit utilis & bona, ac ſpectato tempore & conditione Judæorum perfecta, abſolutè tamen non erat perfecta, cùm ex ſe non ſufficeret ad juſtificationem & ſalutem: ſicut Lex Evangelica. Unde *ad Hebr.* 6. dicitur: *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ratio eſt: quia non conferebat gratiam ſicut Lex evangelica, juxta illud *Joan.* 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Hinc *ad Galat.*4. ceremoniæ veteris Legis juxta veriorem expoſitionem vocantur *infirma & egena elementa.* Idem inculcat Apoſtolus in *Epiſt. ad Hebræos,* ubi idcirco ait *cap.*7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem,* id eſt, inſufficientem utilitatem ad juſtificationem. Et *cap.* 8. *Si illud prius* (teſtamentum) *culpâ vacaſſet* (id eſt, imperfectione caruiſſet, ſive, ut Alii, à culpa vacare feciſſet) *non utique ſecundi locus inquireretur.* Unde illi, qui in antiqua Lege fuerunt juſti, adepti ſunt juſtitiam ex fide mediatoris, & gratiâ novi Teſtamenti, cujus virtus ad illos pervaſit. Propter quod à Patribus ſubinde dicitur, ſanctos illius ſtatûs pertinuiſſe ad gratiam novi Teſtamenti. 4. *Fuit imperfecta, & quare.*

Contra Catholicam veritatem objicitur I. *Act.* 15. Lex moſaica vocatur à S. Petro jugum importabile. Reſp. ſic vocari, quia juxta ſervilem cõditionem Iſraëlitarum fuit dura & difficilis, tum propter præceptorum multitudinem, tum propter quorumdam auſteritatem, tum propter pœnarum ſeveritatem, tum denique propter gratiæ iſtius temporis parcitatem; cum qua tamen erat obſervatu poſſibilis, ſecundùm illud *Deuteron.*30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te.* 5. *Quare vocetur jugum importabile.*

Objicitur II. *Ezech.* 20. dicitur: *Ego dedi eis præcepta non bona & judicia in quibus* 6.

bus non vivent: & pollui eos in muneribus ſuis, cùm offerrent quod aperit vulvam propter delicta ſua. Reſp. verba illa non intelligi de præceptis veteris Legis; cùm de illis dicatur 2. *Eſdra 9. Dediſti eis judicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona.* Immo apud Ezechielem ſuprà præmittitur: *Dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis; quæ faciens homo vivet in eis.* Itaque per præcepta non bona intelliguntur plagæ & punitiones, quas Deus Iſraëlitis intentavit, aut eis evenire permiſit, idque in pœnam ſuorum peccatorum, eò quòd præcepta & judicia Dei non cuſtodiſſent, ut Dominus ibidem præmiſerat; ex quo inferendo ſubjungit: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona &c.* Punitio autem, quæ divinâ permiſſione Iſraëlitis obvenit, conſiſtebat ſaltem pro parte in duro dæmonum principatu, quorum ſervitio ſe mancipabant per cultum idolorum, ſignanter Moloch, adeò ut huic offerrent quod aperit vulvam, ſive infantes ſuos, ut indicant verba ſequentia.

Quo ſenſu Deus Iſraëlitis dediſſe dicatur præcepta non bona.

7. Objicitur III. *Ad Rom. 5.* dicitur: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Reſp. ly *ut* ibi ſumi conſecutivè, non autem cauſaliter, hoc ſenſu: Lex ſubintravit, ſic ut abundaverit delictum. Unde ſignificatur, quid datâ lege evenerit, non quid effecerit. Itaque Lex vetus, cùm non præbuerit gratiam ad perficiendum ea quæ præſcribebat, per accidens fuit occaſio plurium peccatorum, ob impetum concupiſcentiæ, & hominum infirmitatem ac malitiam: Nam cùm aliquid concupiſcitur, & poſtea prohibetur, concupiſcentiæ flamma magis attollitur. Et, ut Poëta cecinit,

Explicatur dictum Apoſtoli: Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq́; negata.

Hoc ipſum clariùs explicavit idem Apoſtolus *cap. 7. Occaſione* (inquit) *acceptâ peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat...... ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit.* Quod tamen legi vel mandato non eſſe imputandum conſequẽter declarat: *Et inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem......, Itaque lex quidem ſancta &c.*

Similiter dicitur occaſionaliter lex iram operari *ad Rom. 4.* Et littera occidere 2. *ad Corinth. 3.* quia nimirum *peccatum occaſione acceptâ per mandatum ſeducit, & per illud occidit*, ut inquit Apoſtolus *ad Rom. 7.* Niſi tamen poſteriorem locum quis intelligere velit cum *Chryſoſtomo* & aliis Græcis de occiſione corporali, quam lex frequenter tranſgreſſoribus minatur.

Lex iram operatur occaſionaliter.

8. Objicitur IV. quòd plura fuerint in Lege veteri inordinata, quæ idcirco ſunt à Chriſto correcta, ut videre eſt *Matth. 5.* Similiter *Deuteron. 23.* permittitur Judæis ut fœnerentur alienigenis. Reſp. Chriſtum non correxiſſe veterem Legem tamquam malam, ſed partim eam explicaſſe contra perverſas quorumdam Judæorum expoſitiones: tum quando etiam concupiſcentiam internam, & otioſa juramenta damnat; cùm iſti ſolos actus externos, & perjurium exiſtimarent non licere: tum quando dilectionem inimicorum præcepit, quorum odium putabāt licere, ex eo quòd *Levitici 19.* dicatur: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, pravè inferentes à contrario ſenſu: *Et odio habebis inimicum tuum.* Partim imperfectionem illius legis, perfectiora conſulendo, ſuppleſſe: nam cùm in lege dictum eſſet, *Oculum pro oculo, dentem pro dente &c.* ſuadet ut non quæramus vindictam de injuriis, etiam modo licito, qualis erat modus iſte in veteri Lege præſcriptus; ſed potiùs patienter feramus, præſertim ubi gloria Dei & bonum proximi id ſuadet. Partim denique quædam imperfecto iſti populo ſapienter permiſſa revocaſſe; prout abrogavit libellum repudii Judæis ob duritiam cordis eorum permiſſum, Deo veroſimiliùs faciente hoc eis licere per contractûs matrimonialis diſſolutionem. Prout etiam uſura circa alienigenas eis veroſimiliùs fuit permiſſa, ſic ut licitè eam exegerint, Deo vel diſpenſante in præcepto furti, vel dante illis dominium rerum ſic extorquendarum.

Chriſtus, non legem, ſed perverſas ejus explicationes correxit.

Imperfectiora legis ſupplevit.

Libellum repudii diſpenſativè licitum caſſavit.

QUÆSTIO II.

An, Qualiter, & Quos Lex vetus obligaverit?

SUPPONO in Lege veteri fuiſſe præcepta triplicis generis: ſcilicet moralia, quæ per ſe bonitatem & honeſtatem continent: Ceremonialia, quæ pertinent ad cultum Dei, ac præſcribunt, quomodo, quibus ceremoniis ſit colendus, ut ſic populus ad idololatriam propenſus ab ea retraheretur: denique Judicialia, quibus conſtituebatur rectus ordo populi, tum inter ſe, tum quoad communitatem, & in exercendis judiciis. Hæc trimembris præceptorum diviſio paſſim in veteri Teſtamento cernitur, ut *Deuteron. 6. Hæc ſunt præcepta & ceremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vobis.* Et alibi. Et ad propoſitum utitur *D. Thomas q. 99. art. 4.* illo Apoſtoli *ad Rom. 7. Mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Sanctum videlicet quoad præcepta ceremonialia, quibus peculiariter homo ordinatur ad Deum, ejuſque cultui dicatur. Juſtum, propter præcepta judicialia, quibus maximè ordinatur ad proximum. Bonum propter moralia, quæ per ſe bonitatem & honeſtatem continent, hominemque potiſſimùm ordinant ad ſe ipſum. Hoc ſuppoſito 9.

Triplicia Legis veteris præcepta, moralia, ceremonialia, judicialia.

10. *Erant obligatoria in conſcientia,*

Dico I. Lex vetus obligavit in conſcientia, non tantùm quoad præcepta moralia & ceremonialia, ſed etiam quoad judicialia. Ita unanimiter Doctores. Ratio Concluſionis eſt: quia Lex vetus data eſt modo præceptivo in materia capaci obligationis in conſcientia, idque à Deo, cui ſic obligare maximè competit: ergo cenſenda eſt de facto Lex vetus generaliter ſic obligaſſe; cùm alia non ſit commodior via colligendi, an ſit voluntas Dei de facto obligare.

Quidquid de Iudicialibus ſecùs ſenſerit Gerſon.

Confirmatur particulariter contra *Gerſonem Tract. de vita ſpirit. Lect. 2. Corollar. 2. & 7.* ubi contra omnes Theologos putat præcepta judicialia ad ſolam pœnam temporalem ligaſſe, præſertim quando illam expreſsè imponunt. Confirmatur, inquàm: quia Lex judicialis eiſdem verbis mandatur, quibus ceremonialis aut moralis, *Deuteron. 6.* & æqualiter ipſius obſervatio exigitur, ac ſub iiſdem comminationibus, *Deuteron. 4. & 28.* & alibi.

11. *Cujus fundamento ab ipſomet ſolvendo ſatisfit.*

Accedit, fundamentum *Gerſonis* eſſe nullius momenti, & ab ipſomet ſolvendum: nam nullo modo ſequitur, legem in conſcientia non obligare ex eo, quòd imponat pœnam temporalem; cùm utrumque rectè ſimul conſiſtat: immo ex graviſſimis pœnis, quæ in Lege veteri apponuntur, potiùs colligatur contrarium à *Scoto 3. d. 40. num. 2.* Deinde pœnæ temporales etiam apponuntur aliis præceptis, quæ *Gerſon* docet in conſcientia obligare. Sic violanti legem ceremonialem ſabbati intentatur pœna mortis. Et *Deuteron. 18.* fiunt generales comminationes pœnarum temporalium tranſgredientibus mandata, atque etiam ceremonias. Finis quidem proximus Legis judicialis erat politicus, ſed tamen ſub fine altiore, ſcilicet beatitudine, quam poterant Judæi obſervatione illius mereri: quàmvis equidem media ad finem politicum poſſint ſub peccato præcipi etiam ab homine, adeòque multò magis à Deo.

12. *Præcepta Legis veteris ex genere ſuo obligabant ſub mortali,*

Dico II. Præcepta veteris Legis ex genere ſuo obligabant ſub mortali. Ratio eſt: quia materia illorum eſt capax gravis obligationis, utpote in ſe gravis. Nec Deus, ſaltem regulariter, dat poſitivas leges de rebus levibus: cùm enim ſupponantur non eſſe ordinatu neceſſariæ, minùs deceret Deum de illis dare præcepta poſitiva. Dixi, *ex genere ſuo*: nam parvitas materiæ regulariter excuſat à mortali, etiam in jure divino poſitivo, ſicut in jure naturali.

13. *Non tamen cum mortis periculo, per ſe loquendo, præterquàm quoad moralia negativa Decalogi,*

Dico III. Lex vetus non obligabat per ſe loquendo ad ſui obſervantiam cum periculo mortis, niſi quoad præcepta moralia negativa, quæ nimirum in Decalogo continentur. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: nam quod ad præcepta ceremonialia & judicialia attinet, cùm illorum materia ex ſe non ſit neceſſaria ad honeſtatem creaturæ rationalis, non fuit conſonum divinæ providentiæ talem obligationem imponere, adeòq; cenſendus eſt Deus eam non impoſuiſſe; quamquam abſolutam illius poteſtatem id non excederet. Confirmatur: quia ob difficultatem aut grave periculum Machabæi judicarunt non eſſe ſervandum Sabbatum 1. *Machab. 2.* Et Chriſtus ipſe *Matth. 12.* excuſat Davidem quòd fugiens à facie Saülis comederit panes propoſitionis, quos non niſi Levitis edere licebat. Similiter circumciſio non obligabat durante periculo mortis parvulorum: quæ etiam ob incommoditates & pericula itinerum in deſerto fuerat intermiſſa. Deinde quod ad præceptum affirmativum morale de colendo & amando Deo attinet, non poteſt in eo locum habere periculum mortis, quandoquidem per actum internum impleri poſſit, quatenus eſt de jure naturæ. Præceptum verò honorandi parentes, cùm ſit affirmativum, adeòque non obliget ad ſemper, non videtur ſimiliter obligaſſe in tali periculo, ut cum illo mandaretur executioni; quandoquidem ordo charitatis incipiat à ſeipſo. Præcepta tamen moralia negativa, cùm in illis prohibeatur aliquid intrinſecè malum, obligabant cum periculo mortis, prout ex natura rei obligaſſent, etſi non fuiſſent à Deo in Decalogo renovata: nam pro morte vitanda non eſt pejerandum, fornicandum &c. Dixi in Concluſione *per ſe loquendo*: nam ſi obſervatio legis ceremonialis vel judicialis fuiſſet neceſſaria ad vitandum contemptum Dei vel Religionis, non excuſaſſet periculum mortis; ut confirmat exemplum Eleazari 2. *Machab. 6.* & ſeptem Fratrum eorumque matris *cap. ſeq.*

14. *Lege veteri continentur quædam conſilia.*

Dico IV. In lege veteri continentur quædam conſilia. Probatur: quia Lex vetus paſſim indicat gratiſſima eſſe Deo vota hominum, quæ proinde tacitè conſulit. Similiter meminit multarum oblationum ac ſacrificiorum gratuitorum, eorumque ritus deſcribit, adeòque illa implicitè conſulit.

15. *Obligabat Lex vetus ſolos Hebræos per ſe loquendo,*

Dico V. Lex vetus per ſe loquendo obligabat ſolos Hebræos. Probatur: quia ad illos ſolos lex illa dirigebatur, illiſque ſolis fuit promulgata, ut conſtat paſſim ex *Exodo*, *Levitico*, & *Deuteronomio*: Lex autem non obligat, niſi ad quos dirigitur aut promulgatur. Unde *Deuteron. 4.* dicitur: *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias juſtaq; judicia & univerſam legem? Pſal. 147. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis. Ad Rom. 3. Quid ergo amplius Judæo eſt? ..... Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Et *cap. 9. Quo-*

9. *Quorum adoptio eſt filiorum & gloria, & teſtamentum & legiſlatio.* Dixi *per ſe loquendo*: quia potuiſſet gens aliqua legem antiquam aſſumere & ſibi imponere. Deinde cuilibet liberum erat iſtam legem profiteri, & ſeſe adjungere populo Dei per circumciſionem, quæ erat janua veteris Legis, ſicut baptiſmus novæ, ſecundùm illud Apoſtoli *ad Galat.* 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Quod etiam colligitur ex *cap.* 12. *Exodi: Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritq; ſicut indigena terræ.* Porrò quòd multi Gentiles ad Judæos convenerint, eorumque legem receperint, conſtat ex illo *Eſther* 8. *In tantùm ut plures alterius gentis & ſectæ eorum*, Judæorum, *Religioni & ceremoniis jungerentur.* Cujuſmodi adſcriptitii Gentis judaicæ dicebantur Proſelyti. Unde ſicuti modò licitum eſt ſæcularibus ad clericatum, & clericis ad ſtatum religioſum aſcendere, ita olim licebat Gentilibus tranſire ad Judaiſmum.

Per accidens etiam Proſelytos.

Pro fine nota, etſi præcepta moralia obligaverint Gentiles in quantùm erant juris naturæ, non tamen in quantùm erant per poſitivam Dei juſſionem in Decalogo ſeu Lege moſaicâ renovata, ſed eatenus ſolos Hebræos, id eſt, poſteros Abrahæ deſcendentes ex Jacob, obligabant, ut ex probatione Concluſionis conſtat: qui proinde ex duplici capite tenebantur ea ſervare, nimirum ex vi legis naturæ, & legis divinæ poſitivæ.

QUÆSTIO III.

An & Quando Lex vetus ceſſaverit?

16. DICO I. Lex vetus ceſſavit introducto Evangelio. Eſt de fide. Et clarè patet *Act.* 15. ubi lex antiqua vocatur jugum importabile, illudque excutitur. Idem conſtat ex *Epiſtola ad Galatas*, quam Apoſtolus contra errorem oppoſitum conſcripſit, ubi *cap.* 3. ait: *Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen.* Et infrà: *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto ..... at ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.*

Legem veterem ceſſaſſe fides docet.

Hoc ipſum inculcat Apoſtolus in *Epiſt. ad Hebr.* & probat *cap.* 7. dicens: *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat.* Nam cùm ſacerdotium veteris Legis eſſet in ſola tribu Aaron, Chriſtus ex tribu Juda oriundus Pontifex pro nobis ingreditur, ſacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedech inſtituto. Unde principali (quod in veteri Lege erat ſacerdotium) ſublato, cetera quoque tolli debebant: præſertim cùm pleraſque ceremonias & judicia Legis antiquæ per homines ordinis ſacerdotalis exerceri oporteret. Quam ceſſationem ſacerdotii Aaronici & ſacrificiorum veteris Legis ampliùs declarat *cap.* 9. & 10. potiſſimùm ab inutilitate & inſufficientia ad ſanctificandas animas. Et *cap.* 8. ex promiſſione novi Teſtamenti factâ *Jeremiæ* 31. concludit: *Dicendo* (id eſt, appellando) *novum, veteravit prius* (id eſt, antiquum & vetus eſſe declaravit) *quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Denique *ad Epheſ.* 2. ait: *Legem mandatorum decretis* (evangelicis) *evacuans.* Vocatur autem Lex vetus *lex mandatorum*: tum quia illi conveniebat mandare, non conferre gratiam per quam impleretur quod mandabat: tum ob mandatorum multitudinem: nam (ut teſtantur *Guilielmus Pariſienſis*, *Galatinus* & *Abulenſis*) præcepta ceremonialia & judicialia fuere 613. Inter hæc autem præcepta negativa 248. juxta numerum oſſium humani corporis, reliqua verò affirmativa 365. juxta numerum dierum anni ſolaris, ut obſervavit *R. Moyſes* apud *Salas de Leg. Tract.* 14. *d.* 6. *ſect.* 3. *n.* 11.

Oppoſitum Concluſionis ſenſerunt olim quidam Chriſtiani ex Judæis, quos ſecuti ſunt *Cerinthiani*, *Nazaræi*, & *Ebionitæ* teſte *Auguſtino hæreſi* 8. 9. & 10. putantes Legem veterem in nova perſeverare ac ſervandam eſſe cum Evangelio. Horum fundamentum fuit, quòd Lex antiqua ſubinde in Scriptura vocetur æterna & perpetua. Item, quòd *Matth.* 5. dicat Chriſtus: *Non veni ſolvere, legem, ſed adimplere.* 17.

Quo ſenſu vocetur æterna.

Sed ad hæc eſt facilis reſponſio. Ad I. dico ly *æterna* interdum ſumi pro duratione valde diuturnâ. Et hoc ſenſu Lex vetus dicitur æterna, ſicut *Geneſ.* 13. promittitur Abrahæ & ſemini ejus terra Chanaan in ſempiternùm, cùm tamen illam jam diu perdiderint. Addit *Auguſtinus quæſt.* 43. *in Exodum* Legem veterem eſſe perpetuam, non ſecundùm litteram, ſed ſecundùm ſpiritum, id eſt, ſecundùm res per legem figuratas, quæ ultimatè implebuntur in beatitudine. Ad II. dico, *ſolvere*, ibi non eſſe idem quod abrogare, ſed quod violare legem. Itaque Chriſtus legem implevit, tum quatenus per eam prædicta & præfigurata fuerunt in Chriſto completa: tum quatenus contra verum legis ſenſum nil docuit: tum quatenus eam ſervavit quouſque fuit in vigore: tum denique quatenus ea quæ perfectioni illius legis deerant ex-

Qualiter illam Chriſtus adimpleverit.

plicando, ac perficiendo vetera, novaque addendo præcepta ſupplevit, etiam vires gratiæ conferendo aliis ad eadem adimplenda. Vide *Chryſoſtomum Homil.* 15. *in Matth. circa medium.*

18. *Lex vetus ceſſavit etiã quoad præcepta judicialia.*

Quàmvis autem Scripturæ pro doctrina Catholica allegatæ de Lege ceremoniali potiſſimùm loquantur, de qua specialiter etiam præſens quæſtio movetur: pariformiter tamen de Lege judiciali eſt indubiè loquendum cum omnibus Doctoribus & Catholicis: Nam Scripturæ ſunt generales & indefinitæ *Act.* 15. *Ad Epheſ.* 2. *Ad Galat.* 3. & alibi, pro ceſſatione legis mandatorum ſeu moſaicæ, cujus magna pars, & quæ eam reddit ad portandum difficilem, ſunt præcepta judicialia. Accedit, quòd ſpecialis & veluti ſegregatus Judaicæ reipublicæ ſtatus, quem ſolum reſpiciebant præcepta judicialia, ſit deſtructus; corruptis autem nobis corrumpuntur quæ ſunt in nobis. Neque Judæi modò ad plus obligantur, quàm alii ex Gentibus converſi; cùm non ſit ampliùs diſtinctio Judæi & Græci, ſed omnibus proponatur ſuave jugum Chriſti, ſemperque fuerit propoſitum tamquam ſufficiens ad ſalutem. Unde ab omnibus ſupponitur non ampliùs urgere præceptum de non accedendo ad menſtruatam ſub pœna mortis, ſed ſolùm quæritur, an ex jure naturæ ſit aliqua obligatio non accedendi. Similiter certum eſt Pontificem hoc titulo diſpenſare poſſe in quibuſdam gradibus affinitatis, in quibus lege judiciali prohibitum erat contrahere matrimonium. Immo nunc quidam gradus ſunt prohibiti, qui tunc erant præcepti: ut quòd frater debebat ſuſcitare ſemen defuncto fratri ſuo.

19. *Immo & quoad moralia quatenus iſtius legis erant.*

Ex quibus colligitur idem eſſe dicendum de Lege morali: quam etſi certum ſit manere materialiter, quatenus nimirum illius materia eſt in Lege nova præcepta, vel prohibita ex jure naturæ. Nihilominus formaliter, ſeu in quantùm erat pars veteris Legis deſiit, ut docent plerique contra *Bellarminum lib.* 4. *de Juſtificat.* & quoſdam alios.

Probatur: quia Lex moralis formaliter ſpectata fuit data & promulgata ſolis Hebræis; ut patet *Exodi* 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Æypti &c.* Ergo ex illa non obligantur alii in Lege nova, ſicut nec obligabantur Ethnici ante adventum Chriſti. Sed neque Judæi ampliùs obligangantur præ ceteris: tum quia non eſt modò diſtinctio Judæi & Græci: tum quia ſtatus reipublicæ Judaicæ, cui Lex vetus eſt lata, totaliter periit: tum quia non eſt ratio, cur generales Scripturas dicentes legem eſſe poſitam, donec veniret ſemen, eamque nunc ceſſaſſe, etiam ad præcepta moralia non extendamus.

Nec obſtat, quòd Apoſtoli, quando docent præcepta moralia eſſe à Chriſtianis ſervanda, allegent verba veteris Teſtamenti: id enim non faciunt, quaſi illa præcepta velint ſpectare ad Chriſtianos quatenus erant veteris Teſtamenti, ſed quia in illis clarè proponitur jus naturæ, quod etiam obligat Chriſtianos. Quâ ratione Theologi ſubinde ſumunt probationes ex veteri Teſtamento, quando ex illis haberi poteſt, quid jure naturæ à Chriſtianis ſit obſervandum.

DICO II. Lex vetus non deſiit in Nativitate Chriſti, vel ante mortem illius. Ita communiter omnes. Probatur: quia Chriſtus uſque ad mortem ſervavit legem Moyſis in circumciſione, oblatione in templo, eſu Agni Paſchalis &c. Item mundatos à lepra miſit ad ſacerdotes juxta Legis præſcriptum, ut ſcilicet de ſanatione judicarent. Immo oppoſitam Phariſæorum calumniam à ſe repulit, monſtrando ſe nil legi contrarium facere, ac declarando verum illius ſenſum, qui uterque legis adimplendæ modus à Chriſto ſignificatur cùm dicit *Matth.* 5. *Non veni ſolvere,* legem, *ſed adimplere.* Confirmatur ex Apoſtolo *ad Hebr.* 7. ubi ſignificat legem non deſiiſſe niſi per ſacerdotii tranſlationem, quæ ante paſſionem Chriſti non contigit. 20. *Non deſiit lex vetus in Nativitate Chriſti vel ante mortem illius.*

Nec obſtat illud Chriſti *Lucæ* 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*: nam ſubintelligitur *prophetaverunt*, prout exprimitur *Matth.* 11. Unde ſenſus eſt: in lege & Prophetis obſcuriùs & ſub ænigmate bonorum præſertim temporalium fuit Chriſtus, ejuſque regnum prophetatum: at à tempore Joannis apertè evangelizatur Agnus Dei ſive Chriſtus ejuſque regnum ſpirituale ac cæleſte per pœnitentiam obtinendum. Unde ſubintelligitur: *Ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

Adverte tamen à tempore adventûs Chriſti non potuiſſe ceremonias Legis ſervari tamquam ſigna Meſſiæ venturi, ſed vel ſimpliciter tamquam figuræ Meſſiæ, vel tamquam figuræ myſteriorum futurorum, quæ necdum erant impleta; cùm præcipua in paſſione & morte forent implenda. 21.

Adverte II. à tempore inſtituti Baptiſmi Circumciſionem non fuiſſe ampliùs neceſſariam parvulis neceſſitate medii in ordine ad remiſſionem peccati originalis; fuiſſe tamen eis adhuc adhibendam ex præcepto tamquam ſignum diſtinctivum populi Judaici, & fœderis à Deo cum illo initi. Quemadmodum idcirco remanebat præceptum circumcidendi Joannem, etſi in utero ſanctificatum. Aliud eſt de Remedio legis *A circumciſione tamen exulavit neceſſitas medii, non præcepti, poſt inſtitutionem baptiſmi.*

legis naturæ: quod cùm non niſi ad deletionem originalis peccati eſſet neceſſarium, patet neceſſitatem illius adveniente Baptiſmi utilitate ſimpliciter expiraſſe. *Scotus* autem 4. *d.* 3. *q.* 4. *n.* 12. *&* 18. commodè poteſt exponi, quòd ſolùm velit per inſtitutionem baptiſmi ceſſaſſe neceſſitatem circumciſionis in ordine ad delendum peccatum originale, ut ex ratione ab ipſo allegatâ patet, quæ nihil ampliùs probat.

22. *Lex vetus deſiit obligare in Pentecoſte.* DICO III. Lex vetus non deſiit obligare præciſè in morte Chriſti, ſed à promulgatione Legis novæ factâ in Pentecoſte. Ita *D. Bonav.* 4. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 3. *q.* 2. in fine, & plurimi alii: colligiturque ex *Scoto ſup. n.* 11. *&* 18. contra *Præpoſitum q.* 103. *dub.* 2. & multos alios.

Concluſio indicatur ab Apoſtolo *ad Epheſ.* 2. *Legem mandatorum decretis* (Evangelicis) *evacuans. Ad Hebr.* 10. *Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.* Probatur ratione: tum quia modus abrogandi veterem legem per novæ introductionem eſt convenientiſſimus: tum quia non decebat populum Dei privari ſuâ lege, niſi propter meliorem: tum quia fuiſſet alioquin ſtatus medius, abſque ulla ſcilicet lege poſitiva Dei: tum denique quia abrogatio iſta non fuiſſet hominibus accommodata, immo nec utilis, utpote Judæis invincibiliter incognita ac non promulgata, qui proinde legem adhuc ſervabant tamquam obligantem; quod in ipſis quoque Apoſtolis locum habuiſſe videtur.

Quàmvis radicaliter & meritoriè deſierit in morte Chriſti. Nota tamen ex *Scoto ſup. n.* 18. Legem veterem fuiſſe in morte Chriſti conſummatam, ac novam confirmatam radicaliter, meritoriè & inchoativè, quàmvis formaliter & completè expiraverit modo in Concluſione poſito. Ex quo ſatisfieri poteſt Auctoritatibus in quibus oppoſita ſententia fundatur.

QUÆSTIO IV.

An Uſus Legalium in Lege nova aliquando licuerit?

23. *Negat Hieronymus: affirmat Auguſtinus, & plerique Scholaſtici.* DE hac quæſtione fuit olim gravis & diuturna controverſia inter duo pręclariſſima Eccleſiæ lumina *Hieronymum* & *Auguſtinum*, hoc aſſerente uſum ceremoniarum legalium aliquanto adhuc tempore poſt ceſſationem veteris Legis fuiſſe licitum, iſto id acriter negante. Sed *Auguſtinum* ſequuntur plerique Scholaſtici cum *Scoto ſup. n.* 12. *&* 13. Quamquam *Hieronymi* Doctrinam præter *Adrianum* propugnet latè *Lorca d.* 35. *m.* 2. & alii, argumentis, quæ ſanè, ſaltem aliqua, videntur probabilia, inquit *Præpoſitus ſup. dub.* 3.

Probatur Doctrina *Auguſtini* ex factis Apoſtolorum: nam dudum poſt legis Evangelicæ promulgationem Apoſtolus Paulus Timotheum matre Judæâ & patre Gentili natum circumcidit. Et *Act.* 21. idem juxta conſilium Jacobi aſſumptis viris eſt ritu judaico purificatus. Similiter Petrus Antiochiæ judaicas ceremonias ſervavit, ut patet *ad Gal.* 2. Congruentia aſſignatur ex *D. Auguſtino Epiſt.* 19. *quæ eſt ad D. Hieronymum cap.* 2. nempe ut Synagoga cum honore ſepeliretur, ac Judæi, ſcandalo eorum evitato, ſuaviùs & faciliùs poſſent ad fidem Chriſti converti, dũ advertebant ſuas ceremonias non ita ſubitò abrogari velut mortiferas, quemadmodum ceremoniæ & ritus Gentilium; cùm alioquin etiam nimis durum ac difficile Judæis fuiſſet tam ſubitò antiquas legis ceremonias relinquere. 24. *Idq; probatur ex factis Apoſtolorum, Et cõgruentiâ.*

Objicitur I. cum D. Hieronymo illud Apoſtoli *ad Gal.* 5. *Si circũcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Unde idem Apoſtolus Titum, cùm eſſet gentilis, noluit circumcidere; ut patet *ad Gal.* 2. Reſp. cum *D. Auguſtino l. de mendacio c.* 5. Et *in Expoſitione capitis* 5. *Epiſt.* 2. *ad Gal.* aliiſque Expoſitoribus communiter, Chriſtum ex doctrina Apoſtoli nihil prodeſſe iis, qui circumcidebantur exiſtimantes circumciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem vel juſtificationem, juxta id quod ſequitur ibidem: *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis.* Quamobrem ipſe Apoſtolus circumcidit Timotheum, natum ex matre judæa & patre gentili, non quidem ex neceſſitate ſalutis, ſed ex conſuetudine ſolemnitatis, ut loquitur *D. Auguſtinus.* Titum autem noluit Apoſtolus circumcidi, juxta Aliquos ideò, quòd putent ſolis Judæis licuiſſe uſũ legalium poſt novæ legis promulgationem, Titus autem fuerit merè gentilis. Sed quamquam rationes permittendi uſum veterum obſervantiarum fuerint pro Judæis urgentiores: cùm tamen in ſe necdum eſſent malæ, utpote continentes verum Dei cultum; neque etiam ex aliqua prohibitione Gentibus factâ: nam *Act.* 15. & alibi ſolùm definitur eas non eſſe neceſſarias: Hinc veroſimilius apparet, etiã vocatis ex Gentibus per ſe licuiſſe illo tempore uſum Legalium: quem tamen fortè non adhibuerunt, cùm vix potuerit ſubeſſe ratio oneroſas illas obſervantias, præſertim circumciſionem, aſſumendi, niſi laboraſſent errore judaico de illarum neceſſitate. Quam Doctrinam apertè tradit *S. Auguſt. l. de mendacio c.* 5 & *in cap.* 2. *ad Gal.* ubi ait, Apoſtolum facilè permiſſurum fuiſſe circumcidi etiam Titum, niſi obſtitiſſet propter ſubintroductos falſos Fratres, quia illi hoc vehementer volebant, ut jam circumciſionem, etiam ipſius 25. *Apoſtolus circumcidit Timotheum potiùs, quàm Titum Gentilem, Etſi etiam Gentilibus liceret tunc uſus legalium, Ad vitandum ſcandalum.*

Pauli atteſtatione, tamquam ſaluti neceſſariam prædicarent. Unde *Ep.* 19. dicit, quòd legalia *non fuerant tamquam diabolica gentium Sacrilegia fugienda, ſed permittenda paululum, eis maximè* (etſi non ſolis) *qui ex populo, cui data ſunt, venerant.*

26. *Paulus Petrum reprehendit,* Objicitur II. illud Apoſtoli ad *Gal.* 2. *Cùm veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: ſi tu cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè, quomodo Gentes cogis judaizare?* ergo in Lege nova ſemper fuit illicitus uſus ceremoniarum legalium.

D. Hieronymus Epiſt. 89. *quæ eſt* 11. inter Epiſtolas *Auguſtini*, & *in Commentariis magnis hujus loci* acriter tuetur Judaizationem Petri, ac reprehenſionem Pauli tantùm fuiſſe ſimulatam & ex compoſito, ut hâc ratione & Judæis & Gentilibus conſulerent. Neque enim apparebat *Hieronymo*, quomodo Petrus reprehendi poſſet à Paulo, qui & ipſe legalibus uſus fuerat.

Idq; seriò, eò quòd Petrus judaizaret cum ſcandalo. Nihilominus cum *D. Auguſtino in cap.* 2. *ad Galat.* & *Epiſt.* 19. & aliis paſſim. Reſp. ſatis apparere ex textu, ſeriò eſſe acta, quæ *cap.* 2. *ad Gal.* narrantur. Fuit itaque Petrus ſeriò reprehēſus à Paulo, non quia ſimpliciter judaizaſſet, quod etiam Paulus fecerat, ſed quia judaizaſſet cum ſcandalo Gentilium, exemplo ſuo ſcilicet inducens eos ad ceremonias judaicas velut neceſſariò obſervandas, ac in eamdem inducens exiſtimationem ipſos Judæos. In quo facto Petrum peccaſſe venialiter cum *D. Auguſtino* docent *D. Thomas*, *Scotus* & plerique alii: quamquam *Baronius ad annum* 51. & quidam alii putent peccaſſe tantùm materialiter ex inconſiderantia. Immo *Suarez l.* 9. *c.* 20. *n.* 25. *& ſeqq.* nequidem hoc admittit, ſed exiſtimat tantùm in iſto actu Petri fuiſſe defectum majoris boni. Saltem omnes velut indubitatum ſupponunt, Petrum non peccaſſe mortaliter. Et conſtat ex confirmatione Apoſtolorum in gratia poſt S. Spiritûs miſſionem.

An vel qualiter in hoc peccaverit.

27. Objicitur III. Myſteriis, quæ per legis veteris ceremonias figurabantur, in morte Chriſti conſummatis, habebat illarum obſervantia rationem mendacii, adeòque erat illicita. Reſp. Neg. Aſſ. nam poterant poſt mortem Chriſti legalia obſervari abſque ſignificatione præfigurativa, ſed potiùs tamquam ſignificativa Chriſti & myſteriorum ejus abſolutè, quæ tunc partim præterita, partim præſentia, partim durante ſtatu Eccleſiæ futura ſeu perſeveratura erant. Sanè cùm ante adventum Chriſti ſignificarent eumdem futurum, adhuc tamen Chriſto nato poterant & debebant exerceri, etſi non ampliùs tamquam ſigna Chriſti venturi.

Legalia poſt Chriſtum exerceri poterant citra mēdacium.

Confirmatur contra ipſum *D. Hieronymum*, qui non minùs videtur favere mendacio, eique pernicioſo, dum ait Apoſtolos ſimulatoriè exercuiſſe judaicas ceremonias, quæ juxta ipſum jam tum erant mortiferæ ac falſæ; cùm tamen ne ſimulatoriè quidem liceat exercere ritus falſæ Religionis.

Objicitur IV. Inde à paritate rationis ſequeretur, ne quidem de facto eſſe illicitum ritus judaicos exercere; cujus tamen contrarium eſt fide certum. Reſp. Neg. Seq. nam acta Apoſtolorum teſtantur uſum legalium fuiſſe permiſſum gratiâ Evangelii necdum ſatìs promulgati ob congruentias ſuperiùs poſitas: quibus ceſſantibus certum eſt de fide uſum iſtum eſſe illicitum, Eccleſiâ ex inſtinctu divino id declarante, ut ex ejuſdem ſenſu & Traditione conſtat. Cujus teſtis eſt *D. Hieronymus Epiſt.* 11. inter Epiſtolas *Auguſtini* poſt med. qui cùm *Epiſt.* 14. inter Epiſtolas *Auguſtini* ſcripſiſſet, ſe in *Auguſtini* litteris nonnulla hæretica judicaſſe, excuſabat ſe *Auguſtinus Epiſt.* 19. dicendo, ſe fuiſſe locutum de tempore naſcentis Eccleſiæ. Ubi hanc objectionem rectè in *Hieronymum* retorquet, qui & ipſe admittere cogitur Apoſtolos exercuiſſe judaicas ceremonias, ſaltem ſimulatè, quas tamen ne ſic quidem nunc exercere licet, ut ipſe *Hieronymus* & omnes admittunt. Unde ſicut ſucceſſu temporis hoc non licuit, ſic etiam potuit ſincerum legalium exercitium, etſi aliquo tempore Legis novæ licitum, ſucceſſu temporis factum eſſe illicitum. Præciſa tamen temporis, quâ Lex vetus primò cœpit eſſe mortifera, determinatio eſt incerta, niſi quòd generaliter dici queat id contigiſſe Evangelio ſatìs divulgato, nempe circa annum trigeſimum octavum, aut circiter à paſſione Chriſti. *Poſtea verò* (inquit *Auguſtin. Epiſt.* 19.) *tamquam cum honore ſepulta ſunt legalia à Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.* 28.

De facto tamen non licere eſt indubitata Eccleſiæ traditio:

Ex quibus *Auguſtini* verbis patet ceremonias veteris legis non poſſe ab Eccleſia reſtaurari, non ſolùm tamquam adhuc retinentes aliquam inſtitutionem divinam, ex qua ſortiantur rationem cultûs Dei, ſed nequidem materialiter ſpectatas, ſaltem quod ad principaliores & velut ſubſtantiales attinet: ut ſunt circumciſio, ſacrificia, & cetera eò ſpectantia. Quod etiam confirmat com- 29.

Immo nec materialiter reſtaurari poſſunt quoad ſubſtantialia ac principaliora.

communis conſenſus Fidelium, qui exiſtimant fore contra dignitate novi & unici Sacrificii à Chriſto inſtituti reſtituere vetera, quæ illius umbræ fuerunt, non valentia juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem. Idem judicant de Circumciſione, quæ caret omni utilitate quam ex inſtitutione divina habebat: præterquam quòd moraliter vix adhiberi poſſit abſque animo judaici erroris vanitate imbuto. Unde meritò ab omnibus reprehenditur *Caietanus*, quòd 3. *part. quaſt.* 37. *art.* 1. dixerit circumciſionem eſſe licitam Æthiopibus ſchiſmaticis in ditione Presbyteri Joannis, qui eâ utuntur tamquam ceremoniâ ad imitandam Chriſti circumciſionem: cur enim non licebit eis pariter imitari Chriſtum in oblatione Agni paſchalis, & obſervantiâ totius veteris Legis? Deinde, ut alia omittam, delinquunt non ſolùm propter ſuperſtitionem & ſcandalum, ſed etiam quia citra neceſſitatem aut Dei juſſionem vel licentiam ſe ipſos graviter lædunt contra propriam charitatem. Nec mirum, quòd Eccleſia errorem hunc in illis toleret, quandoquidem ei cum illis de multis aliis res ſit.

30\. *Secùs eſt de quibuſdam minutioribus.* Dixi: *Quod ad principaliores & velut ſubſtantiales ceremonias attinet*; nam non ſolùm leges judiciales pleræque à Regibus, ſed etiã quædã minutiores ceremoniæ materialiter ſpectatæ poſſent ab Eccleſia reaſſumi ob moralem aliquam utilitatem: ut circa veſtes ſacras & ſimilia. Quemadmodum etiã ob commodam Eccleſiæ Miniſtrorum ſuſtentationem jure naturæ debitam taxavit ipſa ſolutionem decimarum: & propter reverentiam permittit puerperis (non enim obligantur) conſuetudinem abſtinendi certo tempore ab Eccleſiæ ingreſſu, eoque finito ſolemniter ſe cum gratiarum actione Deo repræſentandi *cap. unico de purificat. poſt partum.* Ipſi denique Apoſtoli & ſeniores *Act.* 15. tulerunt præceptum (idque ut notat *Baronius ad annum Chriſti* 51. & colligitur ex textu, pro fidelibus Syriæ & Ciliciæ, non verò aliorum locorum) abſtinendi ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato ob morales congruitates. Et poſtea in *Concilio Gangrenſi c.* 2. & *Aurelianenſi II. c.* 1. & 2. eſus hujuſmodi iterum prohibitus fuit. Verùm hæc prohibitio Apoſtolica & Conciliorum indubiè nunc eſt generaliter abolita, quàmvis non certò conſtet, quanto tempore præcisè duraverit.

QUÆSTIO V.

De Lege nova ſive Evangelica.

Lex Evangelica variis nominibus appellatur: nam *ad Rom.* 3. vocatur *Lex fidei*. Et *cap.* 8. *Spiritus vitæ*, *Joan.* 1. vocatur *gratia*. *Jacobi* 6. *lex libertatis*. Denique vocatur *Lex nova*, vel quia totum hominem per gratiam renovat, ut ait *Auguſt. Tract.* 65. *in Joannem*: vel quia eſt ultima lex à Deo data, quæ priorem antiquavit; ut ſentit *Cyrillus l.* 9. *in Joannem cap.* 24. 31. *Variæ appellationes Legis Evangelicæ.*

Dico I. Chriſtus inſtituit novam Legem, non tantùm pro Judæis, ſed etiam pro Gentibus; adeòque pro univerſo mundo. *Hæc eſt à Chriſto inſtituta*

Prima pars eſt contra Hæreticos quoſdam noſtri temporis dicentes Chriſtum Jeſum eſſe hominibus datum ut Redemptorem cui fidant, non autem ut Legiſlatorem cui obediant, quibus dicitur anathema *à Tridentino ſeſſ.* 6. *can.* 21.

Probatur ex Scriptura. *Iſaiæ* 2. *De Sion exibit lex*. Et *cap.* 33. *Dominus judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter ipſe ſalvabit nos. Jerem.* 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum*. Et in Evangelio paſſim Chriſtus de lege ſua loquitur; ut *Joan.* 14. *Mandata mea ſervate. Matth.* 28. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. Idem patet *ad Hebr.* 2. & alibi.

Secunda pars eſt quoque de fide, & probatur ex *Pſal.* 2. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam. Malach.* 1. *Magnum eſt nomen meum in Gentibus*. Et plurimis aliis locis. Unde Legem ſuam pro univerſo mundo eſſe latam ipſe Chriſtus expreſſit *Matth. ult. Euntes docete omnes Gentes &c. Marci ult. Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Idem patet ex eo, quòd ſicut Chriſtus eſt omnium hominum redemptor, ita oportuerit ipſum inſtituere legem pro omnibus, per quam ad ſanctificationem & ſalutem pervenirent. *Pro univerſo mundo.*

Dico II. Lex nova non ſolùm continet præceptum fidei, ſed varia alia præcepta: quæ congruè poſſunt diſtingui in moralia, ſacramentalia, & theologalia. Eſt de fide ex *Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 19. contra Sectarios noſtri temporis, qui exiſtimant ſolam fidem eſſe præceptam, ſicut hanc ſolam putant juſtificare & ſufficere ad ſalutem. Sed Concluſio non tantùm ſtabilitur ex neceſſitate bonorum operum, & dogmatis de fide juſtificante falſitate, quæ ex profeſſo monſtrabitur infrà in *Tract. de Gratia*. Verùm inſuper probatur ex Scriptura: 32. *Et continet non tantùm præceptum fidei.*

Sed etiam præcepta moralia,

tura: nam *Matth.* 5. Salvator legem naturalem renovat, & perfectiùs declarat, ſæpiùs repetens: *Ego autem dico vobis &c.* ſignificans ſe iſta pro tempore Evangelii mandare. Unde tantùm abeſt Chriſtum à Lege naturæ ſeu morali exemiſſe Chriſtianos, ut Paulus Apoſtolus *ad Gal.* 6. & alibi, fures alioſque legis moralis tranſgreſſores à regno Dei etiam in Lege nova excludendos denunciet. Idemque patet ex *Jacobi* 2. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundùm Scripturas, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, benefacitis: ſi autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quaſi tranſgreſſores; quicumque autem totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, factus eſt omnium reus.* Et Chriſtus ipſe de dilectione proximi ait *Joan.* 13. *Mandatum novum do vobis.*

Et Sacramentalia,

Deinde præcepta Sacramentalia dedit *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c. Joan.* 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Luca* 22. de novo Sacrificio ait Chriſtus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et alibi.

Nec non Theologalia.

Poſtremò præcepta quoque Theologalia ſeu virtutum Theologicarum inſtituit *Marci* 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit cõdemnabitur. Matth.* 22. & *Luca* 10. inculcat præceptum illud: *Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo.* Et alibi frequenter, tum in Evangelio, tum in Scriptis Apoſtolorum neceſſitas fidei & charitatis monſtratur.

33. Eſt autem obſervandum omnia Legis novæ præcepta ad aliquod ex hoc triplici præceptorum genere pertinere: nam nihil eſt à Chriſto præceptum, quod non ſit naturale ſimpliciter vel ex ſuppoſitione, aut pertinens ad Sacramenta vel Sacrificium, aut denique ad Theologicas virtutes; quãquam & harũ actus non immeritò videantur poſſe dici de jure naturæ elevatæ ad ſtatum ac finem ſupernaturalem. Interim nec aliquid novi circa has virtutes præcepit, niſi extendendo fidem ad nova, quæ revelavit, credibilia, ſpem ad eadem ſperanda, charitatem ad illa diligenda: prout myſteriũ Trinitatis, Incarnationis & multa alia Chriſtus manifeſtè credenda propoſuit, adeòque ſperanda & amanda. Nihilominus in Lege nova continentur quædam nova conſilia moralia, quæ idcirco Evangelica dicuntur, nempe paupertatis voluntariæ &c.

34. *In quo conſiſtat Chriſtiana libertas,*

Petes, in quo igitur conſiſtat Chriſtiana libertas? Reſp. non conſiſtere in eo, quòd ſimus liberi ab obſervantia præceptorũ Dei: ſed primò in libertate à ſervitute peccati & morte, juxta illud *Joan.* 8. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: ſi ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Et *ad Rom.* 6. *Liberati à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Secundò in libertate à jugo legis ceremonialis & judicialis Judæorum; *ad Gal.* 4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis.* Tertiò in libertate à dominio & reatu legis etiam naturalis; *ad Rom.* 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* 2. *ad Cor.* 3. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.*

Eſt autem notanda differentia inter eſſe ſub lege & eſſe in lege, quam notavit *D. Aug. in Pſal.* 1. Judæi erant ſub lege: quia tãquam ſervi ſubjecti erant pœnis & terroribus legalibus. Nos ſumus in lege, quia tamquam filii ex amore & charitate vivimus ſecundùm legem. Hoc ſenſu Apoſtolus 1. *ad Cor.* 9. negat ſe eſſe ſub lege, & affirmat ſe eſſe in lege. Conformiter *D. Aug. lib. de Continentia c.* 3. explicans locum citatum *ad Rom.* 6. *Non ſumus* (inquit) *ſub lege bonum quidem jubente, non tamen dante: ſed ſumus ſub gratia, quæ id quod lex jubet faciens nos amare, poteſt liberis imperare.* *Aliud eſſe ſub lege, aliud eſſe in lege.*

Dico III. Lex nova incepit ſolùm obligare in die Pentecoſtes, quando ſolemniter eſt promulgata. Ita communiter Doctores. Idem tradit *Auguſt. Epiſt.* 119. *c.* 16. *Leo Papa Serm.* 1. *in feſto Pentecoſtes.* Probatur inſuper: quia ante hanc diem non fuit ſolemnis promulgatio, quæ tamen requiritur ut lex in hominum notitiam venire poſſit. 35. *Lex nova cœpit obligare in Pentecoſte,*

Non exiſtimo equidem omnes homines ab iſto temporis puncto ita fuiſſe obligatos, ut peccarent, niſi ſtatim ſecundùm illam legem operarentur: Multi enim ignorantiâ invincibili illius laborantes non peccarunt, nec adhuc modò peccant in materiali illius tranſgreſſione. Similiter non exiſtimo omnia, quæ cenſentur neceſſaria neceſſitate medii, mox obtinuiſſe eam vim reſpectu omnium; ſed conſentaneè divinæ providentiæ Remedium legis naturæ adhuc aliquo tempore fuiſſe utile, quamdiu ſcilicet ſpectatis circumſtantiis diſtantiæ loci, commerciorum &c. Lex evangelica per ſe non potuit apud aliquos innoteſcere.

Dico IV. Lex nova durabit uſque ad finem mundi. Eſt de fide. Idque voluit Chriſtus *Matth.* 28. dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Similiter dum *Matth.* 16. talis ſtabilitas Eccleſiæ Chriſti aſſeritur, ſimul ſtabilitas legis Chriſtianæ oſtenditur. Unde novum Teſtamentum & regnum Chriſti dicitur æternum *ad Hebr.* 13. & in conſecratione calicis. Item *Apoc.* 14. *Daniel* 2. & alibi. 36. *Duratura uſque ad finem mundi.*

Aliud eſt de veteri Lege, quam hoc ſenſu non dici æternam patet ex eo, quòd conſtet illam fuiſſe figuram & umbram novæ Legis. Immo in ipſo veteri Teſtamento Lex nova promittitur *Jerem.* 31. *Malach.* 1. & alibi: hoc autem non

habet

habet locum in Lege Evangelica, quin immo de ea expreſsè dicitur *Daniel.* 2. *In æternùm non diſſipabitur, alteri non tradetur, ſtabit in æternùm.* Et *Pſal.* 109. de ſacerdotio Chriſti dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternùm.* Idem clamant Prophetæ & Scripturæ de Antichriſto, Elia, adventu Chriſti ad judicium &c: quæ tempore novæ Legis complebuntur.

37. *Cur non fuerit inſtituta ab initio.* Cur autem ſimiliter Lex nova non ſit à principio mundi inſtituta, congruentia poteſt aſſignari ex perfectione Legis novæ: non enim aliquid ad perfectum adducitur ab initio, ſed quodam ſucceſſionis ordine. Quod ſignificat Apoſtolus *ad Gal.* 3. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur: at ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.* Deinde oportuit hominem ſibi in ſtatu veteris Legis relinqui, ut infirmitatem ſuam in peccatum labendo cognoſcens, recognoſceret ſe gratiâ indigere, ſecundùm illud Apoſtoli *ad Rom.* 3. *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei.* Denique non decuit Legem novam, quæ eſt lex gratiæ, dari opere redemptionis necdum per Chriſtum conſummato. Unde dicitur *Joan.* 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.*

38. *Eſt abrogabilis & diſpenſabilis per Deum.* Dico V. Etſi Lex nova per Deum ſit abrogabilis & diſpenſabilis; non tamen per poteſtatē humanam. Prima pars patet: quia cùm pendeat à libera voluntate Dei, adeò ut potuerit ſimpliciter eam non ferre, non eſt ratio cur non potuerit eam in toto vel in parte ferre pro determinato dumtaxat tempore vel perſonis; adeòque eam mutare per abrogationem vel diſpenſationem, prout legem ſuam priorem Iſraëlitis datam abrogavit. Quàmvis ob divinæ voluntatis immutabilitatem hoc ſit impoſſibile ex ſuppoſito, quòd Legem novam decreverit uſque ad conſummationem ſæculi ſine immutatione relinquere.

39. *Non per hominem.* Secunda pars quantùm ad abrogationem à nemine in dubium revocatur: quātùm autem ad diſpenſationem eſt communis Theologorum contra *Panormitanum* & quoſdam alios Juriſtas adſcribentes Pontifici poteſtatem diſpenſandi in toto Evāgelio, præterquā in præceptis fidei, quorum opinio non eſt probabilis. Eſt etiam contra *Sanchez l.8. de Matrimon. diſp.6.n.6.* docentem in aliquibus ſaltem præceptis poſſe Pontificem diſpenſare, in quibus videlicet hoc exigeret ſalus animarum. Sed communis doctrina

Probatur: quia in iis quæ ſunt à Deo nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is cui ſpecialiter commiſit; atqui nec ex Scriptura, nec ex praxi conſtat ſpecialem commiſſionem in præceptis Evangelicis diſpenſandi eſſe datam Pontifici; ergo &c. Minor probatur: quia ſcriptura *Matth.* 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* ſi aliquid probet, nimiùm probat, nempe Pontificem poſſe diſpenſare in toto Evangelio, immo in omnibus in quibus poteſt ipſe Deus. In generali itaque iſta conceſſione non venit intelligenda hæc poteſtas, quæ ſpecialiter non exprimitur, ſed generalis poteſtas clavium & regiminis in ſuo ordine, & alia, quæ juxta ſenſum Patrum & Eccleſiæ ibi intelliguntur conceſſa; cujuſmodi non eſt hæc poteſtas. Nec eam declarat praxis: nam diſpenſationis ſactæ in quibuſdam terris ad ſacrificandum in ſolo pane ob penuriam vini (de qua Aliqui faciunt mentionem) nullum apparet veſtigium; cùm tamen eadem ibi penuria perſeveret. Cùm etiam ex commiſſione Pontificis ſimplex ſacerdos Sacramentum Confirmationis & quoſdam Ordines adminiſtrat, non diſpenſatur in lege Chriſti, ſed fit, quod ipſe ordinavit; cùm inſtituerit Miniſtrum ordinarium iſtorum Sacramentorum Epiſcopum, extraordinarium autem etiam ſimplicem ſacerdotem; ut in *Tract. de Sacram.* dicetur.

Dices: Neceſſitas boni communis quandoque talem diſpenſationem exigit. Reſp. neceſſitatem hanc à Deo indubiè eſſe præviſam. Unde ſi tanta ſit, ut oporteat legem in illa non ſervari, ſufficit interpretatio, quâ declaretur talem caſum non fuiſſe à Deo comprehenſum; prout ſuffecit in Lege veteri, cujus diſpenſandæ nulla penes homines erat poteſtas. Adde, non inferiorem neceſſitatem poſſe quoque occurrere in aliis caſibus, in quibus tamen *Sanchez* poteſtatem diſpenſandi penes homines non facilè admittet.

Dico VI. Lex nova patitur interpretationem humanam, non tamen epikiam. 40. *Patitur humanam interpretationem,* Prima pars patet ex praxi Doctorum & Eccleſiæ. Ratio eſt: quia cùm lex poſitiva Dei non ſit menti inſcripta, quoad omnes illius circumſtantias, ſed debeat exteriùs proponi, poteſt ſenſus verborum talis legis, ſicut cuiuſvis alterius legis poſitivæ, declarari ſeu explicari. Quæ explicatio erit certa vel probabilis, prout explicantium certa aut probabilis eſt auctoritas: ideòque explicatio facta à Concilio generali aut à Papa eſt infallibilis; quæ autem procedit à privato Doctorum judicio eſt fallibilis.

Secunda pars patet: quia epikia eſt emendatio legis generaliter expreſſæ in caſu, quem legiſlator judicatur non fuiſſe comprehenſurus, ſi prævidiſſet: quòd in Deo locum non habet, qui omnes caſus prævidit, & excipiendos excepit. *Non tamen Epicheiam.*

QUÆST.

QUÆSTIO VI.

De Comparatione Legis novæ ad veterem.

41. *Lex nova veterem excellit,* LEx Nova ad veterem comparata multis eam modis excellit. Quam legis novæ excellentiam expreſſit Apoſtolus *ad Gal.3.ad Hebr.* 7.8.*&* 9.aliiſque locis. Poteſt autem hæc excellentia demonſtrari inſtituendo comparationem.

x parte cauſa efficientis, Primò in cauſa efficiente: nam licèt auctor utriuſque legis ſit Deus, hoc tamen intereſt, quòd veterem dederit per miniſterium Angelorum, novam autem per unigenitum Filium ſuum, ut tradit Apoſtolus *ad Heb.* 2.

Ex parte materia, Secundò in materia utriuſque legis: nam in primis myſteria Trinitatis, Incarnationis & Redemptionis, aliaque in Lege veteri occulta aut imperfectè cognita ſunt in Evãgelio apertè revelata. Ob quod *S. Auguſtinus* vetus Teſtamentum vocat, occultationem novi, & novum Teſtamentum appellat revelationem veteris. Et ad idem ſignificandum Moyſes dum loqueretur ad populum faciem velabat, nobis autem Chriſtus revelatâ facie eſt locutus 2. *ad Cor.* 3. Materiam etiam moralem pravis interpretationibus corruptam Lex nova illuſtrat, perfectiſſima morum conſilia adjicit, & internos animi motus magìs quàm Lex vetus dirigit. Sacrificiis etiam & ceremoniis veteribus prope infinitis ſucceſſit efficax & incomparabile Sacrificium, & *Sacramenta numero pauciſſima, obſervatione faciliima, ſignificatione præſtantiſſima*, ut loquitur *Auguſt. Epiſt.* 118. *ad Januarium c.* 1.

42. *Ex parte forma,* Tertiò ſi formam ſpectemus, Lex nova non fuit ſcripta in membranis aut tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus per proprium verbum Dei hominis Spiritu ſancto per abundantiam gratiæ cooperante, ut ex vaticinio Jeremiæ docet Apoſtolus *ad Hebr.* 8. quàmvis proceſſu temporis varia myſteria, & ordinationes novæ Legis, ſint Evangelicis aut Apoſtolicis ſcriptis inſerta. Ad commendationem etiam Legis novæ facit multiplicitas ſignorum & prodigiorum; quæ tum in Pentecoſte, tum continuò in Legis novæ annunciatione ubique locorum, partim facta ſunt, partim adhuc fiunt.

Ex parte finis, Quartò Lex nova eſt finis veteris, ſecundùm Apoſtolum *ad Roman.* 10. *Finis legis Chriſtus. Unde umbram habet futurorum*, ut dicitur *ad Hebr.* 10. At *Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Joan.* 1. Et Apoſtolus *ad Heb.* 4. Legem novam vocat conſummationem veteris. Quare Lex nova ſe habet ad veterem, ſicut corpus ad umbram, & in ea continetur ſicut perfectum in inchoato, ut habet *D. Thomas q.*107. *art.* 3.

43. *Ex parte effectûs,* Quintò ſi effectum utriuſque ſpectemus, Lex vetus continet mandata, non gratiam quâ impleantur, ſed hanc ex fide in Chriſtum & Lege novâ veluti mendicat, juxta illud *Act.* 4. *Neque enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Quod etiam de illis, qui Chriſtum præceſſerunt debere intelligi optimè docet *Auguſt. Epiſt.* 157. *ad Optatum.* Sed Lex nova continet ſpiritum fidei & gratiæ, veramque juſtitiam ac ſanctitatem cum ejuſdem Auctore adfert. Unde hanc Legis novæ prærogativam ex propoſito inculcat Apoſtolus in *Epiſtolis ad Rom. ad Gal. & ad Hebræos*, eamque velut præcipuam tradit *Auguſtinus toto libro de Spiritu & littera*, & l. 1. *de Gratia Christi.* Eamdemque declarat *Trid. ſeſſ. 6. cap.* 1. *& can.* 1. Deinde Lex nova etiam in hac parte excellit, quòd gratiam ſibi propriam multò copioſiùs conferat, quàm fuerit ex fide in Chriſtum venturum tempore veteris Legis collata. Denique quòd contineat ſeptem Sacramenta, quæ ſunt abundantia vaſa gratiæ quam conferunt ex opere operato; cùm nullum fuerit ſimile Sacramentum veteri Legi proprium: etſi circumciſio, quæ ex Moyſe non eſt, ſed ex Patribus, ut dicitur *Joan.* 7. ex opere operato conferret gratiam ex novo tamen Teſtamento mutuatam, inſtar & loco remedii Legis naturæ.

44. *Ex parte univerſalitatis,* Sextò plures aliæ differentiæ aſſignari poſſunt, ex quibus præſtantia Legis novæ eluceſcat: ut quòd ſit magìs univerſalis ex parte locorum, temporum & perſonarum. Item quòd ſit filiorum, Lex vetus autem ſervorum, ut pulchrè oſtendit Apoſtolus *ad Gal.* 4. *v.* 22. *& ſeqq.* Unde promiſſiones bonorum temporalium dantur *Promiſſionum,* in veteri Teſtamento, *Iſaia* 1. *Si audieritis me bona terræ comedetis*; & alibi paſſim. Sed Fidelibus novi Teſtamenti, uti filiis, ſpiritualium, & potiſſimùm æternæ hereditatis, fit promiſſio, *Matth.* 5. *Beati pauperes Spiritu quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.*

Comminationum, Eadem eſt proportio comminationum: nam Lex nova fideles veluti filios potiùs per amorem quàm timorem inducit ad ſui obſervantiam, juxta illud *ad Rom.* 8. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Unde Lex vetus minis & terroribus, iiſque temporalium pœnarum ſcatet. Quòd ſi verò in nova Lege timor ſubinde incutiatur, is eſt gehennæ, ſecludentis filios degeneres à paterna hereditate.

Denique

45. *Et facilitatis.* Denique Lex nova non eſt adeò oneroſa, ſecundùm illud Chriſti apud *Matth. c.* 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Nec obſtat præcepti de Confeſſione difficultas: eam enim plurimùm lenit, tum confeſſionis ſigillum, tum ſacramenti iſtius utilitas, nempe reconciliatio cum Deo etiam ſolâ attritione obtinenda, *quam* (ut ait *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 3.) *interdum in viris piis & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientia pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritûs conſolatione conſequi ſolet.* Accedit copioſus ſpiritus charitatis & gratiæ, quam ex ſe Lex nova adfert, qui hoc & nonnulla alia legi carnis adverſa reddit ſuavia: ſi quidem amanti nihil difficile; ut ſimpliciter dicendum ſit cum Joanne *Epiſt.* 1. *cap.* 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Cùm tamen in veteri Lege præceptorum multitudo, variorum ſumma difficultas, gratiæ aliundè mutuatæ, pretio redemptionis necdum perſoluto, parcitas, eam redderent importabilem; ut illam vocat D. Petrus *Act.* 15.

DISPUTATIO TERTIA.

De Lege humana tam Civili quàm Eccleſiaſtica.

QUÆSTIO I.

Quid Lex humana, & quomodò dividatur?

§. I.

Deſcriptio Legis humanæ, Ejuſque diviſio in Civilem & Eccleſiaſticam.

1. *Lex humana quid.* LEx humana dicitur, quæ ab hominibus proximè conſtituitur. Penes hos reſidere poteſtatem conſtituendi leges, *ſeqq. quæſt.* oſtendetur. Solet plerumque alio nomine dici Jus humanum, *Vnde dicatur jus humanum.* non prout jus eſt objectum juſtitiæ, quod in altero reſpicit ſtrictum debitum, ſed prout idem eſt quod Lex, Etymologiâ deſumptâ à juſſu vel jubendo, quia videlicet in juſſu & imperio ſuperioris conſiſtit; vel juxta alios ab adjectivo *juſtum*, quia videlicet lege quod juſtum eſt præſcribitur.

Dividitur in legem Civilem & Eccleſiaſticam. Ex diverſitate autem poteſtatis legiſlativæ præcipua ſumitur legis humanæ diviſio, ſcilicet in temporalem ſeu civilem, quæ à temporali poteſtate procedit, & verſatur in rebus humanis & naturalibus ordinaturque ad regimen & bonum politicum externum & temporale Reipublicæ: Et in ſpiritualem ſeu Eccleſiaſticam, quæ procedit à poteſtate ſpirituali, & ordinatur ad regimen ſpirituale in iis quæ Religionis ſunt, aut his ſubſerviunt. De Singulis plura infrà.

§. II.

De Iure Gentium.

2. *Legiſperiti jus naturale gentium & civile qui explicent.* PAulò aliter Juriſperiti de lege Civili loquuntur: nam jus naturaliter repertum dividentes in Jus Naturale, Gentium & Civile, hoc nomine intelligunt jus, quod quiſque populus ipſe ſibi conſtituit, vel quæque civitas ſibi propium facit: jus autem Gentium vocant, quod omnibus gentibus eſt commune; Jus denique naturale, quod natura omnia animantia docuit. Idque conformiter ad *Inſtit. de Jure nat. gent. & civil.* & *ff. eod. tit.* Attamen non congruè *At minùs congruè.* à jure naturæ removentur, & inter jura Gentium ſtatuuntur amare & colere Deum, ſeu alia brutis non communia, quæ Theologi omnes ſub jure naturæ collocant. Deinde defenſio ſui, etſi ſit juxta inclinationem brutis communem, refertur ad jus Gentium *L.* 3. *ff. de Juſt. & Jure.* Utiq; inconſequenter: niſi dicamus (inquit *Zoeſius l.* 1. *Digeſt. Tit.* 1. *n.* 29.) id ibi juri Gentium attribui, non cum excluſione juris naturæ, pro quo ſæpè in Jure accipitur, ut patet *L. Bona fides* 31. in princip. ff. *Depoſiti.*

Retentâ itaque explicatione tum juris naturalis datâ *diſp. præc.* tum juris civilis *ſup.* 3. *Ius Gentium quid.* *n.* 1. Jus Gentium commodiùs dicitur eſſe illud quod uſu omnium aut plerarumque Gentium eſt introductum, ratione ſcilicet naturali præeunte, illudque tamquam evidenter conveniens humano generi & ſocietati proponente, etſi non tamquam ſimpliciter neceſſarium imperante. Et hoc modo continetur ſub jure civili. *An vel quomodo à civili differat.* Si tamen quis vellet jus civile ſtrictiùs capere pro eo, quod non eſt tam commune omnibus aut pleriſq; Gentibus, ſed quod à variis varium ordinatur, ſic jus Gentium diſtinguitur à civili penes iſtam generalitatem ſeu communitatem: nam materia juris civilis hoc modo ſumpti non ita proponitur à ratione naturali tamquam conveniens ac utilis ubique & pro omnibus perſonis, ſed his vel illis, prout concurrunt variæ circumſtantiæ locorum, temporum & perſonarum.

Quæ ad illud ſpectent. Hoc jure Gentium introducta eſt diviſio bonorũ, acquiſitio dominii rerum quæ nullius ſunt per earum occupationem. Ad idem pertinet immunitas legatorum, & plura alia, quæ recenſet *Iſidorus*, & referũtur c. *Jus Gentium diſt.* 1. quamquam inter illa computet jus ſervandi fœdera pacis & nonnulla alia, quæ ſenſu commodiori re-

ferri poſſunt ad legem naturæ, prout eam nobiſcum explicat ipſe *Iſidorus*.

4. *Quâ ratione Gentes in illud conſpiraverint.*

Nec mirum eſt Gentes in hoc jus velut unanimiter conſpiraſſe, quod adeò rationi naturali cernebant eſſe conforme: quamquam id factum non fuerit Gentibus inſtar unius legiſlatoris ſimul concurrentibus, prout in Synodis contingit: cùm nulla iſtius facti ſit apparentia. Proinde ſingulæ Gentes illo jure ligantur, quatenus illud ſingulæ, ſive ſuo arbitrio, ſive ad imitationem aliarum ſibi præfixerunt. Unde ſicut moribus ſingularum Gentium eſt introductum, ſic poſſet à ſingulis per contrariam conſuetudinem aut expreſſam revocationem abſolutè loquendo tolli: prout Eccleſia ſuſtulit jus Gentium de ſervitute quoad mancipia Chriſtiana. Idem apparet poſſe fieri de jure poſtliminii, id eſt, jure recuperandi libertatem amiſſam, ſeu revertendi ad priſtinum ſtatum poſt exitum à liminibus captivitatis. Idem eſt de prohibitione connubiorum cum alienigenis. Quòd ſi verò circa nonnulla quæ reſpiciunt connexionem unius Gentis cum alia, ut de commerciis & legatis admittendis, videantur quædam non poſſe à particulari Gente immutari, illud præcisè oriri non poteſt ex jure Gentium, ſed ex pacto tacito vel expreſſo, quod ſine conſenſu partium revocari non poteſt.

§. III.

De Diviſionibus Legis Civilis.

5. *Lex Civilis varia.*

Lex civilis eſt varia nimis, ſive conſideretur varietas penes diverſas materias, circa quas ipſa aliquid præſcribit; ſive conſideretur penes diverſitatem, tam ſubditorum, quàm ipſorum legiſlatorum. Et ſic de ſingulis ferè materiis diverſæ ſunt leges plerææque etiam Civitates, Nationes & Regna diverſas ſibi leges præfixerunt. Inde aliud jus Lacædemonum, aliud Athenienſium, aliud Gallorum, aliud Hiſpanorum &c. Per Anthonomaſiam tamen jus Quiritum ſeu Romanorum nomine Juris civilis ſimpliciter poſito gaudet; quod alio etiam nomine vocatur Jus commune, paſſimque in ſcholis prælegitur, & ab Auctoribus citatur.

6. *Ius Romanorum quintuplex.*

Hoc porrò jus *Inſtit. de Jure nat. gent. & civili* §. *conſtat autem* in ſcriptum & non ſcriptum ſeu conſuetudinarium dividitur. Scriptum autem jus (ut ibidem dicitur) eſt lex, plebiſcitum, ſenatuſconſultum, principum placita, magiſtratuum ſeu prætorum edicta, reſponſa prudentum.

Leges ſtrictiſſimè dictæ,

Lex, ſcilicet ſtrictiſſimè dicta, eſt quod populus Romanus, ſenatorio magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat. Cùm enim penes populum eſſet rerum ſumma, is rogandus erat, vellet, juberetne quid fieri; & quod ita juſſerat, id jus ratumque erat, legiſque vim obtinebat.

Plebiſcita,

Plebiſcitum eſt, quod plebs (quæ tertia pars populi erat, ſine Patriciis & Senatoribus ceteros cives continens) magiſtratu plebejo, veluti tribuno plebis, conſtituebat. Et hoc ab initio ſolam plebem, poſtea per Legem Hortenſiam totum populum cœpit inſtar legis obligare.

Senatuſconſulta,

Senatuſconſultum dicitur, quod Senatus conſtituit. Aucto enim nimis populo, neceſſitas eò rem perduxit, ut Senatus vice populi conſuleretur.

Principum placita,

Principum placita ſunt Principum conſtitutiones, id eſt, reſcripta, decreta & edicta. Nam *quod Principi placuit, legis habet vigorem, ut* ut dicitur *Inſtitut. ſup.* §. *ſed & quod Principi.* Et *L. 1. ff. de Conſtit. Principum.* Eòdemque ſpectat clauſula Principum noſtrorum Edictis hodie addi ſolita: *Quia ita nobis placet*, ſcilicet rationabiliter & prudenter.

Prætorum edicta,

Prætorum edicta ſunt, quæ non ſuffragio populi, ſed à prætoribus vi poteſtatis eis tributæ, & ſecundùm juriſdictionem ſuam, propter utilitatem publicam proponuntur.

Reſponſa prudentum,

Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere. Factâ enim certis & ſelectis perſonis iſtâ reſpondendi poteſtate à Principe, cœperunt eſſe quaſi quidam juris conditores, adeò ut judici à reſponſione eorum non liceret recedere.

7. *Horum tamen hodie non tanta auctoritas.*

Hodie tamen non eſt talis eorumdem auctoritas; immo litigantes vix excuſantur à pœna temerè litigantium, certè non ab expenſis, ex Edicto Principum Belgii 12. Julii 1611. art. 9. Quemadmodum etiam mutatâ regiminis formâ, ac imperio in unum Principem tranſlato, ceſſare cœperunt ceteræ ferè ſpecies in iſto regimine: neque enim populus ampliùs rogabatur legem jubere, plebiſcita, prætorumque edicta ceſſabant: adeò ut nunc in locis regiminis purè Monarchici tantùm obtineant Principum placita.

In regimine Monarchico ſola per ſe obtinent Principum placita.

Pleræque tamen ſpecies etiam hodie uſum habent diverſis in locis, juxta diverſas, quæ hodie apud diverſos vigent, regiminis formas, ut notat *Tuldenus de Princip. Juriſprud. lib. 2. cap.* 8. Nam ad formam monarchicam licebit referre Principum placita; ad Ariſtocraticam, ubì penes optimates imperium eſt, Senatuſconſulta; ad Democraticam, ubì ex populi ſuffragiis res geritur, Plebiſcita: vel cumulari hæc poſſunt, ubì mixta quædã regiminis forma eſt, veluti ex Monarchia & Ariſtocratia, vel ex Monarchia & Democratia.

In ſo-

In ſola verò Republicâ Romanâ videre fuit hanc diverſitatem formarum; ut habet *Val. Andreas in addit. ad Inſtit. Zoeſii l. 1. Tit. 2. n. 13.* Quia verò multa Juris Civilis communis & Canonici miſcentur Theologiæ, præſertim morali, operæ pretium cēſui de utriuſq; Corpore pauca explicatiùs ponere pro utilitate diſcentium, qui alioquin ne citationes quidem, aut modum eas inquirendi dignoſcere plerumque valent.

§. IV.

De Iure Cæſareo ſeu Communi ejuſq; Partibus.

8\. *Ius Cæſareū vulgò Commune dicitur.* IUs Cæſareum vulgatum, quod *Commune* item *Corpus juris civilis* appellatur, & ab Imperatore Juſtiniano editum eſt, conſtat quatuor Voluminibus, ſcilicet *Inſtitutorum* ſeu *Inſtitutionum, Digeſtorum* ſeu *Pandectarum, Codicis* & *Novellarum.*

Eo continentur Inſtitutiones Iuſtiniani. *Inſtitutiones* velut prima Juriſprudentiæ elementa ac legum præambula (ut eas in Conſtitutione liminari appellat Juſtinianus) quatuor libris continentur, & compendiosè explicant Juris principia, ut ſic diſcentium animis ad juris penetralia pateat aditus. Citari ſolent hoc modo: *Inſtit. de Juſt. & jure.* id eſt, in libris Inſtitutionum ſub hoc titulo, *De Juſtitia & jure.* Quòd ſi titulus conſtet diverſis paragraphis, ſolet etiam addi paragraphus v. g. *Inſtit. de Jure nat. gent. & civili §. jus gentium.*

9\. *Pandecta ſeu Digeſta.* *Pandecta*, quaſi volumen omni ſcientiarum genere & doctrinâ refertum, ſeu *Digeſta*, quòd ex immenſa, eâque confusâ multitudine veteris Juriſprudentiæ voluminum præcipua capita ſint in hoc opus digeſta, dividuntur in 50. libros, quorum ſingulis reſpondent plures tituli, qui à veteribus Rubricæ vocantur, eò quòd minio ſeu croco notarentur. Solent hi libri citari per magnum D. vel græcum π. vulgò per duplex ff. Qui modus veroſimiliter per errorem irrepſit, quòd duplex ff. referat ſpeciem vicinam π circumflexo, vel certè commoditatis causâ receptus eſt, quòd uno tractu ſcribatur. Unde ſi citetur *l. Omnes populi* D. vel ff. *de Juſt. & jure*, quærenda eſt lex, quæ ita incipit in libris *Digeſtorum* ſub titulo, *De juſtitia & jure*; idque vel primò in Indice Titulorum, vel immediatè in Indice Alphabetico ipſarum Legum, ſi is in Editione ſit appoſitus. Solet etiam frequenter addi numerus, quota ſcilicet ſit lex ejuſdem Tituli, idque vel ſimpliciter, vel ſimul appoſito legis initio.

10\. *Codex Iuſtiniani.* *Codex* quidem unus conſtitutionum Imperialium à Juſtiniano anno tertio Imperii editus fuit, ſed anno ſexto pòſt emendatus prodiit, additis detractiſque quamplurimis, quem propterea vocant *Codicem repetitæ lectionis.* Is comprehenditur libris duodecim. Leges citari ſolent, utì leges Digeſtorum, loco ſigni notantis Digeſtum ponendo magnum C. denotans Codicem.

Acceſſerunt poſtea *Novellæ* Conſtitutiones Juſtiniani poſt editionem recogniti Codicis factæ. Quæ citari ſolent v. g. *Novellâ 66. §. igitur etiam* vel *Auth.* (id eſt, Authenticâ, ſupple, Conſtitutione) *ut facta nova conſtitutiones 66. inter Nov. Juſtin.* id eſt, quæ eſt 66. inter Novellas Juſtiniani. *Et Novellæ ejuſdem.*

De his omnibus non eſt dubitandum, quin habeant plenariam juris auctoritatem, ſive quia ipſis Imperatorum Conſtitutionibus conſtant, ſive quia etſi Digeſta ex veterum Juriſconſultorum (ſcilicet *Ulpiani, Caii, Pauli* &c.) commentariis, reſponſis, & libris deſumpta ſunt, tamen Juſtinianus iis, utì & Inſtitionibus, auctoritatis ſuæ robur adjecit. 11. *Quæ omnia plenariam Iuris auctoritatem habēt.* Antiquiora tamen recentioribus cedunt, adeòque Digeſta Codici, Codex Novellis. *Sic ut Digeſta Codici, hic Novellis cedat.* An autem Inſtituta cedant Digeſtis, utpote ante hæc publicatis, ſcilicet menſe Novembri anno ſeptimo imperii Juſtiniani, cùm Digeſta ſint publicata menſe ſubſequenti; dubium eſt. *An Inſtituta Digeſtis cedant, dubitatur.* Verumtamen poſt *Duarenum Zoeſius in præfat. Digeſt. num. 9.* & alii cenſent per Inſtituta derogari Digeſtis, eò quòd ſint poſteriora, tum compoſitione, utpote à Juſtiniano componi juſſa Digeſtis iam abſolutis; tum materiâ, utpote etiam ex reſcriptis Imperatorum deſumptâ, cùm Digeſta ſint compoſita ex veterum Juriſconſultorum reſponſis.

His accedunt Novellæ Leonis VII. quæ tamen non ſunt receptæ pro jure communi, ut notat earumdem Interpres circa init. 12. *Novellæ Leonis Imper. non ſunt receptæ pro Iure Communi.* Denique Conſuetudines feudorum, duobus libris contentæ: quos Varii in tres partiuntur, immo quibuſdam adjectis in quinque partitur *Cujacius.* De quibus controvertitur, an pro jure ſcripto & communi haberi debeant. *De libris ſeu Conſuetudinibus feudorum, controvertitur.* Aſſerit *Gudelinus de Jure feudor. in Prologomen. num. 5.* dicens eſſe communem & plurimorum atque adeò tutiorem opinionem: quaſi videlicet hi duo libri tacitè à Principibus approbati ſint: quia poſt hominum memoriam non ſecùs quàm libri Juſtiniani in publicis Gymnaſiis expoſiti, & in Judiciis allegati receptique. Quare (inquit) poſt pacta inveſtiturarum, & ubì deficiunt propriæ loci leges vel conſuetudines, deciſionem cauſarum feudalium priùs ex hoc volumine quàm ex Jure Romano petendam eſſe ajunt, ſicut & antiquitùs obſervatum eſt. Contrarium tamen fusè tradit *Zoeſius in proœm. de Origine Feudor. & ſeqq.* eò quòd libri iſti ſint à privatis collecti, citra publicam auctoritatem, quæ neceſſaria erat ut Conſuetudo Longo-

Longobardorum ſeu aliquarum partium Italiæ transformaretur in legem generalem. Quare manent intrà limites Conſuetudinis, nec aliam habent auctoritatem, quàm quatenus ſunt receptæ. Publica verò in ſcholis prælectio non facit jus, ut patet exemplo *Decreti Gratiani* de quo infrà *n.* 19. Sic *Zoeſius*. Hoc certum, primo loco attendendas eſſe Conſuetudines & leges ſpeciales, quæ plerumque valde variant. Immo apud noſtrates Belgas Conſuetudines etiam generales locorum ad feuda, niſi excipiantur, extendi; nec aliter jus (ut ſic dicam) commune feudorum hîc ſervandum, quàm rationi conſonet, dicitur apud Noſtrates ſæpiùs judicatum, ut refert *Zypæus in Notit. Iuris Belgici Tit. de feudis* prope finem.

Quid cenſendum de Belgio.

13. *Quo ibidē loco habendum ſit Ius Commune.*

Quod ad reliquum Jus commune attinet, in Belgicis Ditionibus, quæ Conſuetudinariæ ſunt, mores primo loco Jus ſunt, deinde Principum Conſtitutiones ſeu Edicta. In caſu autem derogationis expreſſæ usûs contrarii, Edicta primum locum habent, juxta *Zypæum ſup. Tit. de Legibus. Conſtitut. &c.* ſicut interdum per Edicta fit ejuſmodi derogatio, ob graviſſimas rationes, ut videre eſt in *Codice Belgico* V. *Coſtuymen &c.* His deficientibus ſuccedit jus ſcriptum Cæſareum toto orbe æquiſſimum. Mandat verò Joannes II. Brabantiæ Dux in ſuis legum tabulis Anno 1312. ut caſus ibi non expreſſi judicentur juxta ea quæ ibi expreſſis & deciſis magìs ſimilia ſunt. Quod juxta *Zypæum in Analyſi Jur. Pontif. novi l.* 1. *Tit. De Conſtitut. num.* 11. rectè extenditur ad omnia Principum noſtrorum placita; cùm ea malè ſtricti juris dicantur, utì ſunt Conſuetudines & ſtatuta Civitatum. Poſtremò proinde accedit ſubſidium Juris Cæſarei ſcripti, quod Edicta Principum aſſumi volunt, ſicubi à vernaculis moribus, Principumve Edictis non ſatìs proviſum videatur.

§. V.

De Iure Canonico, ejuſque partibus.

14. *Ius Eccleſiaſticum ſeu Canonicum varium.*

IUs Eccleſiaſticum, uſu communi Canonicum, à græca voce Κάνων, Latinè Regula, dicitur: etſi etiam jura Civilia ſuo modo ſint norma & regula quædam actionum humanarum. Cùm autem hoc jus, utì & Civile, aliud ſit ſcriptum, aliud non ſcriptum ſeu conſuetudinarium: Scriptum etiam aliud ſit Pontificium, aliud Epiſcopale: & utrumque vel contineatur in Conciliis vel extra Concilia: modò tamen Jus Canonicum ſimpliciter ſtat pro illo quod continetur his voluminibus: nempe *Decreto Gratiani, Epiſtolis Decretalibus Gregorii IX. Sexto Decretalium Bonifacii VIII. Clementinis, & Extravagantibus*, tum *Joannis XXII.* tum *Communibus*.

Quid nomine Iuris Canonici ſimpliciter poſito gaudeat?

15. *Decretum Gratiani ejuſq; diſtributio.*

Decretum à *Gratiano* monacho Benedictino compilat um circa annum 1150. atque ab Eugenio III. approbatum, qui & Gymnaſiis publicis illud legendum conceſſit, ac poſtremò auctoritate Gregorii XIII. recognitum ac retineri mandatum, dividitur in tres partes. Prima continet diſtinctiones 101. diviſas in capita ſeu canones: quarum viginti prioribus agitur de jure in genere, reliquis verò de perſonis ſeu miniſtris Eccleſiaſticis. Secunda complectitur cauſas 36. quarum ſingulæ dividuntur in quæſtiones, & quælibet quæſtio in capita, tractaturque de iis quæ ad formam & materiam judiciorũ ſub Eccleſiaſticam poteſtatem cadentium ſpectant. Causâ verò trigeſimâ tertiâ (quæ eſt matrimonialis) quæſt. 3. continetur *Tractatus de Pœnitentia* diviſus in 7. diſtinctiones, quæ ulteriùs dividuntur per capita. Tertia pars continet *Tractatum de Conſecratione* diviſum in 5. diſtinctiones, ſubdiviſas etiam per capita: in quibus agitur de conſecratione Eccleſiarum, celebratione miſſarum, Euchariſtiâ, Feſtis, & Eccleſiaſticis ceremoniis, Baptiſmo, Confirmatione & Jejuniis.

Solent autem loca ex prima Parte *Decreti* citari hoc modo, *can.* vel *c. Humanum diſt.* 1. Ex 2. Parte ſic, *can.* vel c. *Quicumque ſtudet* 1. *q.* 1. id eſt causâ 1. quæſtione 1. Capita verò Tractatûs de Pœnitentia ſolent ſic allegari, *can.* vel c. *Reperiuntur, de Pœnit. diſt.* 3. Capita tertiæ Partis citantur hoc modo *can.* vel *c. Vaſa de Conſecrat. diſt.* 1.

Palea quid ſignificet in Decreto Gratiani.

Quid verò intelligatur nomine *Paleæ*, ſub quo nonnulla *Decreti* capità inſcribuntur, variant Interpretes. Verius videtur *Paleas* eſſe additiones quaſdam ad primam collectionem poſtea factas, ſive ab ipſo *Gratiano*, ſive ab alio. Quas non eſſe contemnendas conſtat vel ex eo, quòd multæ & in *Decretalibus*, & apud vetuſtiores *Gratiano* collectores reperiantur.

16. *Decretales Gregorii IX. earumq; ordo.*

Decretalium compilatio prodiit mandato Gregorii IX. per *Raimundum de Pennaforti* ex Ordine Prædicatorum, Capellanum ejuſdem Pontificis & S.R.E. Pœnitentiarium, ex variis, tum ejuſdem, tum aliorum Pontificum Epiſtolis, Conſtitutionibus & Conciliis, jam inde ab Alexandro III. uſque ad Gregorium; abrogatis per ipſum anterioribus Decretalium compilationibus, quæ variæ erant. Edidit autem hoc opus ſub nomine *Decretalium*, tum ad diſtinctionem à *Decreto Gratiani*, tum quia duplo plures continet Epiſtolas Pontificum, quàm ſint reliquæ auctoritates ſimul junctæ, *Decretum* autem *Gratiani* longè plura Conciliorũ decreta quam Pontificum Conſtitutiones vel Decretales Epiſtolas.

Conſtat

Conſtat quinque libris, in quibus ipſa Juris Pontificii materia ad res forenſes accommodatiſſimè exponitur. Ac primo libro agitur de perſonis penes quas eſt juriſdictio aliqua, deque judiciorum præparatoriis; Secundò de ordine judiciorum; Tertiò de rebus Eccleſiaſticis, quæ in judicium venire ſolent; Quartò de Sponſalibus & Matrimonio; Quintò de criminibus & pœnis. Qua de re eſt verſus:

Judex, Judicium, Clerus, ſponſalia, Crimen. Solent porrò hi libri vocari *Extrà*, & ita quoque, apud Antiquiores præſertim, citari, vel expreſſo hoc nomine *Extrà* vel littera ℵ, quòd illis contenta ſint extra corpus Canonicum *Gratiani* temporo prius. Quando autem (ut hodie plerumque fit) citantur ſine addito, v. g. c. *Tua nos*, *de Jurejurando*, per excellentiam deſignantur hi libri. Simpliciter etiam ſæpè citatur ſolus numerus Capitis v. g. c. 2. *de Pactis*. c. *fin.* ſeu ultimo *de Reſcriptis*. Si autem ſub eodem Titulo ſint diverſa Capita quæ eamdem vocem initialem habent, citatur ſimpliciter numerus Capitis, vel certè quorum ſit Caput ita incipiens, v. g. c. *dilectus* 1. *De Simonia* c. *Dilectus* 2. *de Simonia*.

17. *Sextus Decretalium* à Bonifacio VIII. ex Concilio Lugdunenſi duplici, ex Decretalibus Epiſtolis ſeu Conſtitutionibus Pontificum Gregorio poſteriorum, immo & nonnullis ipſius Gregorii novellis Conſtitutionibus collectus, multis etiam ipſius Bonifacii additis, conſtat totidem libris quot Decretales Gregorii IX. iiſdemque librorum titulis, etſi non omnibus; quibus quædam in Volumen Gregorii IX. relata corriguntur, quædam etiam illi adduntur. Ideoque ſolet hoc ejus Opus vocari *Liber Sextus Decretalium*, quaſi inſtar ſexti libri ſpecialis quinque libris Decretalium Gregorii IX. acceſſiſſet, conſtans alioquin etiam libris quinque. Solent ejus Capita citari & Tituli cum addito *in Sexto* v. g. c. *Volentes*, *de Privilegiis in* 6.

Sextus Decretalium Bonifacii VIII.

18. Bonifacio mediante Benedicto XI. ſuccedens Clemens V. eodem ordine ſervato Conſtitutiones partim ſuas partim Concilii Viennenſis ipſo Præſide celebrati Editioni paravit, ſed eo demùm è rebus humanis exempto, per Succeſſorem Joannem XXII. abſolutæ & publicatæ ſunt, dictæ *Clementina* ab auctore ſuo, ſub eoque nomine citantur hoc modo, *Clem.* (id eſt, *Clementina*) *Dudū de Sepulturis*. Paulò pòſt Ioannes XXII. ſuas quoque addidit Conſtitutiones numero viginti, & iuxta Decretalium ordinem. Eoque defuncto variæ variorum Pontificum Cōſtitutiones prodierunt. Quæ *Extravagantes*, & Joannis XXII. & *Cōmunes* reſpectivè appellatæ ſunt. Ideo autem dictæ ſunt *Extravagantes*, quòd antea extra Corpus Juris Canonici incertâ quaſi ſede vagaretur. Indeq; idem nomen adhuc retinēt, Corpori Juris licèt inſertæ. Sic enim & olim Conſtitutiones *Decreto Gratiani* non contentæ dicebantur *Extravagantes*; etſi hæc appellatio quoad Decretales Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Clementis V. in uſu eſſe deſierit.

Clementinæ.

Extravagantes.

De auctoritate horum librorum & vinculo obligandi non eſt dubitandum: cùm omnes (*Decreto Gratiani* excepto) Pontifices habeant auctores. Solùm de *Decreto Gratiani* poſſet dubitari, an omnia ei inſerta uſque ad ipſas Patrum ſententias habeant vim legis communis. Sic enim quidam voluerunt, quos refert & ſequitur *Felinus in c.* 2. *de Reſcriptis n.* 44. Sed infundatè: nam cùm *Gratianus* privato ſtudio *Decretum* collegerit ex Conſtitutionibus ſummorum Pontificum, Conciliorum tum generalium tum provincialium, Epiſcoporum, ac Juris civilis, & Patrum ſententiis, nonnulla etiam adjiciens de ſuo, ob ordinis rationem & connexionem Capitum, eorumque conciliationem, quæ ſibi invicem adverſari videbantur, non potuit attribuere à ſe collectis poteſtatem quam ipſe non habuit. Quare non alia Canonum ibi contentorum eſt auctoritas, quàm fontium, unde manarunt: ut proinde ſingulorum auctoritas ad ſuas ſit reducenda origines, indeque menſuranda. Quare nec Leges civiles per hoc, quòd in Decretum ſint conjectæ, cenſeri debent canonizatæ, id eſt, in numerum ſacrorum Canonum relatæ. cùm *Gratianus* eas canonizandi non habuerit poteſtatem. Nec rectè quis allegaverit decretum iſtud eſſe à Gregorio XIII. emēdatum, retineri juſſum, eique addi vel quidquam detrahi vetitum: nam hoc nihil facit ad confirmationem ſingulorum eo contentorum: & non alio id fine factum, quàm ut fides ſit penes auctorem. Ita *Covarruvias*, *Zoeſius*, *Vallenſis* & alii paſſim. 19.

Quæ ſit auctoritas Decreti Gratiani.

QUÆSTIO II.

An ſit in hominibus poteſtas condendi leges?

Dico I. Secundùm ſe loquendo eſt poteſtas ferendi leges in hominibus. Probatur 1 ex Scriptura *Proverb.* 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Sap.* 6. *Audite reges: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis. Iſaæ* 10. *Væ qui condunt leges iniquas.* Ubi cùm ſolùm redarguatur poteſtatis abuſus, clarè ſupponitur ipſa poteſtas. Idem à fortiori conſtat ex Scripturis ſequentibus Concluſionibus citandis. 20.

Poteſtas ferēdi leges eſt penes homines.

Quod docet Scriptura.

Probatur II. ex communi ſenſu Gentium & Rerumpublicarum: nulla enim eſt natio ſeu cœtus hominum in unum coeuntium, qui certas leges ſibi non præfigat.

Conſenſus Gentium.

Et ratio,

Probatur III. ratione deſumptâ ex *Iſidoro lib.5. Etymol.c.2. Factæ ſunt* (inquit) *leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; ſit inter improbos innocentia, & inter ipſos improbos formidato ſupplicio refrænetur nocendi facultas.* Unde niſi poteſtas ferendi leges, earumque ſeveritate ſubditos in officio continendi penes homines reſideret, ſumma eſſet in republica perturbatio; ut proinde qui ejuſmodi poteſtati reſiſtunt, liberiùs velle mala convincantur. Confirmatur: quia naturâ dictante unumquodque corpus debet eſſe præditum poteſtate convenienti ad ſui conſervationem; atqui poteſtas condendi leges eſt conveniens, immo moraliter neceſſaria ut conſervetur humana ſocietas: ergo &c.

21.
Ex quâ ſimiliter patet hujus poteſtatis utilitas,

Ex quibus non ſolùm patet humanas leges ferendi poteſtas, ſed etiam ejuſdem poteſtatis ſumma utilitas ſeu moralis neceſſitas. Unde 2. *Machab.* 4. dicitur: *Videbat enim* (Onias) *ſine regali providentiâ impoſſibile eſſe pacem rebus dari.* Et in libro Judicum ſæpè ſignificatur, multorum malorum extitiſſe cauſam, quòd non erat rex in Iſraël, qui ſcilicet mandatis & pœnis cohiberet populum, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur hoc faciebat.

Eaq; amplius declaratur.

Ulteriùs legum utilitas probatur ex eo, quòd lex naturæ non diſponat de omnibus, quæ in variis circumſtantiis poſſunt conducere; adeòque conveniens fuit conſtitui aliam. Cùm autem nec lex divina ad plurima particularia deſcendat, utile fuit dari inſuper legem humanam. Confirmatur; nam pro varietate temporum, locorum, & perſonarum ſæpiùs convenit aliqua mutare, aut aliqua eſſe diverſa in regimine populi & communitatis, ut uſus & experientia docent: ergo debuit ſuperioribus communitatis relinqui iſta poteſtas.

Plures Hæretici negāt illam pro tempore Legis novæ;

An verò hæc poteſtas legumlativa etiam habeat locum in Eccleſia Chriſti, & tempore legis gratiæ, controverſum eſt inter Catholicos & Hæreticos, tum noſtri temporis, tum quoſdam anteriores. Vide *Bellarm.l.3. de Laicis c.2.& l.4.de Pontifice c.15.*

22.
Sed ipſam eſſe penes Eccleſiam definit Tridentinum,

Dico II. Eſt etiam in Eccleſia Chriſti poteſtas Eccleſiaſtica ſeu ſpiritualis condendi leges. Eſt de fide ex *Trid.ſeſſ.7. can.13. de Sacram.in genere.* Et *can.8.de Baptiſmo* Et *ſeſſ.6.can.*20. & aliis locis.

Docet Scriptura,

Probatur ex Scriptura *Joan. 20. Paſce oves meas. Act.20. In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Paſtores autem & rectores debent poſſe præcipere, imperare & leges ferre. *Matth.18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Si autem non eſſet in Eccleſia poteſtas præcipiendi, non deberet cenſeri Ethnicus, qui Eccleſiæ non obtemperaret. Unde ibidem Apoſtolis à Chriſto dicitur: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Igitur Apoſtoli ita poterant præcipere, ut alii tenerentur obedire. Hinc poteſtate iſtâ uſi ſunt Apoſtoli in concilio Jeroſolymitano *Act. 15.* ſtatuentes legem de abſtinendo ab immolatis ſimulachrorū & ſanguine & ſuffocato. Et in fine ejuſdem capitis de Paulo dicitur: *Perambulabat Syriam & Ciliciam..... præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.* *Praxis Apoſtolorum.*

Item Paulus 1.*ad Cor.*11. ait: *Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et in fine capitis: *Cetera, cùm venero, diſponam.* Prout quoque 1.*ad Timoth.*3.& *ad Titum* 1. diſpoſuit legem de bigamo non ordinando. Similiter pœnas minatur inobedientibus 1. *ad Cor.* 4. *Vultis in virga veniam ad vos?* Et 2. *ad Cor.*13. *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem quam Dominus dedit mihi.* Quam exercuit frequenter, ut dum 1.*ad Cor.*5. excommunicavit Corinthium inceſtuoſum: dum 1. *ad Timoth.*1. Hymenæum & Alexandrum propter hæreſim tradidit ſatanæ: dum Theſſalonicenſibus ſcripſit *Epiſtola* 2. *c.*3. *Si quis non obedit verbo noſtro hunc notate, & ne commiſceamini cum illo.* Quod indubiè aliud eſt, quàm ſi dixiſſet: Si quis non obedit verbo aut præcepto Dei &c. Denique *ad Heb.*13. generatim monet: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.*

Probatur II. ex continuo ac perpetuo uſu & praxi Eccleſiæ. Legantur Canones Apoſtolorum, Conciliorum generalium ac Pontificum decreta, in quibus multa ſunt ordinata, quæ in particulari non erant determinata per jus divinum aut naturale. Et ſanè ſi nihil aliud eſſet, ſufficerent præcepta antiquiſſima Eccleſiæ de Communione in Paſchate, de Confeſſione annua, de jejuniis, de diebus Dominicis & Feſtis &c. Quin immo & ipſi Hæretici ſemetipſos confundentes, dies Dominicos ab Eccleſia cōſtitutos. & varia feſta Domini Sabaoth, ſignanter diem Natalem Domini cum ſequenti, feriam ſecundam Paſchæ & Pentecoſtes, aliaque obſervant. Et quidem contra omnem rationem poteſtas politica, mittendo falcem in meſſem alienam, apud ipſos, dies (ut vocant) precum cum abſtinentia à ſervilibus operibus rigoroſiſſimè ſervari mandat: ut proinde ineptiſſimè contra inveteratum ac fundatiſſimum poteſtatis Eccleſiaſticæ uſum hac in parte expoſtulent.

23.
Inveteratus in Eccleſia hujus poteſtatis uſus.

Cui quoad nonnulla ipſi Hæretici uſque hodie deferre convincuntur,

Et perperā inhiat poteſtas ipſorum politica.

Veritatem Catholicam confirmat ratio.

Probatur III. hæc veritas ratione: quia Eccleſia conſtituit perfectam rempublicam aptam ſeſe dirigere in finem ſibi proportionatum per media convenientia, inter quæ eſt legumlatio: nam ſicut in aliis rebus publicis, ſic cum proportione in Eccleſia poſſunt multa occurrere ad Dei cultum & morum directionem conducentia, quæ divinis legibus novi Teſtamenti non ſunt comprehenſa, aut ſaltem determinata, & tamen.

tamen ſtatui expedit ac determinari; ut patet in legibus pertinentibus ad Sacramentorum adminiſtrationem & receptionem, Cenſuris eccleſiaſticis, Impedimentis matrimonii &c. Certè experientia ipſa oſtendit, quantùm ritus Sacrificii incruenti exactè ſervati majeſtate ſuâ conferant ad reverentiam & devotionem Fidelium excitandam.

Datur in Lege nova poteſtas politica ferendi leges,

24. Dico III. Datur etiam tempore Legis novæ poteſtas civilis condendi leges. Probatur in primis ex dictis *Concluſ. I.* Deinde ex ipſo naturæ inſtinctu, quo reſpublicæ omnes gubernantur, etiam in Lege nova per leges civiles. Et ſanè ſi in quavis familia privata caput ejuſdem poſſit præcipere filiis & ſervis, eoſque mediante obligatione dirigere, contra rationem erit ejuſmodi poteſtatem toti reipublicæ aut regno negare. Præterea poteſtas iſta uſu omnium Gentium comprobata nullibi in lege gratiæ abrogatur. Immo tantùm abeſt, naturalem ordinem ac poteſtatem ferendi leges per gratiam Evangelii fuiſſe destructam, ut potiùs per eam ſit confirmata. Nam *ad Rom.* 13. dicitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit ...... itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et infrà: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum &c. Ad Titum 3. Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe. 1. Petri 2. Subjecti eſtote propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Adde, quòd hodie apud ipſos Hæreticos poteſtas politica Leges & Edicta civilia edere non ceſſet, & quidem graviora, quàm Principes Catholici, quorum & fidei Catholicæ jugum ſub ementita larva libertatis conſcientiæ (quam in Catholicis maximè impediunt) interdum excuſſerunt, ut in Hollandia & vicinis provinciis contigiſſe oculis noſtris dolentes conſpeximus.

Quam gratia Evangelii nō deſtruit, ſed confirmat,

Quæq; ab ipſis Hæreticis uſurpatur.

25. Contra Concluſiones objiciunt Hæretici. *Deuteron.* 4. dicitur: *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Et *c.*12. *Quod præcipio tibi, hoc tãtùm facito, nec addas quidquã nec minuas.* Ergo legibus divinis non eſt licitũ ſupperaddere alias leges. Reſp. in *Deuteronomio* prohiberi, ne aliquid ſuperaddatur legi divinæ repugnans; ſignanter *c.*12. præcipitur, ut ceremoniæ ab ipſo Deo præſcriptæ in cultu illius ſerventur, nulliique ritus Gentilium in profanis eorum ſacrificiis uſitati aſſumantur. Unde argumentum Hæreticorum eſt tale: Judæis eſt prohibitum illud quod ſtatim retulimus; ergo in novo Teſtamento non poſſunt condi leges humanæ, quæ jus divinum determinent, ejuſque impletionem promoveant. Præter ineptiam autem Conſequentiæ, falſitas Conſequentis eſt à nobis per varia exempla ſatìs oſtenſa. Immo & in ipſa veteri Lege *Eſther* 9. *Judith ult.* 1. *Machab.* 4. nova feſta fuiſſe inſtituta legimus. Et 1. *Regum* 30. David conſtituit, ut eſſet æqualis portio deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas.

Nullâ veri ſpecie in Deuteronomio præjudicatur legiſlativa Chriſtianorum poteſtati.

Objiciunt II. Chriſtus *Marci* 7. damnat humana præcepta ex *cap.* 29. *Iſaiæ* dicens: *In vanum me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum.* Et *Matth.* 23. arguit Phariſæos, quòd onera gravia imponerent in humeros hominum: ergo non eſt apud homines poteſtas condendi leges. Reſp. Chriſtum apud *Marcum* redarguere multas vanas & inutiles obſervantias, quibus Phariſæi ſuperſtitioſè incumbebant divinis mandatis neglectis; ut patet ex ratione verborum citatorum, quam adjungit Chriſtus: *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata urceorum & calicum, & alia ſimilia his facitis multa.* E contrà autem docebant parentibus in neceſſitate relictis eſſe dona & munera templo offerenda: Et (inquit Chriſtus) *ſimilia hujuſmodi multa facitis.* 26.

Chriſtus ſuperſtitiones & abuſus Phariſaicos, non legitima mandata ſuperiorum redarguit.

Apud *Matthæum* verò Chriſtus partim redarguit Phariſæos, quòd digito nollent movere onera aliis impoſita, ad quæ tamen ſufferenda hortatur turbas: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite.* Partim quòd in minutioribus quibuſdam, ut in decimando (quod iuxta Hieronymum ſignificat hîc decimas accipere, iuxta alios & rectiùs, decimas dare, conformiter ad id quòd unus Phariſaicæ ſectæ gloriando dicebat: *Decimas do omnium quæ poſſideo*) mentham & anethum &c. eſſent accurati, & graviora negligerent. Unde ſubjungit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Objiciunt III. Scriptura facit Chriſtianos exleges *ad Gal.* 5. *Vos in libertatem vocati eſtis.* Et *ibid. Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* 1. *ad Timoth.* 1. *Juſto non eſt lex poſita.* 1. *ad Cor.* 7. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.* Denique ipſe Chriſtus *Matth.* 17. ait: *Liberi ſunt filii,* ſcilicet à dandis tributis. Reſp. Neg. Aſſ. Nam libertas, in quam juxta Apoſtolum vocati ſunt Chriſtiani, non eſt ab obedientia ſuperioribus præſtandâ, ſed partim à dominio peccati, partim à ſervili qualitate ſeu ſpiritu timoris, partim ab onere veteris Legis. Chriſtiana etenim libertas conſiſtit ſubſtantialiter in eo, ut quis à peccati ſervitute liber, & jugo veteris legis excuſſo, adhæreat uni Deo, ſpontaneâ indole faciens quæ ipſi placita ſunt. Ex quo ſequitur, quòd ea quæ augendæ erga Deum charitati conducunt (prout ſunt ea quæ Eccleſia ordinavit) etſi minuãt libertatem circa res medias, magìs cõſentanea ſint Chriſtianæ libertati, quàm eam imminuant. Unde ſubdit Apoſtolus: *Tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis,* id eſt, ne eâ abutamini ad vitæ licentiam. Quod rectè quadrat in Hæreticos noſtri tempo- 27.

Chriſtiani non ſunt exleges, etſi in libertatē vocati.

 poris;

ris; quibus proinde merito ingerenda eſt monitio S. Petri 1.*Epiſt.c.2. Quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.*

28. *Quo ſenſu non ſint ſub lege, qui Spiritu ducuntur.* Quod eodem *c.5 ad Gal.* Paulus ſubjungit, hunc ſenſum habet: *Si Spiritu* Chriſti & Charitatis *ducimini non eſtis ſub lege*, etiam naturæ, tamquam ſub pædagogo cogente & ſerviliter conſtringente, ſed potiùs ſupra legem. Quomodo etiam *juſto non eſt lex poſita*, quatenus pœnas & terrores minatur; cùm juſtus legem impleat non formidine pœnæ ſed amore honeſtatis & juſtitiæ: illo autem modo eſt poſita injuſtis & parricidis; ut ſubjungit Apoſtolus eodem loco ad Timotheum. Vide *Aug. lib. de Spir. & litt. c.10.*

Quo ſenſu juſto non ſit lex poſita.

Explicatur dictum Apoſtoli: Nolite fieri ſervi hominum. Ad locum 1.*ad cor.7.* dico Apoſtolum non inhibere Chriſtianis, ne ſerviant rationabili imperio, ſed ne fiant ſervi hominum, eis in omnibus ſe accommodando, etiam ſervitio Dei poſtpoſito: partim etiam diſſuadere, ne quis poſt aſſumptum Chriſtianiſmum ſe alicui præſertim Ethnico in mancipium vendat, ut Deo liberiùs deſerviat. Alioquin alibi monet ſervos, ut obediant dominis ſuis, & *loco cit.* ait: *Servus vocatus es?* ſcilicet ad Chriſtianiſmum; *non ſit tibi cura, & unuſquiſque in quo vocatus eſt*, ad Chriſtianiſmum, *in hoc permaneat*: nam ut pulchrè *Auguſtinus*, ſeu ex eo *Proſper* in Sententiis *num.* 124. *Libera ſemper eſt ſervitus apud Deum, cui non neceſſitas ſervit, ſed Charitas.*

Item dictũ Chriſti: Liberi ſunt filii. Denique verba Chriſti ex Evangelio *Matth.* 17. non ſunt ad propoſitum: nam ſenſus illorum eſt: Reges & Principes non ſolere tributum exigere à ſuis filiis, ſed hos eſſe liberos; adeòque nec jure à Chriſto exigendum fuiſſe tributum, qui erat filius ſummi Regis, & omniũ Dominus. Alioquin *Lucæ* 20. dicit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari &c.* Et Apoſtolus *ad Rom.*13. docet, tributa à Chriſtianis eſſe reddenda. Neque exiſtimo Hæreticos eò audaciæ prorupturos impunè, ſi hoc tempore exemptionem ſui ſequacium à tributis ſuperiori poteſtati pendendis prædicarent.

29. Objiciunt IV. eſſe contra ſuavitatem ac facilitatem Legis novæ Chriſtianos obrui tot legibus humanis, ut earum multitudo ſuperet multitudinem præceptorum Legis Judaicæ; ut proinde meritò deploret *Auguſtinus Epiſt.* 119. *c.* 19. tolerabiliorem eſſe conditionem Judæorum, quàm Chriſtianorum. Reſp. Neg. Aſſ. nam Legis novæ facilitas potiſſimùm conſiſtit in abundantia gratiæ & facilitate ac paucitate præceptorum illius, quæ per leges humanas non adeò tollitur, cùm pauca ſint præcepta Eccleſiæ univerſos concernentia, ſed ad quatuor vel quinq; revocentur, eaq; ſint juris divini aut naturalis determinationes. Cetera verò ſolùm obligant aliquos ratione ſtatûs, officij vel contractûs. Adde multa

Poteſtas legiſlativa non repugnat dulci & facili jugo legis novæ.

contineri in Jure Canonico, quæ ſolùm præſcribunt id quod eſt juris naturæ: multa etiam quæ ſtrictè non obligant, aut quorum obligatio facilè ceſſat. In Lege tamen moſaica cum parcitate gratiæ erant plurima præcepta difficillima, ſumptuoſa, & cunctos graviſſimè obligantia.

Deinde ad ſummum inde ſequeretur in uſu poteſtatis legiſlativæ poſſe contingere aliquem exceſſum; cùm tamen ab abuſu non ducatur bonum argumentum contra ipſam poteſtatem diſcretè practicandam, quam Scriptura & ratio naturalis manifeſtat. Dubium equidem non eſt, quin moderatio in uſu illius poteſtatis ſit attendenda, ne converſatio Fidelium onerosa reddatur, ut rectè monet *D. Thomas q.* 107. *a.4. in Corp.* ex loco *Auguſtini* in objectione citato: in quo tamen *Auguſtinus* tantùm redarguit multitudinem nimiam conſuetudinum indiſcretè à quibuſdam ſine auctoritate vel ratione legitima introductarum, quæ plùs curabantur, quàm multa quæ in divinis libris ſaluberrimè ſunt præcepta. Poteſtatem autem ferendi leges non reprobat, ſed expreſsè approbat in verbis quæ immediatè præmittit, & ab Hæreticis ſtudioſè diſſimulantur: *Omnia itaque talia* (inquit) *quæ neque ſacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, neque Conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt ..... ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.* 30.

Abuſus, ſi quis interdum foret, poteſtatis non arguit hanc non dari.

Solicitè tamen eſt vitandus.

Auguſtinus errori contrario non favet, ſed illũ evertit.

Objiciunt V. Solius Dei eſt obligare ad peccatum; cùm illud, ſi fuerit mortale, reatum æternæ pœnæ habeat annexum. Ideoq; *Ambroſius* & *Auguſtinus* peccatum definiunt per oppoſitionem ad legem Dei. Reſp. Neg. Aſſ. nam præſuppoſitâ Lege divinâ naturali, vel poſitivâ, quâ poteſtas præcipiendi ſuperioribus conceditur, & conſequenter inferioribus imponitur parendi neceſſitas, poteſt etiam per humanam voluntatem ſtatui obligatio ad aliquid ſub peccato etiam gravi; quemadmodum autem ex antedictis liquet, non ſolùm ex natura rei, ſed etiam per divinam voluntatem poteſtas præcipiendi ſuperioribus eſt conceſſa, juxta auctoritates Scripturæ in Concluſionibus citatas. Unde rectè infert Apoſtolus *ad Rom.* 13. *Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et de ſuis præceptis 1. *ad Theſſal.* 4. ait: *Qui hæc ſpernit, nõ hominem ſpernit, ſed Deum.* Quod cõforme eſt verbis Chriſti *Lucæ* 10. *Qui vos ſpernit me ſpernit.* Dubium autem non eſt, quin reatum culpæ coram Deo contrahat, qui ſic agit, ut Chriſtum contemnere convincatur. Unde etiam voluntati Dei obviat, qui voluntati ſuperiorum non obtemperat, voluntati nempe Dei generali jam explicatæ, cui voluntas ſuperiorum velut ſubordinatur, & à qua vim obligandi in conſcientia participat. 31.

Divinâ lege ſuppoſitâ poteſt homo obligare ad culpam & reatum pœnæ æternæ.

Obji-

32. Objiciunt VI. Ex legum humanarum neceſſitate ſequitur legum naturæ, immo & divinarum inſufficientia. Reſp. cum diſtinctione: ſequitur earum inſufficientia, quatenus ſi ſervarentur, non ſufficerent, ut perducant hominem ad ſalutem, quantumvis nullæ leges humanæ extarent, Nego Seq. Sequitur earum inſufficientia, quatenus non complectuntur omnia, quæ aliquando expedit conſtitui, Concedo Seq. Nec hoc eſt abſurdum, aut arguit naturam vel Deum deficere: cùm conceſſa ſit hominibus poteſtas, per quam conformiter dictamini naturæ & divinæ voluntati poſſit ſtatui, quod immediatè per leges naturæ aut divinas non eſt ſtatutum. Quemadmodum natura non deficit, etſi homini cibum non tribuat, quia dat illi ſufficientia media ad cibum comparandum.

QUÆSTIO III.

Penes quos reſideat poteſtas legiſlativa Civilis?

33. *Poteſtas legiſlativa civilis primò & radicaliter penes ipſum cœtum ſeu communitatem reſidet,*

DICO I. Poteſtas legiſlativa Civilis primariò & quaſi radicaliter reſidet penes ipſam Communitatem ſeu Rempublicam. Probatur: quia hæc poteſtas conſequitur conditionem Corporis politici ex natura rei, velut moralis quædam illius proprietas: eo ipſo enim quòd aliqui coeunt in aliquem cœtum hominum, habet iſta communitas ex natura rei poteſtatem ſe regendi per media opportuna. Unde ſicut eo ipſo quòd ſervus aut aliquis alius adſcribitur in familiam domini, ſubjacet ejus regimini etiam in conſcientia; ita & membra communitatis hoc ipſo quòd talia ſunt, ſubjacent regimini quod in iſta communitate reſidet.

Porrò poteſtatem iſtam non reſidere ex ſe in certa parte communitatis, aut aliquâ perſonâ extra illam communitatem, patet: quia ſicut ſinguli homines, ſic etiam hominum cœtus naturaliter vendicant ſibi libertatem, neque ex natura rei alicui poteſtati politicæ ſubjiciuntur. Confirmatur: quia non eſt potior ratio de uno homine, quàm de alio, ob quam illi ex natura rei competeret jus regendi multitudinem ſive communitatem.

34. *A qua tamen poteſt in alterum multipliciter transferri. 1. per Deū.*

Adverte tamen hanc poteſtatem non eſſe ita immobiliter affixam toti corpori politico, quin poſſit ab illo auferri. Nam primò Deus tamquam ſupremus omnis juris creaturæ Dominus poteſt hanc poteſtatem Reipublicæ auferre: prout regiminis poteſtatem contulit Moyſi & aliis. Secundò ipſa Reſpublica poteſt poteſtatem ſuam in alium transferre, etiam immutabiliter; quàmvis fortè ita non tranſtulerit, ſed tacitè ſibi reſervarit facultatem graviſſimâ de causâ ipſum iſtâ poteſtate privandi, & in unum alium transferendi, aut ad ſe revocandi; prout Principem legitimum ob nimiam tyrannidem poteſt per legitimam ſententiam deponere.

2. Per ipſam rempublicā.

3. Iure belli

Tertiò jure belli poteſtate hâc poteſt Reſpublica privari, ſicut aliis bonis, immo libertate, & ſic redigi ſub alterius principatu. Quorum omnium ratio fundamentalis eſt: quia licèt ratio naturalis dictet poteſtatem legiſlativam corpori politico debere competere, non dictat tamen neceſſarium ut eam per ſe adminiſtret: potuit igitur eâ privari, vel ſponte eam à ſe alienare. Immo id fieri magìs conveniebat; cùm multò ſit melior forma regiminis Monarchica, aut Ariſtocratica, vel mixta ex utraque, quàm Democratica, in qua populus regit. Ideoque plerumque in Reges & Principes aut Optimates hæc poteſtas diverſimodè eſt à Communitate derivata: quamquam non deſint, qui exiſtiment regna & monarchias eſſe primitùs per tyrannidem & illegitimam invaſionem introductas, etſi poſtea conſenſu Populi firmatas; ut videre eſt apud *Alvarum Pelagium l. 1. De planctu Eccleſ. c. 4.*

35. *Imperator poteſt ferre leges pro toto Imperio.*

DICO II. Imperator poteſt ferre leges pro toto imperio: quia reſpectu illius habet ſupremam regiminis poteſtatem. Unde idem confirmat antiquiſſima Imperatorum praxis; ut videre eſt in corpore Juris Communis ſeu Cæſarei.

Non tamen pro toto orbe;

Dubitant verò aliqui Juriſtæ an poſſit condere leges pro toto orbe. Id ſequitur ex ſententia *Bartoli*, qui refertur dicere Imperatorem eſſe dominum totius orbis. Sed hæc ſententia cum ſuo fundamento eſt planè improbabilis: nam ne quidem tempore Cæſaris Auguſti fuit Imperator dominus totius Orbis, cùm Perſia numquam fuerit tributaria Romanis, uti nec Japonia aliæque Regiones noviter inventæ. Cui conſonat illud *Leonis* Papæ Romam alloquentis *Serm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli*: *Ut latiùs præſideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ.*

De præſenti tempore, quo limites Romani Imperij plurimùm ſunt conſtricti, nulla eſt apparentia: cùm plures ſint Reges & Reſpublicæ imperio non ſubjectæ; ut de Rege Franciæ, qui nullum agnoſcit ſuperiorem, conſtat ex *cap. Per venerabilem, Qui filii ſint legitimi.* Unde *cap. Super ſpecula de Privilegiis* dicitur: *In Francia & nonnullis Provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur.*

36. *Leges tamē Cæſareæ alibi qualiter acceptatæ.*

Nihilominus poſſunt Leges Cæſareæ alibi habere locum, ſive quia ex conſuetudine, ſive quia per propriorum Principum Conſtitutiones ſunt aſſumptæ. Unde etiam referuntur Turcæ uti *Codice Juſtinianæo* velut

lut æquiſſimo. Similiter poſt jura propria Romanas ſibi leges adſciverunt variæ in Europa provinciæ, ut de Belgicis ſuperiùs diximus: & de Gallis ac Hiſpanis varii eorumdem Juriſconſulti tradunt, eatenus ſaltem, quatenus cùm horum judices in defectu legum iuxta equitatem iudicare tenentur, æquiſſimum meritò arbitrentur, quod Jure communi deciditur. Solent autem in Imperio hodie Conſtitutiones fieri (quæ Pragmaticæ Sanctiones vocantur) in plena Principum & Ordinum Congregatione, conſilii atque examinis ergò, & facilioris obedientiæ causâ; cùm plerique Imperii Status multa ex ſuprema poteſtate ad ſe traxerint, ſalvo tamen ſemper ſupremo Imperii apice. Unde dicitur Imperator etiamnum privilegia ſolus contra leges tribuere.

37. *Poteſtas legiſlativa competit ſupremis principibus,*

Dico III. Reges & Principes ſupremi poſſunt in ſuis ditionibus leges ferre: nam hæc poteſtas ſimiliter cum regimine eſt in illos tranſlata, ſive abſolutè, ſive ſub certo modo, qui ex contractu vel conſuetudine conſtare debet. Atque ideo in quibuſdam ditionibus non poteſt Rex vel Princeps condere legem ſine Comitiis regni. Idem dicendum eſt de Republica libera, quæ à ſe poteſtatem ſupremam regendi aut leges ferendi non abdicavit, vel ſaltem legitimè illam recuperavit; ut eſt Veneta & Genuenſis.

Et Reipublicæ liberæ,

38. *An Reginæ hereditariæ potiùs quàm conjugi.*

Varii hîc fusè diſputant, ad quem pertineat leges condere, ſi regnum vel principatus pertineat ad Reginam hereditariam. Sed dicendum cum pleriſque pertinere ad Reginam; ad Regem autem non niſi de conſenſu Reginæ. Ratio eſt: quia ad eum pertinet leges condere & regnum adminiſtrare, cujus eſt dominium: dominium autem eſt Reginæ. Nec refert, quòd maritus vocetur Rex, & honoretur tamquam Rex: nam poteſtas condendi leges non ſequitur titulos honoris, ſed ſolùm jus dominii & regni, quod eſt penes Reginam ſolam. Non refert etiam quod juxta Apoſtolum *ad Epheſ.* 5. vir ſit caput mulieris: nam in caſu noſtro vir eſt caput mulieris quoad œconomicam familiæ adminiſtrationem, quod Paulus intendit. Nihilominus mulier poteſt eſſe caput, ſicut omnium civium & totius regni, quoad politicam adminiſtrationem. Quod ſatis patet: quia nullus negare poteſt, eam eſſe caput politicum civium, ſi maneat innupta.

39. *Principum inferiorum poteſtas menſurāda ex commiſſione ſupremæ poteſtatis vel conſuetudine,*

Dico IV. Principes alii inferiores non poſſunt condere leges, niſi hoc eis à Principe ſupremo aut Communitate liberâ fuerit conceſſum, prout conceſſum eſt variis Principibus Germaniæ & Italiæ. Hinc illi, quibus id non eſt conceſſum, non poſſunt ſuos ſubditos dirigere, niſi juxta leges ſuorum Principum. Ratio eſt: quia ex ſe non habent illam facultatem, neque etiam ab aliquo legitimam ad id poteſtatem habentre. Immo regulariter ſupremi Principes hoc ſibi munus reſervant, ut ex ſenſu communi & conſenſu Doctorum patet, ac colligitur ex l. 2. C. *de Vetere jure enucleando.* Et *l.* 12. *C. de Legibus.* Congruentia eſt, quòd legiſlatio ſit præcipuus actus quo Reſpublica gubernatur; adeòque procedere debeat à præcipua poteſtate, aut ab eo, qui ad hoc facultatem accepit à præcipua & ſuprema poteſtate. Idem dicendum eſt de Cōmunitatibus non ſupremis, quæ ſe poteſtate ac jure regiminis independenti privarunt, & alteri ſe ſubdiderunt: nihil enim circa leges ferendas valent, niſi quantùm eas ſibi reſervaſſe, aut recuperaſſe ſcripto aut etiam conſuetudine liquet: non ſicut contractu, aut conſuetudine, ſeu præſcriptione ſunt privatæ, ſic ſimili viâ poſſet eadem poteſtas illis in toto vel in parte reſtitui.

Vti & Communitatis nō ſupremæ.

Porrò jure hoc in alterum tranſlato utitur is eo velut proprio, ut jam non ſit Communitatis delegatus, ſed jus regendi ac leges condendi, velut ſibi proprium, aliis delegare aut communicare poſſit; juxta axioma juris communiter receptum: *Poteſt quis facere per alium delegatum, quod juriſdictione ordinariâ poteſt per ſe ipſum.*

40. *Poteſtas hæc non dependet à fide vel moribus Principum.*

Dico V. Hæc poteſtas non tantùm competit Principibus Chriſtianis & bonis, ſed etiam malis & infidelibus. Eſt contra *Wiclef*, cujus hic erat articulus XV. in *Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* 8. damnatus: *Non eſt obediendum malis Prælatis & Regibus.* Probatur Concluſio ex Scriptura. Daniel Nabuchodonoſori, qui tamen erat infidelis, *cap.* 2. ait: *Tu es Rex, & Deus cæli dedit tibi regnum.* Apoſtolus *ad Rom.* 13. docet ſubjectionem ad ſuperiores, etiam Ethnicos, quales communiter tunc erant Reges, quando Paulus Epiſtolam ad Romanos ſcripſit. Idem docent Patres ab aliis paſſim citati. Chriſtiani quoque antiquis temporibus fuerunt obſervantiſſimi legum honeſtarum ab Ethnicis Regibus & Imperatoribus conditarum. Specialiter autem Saül, David, Salomon & plerique Reges Iſraël graviter peccarunt, nec tamen ob id Reges eſſe deſierunt, quamdiu Deus illos regno non privaret. Et Petrus *Epiſt.* 1. *c.* 2. præcipit ſervis, ut obediant dominis ſuis, non tantùm bonis, ſed etiam dyſcolis Ratio eſt: quia poteſtas legiſlativa non fundatur in fide aut moribus Principis: neque enim id ratio, nec auctoritas dictat. Quin immo id rationi omnino adverſatur, utpote quòd vergit in Reipublicæ perniciem, ac plurimarum ſeditionum & ſchiſmatum ſit fomentum, dum facilè ſubditi Principem peccati arguerent, & ſub hoc prætextu obedire illi detrectarent. Quotidiana inſuper imperii mutatio foret neceſſaria,

prout

prout Principes facilè in peccata labuntur. Non eſt tamen negandum quin Eccleſia poſſit aliquos criminoſos Principes in pœnam ſuorum criminum, v.g. hæreſis, privare ſuperioritate; cùm hoc conſtet ex praxi Eccleſiæ. Quemadmodum Deus ipſe ſubinde perverſos Reges privavit regno; quod tamen eò uſque, non obſtante ſuâ malitiâ, legitimè retinebant. Similiter in *Tract. de Fide* docetur ex peculiari ordinatione divinâ ſummum Pontificatûs apicem à fide dependere; adeò ut Papa manifeſtè hæreticus jure divino papatu excidat, ſaltem poſt ſententiam declaratoriam criminis.

41. Dices: *Clemens Papa l. 2. Conſtitut. Apoſt. c.* 8. dicit: *Nec enim Rex impius eſt utique rex, ſed tyrannus; nec Epiſcopus ignorantiâ vel malâ mente oppreſſus eſt ampliùs Epiſcopus.* Reſp. illa verba eſſe ſuppoſititia, & nequidem ſpecietenus habentur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ extant *in Primo Tomo Conciliorum*, & excuſæ ſunt Venetiis anno 1589. apud Nicolinum. Reſp. II. Regem impium quà talem non eſſe regem ſed tyrannum: Rex enim (ut ait *Iſidorus*) à regendo, id eſt, rectè agendo dicitur; rectè igitur faciendo nomen Regis tenetur, peccando amittitur. Idem colligitur ex Concilio Aquiſgranenſi *c. 2. To. 3. Conciliorum.* Nomen ergo regis ſecundùm *Iſidorum* amittit, non proprietatem. Idem dicitur de Epiſcopo: *quia* (ut ait *Auguſtinus 19. de Civit. c. 19.*) *Epiſcopatus nomen eſt operis non honoris &c. ut intelligat non eſſe Epiſcopum qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe.*

QUÆSTIO IV.

Penes quos reſideat poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica?

42. *Poteſtas legiſlativa pro univerſa Eccleſia Iure divino reſidet penes ſummum Pontificem.*

DICO I. Poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica jure divino reſidet penes ſummum Pontificem pro univerſa Eccleſia. Patet ex *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum.* Et *Joan. 20. Paſce oves meas.* Ubi primò promittitur, deinde committitur regimen univerſæ Eccleſiæ Petro, & in Petro Succeſſoribus illius, ad quos eadem verba juxta ſanctos Patres ſunt etiam directa, cùm poteſtatem iſtam oportuerit cum ipſa Eccleſia perennare, adeòque etiam ipſis Petri Succeſſoribus eſſe conceſſum à Chriſto; cujus, & non Petri, Vicarii erant futuri. Fuit itaque voluntas Chriſti generalis largiendi Petro ejuſque legitimis Succeſſoribus ſupremam regiminis poteſtatem: quamquam ad homines electio, ſeu Succeſſoris deſignatio pertineat, eo modo, qui fuerit à Pontifice præſcriptus: qui nunc eſt, ut fiat à Cardinalibus, à quibus dum perſonæ facta eſt deſignatio, non ipſi, ſed Chriſtus poteſtatem confert. Unde Anacletus Papa *diſt. 22. c. 2. Romana Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit.* Innocentius III. *c. Solicitæ, De Majorit. & Obed. Nobis in Beato Petro ſunt oves Chriſti commiſſæ, dicente Domino: Paſce oves meas.* Et *c. Novit, De Judiciis* idem ait: *Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo.* Et Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunenſi: *Cùm Jeſu Chriſti vices teneamus in terris, nobiſq; in Petri perſona dictum ſit: Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.*

Hinc fit, quòd poteſtas hæc non poſſit recipere aliquam mutationem vel limitationem, ſicut ceteræ poteſtates, quæ in hominibus reſident, & ab eis conferuntur. Quare non dependet Pontifex in legiſlatione à Concilio vel Cardinalibus, quandoquidem independenter ab illis ſit poteſtas ei à Chriſto collata. Quod etiam patet ex praxi & multis Canonibus, prout vide apud *Suarium l. 4. c. 3. n. 14.* Accedit, quòd Cardinalium dignitas non ſit Pontificiæ dignitati coæva, immò ſit ab ipſo Pontifice inſtituta, adeòque juris humani: quamquam Pontifex prudenter graviora negotia non ſoleat decidere ſine determinatione Concilii aut aſſenſu Cardinalium. 43. *Inde nullâ recipit mutationem vel limitationem.*

DICO II. Legati Sedis Apoſtolicæ poſſunt ferre leges pro legationis ſuæ provincia: habent enim juriſdictionem ordinariam, eamque majorem, quàm Epiſcopi, ut conſtat *ex toto Titulo De Officio Legati.* Immo *Cap. Fin.* expreſsè deciditur Legatorum ſtatuta eorum morte vel amotione non expirare, quouſque revocentur. 44. *Legiſlativâ poteſtate pollent legati Pontificis.*

DICO III. Similiter poſſunt Epiſcopi ferre leges pro ſua Diœceſi; ut docet praxis Eccleſiæ, & paſſim jus Canonicum *c. 2. de Majorit. & Obed.* & *c. 2. de Conſtitut. in 6.* & alibi. Eas verò leges poſſunt condere, poſtquam ſunt confirmati, antequam ſint conſecrati: nam per Confirmationem accipiunt juriſdictionem, cui poteſtas legiſlativa eſt annexa. Nec requiritur conſenſus Papæ, niſi in caſibus juri Pontificio repugnantibus, aut ex jure vel conſuetudine Papæ reſervatis. Similiter non requiritur regulariter conſenſus Capituli vel Synodi Paſtorum; cùm hoc nullo jure decernatur, quamquam requiri ſaltem conſilium Capituli, ex *c. Quanto 5. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* tradat *Zypæus in Analyſi juris Pontificii novi hoc Tit.* Dixi *regulariter*: Lex enim cedens in præjudicium Cleri nequit ferri ſine illius conſenſu ex *c. Novit, De his quæ fiunt à Prælatis*, & aliis juribus: quemadmodum etiam requiritur conſenſus Cleri & populi ad inſtituenda nova feſta 45. *Et Epiſcopi pro ſua Diœceſi* *independenter à cõſenſu Capituli.*

c. Fin.

c. *Fin. de Feriis.* Attendenda tamen eſt conſuetudo, quæ poteſtatem Epiſcoporum variis in locis potuit extendere vel arctare.

46. *Et hi quidem jure divino.*

Utrùm verò Epiſcopis poteſtas legiſlativa competat jure divino, dubitatur. Varii affirmant, ut *Caſtro*, *Victoria*, *Vaſquez* & alii dicentes per Papam ſolùm applicari Epiſcopis materiam ſeu ſubditos. Sed veroſimiliùs negat *Suarez l.4.c.4. Præpoſitus de Sacram. Ordinis q. un. dub.7.num.* 49. & paſſim alii. Nam etſi Ordo Epiſcopalis ſit juris divini; ſimiliter etſi Chriſtus voluerit Eccleſiam regi per Epiſcopos, eiſque poteſtatem conferri: nihilominus non contulit eam immediatè per ſe, ſed voluit conferri per ſuum Vicarium, juxta illud *Leonis Papæ Serm. 3. de ſua aſſumptione: Si quid cum eo commune ceteris voluit eſſe Principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Cui conſonat formula creandi Epiſcopos, quæ teſte *Bellarmino l.4.de Pontific. c.* 24. talis eſt: *Providemus Eccleſiæ tali de tali perſona committentes ei adminiſtrationem* (id eſt, juriſdictionem) *in temporalibus & ſpiritualibus.* Quam proinde juriſdictionem limitat, ampliat, aufert &c. Secundùm beneplacitum ſuum: Eamque confert Epiſcopis, etiam non conſecratis, poſſetque conſecratis aliquibus non conferre: confert denique juriſdictionem Epiſcopalem etiam non Epiſcopis, v.g. Prælatis majoribus Religionum exemptarum à juriſdictione Epiſcoporum: quæ ſunt aperta ſigna, illam in Epiſcopis provenire à Papa; niſi aliundè clariora ſint in oppoſitum.

47. *Metropolitani quid poſſint in diœceſibus Coëpiſcoporum.*

Nota hîc Patriarchas, Primates vel Archiepiſcopos ſeu Metropolitanos non poſſe leges ferre pro diœceſibus ſuorum Suffraganeorum ſeu Coëpiſcoporum quibus præſunt. Hæ enim dignitates, quatenus Epiſcopatus tranſcendunt, ſunt merè juris Eccleſiaſtici, ideòque ratione illarum nihil fieri poteſt, niſi quod ſpecialiter eſt conceſſum; uti etiam in jure declaratur. Nam *c. Conqueſtus 9.q.* 3. definit Nicolaus Papa, *Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitùs contulit.* Vide etiam *ibid.cap.* 5. & duo ſequentia. Item c. *Duo ſimul, de Officio Judicis ordinarii.* At præfata poteſtas eis nec jure nec conſuetudine conceditur; quin immò conſuetudo eſt in oppoſitum.

Caſus porrò, in quibus hi juriſdictionem habent in Epiſcopatus ſubjectos, ferè reducuntur ad jus illos viſitandi, corrigendi Epiſcopos ſubjectos, & ad jus appellandi ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ab hoc ad Primatem ſeu Patriarcham. Denique ad jus convocandi Synodum provincialem, eique præſidendi.

Dico IV. Concilium generale legitimè cõgregatum habet poteſtatem condendi leges pro tota Eccleſia. Patet ex antiquiſſimo & continuo uſu Conciliorum, in quibus frequenter ejuſmodi leges ſunt latæ. Requiritur tamen ut accedat confirmatio Papæ, prout in Materia de Fide traditur ex communiori doctrina. 48.

Competit poteſtas legiſlativa Concilio generali per Papam confirmato.

Dico V. Idem poſſunt Concilia provincialia pro Provincia correſpondente. Patet ſimiliter ex praxi totius Eccleſiæ & Conciliorum, multiſque Juribus. Uſus idem oſtendit de Synodo diœceſana ſeu paſtoralia: quamquam leges in illa conditæ verè ſint Epiſcopales, cùm per ſe loquendo ſolus Epiſcopus in eam habeat poteſtatem legiſlativam: ceteri verò tantùm comparent tamquam Conſiliarii, nec debent poteſtate legiſlativâ pollere: quòd ſi quidam eam habeant, eſt per accidens. Unde etiam ſolus Epiſcopus ſubſcribit: cùm tamen in Synodo Provinciali non ſolus Archiepiſcopus, ſed etiam ceteri Epiſcopi ſubſcribant. 49.

Eâdem poteſtate pollent Concilia Provincialia, Et Diœceſana.

Dico VI. Capitulum Cathedrale Sede vacante veroſimiliùs poteſt condere leges. Ita communiùs Doctores cõtra *Malderum q.95.a.1. dub.* 4. circa finem & alios. Probatur: quia ſuccedit Capitulum Cathedrale in juriſdictionem Epiſcopi quoad totam adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus, præterquam in caſibus jure prohibitis (cujuſmodi non eſt legiſlatio) ut colligitur ex *c. unico, de Maiorit. & Obed. in* 6. Confirmatur. quia conſtat penes Capitulum Sede vacante reſidere poteſtatem præceptivam reſpectu diœceſis; cur ergo non etiam legiſlativam, quæ jure ordinario eſt annexa Epiſcopali juriſdictioni? 50.

Et Capitulum Cathedrale ſede vacante.

Nec refert, quòd Capitula non utantur hâc poteſtate: nam eam per non uſum non amittunt, neque etiam tenentur quolibet eventu uti poteſtate ſibi competente; cùm judicare poſſint, non eſſe operæ pretium, nec prudens, pro tantillo tempore aliquid innovare. Quamvis Jus cavens *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, loquatur tantùm de Juribus & bonis Epiſcopalibus. Propter quod non poteſt etiam conferre beneficia, quorum collatio libera erat penes Epiſcopum ſolum. Unde poſſet Capitulum per ſe loquendo condere ſtatuta duratura etiam poſt creationem novi Epiſcopi, & leges Epiſcopi defuncti abrogare, ſicut id poſſet Epiſcopus ſucceſſor, cujus juriſdictione Capitulum pollet; ſicut etiam ab excommunicatione poſſet abſolvere ex *c. unico de Majorit. & Obed. in* 6. Præterea Vicarium generalem ab Epiſcopo defuncto conſtitutum revocat, licentiamque alieno Epiſcopo ordinandi in diœceſi ab eodem datam revocare poteſt. Item Capitulum Sede vacante in crimina inquirit, viſitat, punit, diſpenſat cum illegitimis ad minores Ordines, dat litteras dimiſſorias &c. 51.

Vi & multa alia poteſt.

Dices

52\. Dices I. Jus poteſtatem leges ferendi non concedit Capitulo ſpecialiter; atqui non ſufficiunt conceſſiones generales ſuprà allegatæ, ut colligitur ex c. *Illa*, *Ne Sede vacante*; ubì pro ratione, cur Capitulum nequeat conferre Sede vacante beneficia, allegatur: *Cùm nuſquam inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Epiſcopi in collationibus præbendarum*; ergo requireretur ſpecialis conceſſio ferendi leges, quia videtur ei prohibitum quidquid non eſt ſpecialiter conceſſum, juxta rationem *cap. cit.* Reſp.

Secùs eſt de collatione beneficiorum,

Neg. Subſumpt. tum quia collatio beneficiorum eſt aliquid de jure ſpecialiter exprimendum, ut concedi cenſeatur, c. *Officii*, *De Offic. Legati in 6.* Unde mirum non eſt, illam rationem in jure c. *Illa*, eſſe allegatam. Tum, & præcipuè, quia collatio beneficiorum debebat exprimi ſpeciatim, eò quòd numeretur inter bona & proventus Epiſcopi, in quibus Capitulum non ſuccedit, quæque diminuere aut de quibus diſponere nequit.

Niſi illorum collatio ſit neceſſaria,

Unde è contrà, illa quorum collatio eſt neceſſaria, rectè conferuntur per Capitulum; cùm non fiat detrimentum Prælato, cujus commodum conſiſtit in poteſtate conferendi, cui velit; quæ hîc non eſt. Quare Capitulum inſtituit præſentatos, c. 1. *De Inſtitut. in 6.* Confirmat electos, c. *Cùm olim 14. de Majorit. & Obed.*

Vel communiter ſpectet ad Epiſcopum & Capitulum.

Confert etiam beneficia, quorum collatio communiter ad Epiſcopum & Capitulum ſpectat; cùm non ſit in jure ſuo impeditum propter caſum Epiſcopi mortui vel etiam ſuſpenſi. Unde in ſimili idem poſſet Epiſcopus, ſi Capitulum eſſet ſuſpenſum vel omnes excommunicati. Proinde *Concilium Mechlinienſe celebratum anno 1609. tit. 15. cap. 7.* declarat collationem præbendæ graduatæ Sede vacante faciendam per Graduatos. Si electio ſit penes Capitulum, & confirmatio penes Epiſcopum, Capitulum eliget jure Capitulari, confirmabit jure Epiſcopali.

53\. *Nequit Collegium Cardinalium vacante Sede Apoſtolicâ leges condere,*

Dices II. Collegium Cardinalium non poteſt leges condere vacante Sede Apoſtolicâ: ergo nec Capitulum cathedrale vacante Sede Epiſcopali. Reſp. Neg. Conſeq. nam Collegium Cardinalium non ſuccedit in juriſdictionem papalem, ſicut Capitulum in juriſdictionem Epiſcopi: immo hoc illi expreſsè inhibetur *Clem. ne Romani*, *De electione.* Cùm tamen Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum gaudeant juriſdictione Epiſcopali, poſſunt ſinguli in illis particularia ſtatuta & leges ferre.

54\. *Vti nec Capitulum Cathedrale vivente Epiſcopo.*

Dixi in Concluſione: *Epiſcopali Sede vacante:* vivente enim Epiſcopo non poteſt Cathedrale Capitulum condere ſtatuta vel leges, etiam juxta plurimorum ſententiam, Corpus tantùm Capituli obligantes, ſine conſenſu vel confirmatione Epiſcopi, aut Sedis Apoſtolicæ, niſi per præſcriptionem aut Apoſtolicam conceſſionem ſpeciali ad hoc gaudeat facultate; *arg.* c. *Cùm acceſſiſſent*, *De Conſtitut.* & maximè c. *Cùm conſuetudinis*, *De Conſuetudine.* Nonnulli tamen tribuunt Capitulis facultatem condendi ſtatuta. Quod faciliùs admitti poſſet quoad quædam ſtatuta conventionalia, quæ obligent ſingulos Canonicos ſaltem ex quodam pacto fidelitatis in rebus parvis ſpectantibus ad Corpus Capituli. Quod multorum Capitulorum, etiam collegiatarum Eccleſiarum, praxis confirmat: quæ maximè eſt attendenda, etiam quoad hoc, an requiratur conſenſus Epiſcopi.

55\. *Poſſunt etiã Abbates & alii Prælati ordinarii condere leges.*

Dico VII. Poſſunt etiam leges condere Abbates aliique Prælati qui ſunt verè ordinarii, id eſt, habentes juriſdictionem Epiſcopalem, idque intrà terminos ſuæ quaſi diœceſis: ſunt enim ſimiles Epiſcopis in omnibus, quæ ſunt meræ juriſdictionis.

56\. *Idem poteſt congregatio Regulariũ generalis & provincialis.*

Dico VIII. Idem poteſt Congregatio Regularium generalis & provincialis, ut ex uſu Religionum à Pontificibus approbato conſtat. Uſum verò & conſtitutiones ſuas quilibet Ordo debet reſpicere quantum attinet ad poteſtatem Generalis & Provincialium: nam illis in Ordine noſtro & diverſis aliis poteſtas legiſlativa eſt adempta, præterquam in Capitulo generali & provinciali: in aliis autem habet Generalis hanc poteſtatem etiam extra Congregationem.

57\. Dices: Saltem Ordini Minorum videtur adempta poteſtas ferendi leges ex Bulla *Circumſpecta Apoſtolica Sedis*, quæ eſt *26. Xiſti IV.* in *Bullario Rodriguez.* Reſp. Neg. Aſſ. Nam Pontifex ad inſtantiam Miniſtri Generalis & univerſi Ordinis tantùm annullat obligationes ſub culpa mortali ac cenſuris oriundas ex ſtatutis hactenus factis, etiam Papalibus: de faciendis tamen de novo, ſive à Papa ſive à Capitulo, non agit: multò minùs derogat ſtatutis obligantibus ad culpam venialem, aut pœnam temporalem, immo poſtremum expreſsè concedit.

Sixtus IV. non ademit Ordini Minorum facultatem condendi ſtatuta ad culpam etiã gravem obligantia,

Vide *Rodrigues Tom. 1. qq. reg. quæſt. 10. art. 8.* Adde quòd Pius V. (ut refert *Portel V. Statutum*, in Addit.) concedens, *ut per quacumque ſtatuta, etiam Apoſtolica non ligarentur Fratres ad aliquas Cenſuras ſeu pœnas Eccleſiaſticas, vel ad peccatum mortale, ſed tantùm ad pœnas ſeu pœnitentias per Prælatos injungendas*, excipiat: *Dummodo non ſit contemptus, vel mandatum non ſit impoſitum ſub pœna excommunicationis, vel in virtute S. Obedientiæ.*

Quæ facultas magis ſtabilitur.

Quod etiam ferè faciunt Statuta Toletana à Sede Apoſtolica approbata. Et inde à tempore Xiſti IV. continuus Religionis uſus idem confirmat. Denique Societati Jeſu conceſſit Papa privilegium ad quaſlibet conſtitutiones faciendas,

quas viderint eſſe utiles bono communi, ut refert *Suarez Tom. 4. de Relig. l. 2. de Ingreſſu in Societ. c. 2.* Cui privilegio nos communicamus.

Nihilominus cautè obſervanda eſt cuivis legiſlatori parcitas in ſtatutis ſive legibus condendis: nam nimia multiplicitas parit contemptum, ac nimiùm aggravat onus ſubditorum, tum in cognoſcendis, tum in ſervandis adamuſſim obligationibus. Deinde corruptiſſimæ reipublicæ indicium, plurimæ leges: ſat multa, ſat bene conſtituta ſunt, ſi ſat bene obſervari curentur, ut ait *Zypæus l. 3. Analyſis Jur. Pontif. Tit. De his quæ fiunt à Prælatis.*

QUÆSTIO V.

Quomodo poteſtas legiſlativa civilis diſtinguatur ab Eccleſiaſtica?

58. *Poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica eſt ordinis ſupernaturalis:*

RESP. Duplex potiſſimùm inter eas diſcrimen reperiri. Primum eſt, quòd poteſtas Eccleſiaſtica ſit ordinis ſupernaturalis, utpote inſtituta ab Auctore gratiæ, & reſpiciēs finem & media ſupernaturalia, juxta illud *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum.* Quàmvis autem etiam multa præcipiat, quæ in ſubſtantia ſunt ordinis naturalis, hoc tantùm facit, ut per illa meliùs conſiſtat ordo miniſtrorum Eccleſiæ, qui ſacrificia offerre & Sacramenta miniſtrare debent, ac ut populus in viam ſalutis meliùs dirigatur.

Civilis verò tota eſt ordinis naturalis.

At poteſtas civilis eſt tota ordinis naturalis, ſpectatque ſolùm politicam felicitatem, nec per ſe ſpiritualem felicitatem intendit; quamquam iſta poſſit eſſe finis extrinſecus per accidens à legiſlatore intentus: ejuſdem enim rationis eſt nunc iſta poteſtas, ac in ſtatu puræ naturæ: unde ſicut tunc, ita & nunc eſt ordinis naturalis. Quòd ſi quandoque Principes ſæculares Hæreticos puniant, aut alia vitia Religioni contraria corrigant & extirpent, v. g. blaſphemias, ritus Judaicos &c. hoc fit, ſive ex conceſſione Eccleſiaſticæ poteſtatis, & quaſi per tacitam vel expreſſam invocationem Eccleſiæ poſtulantis auxilium brachii ſæcularis, ſive quatenus iſta perturbant pacem & politicam Reipublicæ felicitatem. Unde Leges Juſtiniani quæ Religionem concernunt, vel non ſunt propriè leges, vel factæ ſunt ex conceſſione Eccleſiæ, vel potiùs ſunt ex ejuſdem acceptatione canonizatæ.

59. *Eccleſiaſtica eſt civili excellentior, eamq; ſibi ſubordinat,*

Secundum diſcrimē conſiſtit in eo, quòd poteſtas Eccleſiaſtica ſit excellentior civili, quantò ſpiritualia præſtant temporalibus, ſupernaturalia naturalibus: Quòdque illa civilem poteſtatem ſibi ſubordinet indirectè: nam hæ poteſtates debent ſubordinari inter ſe, ſicut ſubordinantur earum fines: cùm juxta Philoſophum 1. *Ethic.* 1. & lumen naturæ, artes & facultates ſubordinentur juxta ſubordinationem finium. Deinde cùm corpus Eccleſiæ ex civili & Eccleſiaſtico ſtatu exurgat, unitas illius requirit, ut ſit unum aliquod Caput, ad quod cetera revocentur; cùmque inordinatum foret illud eſſe Principem ſæcularem, ne poteſtas inferior dominetur ſuperiori & excellentiori, dicendum eſt eſſe Superiorem Eccleſiaſticum. De quo pulchrè Bonifacius VIII. *Extrav. Unam ſanctam, de Majorit. & Obed.*

Idem demonſtrat continua praxis Eccleſiæ corrigentis & reprobātis leges civiles peccatis faventes, aut libertati Eccleſiaſticæ contrarias; ut patet in legibus quæ favebant uſuris, aut permittebant præſcriptionem malæ fidei. Hâc poteſtate Eccleſia ſubinde uſque ad exauctorationem ſeu depoſitionem à regno vel imperio proceſſit: ut patet ex Concilio Lugdunēſi ſub Innocentio IV. qui ſacro approbante Concilio Fredericum II. imperio privavit. Et olim S. Gregorius præceperat ſervari privilegia cōceſſa Monaſterio S. Medardi, ut ea infringentes, etiam Reges, honore privandos decerneret; ut patet *l. 12. Epiſt. 32.* Eâdem auctoritate Leo III. imperium Occidentis in Carolum Magnum tranſtulit, bono Eccleſiæ id exigente, eò quòd Imperatores in Oriente Eccleſiæ, utì par erat, ſuccurrere, non poſſent. Inſtituit autem ſacratius imperium per unctionem ſacram, ſtatuens Imperatorem Romanæ Eccleſiæ defenſorem. Plura exempla vide apud *Bellarminum l. 5. de Pontif. c. 8.* & *Azorium 1. p. l. 5. c. 20. & 21.* Et *Zypæum l. 1. de Juriſdict. Eccleſ. & Civili cap. 2.*

Obſerva tamen hanc ſubordinationem nō eſſe niſi indirectam: aliam enim bonum Eccleſiæ non poſtulat, nec conceſſio divina oſtendit, quin potiùs directa Papæ in temporalibus ſuper omnes Reges poteſtas, per quam ſimili Principum poteſtati derogaretur, non fuiſſet conveniens propagandæ legi Chriſti, de quo canitur: *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.* Contrarium etiam innuitur *c. Inter hæc 33. q. 2.* ubi Nicolaus Papa ait: *Sancta Dei Eccleſia gladium non habet, niſi ſpiritualem*; ſcilicet indirectè. Unde quàmvis ſupremam in temporalibus poteſtatem habeat Papa in quibuſdam terris, ei velut Principi temporali ſubjectis, in iiſque poſſit directè condere leges civiles: in aliis tamen locis in temporalia non habet poteſtatem, niſi indirectam, quæ à poteſtate ſpirituali eſt indiſtincta, quatenus hæc ſe extendit ad omnia bono Eccleſiæ & ſpirituali neceſſaria, aut valde convenientia; inter quæ veniunt ea, quæ ſuprà exemplificavimus. Hanc indirectam poteſtatem ſignificat Bonifacius VIII. *Extrav. Unam ſanctam, de Majorit. & Obed.* dicens: *Si deviat terrena poteſtas, judicabitur à poteſtate ſpirituali: ſed ſi*

60. *Sed indirectè ſolùm.*

ſed ſi deviat ſpiritualis, minor à ſuo Superiori: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit judicari. Nihilominùs cùm juxta rationabilem & à Deo inſtitutum ordinem oporteret gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati, temporalis poteſtas ſubjici interdum renuens, ſed præcellere geſtiens, gladio ſuo contra Eccleſiam & Eccleſiaſticæ libertatis aſſertores nonnumquam abutitur, gravi Eccleſiæ præjudicio, nec ſine ſpirituali pernicie ipſorum perſequẽtium. Solicitè proinde cavendum, ut debitâ ſubordinatione ſuppoſitâ, de cetero jura cuique poteſtati ſarta tecta ſerventur: *Quia* (ut optimè dixit *Ivo Carnotenſis Epiſt.* 238. ad Paſchalem Papam) *cùm Regnum & Sacerdotium inter ſe conveniunt, bene regitur mundus, floret & fructificat Eccleſia: cùm verò inter ſe diſcordant, non tantùm parva res non creſcunt, ſed etiam magna res miſerabiliter dilabuntur.*

Quod etiā competit poteſtati Epiſcoporum quoad ſuas diœceſes per ſe loquendo. Ex dictis patet, quòd ſicut Pontifex pro tota Eccleſia, ſic etiam Epiſcopi pro ſua diœceſi, exigente id bono Eccleſiæ, habeant poteſtatem indirectam in leges civiles, & Superiores temporales, niſi aliqui Principes Papali privilegio fuerint ab Epiſcoporum juriſdictione exempti. Unde videmus varios Martyres, nominatim S. Thomam Cantuarienſem pro hac veritate Martyrium ſubiiſſe.

QUÆSTIO VI.

An Conſuetudo poſſit inducere Legem?

61. *Conſuetudo alia facti, alia juris.* CONSUETUDO propriè dicta, quæ facti vocatur, communiter deſcribitur: Frequentia liberè operandi vel omittendi eodem modo. De hac quæritur, an per eam poſſit introduci jus non ſcriptum ſeu conſuetudinarium, quod Conſuetudo juris dicitur; de qua intelligitur commune dictum: *Conſuetudo habet vim Legis.* Deſcribitur *L. De quibus ff. de Legibus: Jus moribus conſtitutum.* His præmiſſis, ad quæſtionem

62. *Conſuetudo facti inducit jus.* Reſpondeo Affirm. Eſt communi ſenſu & uſu Gentium receptum, exprimiturque c. *Conſuetudo diſt.* 1. c. *In his diſt.* 11. Et in Jure Civili, *L. De quibus, cit. & ſeqq.* & c. *Quæ ſit longa Conſuetudo.* Ratio eſt: quia in Conſuetudine poſſunt concurrere omnia quæ requiruntur ad ferendam legem: poteſt enim Conſuetudo verſari circa materiam honeſtam ac utilem bono communi, ſimulque poteſt concurrere legitima poteſtas ac voluntas illius qui poteſtatem habet. Quod primum manifeſtum eſt in communitate libera, quando ipſa intendit per Cõſuetudinem jus inducere, ſi major pars, tum magiſtratûs, tum populi, in conſuetudinis obſervatione concurrat. In ceteris verò ad voluntatem populi aut majoris illius partis accedit conſenſus Principis cõſuetudinem approbantis, quam ſuam approbationem, vel indiciis quibuſdam demonſtrat, vel ipſo jure manifeſtat.

Dixi, *Majoris partis populi*: Nam in perſona ficta (qualis eſt Reſpublica) conſenſus majoris partis cenſetur regulariter totius corporis *L. Quòd major ff. Ad municipalem*; & conſtat in electionibus, & ſimilibus actibus. Unde *refertur ad univerſos, quod publicè fit per majorem partem, L.* 160. *ff. de Regulis juris.* Quare non ſufficit Conſuetudinem frequentari à minore parte populi, ut patet ex oppoſito fundamento. Similiter non ſufficit Conſuetudo communitatis imperfectæ, quæ ſicut non eſt capax legis ſcriptæ, ſic nec conſuetudinariæ. 63. *Frequentata à majori parte communitatis perfectæ.*

Nota autem, quàmvis vis obligativa Conſuetudinis potiſſimùm fundetur in voluntate illius qui poteſtatem habet ferendi leges; nihilominus valde attendendum eſſe ad populi ſenſum & intentionem, cui nimirum legiſlator cenſetur ſe hac in re accommodare. Unde requiritur, ut actibus liberis publicè exercitis, etiam non judicialibus (ut contra nonnullos Juriſperitos habet communis & vera ſententia, quam bene tradit *Zoeſius l.* 1. *Digeſt. Tit.* 3. *§. de Conſuetud. num.* 10. *&* 11.) populus frequentarit Conſuetudinem, & quidem ex tacita ſaltem voluntate introducendi obligationem, aut licèt ex devotione fuerit inchoata, continuandi ſaltem eam tamquam obligantem. Quòd ſi hæc tacita tantùm voluntas non adſit, nulla umquam introducetur lex; ut patet in Conſuetudine accipiendi aquam luſtralem in ingreſſu Eccleſiæ, ſalutandi Deiparam ad certum pulſum campanæ, ſumendi cinerem benedictum die primo Quadrageſimæ, jejunandi in profeſtis D. Virginis, profeſto Aſſumptionis excepto, quo obligat lex Eccleſiaſtica jejunii: Denique in Conſuetudine, quæ apud pleroſque in Ordine noſtro Seraphico viget, legendi quotidie Officium parvum B. Virginis, & ſimilibus: quæ per ſe loquendo non obligant etiam ad veniale peccatum. Quòd ſi Conſuetudo recipiatur ſub veniali, ſolùm obligabit ſub veniali. Sub actibus autem quibus Conſuetudo frequentatur comprehendi poſſunt liberæ omiſſiones ſeu non uſus, cùm datur poteſtas & opportunitas. 64. *Per actus etiam extrajudiciales, Animo inducendi jus,*

Sed quæſtio moveri poſſet de Conſuetudine, de qua dubitatur, an introducta vel frequentata ſit animo obligandi. Reſp. in dubio præſumendum eſſe, non fuiſſe animum obligãdi: quia nemo præſumitur velle ſibi onus imponere, niſi de eo ſufficienter conſtet, re ſcilicet examinatâ, vel niſi indiciis moraliter certis aliud colligatur. 65. *Qui in dubio non eſt præſumendus.*

Indicia verò ad judicandum pro obligatione

Et ex indiciis hic poſitis colligi ſolet.

gatione Conſuetudinis certa difficile eſt aſſignare, ſed morali judicio id ēſt æſtimandum. Ad quod judicium prudenter formandum deſervire poſſunt ſequentia. Primò, ſi Conſuetudo ſit difficilis & de re gravi, communiterque à populo ſervata. Deinde, ſi Superiores eam obligare ſupponāt, & tranſgreſſores puniant. Tertiò, ſi prudentes & timorati malè ſentiant de non ſervantibus Conſuetudinem. Denique ſi obligatio Cōſuetudinis bono publico multùm conducat.

66. *Numerus actuum quis ſufficiat,*

Quod ad numerum actuum attinet, quibus Conſuetudo juris introducitur, is non eſt determinatus, ſed æſtimandus Prudentis judicio, & quoad forum externum Judicis arbitrio. In genere autem ille numerus requiritur & ſufficit, qui ſatìs eſt ad declarandam voluntatem & conſenſum populi in obligationem, modò debitū tempus, & cetera requiſita adſint. Cùm autem Conſuetudo ſit facti, non præſumitur, niſi probetur; adeòque probanda eſt ab eo, qui illam allegat, ex communi regulâ, quâ alleganti incumbit onus probandi; idque in judicio per duos ſaltem teſtes fide dignos, qui deponant de uſu & frequentiâ actuum.

Conſuetudo debet probari, & quomodo,

Non ſufficeret tamen in judicio contradictorio, aſſertio unius Doctoris; cùm etſi peritis in ſua arte credendum ſit, tamen unicus teſtis non ſatìs probet, præſertim in iis quæ facti ſunt, quæ prudentiſſimos quoſque fallunt. Quàmvis aliquibus oppoſita *Bartoli* & aliorum opinio probetur in caſu, quo nulli contradicunt, vel dictum unius gravibus nititur conjecturis, ut refert *Zoeſius lib.* 1. *Dig. Tit.* 3. §. *de Conſuetudine n.* 21. Nihilominus hodie in Curiis laicis, harum præſertim Provinciarum, ferè videmus, Conſuetudinem probari nō paucioribus quàm decem teſtibus, per turbam, ut loquuntur Pragmatici, auditis, id eſt, non ſingulis ſeorſim examinatis, ſed ſimul omnibus, uno aliquo ipſorum referente; ut habet *Valerius Andreas in Synopſi Juris Can. lib.* 1. *Tit.* 4. poſt *Zoeſium ſup. num.* 20. Conſuetudo tamen in ſcriptis redacta publicâ auctoritate (idem eſt de notoriâ, ut nullâ videlicet poſſit tergiverſatione celari) non indiget aliâ probatione; cùm ejuſmodi ſcriptura ponat perfectam probationem. Ideoque Principes Belgii in Edicto dato An. 1611. a. 1. prudenter mandarunt, omnes toto Belgio conſuetudines, quæ à Principibus probatæ non eſſent, ſcripto conſignatas ad ſuprema conſilia deferri examinandas, & porrò emologandas, ac deinceps populo ſervandas privatim, atque in judiciis, ſine teſtium probationumque ſumptu.

Notoria tamen, aut legitimè in ſcriptis redacta nō aliâ indiget probatione,

67. *Ad conſuetudinē præſcriptam requiritur decennium, & ſufficit,*

Petes, quantum temporis requiratur, ut Conſuetudo inducat legem. Reſp. I. ut viâ quaſi præſcriptionis id fiat, requiri decennium, ſive ſit in materia civili ſive eccleſiaſticâ, idque ſive Princeps ſit abſens ſive non. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia jura requirunt tantùm diuturnam ſeu longam conſuetudinem, ut patet ex *L.* 33. *&* 35. *ff. de Legibus* & alibi. Tempus autem longævum eſſe decennium, exprimitur *Inſtitut. De Uſucapionibus* §. 1. & *l. fin. C. de Præſcriptione longi temporis.* Quod etiam in materia canonica locum habet; cùm in iis, quæ non ſunt contra jus, non requiratur amplius tempus ad præſcriptionem Jure canonico, quàm civili. Unde & ipſa Eccleſia, contra quam alioquin non tam citò præſcribitur, ſpatio decennii præſcribit non minùs, quàm quilibet privatus.

68. *Etiamſi Princeps ſit abſens,*

Quàmvis autem Jus ad præſcriptionem bonorum requirat majus tempus inter abſentes, quàm præſentes: tamen iſtam differentiam non eſſe ad præſentem materiam applicandam, tradit Communis Sententia, quæ uſu quoque eſt recepta. Unde etiam Conſuetudo ſic cenſetur jus interpretari, ut ſolùm decennium requiratur. Fundamentum eſſe poteſt, quòd ipſe populus inducens Conſuetudinem ſit præſens & conſentiens; ipſe quoque legiſlator, etſi abſens, non cenſeatur involuntarius, cum non patiatur præjudicium, ſed fiat ex ejus voluntate per jus commune explicatâ, etſi in particulari Cōſuetudinem ignoret. In præſcriptione autem aliarum rerum dominus abſens patitur præjudicium, ſoletque eſſe involuntarius: ideoque Jus cenſuit eum non eſſe re ſuâ privandum, niſi longioris temporis negligentia intervenerit.

69. *Dum tamen ſit non interrupta,*

Requiritur verò Conſuetudo non interrupta ad hoc, ut viâ Præſcriptionis lex inducatur, quemadmodum etiam ut abrogetur; ideoque ſignanter c. *Fin. de Conſuetudine* dicitur, eam *non debere juri poſitivo præjudiciū generare, niſi fuerit legitimè præſcripta.* Legitima autem præſcriptio (ut notant Doctores) continuitatem poſtulat. Unde ſi quandoque Conſuetudo per actus contrarios interrumpatur, debet rurſus de novo præſcriptio inchoari contra legem; utì & præſcriptio contra bona proximi.

Ut conſuetudo viâ tacitæ approbationis perſonalis faciat jus, minus tempus requiritur.

Reſp. II. Ut viâ conniventiæ ſeu tacitæ approbationis perſonalis Principis Conſuetudo inducat legem, poteſt tempus decennio brevius ſufficere. Quod tamen certò generaliter definiri nequit, ſed æſtimandum eſt ex diverſis conjecturis & circumſtātiis, tum ſcientiæ Principis, tum materiæ Conſuetudinis. Unde prudēti judicio relinquitur, quandonam ex illis voluntas Principis ſufficienter conſtare cenſeatur. Ex dictis

70. *Itaque debet eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta, aut perſonaliter à Principe probata,*

Colligitur I. quaſnam conditiones conſuetudo habere debeat ad hoc ut introducat legem: debet enim actibus liberis publicè exercitis à majori parte populi frequētari animo obligatorio per decennium abſque interruptione, ſi conſenſus Principis ſit tantùm legalis, ſeu jure declaratus; aut etiam tempore minori prudenter judicando, ſi conſenſus Principis ſit perſonalis ta-

lis tacitè Conſuetudinem approbantis. Ac denique debet ipſa Conſuetudo eſſe rationabilis:ſicut enim lex ſcripta,ſic & conſuetudinaria debet eſſe prudens & rationabilis, ut ſit valida.

Vocatur autem Conſuetudo rationabilis in ordine ad inducendam legem, quæ juſta cenſeretur, & obligaret,ſi per legem expreſſam ſtatueretur. Unde requiritur quòd non ſit contra jus divinum aut naturale,ut patet. Nec tamen id ſufficit:multa enim non ſunt expreſsè contra aliquod jus divinum aut naturale, quæ tamen non ſunt rationabilia ad hoc ut lege ſtatuerentur, ſive quia minùs decent humanos mores, ſive quia inducunt peccati periculum, ſive quia non proſunt bono communi, ſive etiam quia nimis ardua ſunt nec humanæ fragilitati accōmodata. Unde quàmvis Conſuetudo facti, quæ eſſet in aliquo populo, audiendi quotidiè ſacrum, foret honeſtiſſima, imprudenter tamen frequentaretur animo inducendi generale, etiam pro ſæcularibus, jus,adeòque eatenus foret irrationabilis; cùm talis obligatio nimis ardua videatur pro laica communitate.

Colligitur II.Conſuetudinem poſſe obtinere vim legis, non tantùm obligantis ad culpam, ſed etiam ſimul ad pœnam, vel etiam ad ſolam pœnam; item habere vim legis irritantis, inhabilitantis &c. patet,applicando ea quæ de Conſuetudine in generali diximus.

71. *Conſuetudo dupliciter interpretatur legem.*

Colligitur III.Conſuetudinem quoque habere vim interpretandi legem. Quod etiam patet ex c.*Cùm dilectus, de Conſuetudine*.Et *l.*37.*ff.de Legibus*,ubì dicitur *Conſuetudo eſſe optima legum interpres*. Id autem facit dupliciter.

Primò, quatenus eſt ſignum veri ſenſûs legis, & intentionis legiſlatoris, quæ ex modo & conſuetudine legem ſervandi colligitur tamquam ex probabili aut moraliter certo argumento, niſi aliundè contrarium conſtet. Quod argumentum tanti ſit, ut frequenter Doctores dicant legem eſſe exponendam juxta conſuetudinem loci,etſi oporteret verba legis minùs propriè exponere.

Secundò, & præcipuè ad ſenſum præſentis loci & Doctorum, habet Conſuetudo vim interpretandi legem concurrendo ad introducendum vel ſtabiliendum ſenſum legis, modumque obſervandi & obligationis, quantumvis ſubinde minùs convenientem cum prima mente legiſlatoris. Ratio eſt:quia ipſa poteſt ſortiri vim legis, aut legem abrogare; ergo etiā poteſt aliter interpretari. Unde licèt ex verbis aut materia legis foret dubium an lex graviter obligaret, ideoque per ſe loquendo eſſet benigniùs interpretanda; deberet tamen cenſeri obligare graviter, ſi ita ſit Conſuetudine recepta.

Nota verò quòd Conſuetudo nequeat poſteriori modo interpretari legem naturalem aut divinam, illius ſenſum alterando ſive obligationem augendo vel minuendo: bene tamen priori modo explicando mentem legiſlatoris, & indicando quo pacto lex ſit accipienda. Eſt autem certa interpres, quando univerſalis Eccleſiæ Traditione, aut ſummi Pontificis approbatione roboratur.

QUÆSTIO VII.

Quæ ſit materia Legis humanæ?

SUPPONO quæſtionem intelligi de materia, circa quam Lex humana verſatur, ſeu quæ per legem humanam præcipitur vel prohibetur.Hoc ſuppoſito 72.

Materia circa quam legis humanæ eſt actio libera.

DICO I. Lex humana, præcipit actionem humanam,id eſt, factam ſcienter & liberè: Lex enim eſt regula actionum humanarum.Unde ſicut is qui uſu rationis & libertatis caret lege non obligatur,ſic nec lex alium quàm rationis & libertatis uſum præcipit aut vetat.

Non mala.

DICO II. Lex humana non poteſt præcipere actionem malam. Eſt certum. Ratio eſt: quia talis lex eſſet contra primum principium morale: *Declina à malo.* Deinde nemo poteſt obligari ad peccandum; quod tamen neceſſariò fieret, cùm illud, ad quod lex humana ſupponeretur obligare, ſit ex altiori lege vetitum, cui poteſtas inferior nequit præjudicare, juxta illud *Act.*5. *Obedire oportet Deo magìs quàm hominibus.*

Unde conſtat impiiſſimum *Machiavellum* & *Politicos* hujus temporis exiſtimantes ob bonum commune politicum poſſe à Principibus mala præcipi, & contraria veræ Religioni præcepta ferri, hæreticos vel (quod veroſimilius eſt) atheos eſſe. Falſum certè eſt, regnum temporale non poſſe ſtabiliri, ſi adamuſſim honeſtatis ac Legis divinæ regula obſervetur:quid enim magìs bonum commune requirit? aut quid è contrà magìs illi obſiſtit, quàm malè agendi neceſſitas? Quàmvis ſubinde humana poteſtas minora quædam mala permittere debeat, ut majora mala vitentur. Integritas tamen Fidei & Religionis adeò non obeſt bono communi, ut Fide & pietate regna potiùs ſtabiliantur, etiam temporaliter, ut ex Hiſtoriis & experientiâ diſcimus.De quo argumento copioſè *Thomas Boſius de Signis Eccleſiæ*, præſertim *lib.* 2. *& ſeq.* & *Bellarm. lib.*4. *de Notis Eccleſiæ c.*17.*&* 18.

Etſi malam interdum lex permittat.

73. *Verſatur circa actus ſeclusâ lege indifferentes.*

DICO III. Lex humana poteſt præcipere vel vetare actiones ex natura ſua indifferentes. Patet ex uſu & praxi. Ratio eſt: quia poſſunt ejuſmodi actiones eſſe utiles bono communi, adeòque præcipi. Item poteſt expedire bono communi eorumdem omiſſio,adeoque poſſunt vetari.

Atque etiā circa actus virtutum. Dico IV. Lex humana poteſt per ſe loquendo præcipere actus omnium virtutum naturalium, & oppoſitos prohibere: quàmvis non poſſit omnes actus omnium virtutum naturalium præcipere, nec omnes oppoſitos prohibere.

Non tamen ſupernaturalium, per ſe & vi ſuâ. Dixi *virtutum naturalium*: quia poteſtas purè humana non poteſt per ſe ſpectata diſponere de actibus virtutum ſupernaturalium; per accidens tamen ex commiſſione Chriſti Eccleſia diſponit varia circa illos, ſaltem indirectè.

Ratio primæ partis eſt: quia omnium virtutum aliqui actus poſſunt conducere ad bonum commune, & vitia oppoſita eidem bono adverſari; Lex autem humana poteſt in omne illud per ſe loquendo, quod conducit ad bonum commune externum.

Dixi *per ſe loquendo*: quia poteſtas humana potuit circa aliquam materiam limitari. Sic impedimenta dirimentia matrimonium, quàmvis per ſe poſſent ſtatui à Principe ſæculari, quatenus matrimonium eſt quidam contractus civilis, eorum tamen conſtitutio (ut docet praxis Eccleſiæ) eſt reſervata ſoli Eccleſiæ, in qua matrimonium ſimul obtinet rationem Sacramenti.

74. *Nec circa omnes cujuſvis virtutis naturalis actus, ſive disjunctivè,* Secunda pars Concluſionis intelligitur dupliciter. Primò ut ſenſus ſit, eſſe aliquos particulares virtutum actus, quos poteſtas humana non poteſt præcipere, & aliquos actus oppoſitos quos non poteſt prohibere. Quo ſenſu probatur: quia aliqui actus ſunt merè interni, quos proinde non poteſt humana poteſtas præcipere vel prohibere, ut mox dicetur. Similiter opera ardua conſiliorum, v. g. paupertatem, abſtinentiam vel caſtitatem perpetuam &c. non poteſt populo Chriſtiano Eccleſia præcipere; nec matrimonium, uſum moderatum divitiarum, ſimileſque actus oppoſitos prohibere: quamquam ſimilia poſſint alicui ſtatui eſſe ex præcepto aut voto annexa; quemadmodum ſtatui ſacerdotali Eccleſia annexuit continentiam, ſimiliaque conſilia ſint ſtatui religioſo intrinſeca, ad quæ proinde obligari incipit, qui ſtatum illum voluntariè aſſumit, aut Religioni per votum ſpontaneum incorporatur.

75. *Sive etiam collectivè,* Aliter intelligi poteſt ſecunda pars Concluſionis, ut ſenſum habeat collectivum, nempe quòd poteſtas humana non poſſit ſimul præcipere omnes omnium virtutum actus, & prohibere omnes actus oppoſitos. Et hic ſenſus infertur ex præcedenti: ſi enim non poſſit omnes actus in particulari præcipere vel prohibere, multò minùs omnes ſimul ſumptos. Quod inſuper Confirmatur: quia ſuperaret fragilitatem humanam, ſi de omnibus virtutum naturalium actibus ferrentur leges, & quælibet vitia oppoſita pœnis & minis cohiberentur per humanam poteſtatem. Immo hoc potiùs eſſet boni communis deſtructivum: nam ut dicitur *Proverb.* 30. *Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

Poteſtas tamen Eccleſiaſtica plus hac in re poteſt quàm civilis; cùm non tantùm externam & temporalem quietem reſpiciat, ſed finis illius ſit, dirigere hominem ad ſalutem ſupernaturalem: in ordine ad quem poteſt quodammodò omnes notoriè mortaliter peccantes corripere & ad pœnitentiam inducere, contumaceſque in peccatis per pœnas Eccleſiaſticas coercere, ut habetur c. *Novit, de Judiciis.* Debet tamen etiam Eccleſia moderationem adhibere: neque enim foret infirmitati conſonum, ſi Eccleſia in ſingula peccata etiam mortalia & externa leges ferret, ac tranſgreſſoribus cenſuras intentaret; quin immo tanta legum & cenſurarum multiplicitas eſſet magna occaſio earumdem tranſgreſſionis & contemptûs. *Prævalet tamen quoad hoc poteſtas Eccleſiaſtica.*

Dico V. Lex humana ſub propria ratione legis non reſpicit niſi actus futuros. Ratio eſt: quia ſicut fruſtrà datur conſilium pro illis quæ jam præterierunt aut fiunt, & non ſunt ampliùs in noſtra poteſtate, ſic etiam fruſtrà pro illis datur præceptum aut lex. Deinde lex eſt regula actionum humanarum, adeòque debet illis præſupponi: non enim poteſt ſe homo dirigere juxta regulam, quæ necdum ſupponitur. 76. *Lex humana quà lex reſpicit futura.*

Dixi *ſub propria ratione legis*: quia benè poteſt Superior per legem, quatenus habet rationem ſententiæ, diſponere aliquid circa præterita, ea puniendo vel irritando: ſicut hoc poteſt ſine lege per ſententiam, quam vocant, ab homine. Et ſic intelligenda ſunt jura, *c.* 2. *& c. fin. de Conſtit.* & *L. Leges C. de Legibus.* *Quà ſententia etiam præterita.*

Dico VI. Quamquam lex humana præcipiat actum, qui ex objecto & ſpecie, ſaltem ſuppoſitâ lege, eſt honeſtus; non præcipit tamē, ut exerceatur ex motivo honeſtatis: ſimiliter nec ut exerceatur ex ſcientia præcepti aut voluntate illud adimplendi. 77. *Præcipit actum ſaltem lege ſuppoſitâ honeſtum,*

Dixi *ſaltem ſuppoſitâ lege eſt honeſtus*, ob actus ex natura indifferentes ſepoſitâ lege, per quam tamen conſtituuntur materia neceſſaria virtutis, ita ut oppoſiti actus ſint vitioſi & inhoneſti.

Probatur Concluſio: quia ex tenore legum non aliud habetur, quàm quòd mandent voluntariè poni ſubſtantiam actûs præcepti; non autem quòd actus fiat ex intentione honeſtatis, notitiâ præcepti, aut voluntate adimplendi. *Non tamen ut ex motivo honeſto aut obedientia, vel notitiâ legis fiat.*

Nec refert, quòd finis legiſlatoris ſit facere homines bonos: hoc enim non eſt objectum in quod lex cadit; cùm lex præcipiat tantùm materiam, non verò finem. Unde etſi finis jejunii ſit reconciliatio hominis cum Deo, & ſubiectio carnis ad ſpiri- 78. *Finis legiſlatoris non cadit ſub legem.*

ſpiritum, poteſt tamen ſatisfieri præcepto jejunii, licèt hic finis non obtineatur.

Non refert etiam, quòd lex humana præcipiat actum virtutis: præcipit enim quidem actum ex objecto virtuoſum, non tamen ut fiat virtuosè. Immo fortè hoc præcipere non poteſt; cùm id dependeat à ſolo interiori affectu.

79. *Satisfacit præcepto attentè audiens v.g. Miſſam pravo fine,*

Hinc ſequitur I. Eum qui vadit auditum ſacrum ex motivo indifferenti aut etiam libidinoſo, item qui jejunat ob vanam gloriam, aut intemperanter prandet in die jejunii &c. ſatisfacere præcepto Eccleſiæ; quia ponit actum lege præceptum, & abſtinet ab iis, quæ lex Eccleſiaſtica præcisè vetat.

Aut neſciens eſſe diem feſtum,

Sequitur II. Eum qui attentè ex devotione audit ſacrum in die Feſto neſciens eſſe feſtum, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, nec teneri poſtea audire aliud ſacrum, quando intelligit vel recordatur eſſe diem feſtum. Neque de hoc videtur eſſe dubium, quando ſaltem adeſt implicita ſeu confuſa intentio ſatisfaciendi obligationi ſi quæ adſit, prout moraliter cenſetur habere quilibet homo prudens in ſuis religioſis & honeſtis actionibus: immo etſi talis intentio etiam implicita abeſſet; ut ex ſeq. Corollario patebit. Quod multò certius eſt in legibus negativis, quæ non exigunt aliquid fieri ad hoc ut non violentur, ſed ſolùm violantur, dum voluntariè ponitur actus legi repugnans. Unde non violaret legem jejunii, qui totâ die dormiret, adeòque non comederet. Item talis non violaret legem prohibentem noctu ferri arma.

80. *Aut non intendens ſatisfacere legi cognitæ, quin potiùs intendens per actum illum non ſatisfacere.*

Sequitur III. Eum qui habet notitiam legis, ei ſatisfacere, etſi hoc non intendat: immo, juxta plurimos Doctores contra Nonnullos, etſi ſatisfacere nolit. V.g. implet præceptum legendi horas, qui illas in choro legit, etſi per illam lectionem non intendat ſatisfacere, ſed proponat illas ſecundò legere. Similiter qui ſacrum die feſto audivit, etſi intendat per aliud ſacrum poſtea audiēdum præcepto Eccleſiæ ſatisfacere. Unde poteſt talis mutatâ poſtea voluntate in prima lectione horarum & auditione ſacri conquieſcere. Non quòd requiratur, ut poſitivè & expreſsè priorem voluntatem revocet, referendo priorem actum ad legis impletionem (quàmvis hoc ſecuriſſimum ſit) quia voluntas illa non fuit mala, ſed bona, & inſuper fuit lex verè impleta; & ſi per actum priorem impleta non fuiſſet, non poſſet intentio poſtea ſuperveniens facere illū impletivum legis: ſed ſufficit, quòd deſiſtat ab animo non implendi legem per priorem actum: alioquin enim ſi in tali animo perſiſteret, & poſtea tempore habili aliud v.g. ſacrum audire nollet, inciperet habere voluntatem non obediendi Eccleſiæ. Ratio Corollarii eſt: quia lex præcipiens aliquem actum, ſolùm præcipit eum humano modo poni in ſpecie præcepta; quod hic fit.

Dices I. Hoc caſu non ponitur actus ut præceptus, nec tale opus cenſeri poteſt obedientia legis, ſi adſit abſoluta voluntas non obediendi. Reſp. tantùm præcipi actum materialem obedientiæ: ideoque non oportet actum poni ut præceptum, aut ex motivo obedientiæ, ſed ſufficit, quòd re ipsâ obediatur. Confirmatur: quia iſta intentio, cùm ſit merè interna, non videtur cadere ſub poteſtatem humanam, juxta *ſeq. quæſt.* dicenda. 81. *Lex ſolùm obligat ad actum materialem obedientiæ, quem præfatus ponit.*

Dices II. Nemo poteſt legi ſatisfacere, niſi volens. Confirmatur: quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Reſp. Diſt. Aſſ. nemo poteſt legi ſatisfacere, niſi volens ponat actum lege præſcriptum, Concedo: niſi volens, id eſt, intendens per opus ſic poſitum ſatisfacere, Nego. Neque enim hoc eſt in poteſtate privati, qui ſicut legem ſibi non imponit, ſic nec poteſt ab aliis impoſitam latiùs extendere, ſeu efficere, ut ad plura obliget, quàm initio obligabat. Unde non habet in ſua poteſtate, quòd legem non impleat, quando ponit actum illius impletivum; voluntaſque contraria eſt inefficax. Hinc aliter reſponderi poſſet, talem velle ſatisfacere legi in actu exercito, etſi non in actu ſignato. Ad Confirmationem dico, actus agentium non operari ultra intentionem eorum in his quæ ab intentione agentium pendent: quo pacto non dependet ab illa impletio legis, quando voluntariè ponitur actus legis impletivus. *Quo ſenſu volens ſatisfaciat legi.*

Dices III. Qui titulo juſtitiæ debet alteri centum, poteſt alteri gratuitò donare centum, relinquendo in ſe antiquum debitum; ergo ſimiliter qui ex lege debet audire v. g. ſacrum, non ſatisfacit audiendo ſacrum ex liberali voluntate. Reſp. Neg. Seq. quia debitor præfatus non ſatisfacit debito: cùm ex hoc non debeatur gratuita donatio, ſed ſolutio; quam non facit, ut ſupponitur, & pendet à voluntate debitoris, qui cùm non debeat determinare hos individuos centum florenos, poteſt iſtos liberaliter donare, prorogato debito priori per propriam voluntatem; utì per hanc ab initio fuerat contractum. At debitum ex lege non reſpicit perſonam, cui fiat ſolutio; ſed eſt ſimplex obligatio faciendi actum lege præceptum, independenter ab hac vel illa intentione. 82. *Aliud eſt de ſolutione debiti ex juſtitia.*

Si verò quæratur, quid ſit dicendum de Voto vel Pœnitentia ſacramentali, an ſatisfaciat ſimili intentione audiens ſacrum &c. ad quod per votum vel pœnitentiam erat obligatus; majus dubium eſt. *Sanchez*, *Caſtro Palao*, & alii cenſent, quòd ſatisfaciat; eò quòd talis præſtiterit quidquid vovit, neque eo ipſo intendat vovere 83. *Quid cenſendum de debito voti aut pœnitentiæ Sacramentalis.*

vere de novo, etſi id poſſet, ſed ſolùm intendat priori voto ſatisfacere per aliud opus; quod cùm videatur fundatum in errore, ob ſatisfactionem jam verè præſtitam, videtur obligatio ulterior non reſtare. Idemque eſt cum proportione de pœnitentia ſacramentali. Alii tamen cenſent in caſu præſertim voti non ſatisfieri, eò quòd ſicut illud à voluntate voventis dependet in fieri, ſic & in conſervari; adeòque talis cenſeatur, vel voto non ſatisfacere, opere applicato, non in ſolutionem promiſſi, ſed in donationem liberalem, vel certè illud tacitè prorogare ſeu commutare per novi operis promiſſionem. Sicut cenſeretur non ſatisfacere promiſſioni centum florenorum, qui daret centum, declarando ſe dare illos independenter à promiſſione. Id ſaltem omnino dicendum videtur, ſatisfacere voto vel pœnitentiæ ſacramentali, etſi tantùm confuſa & implicita intentio adſit, immo etſi de voto non cogitet, ſed omnino negativè ſe habeat: quia equidem humano modo facit quod promiſit, aut quod illi eſt injunctum: vovens enim non promiſit per actum reflexum cogitans de voto facere quod præſtat, nec pœnitenti imponitur pœnitentia tali ratione implenda; dummodo ſaltem ad alium finem opus ſuum non applicet, ſive ſatisfactionem ex voto aut pœnitentia debitam non excludat: ut clariùs liquet in votis negativis, v.g. jejunandi certâ die.

84. *Eodem tempore ſatisfit pluribus præceptis per plures actus, quãdo unus non impedit alterum debitè exercendum.*

Petes I. An poſſit pluribus actibus pro eodem tempore exercitis ſatisfieri pluribus præceptis? Reſp. Aff. cum Doctoribus communiter, quando actus ſinguli ſunt tales, quales exigunt ſingula præcepta. Hoc autem videtur generaliter eſſe verum, quando actus impletivus unius præcepti non impedit actum impletivum alterius præcepti. Hinc potes peregrinationi promiſſæ ſatisfacere, & ſub ea legere horas. Similiter ſub miſſa die feſto legere horas vel alias preces obligatorias: quia lectio horarum non impedit attentionem requiſitam ad miſſam; alioquin (quod eſt contra receptiſſimam praxim) nec liceret ſub ea legere roſarium ex devotione. Experientia ſanè docet orantem ſub ſacro facilè ſimul attendere ad actiones miſſæ, ut de iis teſtificari poſſet; quod ſufficit. Addit *Caſtro Palao d.1. de Legibus pun.* 20. non requiri in his actionibus niſi unam attentionem, ſcilicet ad Deum, quæ ſufficit, & utrique operi convenit.

Vnde ſub miſſa poteſt quis legere horas.

85. *Immo & unico actu, quãdo multiplex obligatio cadit ſuper eamdem materiam.*

Petes II. An poſſet quis unico actu ſatisfacere ſimul pluribus præceptis ſeu obligationibus? Reſp. Aff. quando videlicet obligatio utraque cadit ſupra eamdem materiam; prout contingit in ſequentibus exemplis. Sic Sacerdos beneficiarius, vel etiam qui habet plura beneficia ſatisfacit unâ lectione horarum: qui vovit reſtituere debitum, jejunare in quadrageſima &c. ſatisfacit unico actu duplici obligationi. Utrùm autem ſuperveniens obligatio cadat ſuper eumdem actum, an poſtulet alium, pendet regulariter ab intentione præcipientis ſeu obligationem imponentis, quæ ex verbis, uſu aliiſque circumſtantiis dijudicari debet. Regulariter tamen cenſet *Sanchez l. 1. c. 14. n. 6.* expoſtulari diſtinctum actum; adeòque in dubio ſic foret interpretatio facienda, utpote quæ fieri debet ex communiter contingentibus.

Vnde id colligendum.

Notabilia Corollaria.

Hinc obligatus ex voto aut pœnitentiâ ad ſingulis diebus per annum vel menſem v. g. audiendum ſacrum, cenſeris ex benigna interpretatione tantùm te obligaſſe aut eſſe obligatus ad onus unius miſſæ, etiam diebus feſtivis ſecundùm *Sanchez, Bonacina* & alios. Secùs ſi te obligaveris voto ad quotidianum ſacrum, & præcepto Confeſſarii ſis adſtrictus ad ſemel vel bis audiendum ſacrum. Item ſi adſtricto ad jejunandum diebus veneris imponatur indeterminatè unum jejunium; vel etiam auditio ſacri die feſto: cenſetur enim obligatio cadere ſuper actum aliàs indebitum, niſi aliud conſtet.

Hinc etiam ex voto aut pœnitentiâ obligatus ad dationem eleëmoſynæ non ſatisfacit debita incerta diſtribuendo pauperibus; cùm id non ſit eleëmoſyna, ſeu donatio liberalis.

Idem quoque docent Varii generaliter de eleëmoſyna ex voto aut pœnitentiâ debitâ, quæ datur pauperi graviter vel extremè indigenti, eò quòd hæc ſit debita, votum autem & pœnitentia cenſeantur cadere ſuper aliàs indebitum per ſe loquẽdo. Equidem oppoſitum eſt probabilius, & docet *Sanchez, Henriquez, Azorius, Caſtro Palao ſup. n.* 8. & alii; eò quòd eleëmoſyna iſta non ſit debita ex præcepto miſericordiæ, niſi ex ſuppoſitione quòd nequeas aliâ viâ neceſſitati pauperis ſubvenire; ceſſaret enim, ſi v.g. ſolvendo debitum tolleres indigentiam illius: in præſenti autem potes hanc tollere eleëmoſynâ ex voto vel pœnitentiâ debitâ, adeòque ipſa in caſu iſto non debetur ex præcepto miſericordiæ.

Dices: Non poteſt quis unâ ſolutione ſatisfacere duobus debitis juſtitiæ commutativæ, ut apud omnes conſtat: ergo nec pluribus debitis legalibus. Reſp. Neg. Conſ. Et quidem falſitas Conſequentis clariſſimè patet in exemplo jejunii quadrageſimalis debiti ex voto & ſimul ex præcepto. Conſequentia verò nõ valet: tum quia contrahentes videntur plures actus ſolutionum ſibi injunxiſſe, non ſic legiſlator ſubditis, ſaltem frequenter: tum quia juſtitia commutativa reſpicit æqualitatem rei ad rem, quæ non ſervatur unicâ ſolutione in pluribus ac diverſis debitis; in debitis autem legalibus attenditur mens legiſlatoris, quæ ferri poteſt in unum idemque opus. 86.

Diſparitas inter debita ex juſtitia, & debita ex lege.

Adde

Adde in caſu quo quis eamdem operam v. g. iter pluribus in ſolidum elocavit, poſſe unicâ operâ ſatisfieri pluribus debitis juſtitiæ, reſpicientibus ſcilicet idem opus, ad quod, veluti ſingulis ob id non minùs utile, poterat quis ſingulis in ſolidum ſe obligare; an à ſingulis poſtulando æquale & integrum pretium, diſputatur alibi.

QUÆSTIO VIII.

An ſub Legem humanam cadant actus interni?

87. *Certum eſt ſub legem humanam indirectè cadere actus internos, qui prærequiruntur, ut opus externum ſit liberum:*

CERTUM eſt Legem humanam præcipiendo vel prohibendo actum externum, concomitanter præcipere vel prohibere actum internum, qui requiritur ut actus externus ſit humanus & voluntarius. Nam Lex eſt regula actuum humanorum, quales non ſunt ſine aliquo actu interiori. Sic qui præcipit auditionem ſacri, præcipit intentionem illud audiendi; & qui prohibet comeſtionem carnium, etiam prohibet propoſitum illas comedendi. Unde juxta omnes peccat, qui habet propoſitum nõ audiendi ſacrum, aut non abſtinendi à carnibus in die jejunii, etſi per accidens illud propoſitum non prodeat in opus externum: immo tota malitia formalis in iſto actu interiori completur, actuſque exterior ſolùm addit malitiam materialem. Ratio eſt: quia qui præcipit aliquid, prohibet illud quod eſt incõpoſſibile impletioni præcepti; ſicut eſt illud propoſitum. Deinde prohibitâ v.g. per legem comeſtione carnium, conſtituitur hæc in ratione objecti mali, ac proinde eam deſiderare malum eſt; cùm actus internus deſumat malitiam ab opere externo tamquam objecto, & ſi efficax ſit, inſuper ab illo tamquam effectu.

88. Difficultas eſt, an ſub poteſtatem humanam præcipientem vel prohibentẽ poſſit cadere actus merè internus directè, ſive abſque ordine ad actum externum præceptum vel prohibitum; v.g. an poſſit ab humana poteſtate præcipi oratio purè mẽtalis, aut vetari & puniri interna hæreſis. Et quidem de civili poteſtate ſatìs conveniunt Doctores, quòd non, eò quòd proprius & immediatus illius finis in externa quiete & tranquillitate reipublicæ cõſiſtat, quæ tantùm dependet ab exterioribus, non ita ab interioribus, quæ in ſola mente conſummantur. At Eccleſiæ poteſtatem legiſlativam etiam ad actus merè internos ſe extendere docent *Adrianus, Thigius*, & quidam alii. Contra quos

At directè non cadit actus merè internus ſub poteſtatem civilem;

89. *Immo nec ſub poteſtatem Eccleſiaſticam.*

DICO: Eccleſia non poteſt præcipere vel prohibere directè actus merè internos. Ita *D. Thomas q. 91. a. 4. in corp.* & plerique alii. Probari ſolet Concluſio ex *c. Tua nos, de Simonia.* Et *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1 de Ref. matr.* ibi: *quæ, Eccleſia, de occultis non judicat.* Sed apertè agitur ibi de externis per accidens occultis, de quibus non judicat Eccleſia per ſententiam ab homine. Aliter itaque probatur ex eo, quòd hujus poteſtatis conceſſio ex Scriptura, Patribus aut praxi vel ſenſu Doctorum non conſtet: ſed potiùs ſemper Eccleſia abſtineat ab internis; ut ſit vulgatum, etiam apud DD. cõmuniter, de internis nil ordinare Eccleſiam. Idque magis congruebat, ut cùm legiſlatio ſit præcipuus actus humanæ communicationis, reſpiciat actus ſimiles; quales ſunt ſoli externi & ſenſibiles, cùm ſecundùm illos tantùm, & non ſecundùm merè internos convivant ſeu communicẽt homines, tum ſubditi inter ſe, tum iidem cum ſuis ſuperioribus. Congruit etiam, ut Eccleſia dirigat ſubditos ad ſalutem humano modo procurandam. Denique actus iſti ſunt ex natura ſua occulti; ad quos proinde nequit Eccleſia congrue cogere.

Unde inter actus externos occúltos, 90.
qui dicuntur per accidens occulti, & internos qui ſunt per ſe occulti eſt latum diſcrimen: nam priores per ſe & ex natura ſua ſunt cognoſcibiles, etſi per accidens in caſu particulari ſint occulti. Quare indubiè puniuntur per ſententiam latam à lege ſtatuente pœnam latæ ſententiæ; poſſentque etiam puniri per hominem ſeu judicem, ſi quod occultè contigit caſu propalaretur, v.g. loquacitate ipſius Rei. Secùs eſt de occultis per ſe. Unde internus merè hæreticus, ſi narraret ſe habuiſſe interiores actus hæreſeos, non poſſet puniri, ſi omnibus ſpectatis talis actus non eſſet exterior hæreſis, ſeu præſens & actualis proteſtatio falſæ fidei, prout non neceſſariò eſſe debet.

Diſcrimen inter actus externos per accidens occultos & internos.

Nihilominus abſolutè loquendo directa 91.
poteſtas in actus merè internos v.g. amoris Dei &c. potuiſſet concedi, adeò ut omittentes potuiſſent puniri per legem; ſicut puniuntur externi peccatores perfectè occulti per ſententiam legis ferentis v.g. excommunicationem ipſo facto incurrendam, etſi nequeat delictum probari. Deinde abſolutè loquẽdo potuiſſet Deus dare facultatem præceptivã & prohibitivam internorum, reſervatâ ſibi facultate puniendi.

Abſolutè loquendo potuiſſet humano Superiori poteſtas directa in actus internos à Deo concedi.

Objicitur I. *Matth.* 18. generaliter dicit 92.
Chriſtus: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*; actus autem interni ſunt etiam ſuper terram. Confirmatur: quia poteſtas Eccleſiæ reſpicit bonum & ſalutem animæ, ad quam actus interni maximè conducunt: ergo in illos eſt Eccleſiæ conceſſa poteſtas; maximè cùm illa potuerit à Chriſto Eccleſiæ concedi. Reſp. diſtributionem in verbis Chriſti fieri pro omnibus quæ neceſſaria ſunt, ut rectè & convenienter Eccleſia poſſit regi; ſive ibi ſolùm concedi poteſtatem generalem de actibus conſentaneis poteſtati legiſlati-

Eccleſia alligat & ſolvit omnia, cum diſtributione accommodâ.

giſlativæ ſenſibili, quibus homines inter ſe poſſunt cõmunicare; cujuſmodi non ſunt interni. Ad confirmationem dico, finem Eccleſiaſticæ poteſtatis eſſe ſalutem animarum, ſed humano modo procurandam, ſuppoſitis interim aliis ex altiori poteſtate, ſcilicet divinâ, in eumdem finem ordinatis. Unde etſi poteſtas in actus merè internos abſolutè potuerit Eccleſiæ concedi (cùm non poſſit oſtendi implicantia) convenienter tamen non fuit conceſſa.

93. Objicitur II. Eccleſia remittit interiores culpas per abſolutionem Sacramentalem, poteſtque injungere internas pœnitentias: ergo &c. Reſp. Neg. Con. Nam Sacramentalis abſolutio & pœnitentia ſpectat ad juriſdictionem fori interni, in quo Sacerdos ſe gerit tamquã Miniſter Chriſti, & reſpicitur privata cujuſque utilitas ac ſalus: quàmvis ſaltem requiratur, ut peccata, etſi fuerint merè interna, per externam confeſſionem ad judicium iſtius fori deferantur. Poteſtas autem legiſlativa Eccleſiæ pertinet ad poteſtatem fori externi, quæ reſpicit bonum commune, quatenus humano modo comparabile. Similiter dũ Eccleſia concedit indulgentias etiam pro peccatis internis, aut diſpenſat in votis vel juramentis internis, id non facit per poteſtatem ſibi velut propriam & connaturalem, per quam ſuas partes agit ferendo leges, puniendo &c. ſed per poteſtatem velut vicariam, nomine Dei relaxando pœnas peccatis debitas, aut obligationem ex promiſſione Deo facta reſultantem. Unde verſatur principaliter inter hominem & Deum, reſpicitque magìs bonum ſpirituale cujuſque, quàm externam gubernationem: quamquam poteſtas diſpenſandi in votis moraliter loquendo non exerceatur, niſi vota, ſi fuerint interna, Superiori patefiant, qui cauſam in illis diſpenſandi primò cognoſcere debet, ut prudenter in illis poſſit diſpenſare.

In foro ſacramentali reſpicit etiã interna,

Ut & in conceſſione indulgentiarum ac diſpenſatione votorum.

Inſtabis: Eccleſia propriâ auctoritate poteſt reſervare peccata merè interna, ergo &c. Reſp. Neg. Con. Nam reſervatio non fit præcipiendo vel prohibendo actũ internum, ſed negando poteſtatem abſolvendi, ſi fortè pœnitens habeat tale vel tale peccatum quantumcumque internum: hanc enim poteſtatem ſicut poteſt Eccleſia abſolutè ſubtrahere, ità id poteſt ſub conditione, ſi fortè aliquod certum peccatum ſit commiſſum, quantumcumque internum; quod idcirco Eccleſia non debet cognoſcere, aut poſſe præcipere ſeu prohibere. Deinde eſt diſpoſitio exequenda in foro ſacramentali, ſub quod cadunt actus etiam merè interni. Sunt tamen, qui ſaltem probabile putant, Eccleſiam non poſſe directè ſeu propriè reſervare peccata merè interna; qui facilè ſe hìc expedirent negando quod aſſumitur.

Qui auctoritate propriâ reſervare queat peccata etiã interna,

94. Objicitur III. Eccleſia punit actus merè internos; nam c. *Excommunicamus itaque. §. credentes* 13. *De Hæreticis* excommunicantur credentes Hæreticis. Videri etiam poteſt c. *Ad abolendam eod. tit.* & *Bulla Cœnæ Domini.* Item *in Concilio Toletano I. in Confeſſione Fidei* dicitur anathema non ſolùm dicentibus, ſed etiam credentibus contrarium Fidei Catholicæ. Reſp. Neg. Aſſ. Nã per *credentes* intelliguntur, qui verbis aut factis aſſentiuntur Hæreticis, ut condiſtinguantur illis qui hæreſim docent aut divulgant. Unde de credentibus ſolà mente non agere jura ſatìs colligitur ex c. *Excommunicamus cit.* in quo ſtatim ſubjungitur illos fore jure infames, nec admittẽdos ad publica officia, ad hereditatem &c. qui poſtquam fuerint excommunicatione notati ſatisfacere contempſerint intrà annũ: quod locum non habet niſi in iis, qui cognoſcuntur excommunicatione notati. Quare eodem ſenſu infrà dicuntur excommunicandi, qui tales poſtquam ab Eccleſia fuerint denotati evitare contempſerint. Ad locum *Concilii Toletani* aliter & rectè reſpõderi poteſt, anathema in Definitionibus Fidei non neceſſariò deſignare cenſuram, ſed quòd res proponatur tamquam credẽda de Fide, ac proinde declarari Hæreticum, qui contrarium, etſi ſolo animo, credit.

Eccleſia non excommunicat hæreticos merè internos.

Objicitur IV. *Clem. 1. De Statu Monachorum §. quia verò* fertur excommunicatio in Benedictinos conferentes ſe ad Curias Principum ſine licentia Prælatorum, ut his aut monaſterio noceant. Et *Clem. 1. de Hæreticis §. verùm*, excommunicantur inquiſitores procedentes, vel procedere omittentes ex odio aut ſimili pravo affectu. Reſpondent aliqui non incurri excommunicationem iſtam, niſi pravus animus aut affectus aliquo ſigno exteriùs declaretur. Ita *Vaſquez diſp.* 160. *c.* 5. & alii. Aliter dici poteſt cum *Suarez To.* 5. *in* 3. *Partem diſp.* 4. *ſect.* 2. ibi non puniri pravam intentionem internam, ſed actiones externas, quæ in ſe malæ & punibiles ſunt; ut patet ex textu: quamquam eas Pontifex non puniat, niſi cum quodam favore & reſtrictione, ſcilicet niſi talis prava intentio ſit conjuncta. Sic ſæpè excommunicantur, qui aliquid ſcienter fecerint, non quòd puniatur ſcientia, ſed quia actus externus de ſe punibilis, etſi ex ignorantia vincibili foret factus, non punitur, niſi præſente iſtâ conditione. 95.

Aut aliter interiùs ſolùm delinquentes.

Objicitur V. c. *Commiſſa §. ceterùm, De Electione, in* 6. privatur fructibus, qui parochiam recepit abſque intentione intrà annum ſuſcipiendi ſacerdotium, niſi mutatâ voluntate intrà annum promoveatur. Reſp. Conceſſionem Beneficii parochialis ex voluntate Eccleſiæ eſſe conditionalem, adeòque non ſubſiſtere iſtâ conditione deficiente; quæ, licèt ab Eccleſia non cognoſcatur, facit, quòd talis non ſit Dominus fructuum, adeòque ex natura rei teneatur 96.

Qui privet fructibus recipientem parochiam abſque intentione ſuſcipiendi ſacerdotium intrà annum.

neatur illos reſtituere. Dici etiam poteſt ibi agi de intētione aliquo modo exteriùs manifeſtatâ, quæ Epiſcopo conferenti beneficium conſtare poteſt: nam *c. cit.* dicitur: *Illum autem qui tibi contulit cùm te non crederet ad hujuſmodi ordinem promovendum &c.*

97. *Eccleſia præcipit actus internos qui requiruntur, ut actus externi ſint verus contractus, vera oratio &c.*

Nihilominus Eccleſia præcipit nòn ſolùm actus liberos, adeòque internos qui requiruntur ad opus liberum, ut apud omnes indubitatum eſt; ſed etiam actus certæ ſpeciei moralis, v.g. verum contractū, verum Sacramētum, veram orationem &c. ad quos actus nō tantùm requiritur interna volūtas libera proferendi verba externa, aliave ſigna ponendi, ſed inſuper intentio contrahendi, conferendi Sacramentum ſeu faciendi quod Chriſtus inſtituit, orandi &c. Ita *Suarez* & alii paſſim contra Nonnullos, etiam recentiores. Probatur: quia & in his validè exercitis potiſſimùm verſatur humanus convictus, & actus interni concomitanter præcepti ſatis noſcuntur, uti quòd fiant opera liberè: ſupponitur enim homo ſeriò agere, adeò ut de iis plerumque habeatur moralis certitudo. Patet hæc poteſtas quoque ex praxi Eccleſiæ, quæ præcipit annuam confeſſionem, utique ſacramentalem, qualis jure divino præcipitur; ut patet ex *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *in fine*; ubi ait: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti Fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum Confeſſionis*, utique divinum, *ſaltem ſemel in anno impleretur.* Statuit igitur Eccleſia annuam Confeſſionem verè ſacramentalem, qualis jure divino erat indeterminatè præcepta. Vide etiam *can.* 8. Similiter Eccleſia præcipit annuam Cōmunionem; cui non ſatisfaceret, qui tempeſtivè ſciret ſuſceptam fuiſſe hoſtiam defectu internæ intentionis invalidè conſecratam. Præcipit Orationem ſeu lectionem horarum: cui non ſatisfaceret, qui non intenderet orare, immo qui intenderet non orare, ſed ſolùm ex curioſitate legere vel ad ridendum in corde. Præcipit collationem Sacramenti, beneficii, celebrationem miſſæ ſeu ſacrificium &c.

Quod docet ratio,

Et praxis Eccleſiæ.

98. *Vnde Sacrilegè confitēs non ſatisfacit præcepto annuæ Confeſſionis.*

Hinc infertur I. Subticentem malitioſè in Paſchate peccatum mortale merè internum, aut invalidè confitentem defectu doloris interni peccare contra præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis; & poſſe incurrere pœnas ab Eccleſia ſtatutas: cùm non impleat ſemel in anno præceptum divinum Confeſſionis; quod Eccleſia ſtatuit.

Quid cenſendum de recitante horas cum voluntaria diſtractione internâ.

Infertur II. à Doctoribus paſſim recitātem horas ſine attentione interna, ſed cū voluntaria diſtractione non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ. Verùm de hac illatione valde dubito: cùm valde probabile cenſeam cum *Lajman*, *Coninck*, *Tamburino*, *Lugo* & aliis, attentionem internam cum excluſione voluntariæ diſtractionis internæ requiri quidem ad decentem orationem ex natura rei, non tamen graviter ab Eccleſia præcipi: cùm ipſa tantùm præcipiat actum veræ orationis, quæ eſſentialiter & in ſua ſpecie morali ſubſiſtit ſine præfata attentione, dummodo adſit intentio orandi ſeu agendi cum Deo; quæ eſſe poteſt etiam in voluntariè diſtracto: nam orare exponendo Deo ſua deſideria æquè poteſt diſtractus, quàm poſſit abſolvere, ſacrificare, formam precatoriam Extremæ Unctionis proferre, libellum ſupplicem Regi exponere; etſi non ſine irreverentia veniali. Cùm itaque attentio interna ad orationem externam non requiratur, ſive ut ſit libera, ſive ut ſit certæ ſpeciei moralis externæ, ſeu vera oratio, ſed ſolùm, ut decenter & virtuoſè fiat, non videtur cadere ſub præceptū quatenus Eccleſiaſticum. Qua de re proprius agendi locus eſt in materia de Religione.

QUÆSTIO IX.

Qualis Promulgatio requiratur ad Legem humanam?

DICO I. Ad Legem humanam requiritur, ut voluntas ſuperioris ſigno aliquo externo & ſenſibili declaretur. Patet: quia aliàs lex non poſſet ab hominibus cognoſci, adeòque nec eſſe regula directiva morum humanorum. Deinde poteſtas legiſlativa humana ex natura ſua eò tendit, ut humano & ſenſibili modo homines inter ſe & ad unum corpus politicum ordinentur. 99.

Lex humana debet declarari per ſignum ſenſibile.

Signum autem illud externum, licèt ordinariè ſit ſcriptura, ſufficit tamen ex natura rei quodlibet aliud ſufficienter manifeſtativū voluntatis ſuperioris. Sic multæ leges, vivâ voce ab Apoſtolis traditæ, diu abſque ſcripto perſeverarunt. Nullum etiam extat jus poſitivum Civile vel Canonicum, quod ſimpliciter requirat Scripturam. Atque ita tradunt communiter Canoniſtæ & Theologi, teſte *Caſtro Palao d.* 1. *pu.* 7. *n.* 2.

Quod ordinariè, non tamen neceſſariò eſt ſcriptura.

DICO II. Ad perfectiorem legis rationem requiritur publica & ſolemnis promulgatio. Eſt certa doctrina, non tantùm expreſſa in utroque jure *c.* 1. *De poſtulatione Prælatorum*, & *Authent. Ut factæ novæ Conſtitutiones*, quæ eſt 66. inter *Novellas Juſtiniani*; ſed etiam ubique jure Gentium recepta. Et ratio eſt: quia cùm lex ſit publica & communis regula, debet publicè & communiter proponi. 100.

Et quidem debet promulgari ſolemniter,

Non requiritur autem ex natura rei certa promulgationis forma, ſed quælibet ſufficit, quæ juxta morem patriæ cenſetur ſolemnis propoſitio legis; ſive propaletur lex vivâ voce coram populo in loco communi & publico, ad quem poſſint & ſoleant omnes paſſim convenire; ſive id fiat litterarum in tali loco legitimâ affixione.

Eâ formâ, quæ juxta morem patriæ cēſetur ſolemnis propoſitio,

Hinc

101. *Quouſque non obligatur quis lege, etſi ſciatur eſſe decreta & ſcripta.*

Hinc patet eò uſque non obligari lege humanâ, quam quis privatim ſciret in Cōſilio conſtitutam, aut etiam ſcriptam; neque etiam obligari communitatem, quàmvis ita privatim perveniſſet ad aures ſingulorum, ut omnium conſenſu, & praxi eſt manifeſtum. Unde ſequitur eum qui interfuit Conſilio, in quo decretum de pretio frumenti aut valore monetæ minuendo eſt conditum, vel qui id aliâ viâ cognovit, poſſe ante publicam promulgationem citra injuſtitiam diſtrahere frumentum aut monetam juxta valorem aut pretium currens.

102. *Poſtea verò obligantur etiam ignorantes,*

Nota verò poſt factam ſufficientem promulgationem obligari lege etiam illos qui illam ignorant, ſicut & obligantur qui de facto legem non conſiderant, vel de ea nō cogitant. Quamquam ſi ignorantia vel inadvertentia ſit invincibilis, certum ſit ejuſmodi legis tranſgreſſionem tantùm eſſe materiale peccatum. Si verò ſit culpabilis, poteſt lex in taliter ignorantibus ſortiri ōnes ſuos effectus; niſi quoad aliquos ſpecialiter exigat ſcientiam.

Etiam invincibiliter, quantùm ad aliquos effectus,

Aliquos tamen effectus lex humana etiā in invincibiliter ignorantibus obtinet, qui videlicet non pendent à notitia operantis. Hoc patet in lege irritante contractum v. g. matrimonii, quod ſine debitis ſolemnitatibus celebratū, quantumvis ab invincibiliter ignorantibus, conſtat eſſe invalidum. Idem eſt in lege inhabilitante aliquem ad officium; cui, etſi ignoranti, invalidè confertur. Similiter qui, etſi ignoranter, vendit merces ſupra pretium lege taxatum, tenetur ad reſtitutionem. Denique pœnam priori lege conſtitutam, v.g. excommunicationen, non incurrit, qui ignorat eam per poſteriorem legem eſſe revocatam; quantumvis eam ſe putet incurriſſe.

Sed difficultas ſatìs intricata reſtat, in quibus provinciis aut locis leges humanæ, præſertim Imperatoriæ ac Pōtificiæ, publicari debeant, ad hoc ut cenſeantur ſufficiēter promulgatæ, & à quo tēpore poſt promulgationem obtineant ſuum robur. Pro qua

103. *Leges Caſareæ debent promulgari in ſingulis provinciis,*

Dico III. Ut leges Imperii cenſeantur ſufficienter promulgatæ ad obligandas omnes Imperii provincias, non ſatìs eſt quòd ſint promulgatæ in Metropoli reſidentiæ ipſius Imperatoris, ſed debent promulgari in ſingulis Imperii provinciis, ſeu earum Metropoli; adeò ut illam provinciam non obligent, in quâ non ſunt ſpecialiter promulgatæ. Ita contra Nonnullos docent cōmuniter tam Theologi quàm Juriſperiti ob *Authenticam*, *Ut facta nova Conſtitut. 66.* inter *Novellas Juſtiniani*: quæ licèt agat de Conſtitutionibus circa teſtamenta, id tamen facit ſolùm exemplificativè, ut colligitur ex ratione quam allegat: *Cur enim culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignoraverint Conſtitutiones, ſi eò quòd non fuerint ſufficienter propoſitæ ignorentur?* & præſertim ex Titulo ſeu rubricâ univerſali, quæ juxta Juriſperitos habet vim textûs, facitq; jus univerſale, quatenus non repugnat nigro ſeu textui, quando habet ſenſum completum ſeu perfectum, prout in præſenti habetur, juxta doctrinam *Baldi* & aliorum docentium, quòd Rubrica reddat completū ſenſum, explicet textum, & vim textûs habeat, quando incipit per *ne* vel *ut*; ſicut in præſenti fit. Confirmat hanc explicationem praxis ſeu conſuetudo. Sicque hanc Authēticam generaliter latam eſſe intellexit Pius IV. in Bulla *Super declaratione temporis ad obſervanda decreta Concilii Tridentini*; quæ incipit: *Sicut ad ſacrorum*, ubì ait: *Jure etiam communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant.* Quod tamen non niſi Authenticâ præfatâ ſancitum eſt, in qua tum hoc, tū promulgatio in ſingulis provinciis decernitur.

Dico IV. Leges Imperii debent eſſe duobus menſibus promulgatæ, computando à die publicationis in provincia, antequam in illa vim ſuam exerant. Ita cōmuniter Doctores ex eadem *Authentica cit.* Et quàmvis aliqui iſtam Conſtitutionem accipiant, ut non liberentur ab obligatione legis, qui citiùs notitiam illius obtinent, ſed tantùm duo iſti mēſes proſint ad allegationem ignorantiæ, quæ interea præſumitur: nihilominus ſine fundamento verba Conſtitutionis ita reſtrictim intelliguntur; quin immo ipſe Pius IV. *Bullâ cit.* aliter eam intellexit. Idem colligi poteſt ex contextu ipſius *Authenticæ*. Et congruentia juſta ſic ſtatuendi fuit, ut videlicet omni perturbatione ac confuſione vitatâ lex ſimul inciperet ab omnibus per totam provinciam uniformiter obſervari, poſteaquam duorū menſium ſpatio per totam provinciam cōmodè potuit divulgari, & à pleriſque cognoſci. Unde ante duos menſes expletos à publicatione licitè contrarium legi practicari poteſt, & validè ac licitè ineuntur contractus per legem Cæſaream irritati. 104. *Nec vim obtinent ante bimeſtre elapſum à promulgatione factâ in provinciis reſpectivè.*

Dico V. Leges Regum ac Principum, quibus per accidens ratione matrimonii, aut alio titulo ſubſunt diverſa regna; vel provinciæ ſibi invicem non connexæ aut ſubordinatæ, ſed quarum ſingulæ manent una perfecta communitas, debet promulgari in ſingulis regnis vel provinciis. 105. *Leges Regum plures provincias independentes poſſidentium debent in ſingulis promulgari.*

Probatur: tum quia id eſt uſu receptū, ut de Regnis Hiſpaniæ notat *Vaſquez diſp.* 156. *cap.* 2. tum quia per ſe requiritur ut promulgatio fiat in regno vel provincia ſeparata & perfecta: quo jure non privatur per caſualem ſubjectionen ad Principem, qui ſimul aliis provinciis præſidet; nec præſumendum eſt provincias per hoc ſe voluiſſe jure iſto privare. Confirmatur: quia oppoſitum non foret conſentaneum naturis rerum, & ſuavi gubernationi, eò quòd Princeps alibi promulgans non cenſeatur loqui ut Princeps iſtius provinciæ aut regni. Nō implicat tamen, quo minùs potuerit Principi

cipi talis poteſtas cõcedi, ut unâ promulgatione legis poſſet diverſa regna aut provincias, quibus per accidens præſidet, obligare.

106.
Quid moris in provinciis Belgicis.

More Patriæ ſeu Belgico neceſſaria eſt promulgatio in ſingulis Belgicæ provinciis (quæ unitæ quidem ſunt, ſalvo ſingularum jure, adeòque nullæ alteris ſubjectæ, niſi quòd Marchionatus S. Imperii ac Ducatus Limburgi ſint Brabantiæ velut inclavati) ſingularumque Metropolibus, etſi plures ſint, ut in Brabantia Lovanium, Bruxella, Antuerpia, & olim Sylvaducis; in Flandria Gandavum, Brugæ, Ipræ; aliæ alibi. Ante hanc promulgationem lex non ſolet obligare, ut habet *Zypæus in Notitia Juris Belgici in Introductione.* Quin immo ne non uſu intereant leges, juxta *L. De quibus* in fine *ff. de Leg.* ſolent edicta, cùm Principi Conſiliiſve videtur, iterum publicari.

Promulgatio cur interdum reſumatur.

Qualia extant hîc in Belgio multa edicta priorum cõfirmatoria & innovatoria. Quin & in iiſdem legibus mandari nonnumquam ſolet, ut certis temporibus publicatio innovetur; prout vidimus nuper in edictis monetariis ſingulis trimeſtribus promulgationem innovandam à Rege præſcribi.

107.
In ſingulis Regnis extra Imperium ſufficit una promulgatio, per ſe loquendo.

Dico VI. Extra terras Imperii, aut in quibus jus Cæſareum non ſervatur, pro ſingulis regnis aut principatibus ſufficit una promulgatio facta in loco aliquo celebri, v.g. Metropoli, etſi regnum pluribus provinciis conſtet: niſi conſuetudo, aut jus vel privilegium particulare aliud exigat; prout quandoque ex hoc capite requiritur promulgatio etiam in ſingulis regni civitatibus, ſaltem primariis.

Nec requiritur lapſus bimeſtris à publicatione.

Nec legis promulgatæ obligatio ſuſpenditur ad duos menſes, ſed ſtatim incipit poſtquam effluxit tempus moraliter ſufficiens ad habendam notitiam legis latæ & promulgatæ; niſi in lege certum tempus expreſsè definiatur. Patet Concluſio: quia amplius ex natura rei non requiritur: nec etiam ex jure particulari ut ſupponitur: jus autem Cæſareum in locis, de quibus agimus, non habet locum. Unde cenſentur hi relinquere id in terminis juris aut æquitatis naturalis, nimirum vt leges obligent regnũ vel principatum ſine excuſatione, quando effluxit tempus moraliter ſufficiens ad habendam notitiam de legibus latis & promulgatis. Hinc conſequens eſt (inquit *Wiggers q. 96. art. 4. n. 75.*) legem citiùs obligare in civitate in qua promulgatio facta eſt, quàm in locis remotioribus; ſtatim enim ibi ſolet innoteſcere, ideoque etiam ibi ſtatim obligat. Quod ſaltem videtur omnino uſu receptum ex mente legiſlatoris.

108.
Leges Epiſcopales in Matrice Eccleſia, & Cõcilii particularis in loco Cõcilii publicari ſufficit.

Dico VII. Quod ad leges Epiſcopales attinet, juxta communem doctrinam ſufficit eas promulgari in matrice Eccleſia. Similiter leges Concilii particularis obligant promulgatæ in loco Concilii: plus enim nec ratio nec jus poſitivum requirit. Quòd ſi unus Epiſcopus habeat plures Epiſcopatus, debet lex reipsâ promulgari in utroque Epiſcopatu; ut in ſimili ſupra notavimus de Rege præſidente in pluribus regnis. Similiter nec jus, nec conſuetudo requirit lapſum certi temporis, ante quod leges Epiſcopales poſt promulgationem non cenſeantur obligare; niſi id expreſsè in lege determinetur.

109.
Leges Pontificiæ non debent in ſingulis provinciis promulgari, per ſe loquendo.

Dico VIII. Leges Pontificiæ per ſe loquendo non debent promulgari in ſingulis provinciis. Eſt communior Doctorum ſententia, contra *Conrardum, Felinum, Zabarella, Decium*, quos citat & ſequitur *Wiggers q. 94. art. 4. n. 84.* & plures alii exiſtimantes, quòd, niſi Pontifex cõtrarium exprimat, non ſufficiat, promulgationem Romæ eſſe factam, ſed requiratur illam fieri in ſingulis provinciis. Ratio Concluſionis eſt: quia ſi requireretur promulgatio in ſingulis provinciis, eſſet, vel quia Pontifex aliter obligare non poſſet, vel quia non vellet. Non primum: conſtat enim etiam ex confeſſione aliorum ipſum abſolutè poſſe velle, ut ſufficiat promulgatio Romæ fieri conſueta in locis ordinariis: quod ipſum frequenter in Conſtitutionibus ſuis exprimit, ſignanter Urbanus VIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *In Eminenti*, quâ prohibet *Auguſtinum Janſenii* & nonnulla alia ſcripta. Non ſecundum: quia ejuſmodi mens ſeu non voluntas ex nullo capite colligitur; quin potiùs oppoſita voluntas ex ſtylo & praxi Romanæ Curiæ, in qua deciduntur negotia Chriſtiani Orbis juxta leges ibi promulgatas. Immo ad oppoſitam opinionem elidendam videntur Pontifices plerumque addere in ſuis Conſtitutionibus clauſulam, ut poſt promulgationem Romæ factam omnes ubique obligent, ac ſi ſingulis forent intimatæ. Eſtque modus iſte utilis declarandæ majori Eccleſiæ unitati, & obedientiæ Vicario Chriſti debitæ, ac independentiæ ab Epiſcopis, & magìs à poteſtate ſæculari, quæ alioquin facilè in Decreta ſupremi Capitis manum ſuam auctoritativè extenderet.

100.
Ius Cæſareum hac in parte non eſt ab Eccleſia ſaltem uſu receptum.

Nec obſtat, quòd jure civili requiratur promulgatio in ſingulis provinciis *Nov. 66. ſup. cit.* Jus autem Canonicum utatur Civili, ubì diverſum vel contrarium non diſponit, *c. 1. De novi operis nuntiat.* prout in præſenti non fit. Nam *cap. cit.* ſolùm decernitur ſeu aſſeritur, Cæſareas leges ſervandas eſſe in judiciis cauſarum deficientibus Canonicis, modus autem ferendi leges longè gravior eſt & pertinens ad propriam Pontificis actionem & poteſtatem, ideoque ad hunc caſum non eſt regula iſta extendenda. Saltem ſatìs conſtare videtur non eſſe uſu à Pontifice receptum jus Cæſareum hac in parte. Confirmatur: quia idem Jus Cæſareum ſtatuit obligationem legis ſuſpendi uſque ad duos menſes à die promulgationis; at conſtat cõmuni ſenſu & praxi non requiri lapſum hujuſmodi temporis

poris in legibus Pontificiis, etiam quando nil ſpecialiter de hoc exprimunt (quidquid Nonnulli oppoſitum cenſeant) ergo ſignum eſt ſimpliciter, nec quoad aliud punctum connexum eſſe receptum. Quòd autem Pius IV. in *Bulla cit. n.* 102. reſpexerit ad Jus Cæſareũ circa determinationem temporis poſt quod Tridétinum inciperet obligare ſive cis ſive ultra alpes, id non fecit quaſi ſenſerit illud habere locum in legibus Eccleſiæ, ſed illius exemplo declarat rationabiliter à ſe quoque in *Bulla cit.* determinari certũ tempus; ideòque non idem quod Jus Cæſareum determinat, ſed diverſum.

111. *An facienda exceptio de legibus irritantibus & ſimilibus,*

Excipiunt Plurimi leges irritatorias cõtractuum, vel inhabilitantes ad Sacramentorum adminiſtrationem aut ſuſceptionem, ad officia vel beneficia &c. Alii inſuper revocatorias privilegiorum v.g. poteſtatis abſolvẽdi à caſibus reſervatis (quod *Sotus lib.* 1. *de Juſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. tradit veluti certum) quaſi illæ exerant quidem vim ſuam ubi ſunt promulgatæ, non tamen alibi. Idem *Sotus ſup.* & alii plures tradunt de revocatoriis indulgentiarum. Quæ ut probabilia ſint, non cogunt tamen, utpote non habentia ſpecialem rationem exceptionis, quàm fundatam in incommodis gravibus aliter oriundis, ob quæ meritò præſumi queat talem eſſe mentem legiſlatoris: quibus equidem obviari poſſe videtur per hoc, quòd leges Romæ promulgatæ non ſtatim ubique in actu ſecundo obligent, quouſque ſufficienter ſint alibi divulgatæ ſeu innoteſcant per Nuntios, Ordinarios, Ordinum Generales aut Procuratores, ſimilive modo. Conformiter nihilominus ad præfatam exceptionem graves aliquot Theologi (inter quos erat *Leſſius*) in Conſultatione Romæ habitâ cenſuerunt diſparitatem cultûs apud Chinenſes in initiis converſionis non eſſe impedimẽtum dirimens matrimonium, & in his circumſtantiis poſſe Epiſcopos ibi ſuſpendere legis promulgationem, ut refert *Prapoſitus q.* 95 *diſp.* 1. *dub.* 7. *in fine.*

Aut in quibus promulgatio per provincias facienda demandatur.

Excipiunt quoque Nonnulli leges, in quibus expreſsè mandatur Ordinariis locorum, ut illas per ſuas diœceſes publicè promulgari curent. Quod quidem conjecturam aliquam de benigna mente Pontificis præbet, nõ tamen efficacem: fieri enim poſſet, ut Pontifex id præſcribat, non quaſi dependenter ab ejuſmodi promulgationibus nolit legem ſuam alibi vim exerere, ſed ut eò efficaciùs & certiùs vim ſuam exerat. Secùs eſſet, ſi Pontifex apertiori aliquo ſigno oſtenderet ſe nolle obligare, niſi poſtquam lex per Prælatos locorum fuerit publicata; uti declarat c. *Cùm infirmitas, De pœnit. & remiſſ.* Sic etiam lex irritatoria matrimonii clandeſtini, debet ex præſcripto *Tridentini* promulgari in ſingulis parochiis, antequam in iis vim obtineat.

112. Quæ verò ex ratione contra Concluſionem noſtram objici poſſent, ſi quid probent, probarẽt promulgationem in ſingulis provinciis requiri ex natura rei: quod tamen nec Auctores diverſæ ſententiæ admittere auderent. Immo aliquouſque probarent, ne hanc quidem ſufficere, ſed requiri etiam promulgationem in pluribus provinciæ præſertim vaſtioris locis. *Quæ in contrarium ex ratione alleganıur, nimiùm, adeòq; nihil probant.*

Dices: Leges etiam Eccleſiaſticæ nõ obligant antequam à communitate vel provincia acceptentur, juxta receptã DD. præſertim Juriſperitorum doctrinam; ergo multò minùs antequam per provinciam promulgentur. Reſp. Neg. Ant. cujus falſitas patebit *q. ſeq.* Et eo diſſimulato Neg. Conſ. nam poteſt à communitate lex ei nota ſeu ſatìs divulgata uſu recipi, etſi in ea denuò ſolemniter non promulgetur. Prout ſunt multæ Conſtitutiones Pontificiæ hìc in vigore, quæ numquam ibi ſunt promulgatæ. Immo liber Sextus Decretalium & Clementinæ numquam putantur per omnes provincias promulgatæ, & tamen ubique ligant. *Acceptatio etſi prærequireretur (quod non) tamen non foret neceſſaria in ſingulis provinciis promulgatio.*

113. *Suaviùs tamen & certiùs obtinetur legis obſervantia, quando ejuſmodi promulgatio adhibetur.*

Fateor nihilominus (eſtque clarum ab experientia) ordinariè attento variarum nationum genio, poteſtatis civilis (quæ interdum prætẽdit Jus examinis, & ſubſequentem adhuc publicationem, ſi Lex placeat; idque ex prætenſo privilegio Apoſtolico: quod cùm facti ſit, ipſi utentes viderint, & Domnus Apoſtolicus judicet. Videri poteſt *Zypæus Tit. De Reſcriptis*) contradictione, aliiſque circumſtantiis, vix poſſe Conſtitutionem Apoſtolicam, quantumvis rationabilem, ibi deduci ad viridem obſervantiam mandarique executioni, niſi priùs denuò promulgetur. Immo ſaniſſimum eſt conſilium, ut pro ſtabiliori legis cujuſcumque vigore, ipſa non ſolùm per provincias, ſed & per ſingulas civitates & villas, affixione ſaltem publicâ, promulgetur.

QUÆSTIO X.

An ad formam Legis humanæ requiratur acceptatio populi?

114. *Quando lex cenſeatur acceptari.*

Lex acceptatur poſt promulgationem, quãdo communitas eam approbat verbo, ſcripto, aliove ſigno, aut caſu occurrente obſervat. Dum autem illam obſervat, dicitur lex uſu recepta. Communitas verò intelligitur non tãtùm univerſalis collecta ex variis civitatibus aut locis, quæ eadem lex reſpicit, ſed etiam quælibet communitas particularis capax alioquin legis.

Acceptationem requirunt plurimi DD.

Plurimi Doctores tum Juriſperiti, tum Theologi, requirũt acceptationem populi, ad hoc ut lex Eccleſiaſtica obliget; & à fortiori ut obliget lex civilis: ſive quia aliter Princeps, ſaltem qui à populo poteſtatẽ accepit, obligare populum non poteſt, ut aliqui docent: ſive (ut meliùs Alii) quia licèt abſolutè aliter poſſit, tamen regulariter, ſeu niſi aliud declaret, cenſeatur non velle obligare,

gare, niſi ſub tacita conditione, ſi populus acceptet; idque ex interpretatione benignæ voluntatis ſuperioris, cui hoc eſt valde conforme, ne ſuperior ſubditis nimis videatur oneroſus. Juxta hos Doctores poteſt acceptari lex in toto, vel quoad partem, aut penitùs non acceptari; vel acceptari quoad culpam, non quoad pœnam, aut contrà. Et ſic Concilium Tridentinum in Belgio eſſe receptum citrà mutationem in materia juriſdictionis refert *Zypæus in Analyſi Jur. Pontif. l. 2. Tit. de Foro competenti n.* 40. Et patet ex litteris Margaretæ Parmenſis Belgii Gubernatricis nomine Philippi II. datis 24. Julii 1564. in quibus (ut refert idem *Zypæus l. 1. Tit. de Conſtit. nu. 6.*) non vult aliquid immutari aut innovari circa Regalia, jura, privilegia ſuæ Majeſtatis, aut ſuorum Vaſallorum, Statuum aut ſubjectorum, & ſpeciatim circa juriſdictionem laicalem, jus patronatûs, indultum ſeu jus nominationum, cognitionem cauſarum & materiæ poſſeſſoriæ beneficiorum, decimarum poſſeſſarum per laicos, ſuperintendentiam & adminiſtrationem hoſpitalium aliorumque piorum locorum, denique alia ſimilia jura: *Non* (inquit) *ad contraveniendum dicto Concilio, ſed ut executio accommodetur naturæ cujuſque provinciæ.* Atque juxta hanc ſententiam non peccant ſubditi legem non acceptando, ſed ſolùm acceptatam non obſervando. Videri poteſt *Bonacina diſp. 1. de leg. q. 1. pun.* 4.

115. *Oppoſitum aſſeritur.* Verùm oppoſita doctrina magìs congruit, tum ſubditorum ſubjectioni, tum ordinato regimini ac publicæ tranquillitati; eſtque etiam ex ratione longè præferenda: quam tradit *Caſtro*, *Suarez*, & plures alii, tum Theologi, tum Juriſperiti. Juxta quam doctrinam conſequenter peccãt ſubditi, qui legem latam ac publicatam initio non obſervabant, eò quòd illam noluerint acceptare: lex enim obligat ad ſui acceptationem.

Quia in Principe nec deeſt poteſtas, Probatur hæc Sententia: quia ſi obligatio legis dependeret ab acceptatione populi, id fieret: vel quia in Principe deeſſet poteſtas aliter obligandi, vel quia deeſſet voluntas; ſed neutrum dici poteſt. Non primum, ut de Eccleſiaſtico Principe patet, cùm is non acceperit poteſtatem condendi leges à populo, ſed Papa quidem immediatè à Chriſto, ceteri autem Eccleſiæ Prælati etiam à Chriſto vel Pontifice; quibus tamen non cernitur ex ullo capite poteſtas iſta cum tali dependentia fuiſſe cõceſſa. De Principe autem ſæculari ſupremo idem probatur: *Cùm populus ei, & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat*, ut habetur *L. 1. ff. de Conſtit. Princip.* atque adeò contulerit quoque poteſtatem populum obligandi & urgendi ad acceptandam legem, ſine qua poteſtas obligandi foret inefficax. Confirmatur: quia ſi energia præceptorum Principis dependeret ab acceptatione populi, jam reverà non eſſet abſolutus dominus, ſed penes populum reſideret præcipuè, vel pro parte, poteſtas condendi leges.

Unde in aliquibus regnis non poteſt Princeps leges condere, niſi cum conſenſu regni aut in publicis regni Comitiis. Quãvis nec hoc caſu requiratur acceptatio populi (de qua hîc eſt ſermo) conſequens inſtitutionem ac promulgationem legis, ſed eam antecedens, quatenus ſuffragium regni ſimul cum voluntate Regis concurrit ad condendam legem; quâ tamen promulgatâ ſequitur in populo obligatio eam ſervandi & acceptandi.

Non poteſt etiam dici ſecundum, quòd ſcilicet deſit in Principe voluntas: quia ſolent legiſlatores per pœnas compellere ad legis executionem; ut ex communi uſu conſtat. Nec poterunt ſe excuſare legem in initio prævaricantes, quòd non ſit à populo acceptata: hoc ipſum enim urgetur, ut populus legem acceptando obſervet. *Nec voluntas,*

Probatur II. Quia voluntas ſuperioris ſatìs clarè exprimitur per verba ſimpliciter præceptiva; quæ ſicut ſonant præceptum obligans ad aliquid faciendum, ita etiam ad acceptandum. Sanè ſicut nullus intelligit mandatum domini aut Patrisfamilias ferri ſub tacita conditione, ſi famulus aut filius ſit paratus mandatum admittere: ſic meritò voluntas Rectoris Reipublicæ aliquid præcipientis, non debet cum hac conditione intelligi, ſi ſubditi velint acceptare. Immo oppoſitum, poſtquam ſemel inciperet animis ſubditorũm, quorum maxima pars in libertatem propendet, inhærere, faciet, ut vix aliqua lex tendens ad diſciplinam poſſit obtinere effectum. *Quã præterea ſatis exprimunt verba ſimpliciter præceptiva.*

Dixi in Concluſione *regulariter*, id eſt, niſi ex circumſtantiis contraria Principis voluntas ſatis colligatur; prout v. g. præſumi poſſe videtur (ut varii Aſſertores noſtræ ſententiæ notant) in lege valde difficili, quòd non intendat initio abſolutè obligare, ſed ſolùm tentare populi ſenſum, & juxta eum legem vel plenè confirmare, vel relaxare & moderari. Interea tamen conſultius erit apud Principem pro legis ſublatione inſtare, & congruentius ordinato regimini legem ſervare, ſi interim tempus urgeat: quàmvis hoc non videatur planè neceſſarium, regulariter loquendo, ſive tunc, ſive etiam aliàs, quando ſubeſt rationabilis cauſa à Principe veroſimiliter ignorata: poteſt enim tunc communitas ad remedium ſupplicationis recurrere, ac interea obligationem legis ſuſpendere, juxta *Caſtro*, *Rodriguez*, *Salas*, *Bonacina* & alios paſſim. Id namque eſt moraliter neceſſarium debito regimini ac paci plebis; adeòque meritò præſumitur legiſlator eſſe contentus. Quod proinde circa reſcripta 116. *Interdum poteſt præſumi alia voluntas Principis.* *Ad quem patet locus ſupplicandi ex cauſa,* *Ac interim obligationem legis ſuſpendendi.*

pta Apoſtolica declaravit Alexander III. c. *Si quando* 5. *De Reſcriptis* Archiepiſcopo Ravennati reſcribens: *Qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas. Quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod pravâ nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Deinde, teſte *Suarez lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 8. hoc eſt uſu receptum in multis Eccleſiæ provinciis, nec Pontifici diſplicet. Quòd ſi Pontifex conſultus nil reſpondeat, cenſebitur regulariter annuere petitioni; aliàs enim deberet reſpondere. Qui autem tacet tali caſu, conſentire videtur. Eſtque etiam hæc interpretatio benignior, adeòque in odioſis adhibenda. Sic Philippus II. dicitur ſupplicaſſe Papæ adversùs Bullam Pii V. de Cenſibus, neque ſecunda juſſio ſupervenisse; ut ait *Zypæus lib.* 1. *de Juriſdict. cap.* 63. *n.* 11. Nihilominus ſi ſatis clarè conſtaret ex conjecturis ſeu indiciis Pontificem non annuere, ſed tacere ut ſubditi comiter & benignè alliciantur ad legis obſervantiam, ceſſaret ratio præſumendi conſenſum ex taciturnitate.

Si Princeps taceat, condeſcendere cenſebitur,

Niſi aliud conſtet.

117. *Variæ Leges Pontificiæ in nonnullis provinciis cur non ſint in vigore.*

Ex his patet, quomodo multæ Leges ſeu Bullæ Pontificiæ in variis Regionibus non obligent (ſecundùm quod proinde varium ſeu non idem ubique debet eſſe judicium in praxi) videlicet, vel quia in iis neque divulgatæ, ſeu publicatæ, neque acceptatæ, conſentiente ſeu tacitè conniventе Pontifice; vel quia defectu publicationis & acceptationis, eſto in principio culpabili, aut fundato in contraria opinione, tādem in perfectam deſuetudinem præviè ad viridem obſervantiam deſierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quòd Ordinarii frequenter advertant, aut exſtiment, ac ſæpè non infundatè, leges varias non congruere publicæ utilitati ſuarum diœceſum ob inveteratas & rationabiles earumdem conſuetudines, genium plebis, defectum finis legis, v. g. quæ lata fuit ob pericula, vel defectus, qui ibidem generatim non graſſantur, immo vix noſcuntur. Propter quod fit, ut divulgatio legis ob enormia v. g. crimina perſonarum Eccleſiaſticarum aliquid prohibentis interdum gravia ſcandala & deſpectum Cleri aut ſtatûs Religioſi optimè ibidē formati ac æſtimati generaret. Immo adeò ſunt quidam populi tenaces ſuarum conſuetudinum, ut etiam juſtiſſimæ alioquin leges & in ſublevamen ſubditorum latæ non ſine graviſſimis incommodis poſſint ad obſervantiam deduci. Tunc itaque frequenter locum habet, quod Cæleſtinus III. c. *Quod dilectio* 3. *de Conſanguin. & affinit.* reſcripſit: *Conſultius duximus multitudini, & obſervatæ conſuetudini deferendum, quàm aliud in diſſenſionem & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibitâ novitate.* Interdum etiam Ordinarii ob poteſtatem laicam non poſſunt exequi pro libitu ſuo mandata Apoſtolica. Interea verò tempore fluente in deſuetudinem leges abeunt, antequam uſu recipiantur. Tunc autem difficile foret & alienum à rationabili mente pii animarum Paſtoris, obligari paucos, qui legis notitiam aliquam caſu acceperunt, communitate (cujus, & non privatæ perſonæ, regula eſt lex) ipſam non ſervante aut etiam ignorante, nec ſpe ullâ inducendæ obſervantiæ affulgente. Idque hîc confirmat uſus & praxis omnium piorum & Doctorum, immo & Prælatorum. Præſumendum tamen Ordinarios in his & ſimilibus occurrentiis non procedere inconſultâ S. Sede, ejuſve Nuntiis ſeu vicem gerentibus, ſed ipſos illam per ſe aut Nuntios Pontificios pro poſſe informare, remediumque ſupplicationis, ubi & quomodo neceſſarium ac moraliter poſſibile fuerit, interponere.

Objicitur I. *L. De quibus ff. de Legibus* dicitur, quòd *Leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt.* Reſp. Juriſconſultum loqui de Legibus, quæ juxta formam regiminis Democratici olim fiebant Romæ à Magiſtratu ſimul & plebe. Deinde ſi quis vellet generaliùs hanc legem intelligi, dici adhuc poſſet in ea aſſignari rationem, non cur lex in initio obliget, ſed cur obligationem retineat, nempe quia ei per non uſum populi non eſt derogatum, ſed è contrà uſu populi eſt frequentata. Quo ſenſu etiam *Gratianus §. Leges diſt.* 4. dicit: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur:* quia nimirum etſi inſtitutio legis per promulgationem abſolvatur, ut priora verba indicant; ex uſu tamen populi multum firmitatis & ſtabilitatis ei accedit, ne facilè abrogetur. 118.

Judicio populi recipiendæ ſunt Leges, quæ juxta Democratiam ab illo pendent.

Objicicitur II. Lex humana, quæ à majori parte populi non recipitur, eo ipſo videtur inutilis, utpote magis cedens in deſtructionem quàm in ædificationem; adeòque ex natura rei deficit à ratione legis obligantis. Reſp. Neg. Antec. nam poteſt lex de ſe eſſe valde utilis bono communi, ac talis manere, pervicaciâ populi expugnatâ. Quam ſubinde curare non expedit; ne nimis facilè plebs contra ſuperiorum acta reclamet, ac ſeditiones excitet. Quemadmodum lex non deſinit eo ipſo ſtatim eſſe utilis & obligare, etſi poſt acceptationem illius ſimile populi murmur oriatur. Boni tamen & prudentis Principis eſt, malorum pericula, & legis commoda expendere, & ſi mala præponderent, ac timeantur non evitanda, legem relaxare. Immo hæc tanta eſſe poſſunt, ut lex per ſe deſinat eſſe tali popu- 119.

Defectu acceptationis non deſinit lex eo ipſo eſſe utilis bono communi.

populo utilis & obligare. Quamquam peccent, qui in populo iſtorum malorum ſunt origo.

Objicitur III. Conſuetudo poteſt abrogare legem acceptatam, & quæ de facto obligat: ergo poteſt etiam impedire, ne obligare incipiat. Reſp. Neg. Conſ. Legem enim abrogat conſuetudo ex conſenſu & voluntate ipſius ſuperioris, tacitâ vel in jure declaratâ; quæ non invenitur in caſu conſequentis: cùm ſatis expreſſa ſit voluntas ſuperioris in contrarium. Immo conſuetudo propriè legi contraria circa initium latæ & promulgatæ legis nequit habere locum; prout locum habere poteſt pedetentim poſtea. Sicque pariformiter procedendo, poteſt concedi totum: ex quo tamen nil infertur contra nos. Unde

120. *Per deſuetudinem populi ſaltem tolli poteſt in quavis ſententia obligatio legis non acceptatæ, & quomodo?*

Nota per deſuetudinem populi legem non acceptâtis tandem tolli obligationem legis non acceptatæ juxta communiſſimam doctrinam, ſicut abrogatur lex uſu antea recepta. Nec juxta veriorem ſententiam refert, ſive populus ſciat legem eſſe promulgatam, ſive non: item ſive Princeps ſciat legem non acceptari, ſive ignoret: nec denique requiritur certum tempus, ſed tam illud, quàm frequentia actuum relinquitur judicio Prudentis. Unde licèt conſuetudo populi legem non acceptantis fuerit initio culpabilis, ſi tamen perduret communis negligentia populi, ſuſpenditur obligatio legis, quando illi quorum intereſt, legis executionem non procurant nec pro ea inſtant. Non tamen penitùs vigor legis extinguitur, adeò ut ſi populus interea mutato conſilio incipiat legem ſervando acceptare, hæc obligationem ſit reſumptura abſque nova voluntate ſuperioris ejuſque promulgatione. Secùs eſt, quãdo lex acceptata tollitur per conſuetudinem præſcriptam. Hoc modo cernuntur variæ leges initio non acceptatæ paulatim ad praxim ſive uſum utriuſque fori deduci. Sic etiam *Tridentinum* in initio quoad reformationem non receptum in Gallia Epiſcoporum ſtudio quoad nonnulla ſaltem fertur cœpiſſe in praxi acceptari.

QUÆSTIO XI.

Quinam ſubjiciantur Legibus humanis?

§. I.

De Principe ſeu Legiſlatore.

121. *Legiſlator in materia communi tenetur lege ſuâ quoad vim directivam.*

COMMUNIS Doctorum, præſertim Theologorum, ſententia eſt, Principem ſeu Legiſlatorem obligari propriâ lege quoad culpam ſive quoad vim directivam, quando materia legis eſt communis & accõmodata tam legiſlatori quàm ſubditis; ut fit in lege jejunii, recitationis horarum, feſtorum, prohibentis frumenta evehi extra patriam &c. Secùs eſt, ſi non ſit accommodata Principi; ut patet in lege ſolvendi vectigalia, non geſtandi noctu arma &c. Aſſertio probatur ex *L. Vox C. de Leg.* ubi dicitur: *Digna vox majeſtate regnantis, alligatum ſe legibus Principem profiteri.* Et c. *Cùm omnes, De Conſtit.* dicitur: *Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo.* Et *ibid.* ex *Catone*: *Patere legem, quam tu ipſe tuleris.* Et c. *Juſtum eſt diſt.* 10. ex *Iſidoro*: *Juſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis.* Et infrà dicitur, *Principem legibus teneri ſuis.*

Radix verò hujus obligationis juxta *Leſſium, Azorium, Malderum, Præpoſitum,* & plures alios non deſumitur directè & immediatè ex efficacia propriæ legis; ſed hæc eſt tantùm conditio, quâ poſitâ lex naturæ obligat Principem ad præſtandum idem quod præſcripſit aliis: nemo enim ſibi ſuperior; lex autem eſt actus ſuperioris in ſubditum, quare nec ſibi ſoli quiſquam poteſt præceptum ferre: quia tamen eſt indecens legiſlatorem nõ ſervare quod aliis præſcribit, quando ſubeſt par ratio, ſtringit ipſum lex naturæ ad ſuæ legis obſervantiam. Quia verò obligatio hæc juris naturæ videtur tantùm eſſe decentiæ & honeſtatis, exiſtimat *Leſſius, Bonacina, Azorius,* & alii valde probabiliter Principem ſuæ legis tranſgreſſorem, v. g. Papam non recitantem horas, non jejunantem, committentem ſimoniam juris humani &c. (idem eſt de Capitulis ſeu cõmunitatibus ſpectatis in corpore quoad leges à toto corpore latas; ſecùs eſt de ſingulis, cùm non in ſingulis, uti in Principe, ſed in omnibus ſimul ſeu in toto cœtu reſideat poteſtas legiſlativa) non peccare mortaliter. Quod multò certius eſt, quãdo occaſione datâ non ſervatur lex inferioris à ſuperiore in juriſdictione, v. g. lex provinciæ à Generali Religionis &c: hic enim ex ſola decentia tenetur, immo propriè videtur non teneri ad ejuſmodi legem, ſed ſolùm eſſe congruum ut ſervet.

122. *Veroſimiliter non immediatè ex efficacia propria legis, ſed hâc ſuppoſitâ ex lege naturæ.*

Idq; non ſub mortali.

123. *Plurimi tamen putant, quòd ſub mortali.*

Plurimi nihilominus cenſent Principem ſuæ legis tranſgreſſorem peccare mortaliter; ut *Covarruvias, Vaſquez, Sayrus, Malderus,* & alii. Quod minùs difficulter ſuſtineri poteſt, ſi cum *Suares l. 3. c. 35. n. 11.* & aliis dicamus, obligationẽ principis, uti ſubditorum, oriri directè & immediatè ex vi & efficaciâ ſuæ legis: eò quòd videlicet ratio dictet, non aliter à communitate aut etiam ab ipſo Deo fuiſſe Principi conceſſam poteſtatem legiſlativam, quàm ut pari obligatione patiatur legem à ſe ferendam: qui proinde inſtar mini-

Idq; juxta Suares directè vi legis propriæ.

miniſtri communitatis & Dei ferat inter ceteros ſibi tamquam membro communitatis legem; ſicque diversâ conſideratione ſit ſibi ipſi ſuperior, & in ſeipſum exerceat juriſdictionem, ſicut dum ſecum diſpenſat. Aliundè etiam difficile apparet, cur potiùs in Principe, quàm in ſubdito ſit obligatio juris naturæ: cùm æquè in Principe poſſit ipſa tolli per diſpenſationem.

124. *Tenetur ſaltem pari obligatione ſervare leges taxantes pretia rerum.* Hoc ſaltem apud omnes certum eſt, Principem ſuppoſitâ ſuâ lege taxante pretia rerum debere ſequi eamdem taxam, pari & gravi obligatione; idque jure naturæ quo cavetur ne res pluris vendatur aut minoris ematur quàm communiter valeat; ſuppoſitâ autem taxâ valet præciſè prout taxata eſt. Idem eſt de iis legibus contractuum, quibus ab ipſo cum ſubditis contrahente non ſervatis deficeret æqualitas in contractu oneroſo requiſita ex parte utriuſque contrahentium.

125. *Cenſetur Princeps ſolvi juris ſolemniis,* Notandum verò inter illa quæ non decet æqualiter ligare Principem eſſe illa juris ſolemnia, quæ ipſius majeſtate ſupplentur, v.g. ſolemnia activi teſtamenti, à Principe ſcilicet conditi, ut habet *Malderus q. 96. a. 5. §. de Principe.* Et colligitur ex L. *Ex imperfecto* 3. C. *de Teſtam.* ibi: *Licèt enim lex imperii juris ſolemnibus Imperatorem ſolverit &c.* *Aut ipſe ſe ſolvere, condens v.g. teſtamentum non ſolemne.* Aut certè præſumitur ſecum ipſo facto diſpenſare, citra alicujus injuriam; ut vult *Caſtro Palao de leg. diſp. 1. pu. 24. §. 2. n. 8.* Non valet tamen teſtamentum paſſivum, quo ſcilicet ipſe Princeps à tertiò inſtituatur heres vel legatarius: quia non eſt opus Principis, ſed tertii in lege non diſpenſati. Atque ita deciditur *L. Ex imperfecto cit.*

126. *Non arctatur denique lege ſuâ quoad vim coactivam.* Denique quoad vim coactivam ſeu quoad pœnas, conſtat apud Doctores unanimiter Principem legibus ſuis non ſubdi. Quo ſaltem ſenſu dicitur *L. Princeps ff. de Leg. Princeps legibus ſolutus eſt.* Nimirū *quia* (ut inquit *D. Thomas q. 96. a 5. ad 3.*) *nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat.* Vis namque coactiva in phyſicis quidem ſimpliciter, in moralibus ſaltem connaturaliter, exigit principium extrinſecum, quo tranſgreſſor urgeri poſſit ad pœnæ ſolutionem: nemo enim proprie cogitur à ſe ipſo. Quocirca nec poteſt quis ſeipſum excommunicare vel in ſeipſum ſententiam ferre, ſive in ipſa lege, ſive extrà, neque etiam alius in Principem. Denique hæc ſubjectio dedecet perſonam Principis, magnamque importat ſervitutem. Poteſt tamen contra Principem ferri ſententia declaratoria juris; prout frequenter in tribunalibus contingit, Fiſco certis juribus aut bonis velut Principi debitis ejus nomine contendente, & litem perdente.

§. II.

De Infidelibus, Pueris, Amentibus, Ebriis &c.

CERTUM in primis eſt, Infideles nullis Eccleſiaſticis legibus teneri; cùm non ſint ſubditi Eccleſiæ, defectu Baptiſmi. Unde poſſunt diebus vetitis comedere carnes, immo & has poſſunt alii ipſis miniſtrare: cùm nec ipſi comedendo peccent, nec aliis ſit ſpecialiter interdicta talis ſubminiſtratio. 127. *Legibus Eccleſiaſticis non tenentur Infideles,*

Similiter Pueri ante uſum rationis (qui præſumitur adeſſe completo ſeptennio, & non antea, dum contrarium non conſtat) nullis legibus humanis tenentur; cùm deſit obligationis fundamentum, ſcilicet uſus rationis. Unde poſſunt diebus jejuniorum ovis & carnibus veſci, Monialium clauſtra ingredi &c. Ex quo *Sanchez, Bonacina* & alii inferunt conſequenter poſſe eis ova & carnes in quadrageſima ſubminiſtrari (ſeclusâ ſpeciali prohibitione Eccleſiæ, quâ id prohiberetur adultis; de qua his ſaltem in locis mihi non conſtat, quin potiùs oppoſitum habet uſus quantùm ad ova, quæ facilè ſunt ad manum) cùm ſit cooperatio ad actum ne quidem materialiter illicitum, ſicut dum ſubminiſtrantur infirmo excuſato; eò quòd ſcilicet tales non comprehendantur præcepto. Similiter cenſent *Sanchez, Bonacina, Barboſa* & alii, poſſe aliquem ejuſmodi pueros intromittere in clauſtra; cùm nec ipſi pueri malè agant, nec iſta intromiſſio videatur ſpecialiter prohibita, utpote carens inconvenientiis, quæ natæ eſſent oriri ex intromiſſione adultorum infidelium, vel amentium. 128. *Neque pueri ante uſum rationis, Qui poſſūt diebus jejuniorum veſci carnibus, h. & iis miniſtrari. An etiam in clauſtra intromitti.*

Poſt uſum autem rationis, etiam ante pubertatem, ſunt per ſe loquendo obligati præceptis Eccleſiæ generaliter omnes reſpicientibus: ſecùs eſt de Cenſuris & pœnis ab homine latis; ex c. 1. *de Delictis puerorum.* Immo illos etiam non comprehendi Cenſuris à jure vel generaliter latis, cenſet cum aliis *Palao ſup. n. 9.* contra alios paſſim, excipiens ſolùm excommunicationem à Jure latam in percuſſorem Clerici, ex c. *Super eo,* & c. *Pueris,* & c. *Quàmvis de Sent. Excommunicat.* 129. *Poſt uſum rationis tenentur legibus, etiam impuberes, non tamen cenſuris, regulariter.*

De Ebriis, Amentibus, invincibiliter legem ignorantibus, certum eſt omnes tempore ebrietatis, amentiæ & ignorantiæ per accidens excuſari à formali legis tranſgreſſione defectu libertatis. Attamen dicendi ſunt per ſe legibus affici, ſicut & afficiuntur dormientes, legeſque ad illos velut ſubditos per ſe dirigi. Unde non liceret ignorantibus eſſe diem jejunii, aut ebriis, cibos vetitos miniſtrare vel ad comedendum invitare: quia ipſi peccant materialiter, & invitantur ad actum de ſe malum. 130. *Ebrii, Phreneſici, invincibiliter ignorantes per ſe obligantur, etſi pro tempore à culpa formali excuſentur.*

De

De Amentibus autem cenſet *Palao ſup.* §. 2. *n.* 13. licitè illis miniſtrari cibos vetitos, non quia carent ratione, ſed quia amentia eſt infirmitas excuſans à jejunio. Multò minùs liceret Ebrios vel Amentes, etiam perpetuò, incitare ad copulam carnalem, alioſve actus jure naturæ omnibus illicitos, & in ſe reſpectu omnium malos, etſi in culpam non imputatos defectu uſus rationis.

§. III.

De Indigenis quoad leges proprii Territorii, dum extra illud ſunt.

131. *Indigenæ non obligantur legibus territorii, dum extra illud verſantur,* COMMUNIS & in praxi receptiſſima Doctorum ſententia habet, neminem extra territorium adſtringi legibus ejuſdem. Quæ inſinuatur *c. Ut animarum 2. de Conſtit. in 6.* ubi de ſtatuto Epiſcopi, quo excommunicantur fures, dicitur: *Subditi ejus furtum extra ipſius diœceſim committentes minimè ligari noſcuntur: cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Similiter *Auguſtinus Epiſt.* 118. *ad Jan. c.* 2. (Et refertur c. *Illa diſt.* 12.) apertè ſignificat licuiſſe matri ſuæ Mediolani non ſervare ſabbato jejunium domicilii ſui, inſinuans ei tale reſponſum *Ambroſii* deſuper conſulti: *Cùm Romam venio, ſabbato jejuno: cùm Mediolani ſum, non jejuno: ſic & tu ad quamcumque fortè Eccleſiam veneris, morem illius ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Aliter etiam leges non ferri neque acceptari confirmat communis velut Gentium uſus. Congruentia eſt, quòd Lex ſit regula quædam communis pro bona territorii gubernatione inſtituta, quæ proinde non comprehendit ſubditos alibi exiſtentes. Deinde regimina alioquin forent ſatìs confuſa. Hinc delinquens extra ſuam diœceſim non incurrit cenſuram delicto annexam ex ſtatuto diœceſano: nec delictum alibi commiſſum habet annexam reſervationem in propria diœceſi ſtatutam: adeòque delinquens poteſt ibi ſaltem abſolvi à communi Confeſſario. Similiter diſcedens è loco ubi eſt dies feſtus ad alium ubi non eſt feſtum, poteſt ibidem operari, non audire ſacrum: item comedere carnes, non jejunare divertens ad locum ubi non eſt abſtinentiæ aut jejunii dies.

132. *Vel dum ſunt intrà illud in loco localiter exempto.* Præmiſſa doctrina eſt intelligenda etiam de illis qui ſunt in loco exempto, ut communiter tradunt Canoniſtæ in *c. Cùm Epiſcopus De Off. Ordinarii in 6.* quia talis locus perinde ſe habet, ac ſi eſſet extra territorium. Modò tamen locus ſit exemptus localiter, ſive ſecundùm ſe (ut ſunt aliquæ parochiæ & oppida Pontifici aut extraneo Epiſcopo, vel Abbati exempto immediatè ſubjecta; in quibus proinde ceſſat juriſdictio Ordinarii, & conceſſa eſt alteri, quaſi aliena diœceſis foret) & non tantùm perſonaliter ſeu ratione perſonarum: prout ſunt loca Regularium exemptorum; in quibus proinde non excuſantur ſubditi ab obſervantia legum territorii. *Cujuſmodi non ſunt loca Regularium exemptorum,* Quidquid Nonnulli oppoſitum cenſeant apud *Baſſæum V. Lex* 3. *num.* 4. in fine, qui cenſet probabile, juxta quos conſequenter non tenerentur ſæculares intrà clauſtra Regularium exemptorum exiſtentes ſervare jejunium locale vel diœceſanum; quod tamen nullatenus eſt admittendum.

Idq; verum etiam in lege communi, quæ extra territorium non ſit in vigore, Eſt etiam intelligenda in caſu, quo lex communis, quæ in proprio territorio viget, alibi eſt relaxata. Sic poteſt quis veniens ad diœceſim Mechlinienſem more ejuſdem in Vigilia S. Bartholomæi & in ſabbatis inter Nativitatem & Purificationem comedere carnes, etſi in propria diœceſi vi juris communis ibi vigentis non liceret. Idem eſt de ſimilibus.

Ac denique in caſu quo quis iſto fine extra territorium vadit, Eſt denique eadem doctrina intelligenda etiam caſu, quo quis extra proprium territorium vadit animo eximendi ſe ab obligatione v.g. jejunii, diei feſti &c. juxta *Suarez, Sanchez, Baſilium Pontium, Bonacina* & alios paſſim contra Nonnullos. Ratio eſt: quia talis licitè exit territorio, utpote utens jure ſuo; extra verò exiſtens licitè legem territorii non ſervat, utpote non obligatus.

Nec dicas talem agere in fraudem legis: Nam *nullus videtur dolo facere, qui jure ſuo utitur, Reg.* 55. *ff. de Reg. Juris*; prout jure ſuo uteretur, qui mutaret domicilium, ut à legibus territorii, quæ ſibi difficiliores videntur, eximeretur. Et hoc quidem in rigore verum apparet, quouſque ſaltem aliud Legiſlator non declarat.

Adverte tamen, quòd ut ſubditus extra territorium ligari non poſſit, debeat ipſe eſſe extrà, non ſolùm ratione ſuæ perſonæ, ſed etiam ratione rei circa quam operatur, ipſiuſque operationis, juxta Doctores communiter. 133. *Debet tamen ſubditus eſſe extra non ſolùm ratione perſonæ, ſed etiam rei circa quam, ipſiuſq; operationis.* Unde legibus territorii rem ipſam afficientibus manet obligatus: v.g. tenetur quis ſolvere tributum ex prædio quod habet in alieno territorio: Clericus tenetur legibus alterius territorii concernentibus beneficia quæ ibidem obtinet; ideoque pœnas ibidem pro non reſidentibus ſtatutas incurrit. Res namque præcepta afficit territorium, & ratione illius cenſetur ibidem peccatum perſonæ alibi exiſtentis moraliter conſummari. Idem eſt, ſi extra territorium exiſtens occidat exiſtentem intrà territorium: is enim verè delinquit in territorio, & cenſuris adverſùs ſic delinquentes ligatur. Hàc ratione quoque intelligi poteſt lex vetans Brabantinis ſub pœna graviſſima, ne Brabantinum evocet ad tribunal extra Brabantiam; quæ etſi videri poſſit afficere etiam eos qui id

id agunt exiſtentes actu extra territorium, tamen ratione operationis, & rei circa quam, cenſentur delinquere intrà. Prout etiam ſubditus abſens ligari poteſt lege vetante triticum extrahi è territorio ob publicam & ſpecialem ejuſdem utilitatem: etſi enim actio materialis ſit extrà, damnum tamen moraliter eſt intrà territorium, cui irrogatur. Denique præcepta perſonalia afficiunt ſubditos etiam extra territorium exiſtentes. Sic v. g. præcepto jejunii tenetur, cui id ſpecialiter eſt impoſitum, etſi actu ſit extra territorium.

134. *Cur potiùs præcepta perſonalia comitentur perſonam ubivis.* Si autem petas, cur ſicut præcepta perſonalia comitantur perſonam etiam extra territorium, ſic non comitentur leges? Reſp. quia præcepta perſonalia non cenſentur affixa territorio, uti leges, ſed potiùs ipſi perſonæ. Cur verò etiam leges abſolutè ferri nequeant ſaltem à ſupremo Principe, ut maneant affixæ perſonis etiam independenter à territorio, hactenus videre non potui repugnantiam. Nam etiam qui ſententiam ſeu præceptum generale perſonis extra exiſtentibus imponit, eis jus dicit, ſicut qui iis legem imponeret. Neque ex alterutro capite labefactatur juriſdictio Ordinarii; ſed ſolùm ex juriſdictione contentioſa, quæ fieret tribunalis inſtitutione ſimilive ſolemnitate. Idem noviſſimè reperio traditum à *Caſtro Palao d. 1. p. 24. §. 5. n. 21. & 22.* ubi citat *Salas.*

§. IV.

De Advenis ſeu Peregrinis, quoad leges loci, in quo morantur.

135. *Peregrinus tenetur legibus communibus,* SUPPONO I. Quæſtionem moveri de legibus particularibus locorum: nam legibus communibus Eccleſiæ tenentur Peregrini; cum ubicumque exiſtant, ſubſint juriſdictioni Eccleſiæ. Similiter Vagus per aliquod regnum tenetur communibus legibus regni; nam reſpectu regni non eſt peregrinus.

Suppono II. Illum, qui migrat aliò fixurus ibidem domicilium, teneri legibus loci, cùm primùm incipit ibi degere: nam ex tunc incipit eſſe loci incola.

Et dum ſubeſt ſcandalum, etiam particularibus legibus locorum, Suppono III. Quæſtionẽ intelligi ſecluſo ſcandalo, quod oritur per accidens, & cõſtat neceſſariò eſſe vitandum. His ſuppoſitis

136. *Immo etiam per ſe, tum quoad contractus,* Dicendum in primis, advenas obligari legibus locorum, per quæ tranſeunt, quoad contractus. Patet ex communi Doctorum conſenſu; atque etiam ex conſuetudine & ſenſu populi ita communiter apprehendentis. Idem colligitur ex c. *Fin. De foro competenti*, ubi dicitur quòd *ratione contractûs forum quis ſortitur.* Et ex *L. Si fundus ff. De Evictionibus.* Unde formam contractuum ibidem ſervari ſolitam aut præſcriptam tenentur ſervare peregrini. Similiter obligantur ad pretium ibi taxatum in emptione perſolvendum; inſuper ab iiſdem debet ſolvi vectigal alicui contractui juſtè appoſitum: quia eſt onus contractûs ibi celebrati.

Dicendum II. Advenas ſimiliter obligari aliis legibus territorii, ſi moram trahant executioni præcepti accommodatam. Eſt communior & probabilior ſententia Doctorum contra *Sanchez l. 3. diſp. 18. De Matr. n. 6.* & multos alios exiſtimantes requiri, ut advenæ ſtatuerint in loco manere pro majori parte anni. Solet Concluſio probari ex diverſis locis *Auguſtini*, & vulgatis verſibus: 137. *Tum quoad reliquas materias,*

Si fueris Romæ, Romano vivito more:
Si fueris alibi, vivito ſicut ibi.

Quæ tamen poſſent intelligi de conſilio, aut certè quid agendum ratione ſcandali. Itaque

Probatur aſſertio: quia plurimùm conducit ad bonam gubernationem territorii, in ordine ad quam leges feruntur, ut peregrini eiſdem legibus & moribus utantur, quibus incolæ: ergo dicendum omnino eſt Principem generaliter loquendo comprehendere peregrinos, quando materia & ratio legis eſt illis conveniens; cùm credendum ſit, velle ipſum adſtringere, quos bonum publicum poſtulat adſtringi. Aliundè autem non deeſſe in Principe ad hoc poteſtatem, patet, quòd communi Doctorum conſenſu obligentur peregrini legibus territorii, quoad contractus & formas in judiciis ſervandas: ergo non eſt defectus ex parte poteſtatis. Deinde ſi peregrini committant delictum legi naturæ contrarium, poſſunt puniri non minùs quàm incolæ: ergo ſignum eſt ſuperioribus locorum competere ſuo modo juriſdictionem in peregrinos.

Probatur II. quia dum prohibetur certorum armorum delatio, mercium invectio aut diſtractio, etiam exteri communi ſenſu cenſentur comprehendi, adeò quòd contravenientes æquè punirentur ac incolæ: immo ſubinde ſpeciales leges feruntur pro exteris; nimirum ut nomen ſuum & hoſpitium denuntient, certum tributum pendant, non niſi poſt certam horam vel tempus merces emant aut vendant &c. quæ non concernunt incolas. Confirmatur ex communi ſenſu & conſuetudine, quæ videtur recipere obligationem utendi legibus locorum, per quæ tranſimus &c. Hinc

Sequitur I. peccare peregrinum æquè ac incolam, ſi tranſgrediatur ejuſmodi leges, quantumvis in loco ſecretiſſimo & ſecluſo ſcandalo: nam licèt ſcandalum, quod natum eſſet ſequi, moverit legiſlatorem ad comprehendendos peregrinos ſuâ lege: tamen lege poſitâ obligantur hi, etſi in caſu particulari ſcandalum abſit. 138. *Idque æquali obligatione.*

Sequitur II. Religioſos teneri regulis locorum ſui Ordinis, per quæ tranſeunt, niſi *Quod etiam per ſe loquendo ad*

Religioſos hoſpites eſt extendendum,

niſi quoad hoc in ordine prævaleat conſuetudo, vel ſpeciale privilegium quo hoſpites cenſeantur exempti; prout ex privilegio ſpeciali poſſunt Presbyteri Græci dum verſantur in Eccleſia Latina conſecrare in fermẽtato, & è contrà Latini ſervare uſum Eccleſiæ ſuæ conſecrando in azymo, quando peregrinantur in Eccleſia Græca.

Et potiori jure ad vagos,

Sequitur III. Quod dictum eſt de peregrinis, potiori jure dicendum de vagis, qui nullibi fixum habent domicilium. Unde etiam *Sanchez ſup. n. 15. Bonacina* & alii ſpecialiter docent vagos obligari legibus locorum, ne aliàs ab omnibus legibus particularibus locorum ſint exempti; quibus proinde præſentanea habitatio ſit vice domicilii ad effectum præſentem.

139. *Atque à fortiori, dũ leges domicilii & alieni territorii conveniunt,*

Sequitur IV. Aſſertionem noſtram à fortiori habere locum, quando leges particulares proprii domicilii, & alieni territorii conveniunt: v.g. quando ex ſtatuto diœceſano eſt feſtus dies in loco domicilii, & ex ſtatuto alterius diœceſis ſimiliter in ea eſt feſtum. Unde tale feſtum debere obſervari à peregrinis tradit ſpecialiter *Sanchez ſup. n. 3.* Sed an ſatis conſequenter, alii viderint. Id ſaltem omnino negari nequit (quod nec alii Auctores facilè negarent) peregrinum venientem ad locum, ubi ſervatur jus commune in ſuo territorio obſoletum, v. g. jejunium in vigilia S. Bartholomæi, abſtinentia à carnibus in puerperio B. Virginis &c. debere ibi ſervare vigiliam, abſtinentiam à carnibus &c. cùm ſit indubiè ſubditus juri communi, à cujus obſervatione per accidẽs excuſabatur exiſtens in proprio domicilio, eò quòd ibi eſſet ei deſuetudine derogatum.

Vel dum in alieno territorio viget lex communis in loco domicilii abolita,

Sententia eximens peregrinos à ſpecialibus legibus loci eſt probabilis.

Notandum tamen oppoſitam ſententiam eximentem peregrinos à legibus ſpecialibus locorum per quæ tranſeunt, non eſſe improbabilem. Quam Nonnulli etiam extendunt ad Vagos. Inde autem formanda forent, & facilè formari poſſent diſſimilia quædam Corollaria.

140. Dices I. c. *A nobis 21. De ſent. Excommunic.* deciditur ſententiam excommunicationis generaliter latam in furtum committentes, non niſi ſubditos obligare. Reſpondet *Caſtro Palao ſup.* §. 3. *n.* 15. Pontificem ibi indeciſum relinquere, an obligentur advenæ, ſive an hi per ſubditos etiam intelligantur, an ſoli indigenæ. Quia verò hoc aliqualiter tortum videri poſſet, aliter fortè quis reſpondendum putaret, ſcilicet c. *citatum* agere de Judice delegato proferente generalem ſententiam excommunicationis; cùm in fine dicatur: *niſi fortè plus contulerit major & largior auctoritas delegantis.* Denique Reſpondetur cum Doctoribus paſſim, ibi non agi de pœna impoſita per legem, ſed per ſententiam generalem & præceptum, quod non reſpicit locum, ſed perſonas, ac proinde non ſolet comprehendere niſi perſonas ſimpliciter ſubditas. Lex autem ſolet immediatè reſpicere locum ſeu territorium, & eo mediante perſonas; adeòque poteſt obligare repertos in territorio, etſi non ſint abſolutè ſubditi.

Dices II. Epiſcopus loci, in quo tranſeunter verſaris, non poteſt tecum diſpenſare in votis: ergo nec poteſt te obligare ſuis legibus. Reſp. quidquid ſit de Antecedente (quod cum aliis negat *Baſilius Pontius l.* 8. *de Matrim. c.* 4. *n.* 7. dum ſubeſt cauſa ſeu neceſſitas) Neg. Conſeq. non enim ſequitur, ſi nequeat tecum diſpenſare in bonum tuum, quòd nequeat te adſtringere ſuis legibus, quatenus hoc facit ad bonum commune, & gubernationem ſui territorii: hoc enim ipſum poſſe iam ſatis oſtenſum eſt.

§. V.

De Clericis & Religioſis.

141. *Qui hic nomine Clericorum intelligantur.*

NOMINE Clericorum intelliguntur quæcumque perſonæ ſpeciali ſolemnitate divino cultui dicatæ, ac ſic quodãmodo divinæ ſortis effectæ: quod fit per tonſuram Eccleſiaſticam, aut ingreſſum approbatæ Religionis, ſive quis ſit profeſſus, ſive novitius, aut converſus: nam etiam Novitii pro illo tempore cenſentur communiter Eccleſiaſticæ perſonæ; prout etiam cenſentur Tertiariæ, quæ aſſumpto habitu Monachali ſeſe manciparunt obſequiis alicujus Religionis approbatæ ſub obedientia Superioris ejuſdem Religionis.

Non obligãtur legibus Principum in materia ſpirituali latis, per ſe loquendo.

Et quidem indubitatum eſt perſonas Eccleſiaſticas ſive Clericos non obligari ad leges Principum ſæcularium, quæ verſantur in materia ſpirituali, niſi in quantùm ſunt à Pontifice approbatæ; neque etiam ad leges iniquas, aut aliàs ab Eccleſia correctas ac revocatas; cùm nec ipſi laici ad eas teneantur, utpote nullius valoris; quandoquidem materia ſpiritualis ſit extra ſphæram poteſtatis ſæcularis, legeſque iniquæ potiùs mereantur nomen violentiæ, quàm legis. Similiter nec illæ ſunt alicujus roboris, quæ ab Eccleſia ſunt infirmatæ, eò quòd iniquitatis vel peccati occaſionem tribuerent.

Quæritur itaque de legibus civilibus ob bonum publicum ordinatis in materia convenienti, adeòque Laicos communiter obligantibus, an etiam iis comprehendantur Clerici ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ.

142. *Nec tributariis, aut in materia judiciali,*

DICO I. Clerici non comprehenduntur legibus tributariis, aut imponentibus alia onera realia ſeu perſonalia, nec etiam in materia judiciali. Concluſio eſt certa ex utroque Jure.

Quoad primam partem patet ex c. *Quanquam De Cenſibus in 6.* & ex *Tit. De immunitate Eccleſiarum.* Item ex *L. Caſſa.* & *L. Sancimus C. De Sacroſanctis Eccleſiis,* & *Novellã Frede-*

Frederici Imperatoris, quæ incipit: *Item nulla, De Epiſcopis & Clericis*. Quoad ſecundam partem patet ex *Tit. De Foro competenti*, & *Tit. De immunitate Eccleſiarum*, ac ex 11. *q.* 1. & *Bulla Cœnæ*. Videri poteſt *Bellarminus l.* 1. *de Clericis c.* 28.

143. *Non eſt æqualis omnium exemptio.* Hæc tamen Clericorum exemptio non eſt æqualis. Nam in primis Clericis conjugatis nullum competit privilegium clericale, niſi deferant tonſuram & habitum clericalem, & non ſint bigami ex c. *unico De Clericis conjugatis in* 6. Quibus ſuperaddit *Tridentinum ſeſſ.* 23. *c.* 6. *de Reform.* eos debere inſervire alicui Eccleſiæ ex deputatione Epiſcopi. *Quâ gaudeant clerici conjugati, & ſub quibus conditionibus.* Quæ conditiones dum omnes adſunt gaudent ſolo privilegio Canonis, ut nimirum percutiens illos incurrat excommunicationem Canonis *Si quis ſuadente diabolo*, & fori quoad cauſas criminales, ita ut pro illis non poſſint trahi ad tribunal ſæculare, ſive agatur criminaliter, id eſt, ad vindictam, ſive civiliter, id eſt, ad reparationem damni illati. Quoad cauſas autē civiles ortas ex contractu vel quaſi contractu non habēt privilegium fori: prout nec ſunt liberi à tributis & oneribus Reipublicæ, poſſuntque contravenientes capi & puniri à judice ſæculari. Videri poteſt *Sanchez l.* 7. *de Matrim. diſp.* 46. ubi *n.* 19. nullam ait requiri monitionem vel judicis declarationem, ut deficientibus conditionibus à *Tridentino* requiſitis privilegium etiam Canonis & fori amittat, eò quòd privatio non imponatur in pœnam delicti, ſed ob defectum conditionum neceſſariò præſuppoſitarum, qui *diſp. ſeq.* contra quoſdam docet nullum privilegium eſſe ad clerici uxorem extendendum.

144. *Quâ exemptione gaudeant non conjugati, qui nō ſunt in ſacris, ac ſub quibus conditionibus.* Secundò clerici non conjugati, qui tantùm ſunt primâ tonſurâ initiati, aut in minoribus conſtituti, ut gaudeant privilegio fori, debent habere beneficium Eccleſiaſticum, aut deferentes clericalem habitū & tonſuram alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſervire, vel in ſeminario clericorum aut in aliqua ſcholâ vel Univerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad majores Ordines verſari; alioquin eo ipſo privilegiū fori perdunt. Ita *Tridentinum ſup.* quod etiam non prærequirit trinam monitionem, ut notat *Sanchez diſp.* 46. *cit. n.* 20. *in fine:* Immo nullam requiri monitionem declararunt quoque Cardinales ad *ſeſſ.* 23. *c.* 6. *de Reform.* De privilegio autem Canonis & exemptione à tributis nihil innovavit *Tridentinum* (quod etiam declaravit Congregatio Cardinalium apud *Diana p.* 1. *Tr. de Immunit. Eccleſ. Reſ.* 36.) adeòque illis gaudēt præfati clerici juxta jus antiquum juxta *Diana ſup. Molina, Leſſ. Malderū*, cōtra plures alios; modò deferant tonſuram & habitum clericalem; nec privantur, niſi poſt trinam admonitionem. Quamquam juxta *Leſſium l.* 2. *de Juſt. c.* 33. *dub.* 5. videantur exemptionem à tributis per longam conſuetudinem amiſiſſe, ſi non habeant beneficium, nec deſerviant alicui Eccleſiæ.

Denique clerici majorum Ordinum & Religioſi gaudent plenè omnibus privilegiis clericalibus. Unde omnia illorum bona ſunt immunia ab exactionibus. 145. *Exiſtentium in Sacris ac Religioſorum exēptio eſt plena, Exceptis certis caſibus.*

Excipe I. Si bona, priuſquam ad clericos devolverentur, habuerint certum onus annexum, v.g. cenſum, ſervitutem, reparationem viæ adjacentis &c: nam res tranſit cum ſuo onere, ut habetur c. *Paſtoralis, De decimis.*

Excipe II. Si exactio cedat in privatam utilitatem tam clericorum quàm laicorum, v.g. ſi agger ſit reparandus, ne aquæ obruant agros: tūc enim tenentur clerici cōtribuere.

Excipe III. Si laicorum bona non ſufficiant alendo exercitui, reparādæ viæ publicæ, muniendæ civitati contra hoſtem: in iis enim & ſimilibus neceſſitatibus poteſt Princeps exigere tributum etiam à clericis ex c. *Non minus* & c. *Adverſus, de Immunitate Eccleſiarum*: modò adſit conſenſus Epiſcopi reſpectu ſuorum clericorū, & conſenſus Prælatorum exemptorum reſpectu ſibi ſubjectorum juxta c. *Non minus, cit.* Immo c. *Adverſus* (quod eſt recentius) & in *Bulla Cœnæ* requiritur conſenſus Papæ; niſi periculū eſſet in mora: tunc enim ſufficere videtur conſenſus jure antiquo requiſitus.

Amittunt porrò Clerici etiam majorum Ordinum immunitatem hactenus explicatam, primò irrevocabiliter per degradationem realem, juxta c. *Degradatio De pœnis, in* 6. idque abſque ulteriori ſententia; cùm ipſa degradatio ſit executio ſententiæ ſeu depoſitionis verbalis, & perpetua pœna. In ſequentibus autem caſibus requiritur ſententia declaratoria, prout habet *Sanchez l.* 7. *de Matrim. diſp.* 46. nec amittitur privilegium irrevocabiliter, & quoad actum primum, ſed tantùm quoad uſum. Unde relicto opere, quod eſt cauſa privatiōis privilegii, ipſum mox recuperatur. Ita *Sanchez ſup. n.* 27. 146. *Quibus caſibus priventur clerici majorum Ordinum ſuâ immunitate.*

Secundò itaque amittunt immunitatem clerici majorum Ordinum, qui ter à proprio Prælato moniti non reſumunt habitū clericalem c. *Contingit* 45. *De Sent. excommunicat.*

Tertiò qui joculatorem aut hiſtrionem agunt per annum privantur privilegiis ipſo jure; aut etſi breviori tempore, ſi ter admoniti non reſipiſcant c. *unico. De vita & honeſtate clericorum in* 6.

Quartò Clerici exercentes per ſe & publicè officium carnificis, lanionis aut tabernarii, & poſt trinam admonitionē non deſiſtentes, ſi quidem ſint conjugati, perdūt totum privilegium clericale; ſi verò non ſint conjugati, & portent habitum clericalem, amittunt dumtaxat immunitatē ſuorum bonorum: quòd ſi etiam dimiſerint habitum, perdunt totum, *Clem. unica, De vita & honeſtate clericorum.*

Quintò

Quintò ſi negotiationem exerceant: tũc enim ex eo, quod emunt, vendunt aut deferunt negotiationis causâ, licitè poſſunt exigi vectigalia ex c. *Quamquam, De Cenſibus in 6.* Colligit tamen *Gloſſa* ſuper c. *Ex litteris, De vita & honeſtate Clericorum,* non teneri clericos in conſcientia ſolvere vectigal ante trinam monitionem. Similiter immunitati clericorum obſtant nonnulli alii actus jure prohibiti.

Quando autem notavimus requiri trinam monitionẽ, non ſufficit una loco triũ, ſicut hæc poteſt ſufficere in excommunicatione ab homine, quam etiam debet regulariter præcedere trina monitio: quia jura ſic diſponunt de excommunicatione, & non de hac materia. Ita *Suarez diſp. 22. de Cenſuris ſect. 1. n. 16.*

147\. *Ad leges civiles generaliter pro bono publico latas clerici de cetero tenentur,*

Dico II. Ad alias leges civiles generaliter latas, & bono publico utiles clerici obligantur quoad vim directivam non minùs quàm ſæculares. Unde obligantur ſervare in contractibus pretium lege taxatũ, non expendere pecuniam interdictam vel ultra valorem communiter ſtatutum, non deferre arma prohibita, nõ exportare merces extra patriam &c. tenenturque ad reſtitutionem caſu quo ad eamdem tenerentur ſæculares. Eſt communis Doctorum contra *Navarrum Conſil. 3. de Conſtit.* exiſtimantem clericos ſimpliciter non obligari hujuſmodi legibus. Et contra *Bonacina* & alios exiſtimantes clericos ex ſola æquitate naturali, nempe ex ratione conformitatis ad alia membra Reipublicæ obligari ad leges civiles, adeòque tantùm ſub peccato veniali. Qui tamen communiter excipiũt contractus quantùm ad valorem pretii, & ſimilia, exiſtimantes quidem clericos contravenientes graviter peccare, ſed contra legem naturalem juſtitiæ, quandoquidem conſtituto legitimo pretio res non valeat pluris; adeòque ſit contra juſtitiam, eam v.g. pluris vendere, minoris emere &c. Contra hos

Non ſolùm ex æquitate naturali,

148\. *Sed pari obligatione, ſaltem ex voluntate Eccleſiæ;*

Probatur Concluſio: quia etſi, ut iſti Auctores contendunt, clerici forent omnino exempti à laica poteſtate, poſſent nihilominus æquè ac laici obligari legibus civilibus immunitati non repugnantibus, ac de facto obligantur ex tacita ſaltem Eccleſiæ voluntate, quæ omnino vult ejuſmodi leges etiam à clericis obſervari, prout eas obſervari decentiſſimum eſt. Ita *Prepoſitus q. 95. diſp. 4. dub. 3.* & plures alii Theologi & Canoniſtæ, qui proinde vim obligandi clericos fundant in approbatione Superiorum Eccleſiaſticorum. Contra quos tamen exiſtimat *Salas* cum multis aliis ſatis probabiliter, clericos ad ſimiles leges civiles obligari directè ex vi legum civilium. Unde

149\. *Immo probabiliter directè vi ipſarũ legum,*

Probatur inſuper Concluſio: quia quoad illas leges ſubſunt clerici laicæ poteſtati; cùm nullo jure inveniantur exempti. Cùm enim rationabiliſſimum ſit, ut clerici tales leges ſimul obſervent, non eſt credendum, Eccleſiam illos quoad hoc poteſtati Principum ſubtraxiſſe: immo fortè ſubtrahere non potuit; cùm Principes juriſdictione ſuâ privandi non habeat poteſtatem, niſi indirectam, quatenus id exigeret ſpirituale Eccleſiæ bonum; quod hîc non fit. Si verò prætenderent Principes contra immunitatem Eccleſiaſticam per leges ſuas in ſpecie diſponere ſuper Eccleſiis aut perſonis Eccleſiaſticis, indubiè non haberent vim defectu poteſtatis, ut patet c. *Eccleſia S. Mariæ 10. De Conſtit.* Quòd verò nonnullæ tales reperiantur, id factũ diſſimulantibus Pontificibus propter ſtatum temporis.

Nota etiam Clericos legibus civilibus generaliter latis contarvenientes nõ poſſe puniri per Principem ſæcularem: à poteſtate enim coactivâ ſæcularium decebat eos eximi, ideoque ſunt omnino exempti, ut ex jure eſt manifeſtum. Hinc tales Clerici ſubjacebunt pœnæ per Superiorem Eccleſiaſticum infligendæ, ſive eidem quam lex civilis taxavit, ſive alteri arbitrariæ: ad quod Princeps ſæcularis inſtigare poteſt rogando, non tamen auctoritatem cum injuria ſtatûs Eccleſiaſtici oſtendẽdo. Nec repugnat, ut Superior aliquis relictâ Prælato ſibi ſubjecto facultate directivâ circa aliquẽ ſubditum, poteſtatem punitivã ſibi reſervet; prout interdum in Religionibus fieri videmus. 150.

Non tamen quoad vim coactivam.

Ideoq; puniendus per ſuperiorem Eccleſiaſticum:

Poſſent equidem Principes clericos ad tranſgreſſionem ſuæ legis paratos impedire: hoc enim non eſt punire. Unde auferre poſſunt clerico arma aut merces, qui contra prohibitionem defert arma aut conatur exportare merces; ut docet *Covarruvias*: hoc enim non eſt aliud, quàm impedire tranſgreſſionem legis, idque per viam puræ defenſionis. Arma autem aut bona ablata non poſſent retinere vel Fiſco tradere, niſi quantùm ſatis eſt ad reddendum ſe indemnes; alioquin eo ipſo punitionem intentarent. Porrò cùm poteſtas Principum ſæcularium in ordine ſuo ſit ſuprema, poſſunt prædicto jure defenſionis uti, etſi ad judicem Eccleſiaſticum pateat aditus: immo ſi omnis vindicatio ſecludatur, poſſent ſe etiam defendere contra Pontificem aut Epiſcopos apertè & violentè jura ipſorum invadentes. 151.

Quamvis Principes poſſint contra clericos facere quæ ſunt meræ defenſionis naturalis.

Quòd ſi aliquibus in locis Principes ſeu Judices ſæculares ad ulteriora brachiũ ſuũ ſæculare extendant (utinam Eccleſiaſtici ipſi numquam ſint cauſa occaſionalis!) ſeclusis privilegiis, & de rigore juris non eſt probandum. Prout ſpecialiter de tractatiõe rei ſpiritualis in poſſeſſorio per Judicem laicum fatetur *Zoeſius l. 2. Decretal. Tit. 2. n. 9.* addens, quòd conſuetudo contraria, quæ quoad hoc invaluit, ſignanter in Belgio, tolerari poſſe videatur, eò quòd magis ad cauſam temporalem, quàm ſpiritualem videatur pertinere. De quo tamẽ judicet Eccleſia. 152.

Quòd ſi interdum ulteriùs procedant, non ad jus, ſed ad facta hominum id ſpectat, non probanda, ſecluſa facultate legitimâ ſaltem uſu non reprobato obtentâ.

cleſia. Specialiter in Belgio notanda ſunt Concordata inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem inita Anno 1541. & acceptata ab Epiſcopo Cameracenſi (ſub quibus ante novos Epiſcopatus Belgii tota Brabantia fuit) utpote quæ ibidem hodie in uſu ſunt, juxta *Zypæum in Analyſi Jur. Pontif. l.2. Tit. de foro competenti n.1.* qui de iiſdem Concordatis fusè tractat. *n. n. ſeqq.*

In Belgio vigent Concordata.

153. *Exemptio in materia ſpirituali eſt juris divini. In reliquis conſona æquitati naturali,*

Dico III. Certum quidem eſt exemptionem perſonarum Eccleſiaſticarũ in materia ſpirituali eſſe juris divini, quo illarum rerum judiciũ tribunali dumtaxat Eccleſiæ à Chriſto inſtituto cõvenire dignoſcitur. Indubiè etiam æquitati naturali conſonum fuit immunitatem perſonarum Eccleſiaſticarum ab oneribus & coactione ſæcularium Principum, tum per Eccleſiam, tum per ipſos Principes ordinari. Facta inſuper fuit ex ſpeciali providentia Dei Eccleſiam ſuam dirigentis. Ob quod *Conciliũ Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. De Reform.* indefinitè dicit *Eccleſiæ & Perſonarum Eccleſiaſticarũ immunitatẽ Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus conſtitutã.* Habet denique hæc immunitas exemplum in ſcriptura, ut *Gen. 47.* & *1. Eſdræ 7.* Quo ſenſu dicitur c. *Quamquam, De Cenſibus in 6.* exemptionem iſtam eſſe etiã juris divini; ut notant *Gloſſa* & Doctores in dictum Caput. Addit *Bellarm. l.1. de Clericis c. 28. in fine*, id obiter tantùm aſſertum à Bonifacio VIII. ex ſententia Canoniſtarum, & fortaſſe etiam ſuâ.

Exemplariter juris divini;

In rigore tamen juris Eccleſiaſtici & Civilis

Nihilominus in rigore loquendo verius eſt hanc immunitatẽ eſſe juris humani tantùm, quatenus quòd æquitas naturalis & Scriptura judicabant ſtatuendum, Eccleſia & poteſtas civilis ſtatuerunt. De jure enim divino poſitivo non conſtat ex Scriptura aut Eccleſiaſtica Traditione, maximè cùm ſit communis doctrina Chriſtum in nova Lege nõ tuliſſe præcepta poſitiva diſtincta à ſacramentalibus. Similiter nec ratio naturalis, etiam ſuppoſitâ fide, dictat hãc exemptionem eſſe ſimpliciter neceſſariam. Quare olim Eccleſia ex agris ſuis pendebat tributum Imperatoribus Chriſtianis; ut patet & c. *Si tributum 11. q.1.* & c. *Tributum 23. q.8.* Ab iis tamen ſenſim, tum in materia exactionũ, tum in judiciaria cœpit ſtatui perſonarum Eccleſiaſticarũ exemptio; quæ à poſterioribus Principibus & Conciliis plenariè eſt firmata, & conſenſu totius orbis multis ſæculis ſtabilita.

Irrevocabilis per poteſtatem ſæcularem.

Unde hanc immunitatem Eccleſiæ donatam non poſſunt Principes revocare, ſicut ſine ſacrilegio non poſſunt repetere agros Eccleſiæ ſemel donatos; præſertim cùm exemptio iſta per modum remunerationis ſit conceſſa, & poteſtate Pontificiâ roborata, cui nequit poteſtas ſæcularis derogare. Vide *Leſſium l.2. c. 33. dub. 4. n. 35. & 36.*

154. *Regulares plerique exempti à juriſdictione quacumque Ordinariorum,*

Nota Regulares exemptos (quales ſunt Religioſi mendicantes, & plerique alii) non ſolùm habere immunitatem Eccleſiaſticis communem, ſed ipſos præterea non obligari legibus Epiſcoporũ aut Synodorum etiam provincialium: nam per varios Pontifices ſunt ab eorum & quorumcumq; Ordinariorum juriſdictione pleniſſimè exempti, & Sedi dumtaxat Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, ut videre eſt apud *Rodriguez To. 2. quæſt. Reg. q. 63. ar. 3.* ubi etiam docet per Ordinarios intelligi quoque Nuntios & Legatos Apoſtolicos: qui ſunt Ordinarii extraordinariè, quod manifeſtiùs expreſſit Sixtus IV. Bullâ 37. quæ eſt Mare magnũ Carmelitarum *n. 71. in Bullario Rodriguez.* Excipiendi tamen ſunt juxta *Rodriguez ſup. a. 4.* Legati à latere. Deinde illi, quibus ſuper Exemptos à Sede Apoſtolica ſpecialis delegatur facultas, juxta tenorem delegationis; prout ſubinde conceditur Epiſcopis in *Tridentino*: quod etiam circa obſervationem feſtorum Epiſcopaliũ & nonnulla alia Regulares Epiſcopis ſubjicit.

Exceptis paucis caſibus.

Exiſtimat tamen *Vaſquez diſp. 167. c. 4.* 155.
Regulares obligari legibus Epiſcoporum ratione conformitatis cum aliis, quæ obligatio ſecundùm ipſum videtur gravis, utpote ſimilis omnino ei, quâ Clerici legibus civilibus, & legiſlator ſuâ lege tenetur, qui tranſgrediendo non minùs peccat, quàm ceteri, ut præmiſerat *cap. 3.* Verùm ne ſub veniali quidem illos obligari dicendum eſt, ſi abſit ſcandalum; quod indubiè ſemper eſt cavendum: cùm enim Regulares ſint legitimè exempti, non ſunt obligati ceteris ſe conformare, præſertim cùm ſtatus Religioſus ſit planè diſparatus, & ſpecialibus legibus adſtrictus, inter quem proinde & alios ſtatus non debet eſſe omnimoda uniformitas: prout neque ex uniformitate obligantur Novitii ad obſervanda præcepta Profeſſorum, eò quòd non ſint in eodem ſtatu cum Profeſſis. Ita *Suarez* & alii paſſim.

Sic ut legibus Epiſcopalibus ne quidem ſub veniali ligentur.

QUÆSTIO XII.

De Obligatione Legis humanæ in Conſcientiâ.

Quamvis hæc quæſtio pro magna parte videatur in ſuperioribus ſatis reſoluta, ob incongruum tamẽ quorumdam loquendi modum ac ulteriorem rei explicationem reſumenda fuit. 156.

Dico I. Leges humanæ tã civiles quàm Eccleſiaſticæ obligant in cõſcientia. Ita cõmuniter Theologi. Patetque ex praxi Eccleſiæ in præceptis feſtorum, jejuniorum, Communionis Paſchalis &c. quæ certiſſimè obligant ſub peccato mortali. Probatur inſuper: quia leges humanæ continent præceptum ſuperioris: ergo obligant in conſcientia; cùm lex naturæ præſcribat ſuperioribus

Leges humanæ tam civiles quã Eccleſiaſticæ obligant in conſcientia.

rioribus

rioribus eſſe obediendum. Idem mandat lex divina *Matth.* 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus &c. Ad Rom.* 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit* (videlicet *qui ordinavit, ut talibus ſubjiciamur,* inquit *Anſelmus* ſive alius Auctor in *Commentario* hujus loci) *qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* & infrà: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, nō ſolùm propter iram* (Principis videlicet qui pœnam iratus infligeret) *ſed etiam propter conſcientiam.* Quæ Scriptura expreſſiùs loquitur de ſuperioribus temporalibus, iiſque etiam ethnicis. Confirmatur: quia parentes poſſunt in conſcientia graviter obligare ſuas proles in iis quæ ad ſuam poteſtatem ſpectant, adeò ut Lex vetus maledicat, immo morte mulctandum decernát filium, qui patri fuerit inobediens: ergo multò magis id poſſunt ſuperiores Reipublicæ.

157. *Vitandus & cautè explicandus modus loquēdi Gerſonis aſſerentis ſolum Deum obligare in conſcientia.*

Hinc monent Doctores vitandum eſſe modum loquendi *Joannis Gerſonis*, aſſerentis ſolùm Deum obligare in conſcientia; cujus ſententia ut ſonat accepta, culpatur erroris. Explicari tamen poteſt, quòd velit obligationem omnium legum humanarū reduci ad leges naturales aut divinas. Quod licèt bono ſenſu verum ſit, eò quòd leges humanæ, vel determinent tempus aut circūſtātias actuum lege naturali aut divinâ præceptorum, ut patet in præcepto Cōmunionis Paſchalis, Confeſſionis annuæ &c. Vel prohibeant aliquid ob legis naturalis aut divinæ tranſgrediendæ periculum, aut conſervandæ utilitatem: vel ſaltem reducantur ad generalē legem Dei & naturæ, quæ præcipit obedire ſuperioribus juſta mandantibus. Manifeſtum tamen eſt, obligationem proximè oriri ex voluntate ſuperioris humani utentis poteſtate à Deo acceptâ. Nam hâc voluntate ſeclusâ, quodnam jus divinum vel naturæ obligat ad abſtinendū ſingulis ſextis feriis à carnibus? Idē eſt de aliis legibus humanis. Cōfirmatur: quia indubiè dicendum eſt, leges divinas poſitivas obligare ad culpam in conſcientia; & tamen etiam ipſæ ſunt quodāmodo determinationes legis naturalis. Vide etiam quæ diximus *hac diſp. q.* 2. 3. & 4.

Quo ſenſu omnes leges humanæ in divinis radicentur.

158. *Leges humanæ obligant in conſciētia graviter, etiam ſecluſo ſcandalo, contemptu & conſuetudine tranſgrediendi.*

Dico II. Leges humanæ obligare poſſūt in conſcientia, adeò ut earū tranſgreſſio ſit peccatum mortale, etiam ſecluſo contemptu, ſcandalo aut conſuetudine tranſgrediēdi. Eſt communis; quàmvis contrarium adſcribatur *Caietano*, quòd requirat adeſſe cōtemptum vel ſcandalum, etſi in particulari loquatur de præcepto jejunii, & quibuſdā aliis Clericorum præceptis. *Angelus* etiam V. *Inobedientia* requirit ſaltem conſuetudinem tranſgrediendi, etſi in particulari loquatur de præcepto audiendi miſſam. Sed horum opinio eſt omnino falſa, ut inquit *Prapoſ. q.* 95. *diſp.* 3. *dub.* 2. & inducit nimiam licentiam agendi contra legem, nimiſque parum tribuit poteſtati ac legi humanæ.

Probatur Concluſio: quia certū eſt, quòd legiſlatori, præſertim Eccleſiaſtico, nō deſit poteſtas obligandi ſub mortali, etſi abſit contemptus, ſcandalū vel conſuetudo trāſgrediendi. Non deeſt etiam voluntas: cùm certum ſit ex cōmmuni ſenſu Eccleſiæ, peccari mortaliter, dum annua Communio & Confeſſio, lectio horarū canonicarum, etſi tantùm ſemel & citra contemptum omittitur. Similiter ſæpè incurritur excommunicatio, adeòque peccatum mortale, ob unicum actum & citra contemptum: nam verba legis aut praxis amplius non requirunt. Accedit, quòd oppoſita Sentētia careat ſolido fundamento contra communem doctrinam; adeòque ex hoc ſolo ſufficienter evertatur, præſertim in re adeò gravi.

Dices: *S. Bernardus lib. De Diſpenſ. & præcepto,* in medio, de inobedientia ait: *Nulla eſt lethaliter criminalis, niſi quæ contemptum ſuperbia non evitat.* Confirmatur: quia piè interpretanda eſt mens Eccleſiæ, quò jugū illius ſit ſuavius, & occaſiones peccatorum evitentur. Reſp. *Bernardum*, ut ex diſcurſu patet, loqui de ordinationibus Religioſorū, quorum Regulæ & ſtatuta graviter nō obligabant; prout in multis Religionibus cōtingit. Ad Confirm. Reſp. illā quoque poſſe opponi cōtra leges divinas poſitivas. Deinde benigna interpretatio non habet locū, ubi contraria mens Eccleſiæ tam ex materia & aperto verborum tenore, quàm ex communi ſenſu patet. Efficaciùs quoque procuratur ſincera legum impletio, dum per obligationem conſcientiæ, diſcretè tamen & moderatè, ſtimulatur.

Dico III. Omnis vera lex humana debet recto ſēſu obligare in cōſcientia, quàmvis non ſemper obliget ad actum lege præſcriptum, ſed ſubinde ſolùm ad pœnam, ſub qua actus præcipitur vel prohibetur. Prima pars probatur, quia omnis vera lex debet continere præceptum, adeòque decretum obligans, ac per conſequens debet in conſcientia ſubditi obligatio paſſiva reſultare. 159. *Omnis vera lex humana ad aliquid in conſcientia obligat,*

Secunda pars probatur: quia ſubinde declarat legiſlator ſe nolle obligare in conſciētia ad actum, ſed tantùm ad pœnam aliquā, ſive fixam, ſive arbitrariam. Quod non ſolùm in legibus civilibus praxis oſtendit, ſed etiam in ſtatutis præſertim Religioſorum à Viris ſanctis conditis, & ſæpè à Sede Apoſtolica approbatis; prout uſus, ac eorumdem ſtatutorū declaratio in variis Religionibus, ſignanter in noſtra ſacra Religione Franciſcanâ, manifeſtat. *Non tamen ſemper ad actum, ſed interdum ad pœnam.*

Nec his ordinationibus deeſſe rationem legis conſtat, tum ex cōmuni ſenſu & modo loquendi: tum ex verbis præceptivis quibus feruntur: tum quia alioquin forent conſilia. Quod nemo dixerit: cùm ad danda conſilia non requiratur juriſdictio, quæ tamen requiratur ad faciendas ejuſmodi conſtitutiones. Deinde ob omiſſionem conſiliorum nemo eſt pœnâ dignus; & tamen tranſ- 160. *Qualiter Conſtitutiones Religioſorum ad actum præſcriptum ſub culpa non obligātes ſint leges.*

tranſgrediens ejuſmodi ordinationes poteſt juſtè puniri.

Dices: Pœna reſpondet culpæ, ut habetur ex c.2. *de Conſtitut.* Reſp. hîc etiã ſupponi culpã in foro externo, quæ culpa politica dicitur, etſi non ſubſit culpa in conſcientia; quæ non requiritur, ſed prior ſufficit ad hoc, ut quis pœnam ſuſtinere debeat, juxta *D. Tho.* 2.2. *q.*108.*art.*4. & habetur *Regulâ* 23. *Juris in* 6. ubi dicitur: *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.*

Paulò aliter *Caſtro Palao diſp.* 1. *de leg. pu.* 14. *n.* 6. citans *Sanchez, Suarez, Bonacina*, cenſet præfatas ordinationes dicendas quidem eſſe leges, propriè tamen nec eſſe leges, nec conſilia. *Arriaga* verò dicit eaſdem ordinationes obligare quidem in conſcientia ad ſui obſervantiam, non tamen ſub peccato. Verùm non capio obligationem in cõſcientia, quæ tandem non impleta non degeneret in peccatum.

161. *Explicatur commune dictum, quo multæ leges dicuntur nõ obligare in conſcientia.*

Ex dictis conſtat quo ſenſu communiter dici ſoleat, hanc vel illam legem non obligare in conſcientia, nimirũ eam non obligare ad faciendum vel omittendum actũ qui lege præſcribitur: quamquam obliget tranſgredientem ſaltem ad pœnam in ſe exequendam aut ſuſtinendam, vel Judicem, ut pœnam infligat: aliqualis enim obligatio eſt omni legi veræ intrinſeca.

Dices: Etſi hoc ſit verum de lege quæ fundatur in veritate, non tamen de ea quæ fundatur in præſumptione, quam aiunt cõmuniter non obligare in conſcientia, quando veritas non eſt conformis præſumptioni. Pro reſponſione

162. *Lex fundata in præſumptione facti veluti conditionata obligat ſolùm, quando ſubeſt præſumpta veritas.*

Nota legem aliquando fundari in præſumptione facti, quando ſtatuit aliquid, quia præſumit quidpiam eſſe factum: ſic c. *Tuanos, De ſponſalibus* (quod eſt abrogatum per *Tridentinum* irritans matrimonia clandeſtina) præcipiebatur ſponſis cohabitatio conjugalis, ſi poſt ſponſalia habuiſſent copulam, quam præſumebat eſſe factam affectu conjugali; quo tamen deficiente non obligabantur, immo nec in conſcientia poterant tamquam conjuges cohabitare. Unde ejuſmodi leges ſunt velut conditionatæ, adeòque deficiente conditione, deficit earum obligatio: licèt onus probandi in foro externo incumbat illis contra quos ſtat præſumptio juris. Immo quandoque probatio non admittitur, & tunc vocatur præſumptio juris, & de jure; aliàs autem ſimpliciter præſumptio juris dicitur. Sic *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 19. *de Regul.* præſumit Religioſos ratificaſſe ſuam profeſſionem, quæ fortè ex defectu ætatis aut libertatis fuerat irrita, ſi ante quinquennium non reclament, ita ut poſtea, ſaltem regulariter, probationem non admittat.

Præſumptio juris onus probandi in alterum rejicit; immo interdum probationẽ non admittit.

Lex fundata in præſumptione periculi obligat ſemper, etſi in caſu ſpeciali incommoda ordinaria abeſſent.

Aliquando etiam lex fundatur in præſumptione periculi, quando prohibet actũ de ſe periculoſum, quia v. g. ei ſubſunt ſæpè fraudes, ſcandala, aliave incommoda. Prout ſunt leges prohibentes, immo irritantes matrimonia clandeſtina, item varios modos eligendi, donandi, contrahendi &c. & hæ obligant, etſi fraus, aut alia incommoda hîc & nunc non adſint; quia illa in ſingulis caſibus non præſumuntur adeſſe, ſed quia ſæpè ſimilibus actibus adſunt, & plerumque nata ſunt adeſſe, idcirco juſtè generaliter ſũt prohibiti. Unde veritas proximè præſumpta hîc ſemper ſubeſt, nimirum eſſe actum talis rationis, cui certa incommoda plerumque ſubſunt, aut nata ſũt ſubeſſe. In legibus autem prioris generis præſumitur aliquid in ſingulis caſibus; ideoque in ſingulis requiritur veritas conformis præſumptioni. His notatis

Reſponſio ad objectionem patet, nempe leges fundatas in præſumptione obligare in conſcientia, quàmvis illæ quæ fundantur in præſumptione facti non obligent, niſi dum ſubeſt veritas præſumpta. Quod mirum nõ eſt: cùm enim non niſi tali conditione præcipiant, non poſſunt nec debent aliter obligare; nam lex non debet obligare in omni caſu, ſed tantùm tunc, & in illa circumſtantia, quando & in qua præcipit.

163. *Lex ad actũ vel omiſſionem nullatenus vel leviter obligat, dum id Legiſlator declarat.*

DICO IV. Rectè colligitur legem non obligare graviter, vel etiam leviter ad faciendum vel omittendum actum, ſi legiſlator hoc expreſſè declaret, quantumcumque materia ſit gravis. Ratio eſt: *Quia actiones agentium non operantur ultra intentionem eorum*, ut habet commune axioma. Quare cùm aliundè conſtet legiſlatorem ferre veram legem, debet talis lex obligare ad pœnam, ſaltem arbitrariam.

Qui in gravi materia poteſt leviter, nõ nulliter obligare.

Licèt autem *Vaſquez diſp.* 158. *c.* 4. *n.* 32. *& ſeqq.* exiſtimet legiſlatorem humanum non poſſe in gravi materia obligare leviter, ſicut in levi materia nõ poteſt obligare graviter; hoc tamen minùs veroſimile apparet, ut patet ex axiomate allegato. Idemque cõfirmat communior DD. conſenſus, ipſaq; praxis Religionũ, quarum Regulæ & Statuta frequenter ad ſolum peccatum veniale obligant in materia alioquin capaci gravis obligationis. Quæ quidem praxis eſt prudentiſſima: cùm enim eadem materia ſubinde prudenter proponatur ſub conſilio, aut etiam ſub præcepto adſtringente ad ſolam pœnam, cur ſimiliter non poteſt proponi ſub præcepto obligante ad culpam venialẽ, quæ & timoratas conſcientias pungat, & tamen in gravis lapſûs diſcrimen non adducat? Confirmatur: quia etſi gravis materia ſit capax gravis obligationis, non debet tamen à legiſlatore libero tota ipſius capacitas impleri: ſuperat verò poteſtatẽ illius, ut legis obligatio excedat materiæ capacitatem: ideoq; in levi materia nequit obligare graviter, etſi in gravi poſſit obligare leviter.

164. *In levi autem materia nequit*

DICO V. In materia, quæ omnibus ſpectatis noſcitur abſolutè levis, nequit legiſlator humanus obligare ſub mortali; quantumvis

tumvis id declaret. Ita omnes Doctores. Patetque ex dictis: quia obligatio nequit excedere materiæ capacitatem. Deinde lex eſſet injuſta, quæ gravem obligationem & pœnam æternam imponeret levi materiæ, ſicut illa quæ ob levem culpam infligeret gravem pœnam. Accedit, tum quòd nec ipſa lex naturæ, quæ tamen obligat juxta capacitatem materiæ, in levi materia poſſit graviter obligare: tum quòd votum in levi materia non niſi leviter obliget, quantumvis ipſe vovens intenderet ſe graviter obligare.

obligare graviter,

Niſi ipſa ex circumſtantiis fiat gravis.

Dixi: *Quæ omnibus ſpectatis noſcitur abſolutè levis*: quia ſæpè materia in ſe levis efficitur gravis, eò quòd multùm conducat ad finem notabilem; adeòque poteſt in illam induci gravis obligatio. Ex qua habitudine faciliè poteſt res levis fieri gravis in Religionibus, in quibus leges referuntur ad finem valdè ſublimé. Sic poteſt graviter prohiberi ingreſſus in aliquã domum, quatenùs multùm poteſt juvare ad Religioſam caſtitatem ſervandam, vel ſuſpiciones ac obloquia hominum vitanda.

Prout fieri poteſt.

Hinc etiam aliqui deducunt poſſe Duces belli afficere extremo ſupplicio milites ob furtum rei levis, quatenus hoc multùm conducit ad diſciplinam militarem ſervandam: item ne exercitus deſtituatur neceſſariis, dum ruſtici paſſim aufugiunt. Idem dici poteſt de eſu pomi in ſe levi, graviter tamen prohibito primis Parentibus in recognitionem debitæ obedientiæ, volente Deo id ſibi velut in tributum humanæ ad Deum ſubjectionis præſtari. Quamquam non deſint Doctores, qui exiſtimát Deum de plenitudine poteſtatis poſſe graviter præcipere rem ſimpliciter levem. Ex quo non equidem rectè fieret argumẽtum ad legiſlatorem humanum; cui talem poteſtatis plenitudinem (quâ natura ſive Deus ipſe non utitur) non expediebat concedi, adeòque omnes indubitanter ſupponunt non fuiſſe conceſſam.

Quàmvis in materia abſolutè levi poſſet Deus obligare graviter; non tamen legiſlator humanus.

165. *In gravi materia graviter obligat, quãdo id ſatis declarat*

Dico VI. Suppoſitâ gravitate materiæ & finis legis, obligat ipſa ſub mortali, quando legiſlator id expreſsè vel æquivalenter declarat. Patet; quia tunc adeſt, & poteſtas, & voluntas ſufficienter intimata.

Sive per verba expreſſa aut æquivalentia,

Declarat porrò hanc ſuam voluntatem legiſlator, quando expreſsè dicit: *Sub reatu peccati mortalis*; vel quando addit in lege hæc verba: *Sub interminatione divini judicii, ſub pœna maledictionis æternæ, ſub indignatione Dei, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in virtute Sanctæ obedientiæ &c.* ut communiter tradunt Doctores, ipſaque verborum terribilium energia ſatis oſtendit. Cujuſmodi formulæ ſæpè ponuntur in Conſtitutionibus Pontificiis.

166. *Sive per appoſitionem gravis pœnæ ſpiritualis.*

Secundò, appoſitio gravis pœnæ ſpiritualis declarat intentionem legiſlatoris obligandi ſub mortali. Talis pœna omnium ſenſu eſt excommunicatio major latæ ſententiæ, degradatio, depoſitio, privatio omnium beneficiorum, officiorum inhabilitas per modum pœnæ, privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ: quibus etiam meritò annumeratur ſuſpenſio, ſi ſit totalis, vel à functione magni momenti: ſimiliter interdictum, ſi ſit totale, vel de re magni momenti: item irregularitas quando infligitur in pœnam delicti: denique excommunicatio major ferendæ ſententiæ: quamquam de ea (idem eſt de ſuſpenſione & interdicto ferendæ ſententiæ) Nonnulli ſecùs ſentiant, ut *Petrus Soto, Driedo, Caſtro, Henriquez*, & alii quos citat & ſequitur *Caſtro Palao diſp. 1. de leg. pun. 15. num. 3.* quando ſcilicet eſt præmittenda monitio; prout præmittenda eſt, niſi lex dicat ferendam eſſe cenſuram, nullâ aliâ monitione præmiſsâ. Quibus equidem non acquieſco: nam etſi requiratur monitio & conſequens contumacia, hâc tamen præſuppoſitâ fertur excõmunicatio propriè propter ipſam tranſgreſſionem legis; quæ proinde debet eſſe mortalis. Alioquin non apparet, cur ſecluſo contemptu mortalis foret ipſa contumacia, ſeu voluntas perſiſtendi in peccato veniali poſt monitionem. Aliàs inſuper pro leviſſima cauſa validè fierent comminationes excommunicationis; utpote non inferendæ, niſi præviâ monitione, quâ fiat, ut ſi non deſiſtat alter, fiat contumax, adeòque capax cenſuræ, iuxta alios Auctores.

Quæ talis cenſeatur.

167. *Sive etiam per appoſitionem gravis pœnæ temporalis,*

Tertiò, appoſitio gravis pœnæ merè temporalis, eſt ſignum gravis obligationis: prout de pœna mortis, & mutilationis, tradunt Doctores communiter. De pœna autem infamis flagellationis, perpetui, vel gravis & diuturni carceris aut exilii, inhabilitatis ad publica officia, infamiæ, ſervitutis, confiſcationis omnium bonorum vel valde notabilium, cenſent idem Doctores paſſim: pœna enim debet proportionari delicto; adeòque gravis pœna præſupponit gravem culpam; qualis ſola eſt illa, quæ eſt peccatum mortale. Quod maximè dicendum eſt de pœna mortis aut mutilationis: cùm enim vita & membra non ſubſint poteſtati Reipublicæ, ſed ſolus Deus ſit illorum Dominus, nequit Reſpublica auferre illa, niſi per modum pœnæ ob culpam gravem. Eâdem autem facilitate, quâ non omnino improbabiliter à Nonnullis (inter quos *Navarrus*) aſſeritur ſufficere ad hoc gravem culpam politicam, hoc ipſum à nobis negatur: præſertum cùm ſic tolli videatur fundamentum, ex quo adſtruitur gravem culpam in conſcientia neceſſariò prærequiri ad gravem pœnam ſpiritualem; ad quam alioquin ſufficere ſimiliter videretur per ſe loquendo gravis culpa politica.

168. *Sive mentem legiſla-*

Quartò, dignoſcitur gravis obligatio ex conſuetudine, quando communis uſus legem

toris ſic interpretante conſuetudine:

legem ita recepit: cùm conſuetudo ſit optima legum interpres, immo ipſamet vim legis obtinere poſſit. Quare id etiam verum eſt de conſuetudine particulari, adeò ut ſi in aliqua provincia vel diœceſi lex recepta ſit ſub mortali, ibi ſub mortali obliget, etiamſi alibi non ita obliget. Sic etiam conſuetudo antiqua Ordinis Franciſcani declarat multa puncta Regulæ, etſi nonnulla verbis non ita præceptivis expreſſa, obligare ſub mortali; cùm tamen Regulæ aliarum Religionum, & ſignanter Regula pauperum Clariſſarum (quæ eumdem habet Auctorem) eiſdem vel ſimilibus verbis latæ non ita obligent.

Ex his autem nō ſola legiſlatoris mens, ſed etiam gravitas materiæ colligitur.

Ex quibus ſignis non ſolùm intentio legiſlatoris graviter obligandi, ſed etiam ipſa materia & finis gravitas colligitur: cùm enim (niſi contrarium conſtet) nequaquam præſumendum ſit Legiſlatorem iniquè ſeu imprudenter velle graviter obligare in levi materia, hinc cognitâ graviter obligandi voluntate præſumendum quoque eſt de materiæ capacitate.

169. *Suppoſitâ verò gravitate materiæ gravē obligationem indicant etiam verba ſimpliciter præceptiva, inhibitoria & æquipollentia. Quæ talia ſint.*

Suppoſitâ verò aliundè ſufficienti gravitate materiæ per ſe loquendo ad gravitatem obligationis ſufficit, quòd legiſlator ſimpliciter aliquid præcipiat vel prohibeat fieri: etſi enim in actu ſignato non dicat, ſe velle obligare ſub mortali, id tamen dicit in actu exercito; cùm vis præcepti exerat ſe in materiam juxta ejuſdem & finis capacitatem, quando aliundè non reſtringitur. Hinc verba præceptiva (qualia ſunt, *præcipio*, *impero*, item *jubeo*, *mando*) aut verba inhibitoria (qualia ſunt, *prohibeo*, *inhibeo*, *veto*, *interdico*) ex vi verborum ſunt ſufficiens ſignum gravis obligationis, ut tradunt Doctores communiter, & declaratur in *Clem. Exivi, De verb. ſignif.* quæ etſi in particulari agat de Regula S. Franciſci, habet tamen hac in parte vim Juris communis, cui eſt inſerta. Idem tradunt Doctores poſt *Clem. cit.* de verbis præcepto æquipollentibus v. g. *omnes obligentur*, *teneantur*, *nemini liceat*, *nemo poſſit* &c. quæ omnia neceſſitatem important, utique non phyſicam, ſed moralem. De verbo *debeo* communior quoque ſententia docet importare non ſolùm debitum honeſtatis & convenientiam rei, ſed etiam neceſſitatē imperii. Secùs eſt de verbo *oportet* ut rectè *Caſtro*, *Sanchez*, & alii contra *Toletum* & alios. De verbis imperativi modi, v. g. *facite*, *cavete*, *nemo audeat*, &c. cenſet idem *Caſtro*, *Caietanus* & alii, per ſe non ſufficienter denotare rigoroſum præceptum, eò quòd etiam Conſilia Evangelica ſimilibus verbis ferantur: quàmvis interdum ex circumſtantiis, ſive attentâ materiâ & uſu ſufficiant, ut declaratur, *in Clem. cit.* poſtquam ibidem præmiſſum eſſet, *quòd Fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur.* Nonnulli tamen cenſent ejuſmodi verba abſolutè prolata importare obligationem, ſed tantùm ſub veniali. Alii cenſent in decretis Conciliorum & Pontificum ferè ſemper accipienda pro ſimpliciter præceptivis arguentes exemplo *Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* imponentis præceptum his verbis, *quamprimùm confiteatur.* Ubì tamen ex materia, contextu & ſenſu communi ſatìs conſtat, ferri rigoroſum præceptum: prout & ſatìs conſtat per ſimilia verba ferri ſtrictum præceptum in Decreto Clementis VIII. de caſuum reſervatione; ubì etiam in fine ſubjungitur verbum ſtrictè præceptivum.

170. *Verba indifferentia non ſufficiũt ad ſtrictum præceptum, niſi ad hoc reſtringantur per aliquid adjunctum.*

Verba communia & indifferentia præcepto & exhortationi (qualia ſunt, *volumus*, *decernimus*, *ordinamus*, *ſtatuimus*, *ſancimus* &c.) per ſe loquendo non ſufficiunt ad præceptum, niſi ex circumſtantiis aut verbis adjunctis reſtringantur ad rigoroſum præceptum, v. g. ſi lex dicat, *Statuimus in virtute obedientiæ, ſub pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrendæ* &c. Quotieſcumque autem verba ſunt dubia (idem eſt, undecumque ſimile dubium oriatur) ex quibus vir prudens attentis circumſtantiis nequeat judicare, an in lege ſint ſigna ſufficientia voluntatis obligativæ legiſlatoris, judicandum eſt pro non obligatione: & quoties dubitatur de obligatione, graviſnè an levis ſit, judicandum eſt, eſſe levem: quia *in obſcuris minimum eſt ſequendum Reg. 30. Juris in 6.* Et in culpis utì *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda, Reg. 49. ibid*; præſertim cum illo caſu melior ſit conditio ſubditi, qui reſpectu obligationis poſſidet ſuam libertatem; quâ proinde in dubio non eſt privandus.

In dubio facienda eſt interpretatio pro non obligatione.

171. *Appoſitio pœnæ temporalis non eſt ſignum ſufficiens, quòd lex verbis præceptivis utēs graviter non liget in conſcientia.*

Circa leges verò pœnam temporalem imponentes, ſive canonicas ſivè civiles, notanda eſt ſententia *Navarri* (quam *Valentia*, *Salas*, & alii probabilem cenſent) eas non obligare ad mortale, niſi id exprimat legiſlator, quantumvis verbis præceptivis procedat. Quod quidem quantùm ad pœnas temporales graves rejectum eſt *ſup. n. 167.* Quoad pœnas autem etiam moderatas per ſe loquendo non eſt admittendum: nam verba præceptiva indicant ſimpliciter præceptum, adeòque obligationem materiæ proportionatam, quando pœna temporalis non additur; ergo etiam quando illa apponitur: cùm pœnæ appoſitio non evacuet obligationem in conſcientia materiæ proportionatam, ſi materia equidem ſimpliciter præcipiatur. Confirmatur: quia pœna poteſt apponi, ut ſubditi magìs coerceantur, & non ut lex minùs obliget: undè ſicut obligatio legis in conſcientia non evaneſcit, ſi illius obſervatio urgeatur comminatione

pœna-

pœnarum per aliam legem ſupervenientem.; ita nec dicendum eſt legem non obligare, ſi in ipſamet apponatur pœna ejuſve comminatio, modò alioquin feratur verbis juxta communem uſum declarantibus vim obligandi ad actum ipſum vel omiſſionem.

Niſi interdum aliud declaret conſuetudo vel legiſlator.

172. Dixi *per ſe loquendo*: nam ex conſuetudine fieri poteſt, & frequenter fit; ut leges, quæ appoſitam habent moderatam ſaltem pœnam temporalem, non obligent in conſcientia; etſi utantur verbis præceptivis; prout etiam conſtare poteſt ex declaratione legem ferentis: ſicut è contrà verba aliàs præceptiva ſæpè non continent ſtrictum præceptum, etiamſi pœna ſpecialis non apponatur. Unde ex uſu & declaratione variarum Religionum, in quibus rarò aliquid præcipitur ſub mortali, aliud præterea ſignum requiritur, v.g. ut Superior præcipiat per obedientiam, ſub excommunicatione, vel ſimili modo. Prout de obligatione Statutorum generalium Ordinis Franciſcani declarant eadem *Statuta c. 8. §. De Conſtitutionibus.*

Sicut etiam citra pœna appoſitionē poſſunt inde non ſufficere ſola verba præceptiva.

Idem eſt, ſi lex utatur verbis indifferentibus.

173. Similiter ſi lex pœnam moderatam apponens non utatur verbis præceptivis aut æquipollentibus, ſed indifferentibus, de quibus *nu.* 170. patet non adeſſe obligationem in conſcientia. Similiter ſi lex tantùm ſub conditione aut diſjunctione comminetur aut inferat pœnam illis, qui hoc vel illud fecerint aut omiſerint, non obligat in conſcientia: quia tunc præceptum non afficit niſi ipſam pœnam. Cujuſmodi ſunt multæ leges civiles, quæ apponunt pœnam dupli, confiſcationem rei, vel ſimilem pecuniariam pœnam, aut corporalem, non ita gravem; ut lex, ne merces aut pecuniæ extra regnum efferantur, ne ligna in ſilva communi cædantur, ne ab aliis, quàm à certis mercatoribus merces comparentur aut vendantur, ne vinum in loco privilegiato ematur ab iis qui non habent privilegium, ne quis capiat piſces in flumine communi, aut venetur in certo loco, & ſimiles; de quibus prudens judicabit.

Vel ſolam pœnam, non autem actum determinatè afficientibus.

QUÆSTIO XIII.

An Lex humana obliget cum periculo vita?

Poteſt legiſlator obligare ob neceſſitatem boni cōmunis etiam cum vita diſcrimine.

174. DICO I. Quando legis obſervatio eſt moraliter neceſſaria ad bonum publicum conſervandum, poteſt obligare etiam cum aperto vitæ diſcrimine. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia in illo caſu non deeſt juſta ratio ſic obligandi; & in legiſlatore non videtur deeſſe poteſtas: cùm enim conſervatio boni communis planè ſit præferenda bono vitæ privati, omninò dicendum eſt ſuperiorem, cui ex officio id incumbit, poſſe ſubditos obligare, ut non obſtante vitæ periculo ſtudeant conſervare per obſervationem legis bonum commune maximi momenti, quod cenſeretur alioquin graviter periclitari. Et hinc communiter admittitur militem teneri tempore periculoſo permanere in ſtatione cum aperto mortis periculo. Item Paſtor, cui id fuerit ab Epiſcopo præceptum, tenetur tempore peſtis in loco permanere ad Confeſſiones etiam infectorum excipiendas. Nec in his caſibus cenſetur homo ſe occidere, ſed vitam non conſervare; quod variis caſibus eſt licitum etiam citra præceptum.

Dices: Obligatio militis in iſto caſu oritur ex jure naturali fidelitatis, quatenus pacto ſe obligavit ad defendendam Rempublicam etiam exponendo propriam vitam: aut certè oritur obligatio exponendi vitam in ſimilibus caſibus ex juſtitia legali aut charitate. Reſp. obligationem militis oriri quidem radicaliter ex pacto quo ſe adſtrinxit ad militādum pro republica juxta mandatum ſui Ducis: proximè tamen hîc & nunc oriri ex ſpeciali præcepto ſui Ducis. Quemadmodum obligatio ſervi ad dominum, civium ad Principem oritur radicaliter ex contractu inito, proximè tamen & formaliter oritur ex imperio Domini vel Superioris. Similiter etſi juſtitia legalis obliget milites & membra comunitatis ad conſervandum bonum totius, & charitas Eccleſiaſticos ad ſuccurrendum proximis in neceſſitate ſpirituali conſtitutis, cur tamen unus præ alio obligetur, oritur ex præcepto vel lege humanâ. Adde legem ſuperioris poſſe habere locum, quando alioqui citra præceptum poſitivum non eſſet tam manifeſta obligatio legis naturæ. Hinc ſicut Deus ſpectando bonum Sacramenti pœnitentiæ longè altius periculo mortis, quod alioquin poſſet graviter periclitari, appoſuit ſigillum ne quidem metu mortis violandum; ſic etſi Deus id non feciſſet, potuiſſet tamen ob eamdem rationem fieri ab Eccleſia, ne homines ab uſu ejuſdem Sacramenti revocarentur. 175.

Sic ut obligatio proximè oriatur ex præcepto ipſius ſuperioris humani.

DICO II. Quando violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei aut Eccleſiaſticæ legis ſeu poteſtatis, eſt lex ſervanda etiam cum periculo vitæ; ut ſi quis ab hæreticis captus urgeatur ad comedendum carnes tempore quadrageſimæ in contemptum Eccleſiaſticæ legis, v.g. ſi alius ſic minaretur illi mortem, niſi carnes comedat; potiùs ei moriendum foret, quàm voluntati alterius ſatisfacere. Ratio eſt: quia in illis circumſtantiis comedere carnes eſt ſervire ſceleſtæ petentium intentioni, ipſamque exequi; atque ita cenſeretur talis contemnere Eccleſiæ poteſtatem; quod nullo modo licet, ſed eſt intrinſecè malum. 176.

Eſt etiam nō obſtante metu mortis lex ſervanda, quando violatio cederet in cōtemptum fidei vel Eccleſiæ.

DICO III. Extra hujuſmodi caſus lex huma- 177.

Extra hos caſus, adeóq; communiter non obligat cum periculo vitæ vel alterius gravis mali.

humana non obligat cum periculo mortis, aut alterius gravis mali. Hinc quia caſus illi rari ſunt, communiter non obligant leges humanæ in periculo mortis, amiſſionis membri, famæ, notabilis boni temporalis; perturbationis pacis, etiam inter privatos, & ſimilis gravis mali, quod conſideratâ qualitate legis prudenter judicabitur tale.

Ratio eſt: quia quando non urget neceſſitas boni communis, quod alioquin periclitaretur, lex tam ſevera meritò judicari poſſet ſuperare humanam fragilitatem, ac proinde non obligare. Confirmatur I. quia ipſæmet leges Dei ſæpè non obligant cum tanto diſcrimine, ut de præceptis Veteris Teſtamenti *diſp.* 2. *q.* 2. oſtenſum eſt, & de legibus Novi Teſtamẽti conſtat ex præcepto integrè confitendi, cujus obligatio ceſſat ob ſimilia pericula: ergo multò minùs ſic obligat lex humana. Confirmatur II. ex communi conſuetudine & Doctorum conſenſu, ex quo conſtat multas leges cenſeri non obligare, quando eſt periculum etiam minoris mali, ut patet in lege jejunii, item lege de audiendo ſacro, à quarum obſervatione prudentum judicio excuſamur pluribus caſibus. Unde non eſt audiẽdus *Caietanus* qui contra Torrentem Doctorum refertur docuiſſe, quòd non liceat umquam transgredi legem humanam etiam metu mortis, ſicut non licet ullo metu peccare. Nam transgreſſio legis in illo caſu non eſt formalis ſeu peccaminoſa, ſed tantùm materialis, immo nec propriè materialis (qualis eſt, dum quis transgreditur legem excuſatus à culpa formali ratione ebrietatis vel ignorantiæ) cum reverà lex juxta mentem legiſlatoris iſtum caſum non comprehendat. Similiter etſi exigente id bono communi teneatur quilibet privatus etiam vitam ſuam exponere, bonum tamen commune non poſtulat, ut quælibet lex obliget, adeòque obſervetur in quovis eventu, etiam in periculo vitæ.

178. Dices: c. *Sacris, De his quæ vi metúſq; causâ fiunt*, reſpondet Innocentius III. incurri excommunicationem ab eo qui communicat cum excõmunicato, etſi ex metu; *cum pro nullo metu* (inquit) *debeat quis peccatum mortale incurrere*. Reſp. Pontificem loqui de metu levi: ſupponit enim metum, de quo agit, non excuſare ab obſervatione legis de non communicando cum excommunicato, quod tamen de gravi metu non poſſe intelligi, certum eſt ex eo, quòd conſtet titulum ſervitii, notabilis utilitatis, aliaque ſimilia (quibus utique inferior non eſt metus gravis) ſufficere, ut poſſit quis communicare cum excommunicato, ut in materia de excommunicatione dicetur. Et c. 103. *Quoniam multos* 11. *q.* 3. declaratur idem poſſe peregrinos ac viatores ob neceſſitatem refectionis corporalis. Quòd ſi abſolutè quis contendat Pontificem loqui de metu gravi, dicendum foret eum loqui de illo qui communicat cum excommunicato in crimine.

Metus gravis excuſat à culpa cõmunicantem cum excommunicato.

Aliter reſponderi poſſet, Pontificem aſſignare ſolùm differentiam inter coactionem & metum, quòd illa ſemper, uti à culpa, ſic à cenſura excuſet, hic autem non univerſaliter: quandonam autem excuſet & quando non, Pontificem ibi non exponere, ſed relinquere determinandum juxta regulas generales, & declarationes alibi, etiam in Canonibus, contentas.

Ex dictis ſequitur I. excommunicatum occultum licitè ſe gerere tamquam non excommunicatum in quantùm hoc eſt neceſſarium ad vitandam infamiæ notam, aut ſimilis mali periculum; adeòque non teneri ad abſtinendum à divinis, adminiſtratione Sacramentorum, ab eligendo &c. præcisè quatenus hoc eſt neceſſarium ad periculum ſimilis mali evitandum. Similiter irregularis factus ob culpam poteſt celebrare, ſacros Ordines ſuſcipere &c. ſi abſque gravi notâ non poſſit abſtinere; & inhabilitatus ad officium poteſt illud ſuſcipere & retinere, quantùm eſt neceſſè ad famæ conſervationem, & ita de multis eſt judicandum. 179.

Grave malum excuſat ab obſervãtia cenſuræ aut irregularitatis.

Sequitur II. licitum eſſe, & olim licuiſſe Chriſtianis in famis neceſſitate veſci idolothytis: hoc enim numquam fuit illicitum, niſi ex præcepto humano. Quod quidem Apoſtoli primum tulerũt pro partibus Antiochiæ vicinis: ideoque Paulus ſcribens Corinthiis iſtius præcepti non meminit, quin immo 1. *ad Cor.* 10. innuit idolothyta ſecluſo ſcandalo ac proteſtatione falſi cultûs eſſe adiaphora, eorumque comeſtionem indifferentem. Poſtea tamen gentes etiam ab Antiochiâ remotiſſimæ ob reverentiam Apoſtolorum illud præceptum ſponte ſunt amplexæ, ut oſtendit *Baronius ad Annum Chriſti* 41. poſt medium. Nihilominus cùm tantùm fuerit juris humani, nõ eſt cenſendum in tanta neceſſitate obligaſſe. 180.

In extrema ſaltem neceſſitate licitum eſt Chriſtiano veſci idolothytis.

Nec obſtat *S. Aug. Ep.* 154. *circa finem*. Nam ibi non dicit, quòd veſci idolothytis ſit in neceſſitate famis illicitum, ſed Chriſtianâ virtute meliùs & generoſiùs reſpui ob abominationem idoli, rectiúſque Chriſtianum fame emori, ne comedens idolis communicaſſe videatur, quantùmvis in loco ſecreto id faceret.

Simile eſt de Carthuſianis (de quibus hîc à Variis ſatis fusè diſputatur) iis enim in gravi morbo aut mortis periculo conſtitutis licet comedere carnes ad conſervationem vitæ neceſſarias: nam votum expreſſum abſtinendi à carnibus Carthuſiani non faciunt, ſed tantùm abſtinentia hæc Conſtitutionibus eorum præſcribitur; quæ non videntur cum tanto diſcrimine obligare. Sanctiùs tamen faciunt, ſi abſtineant, & ita moriantur; ut docet *Victoria Relect.* 181.

Et Carthuſiano carnibus.

Qui hac etiam tunc licitè reſpuit. *De temperantia n.* 8. & paſſim alii: non enim tenentur vitam quovis modo ac tempore conſervare, ſed poſſunt eam profeſſionis ſuæ ſanctitati poſtponere, idque ad dandum aliis virtutis exemplum, & conſervandam ordinis diſciplinam ac rigorem, qui facilè alioquin remitteretur.

QUÆSTIO XIV.

De Legis humanæ Interpretatione.

182. *Interpretatio legis quid.* INTERPRETATIO Legis nihil eſt aliud, quam explicatio verborum legis quoad eorum ſignificatum, ſeu ſenſum à legiſlatore intentum. Eſtque duplex, authentica nimirum ſive auctoritativa, & doctrinalis. Prior non eſt minoris auctoritatis, quàm ipſa lex, quæ ſecundùm illam explicationẽ eſt ſervanda. *Authentica penes quem ſit.* Talis eſt, quæ fit à Principe auctoritativè declarante verba obſcura legis ſuæ, vel ſuorum prædeceſſorum, vel inferiorum, ita eſſe accipienda. De qua interpretatione agitur c. *Inter alia, de Sententia excomm.* & *L. fin. C. de Legibus* ubi dicitur: *Si leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolo dignum Imperio eſſe oportet.* *Habet vim legis, & quando.* Unde hujuſmodi ſententia Principis veluti vim legis habens debet populo ſufficienter proponi, ſive per promulgationem ſolemnem, ſive per hoc quod Corpori juris ſit inſerta. Et ad hanc revocatur etiam interpretatio uſualis, quæ fit communi conſenſu & conſuetudine legitimâ: hæc enim etiam poteſt inducere obligationem.

183. *Sententia Principis deciſiva litis etiam interlocutoria, an & quando habeat vim legis.* Quod ad Sententiam Principis deciſivã litis attinet, recepta ſatis Juriſperitorũ Doctrina tradit eam habere vim legis ad ſimiles cauſas decidendas. Quod infundatè Nõnulli limitant ad ſententiam definitivam: cùm etiam interlocutoria procedat ex cauſæ cognitione, & inter partes; immo ipſa quoque ſit quoad illud punctum deciſiva & ultimò definitiva, eademque ſæpè inſtar legis inſeratur Corpori juris. Contrariam tamen ſententiam tradit *Covarruvias* & alii: eò quòd ſententia deciſiva litis ut ſic reſpiciat bonum privatum, non commune; item non futurum, ſed præteritum, vel jam præexiſtens inter partes: adeòque non tam ſit conſtitutiva obligationis in populo, quàm applicativa juris, uni potiùs parti quàm alteri. Immo ſi ex propria opinione procedat, poteſt continere errorem; prout continebat ſententia, cujus meminit Alexander III. c. *Licèt, De Sponſa duorum*; & Innocentius III. c. *Quanto, De divortiis.* Ut itaque ſententia deciſiva vim legis habeat, debet conſtare Principem id voluiſſe, ut v. g. ſi mandet illam inſeri Corpori juris, vel aliâ ſolemni formâ publicari inſtar communis regulæ ad decidendum ſimiles cauſas; juxta illud quod dicitur c. *In cauſis, De ſentent. & re judicatâ*, ibi: *Cùm in ſimilibus cauſis ceteri teneantur ſimiliter judicare.* Niſi tamen de ea mente conſtet, etiam ſententiæ in ſupremis Parlamentis ſeu Conſiliis latæ vim legis non habent: cùm alioquin non exemplis ſed regulis ſit judicandum, juxta *L. Nemo* 13. *C. De ſentent. & interloc.* Ita *Zypæus in not. Jur. Belg. Tit. de Leg. Conſtit. &c.* *Quid de Epiſtolis & reſcriptis Principum.* Quod autem de ſententiis Principum declarativis ſuarum legum dictum eſt, etiam locum habet in epiſtolis & reſcriptis Pontificum; habere ſcilicet vim legis, ſi per illa declarent auctoritativè proprias leges, & ſufficienter publicentur.

Interpretatio doctrinalis ad ſui ſequelam non obligat. 184. *Interpretatio doctrinalis non ligat. Penes quos ſit.* Et hæc fieri poteſt à quovis docto & prudente: poſſumuſque eam in praxi ſequi, eo modo quo opinionem ſive ſententiam probabilem. Ad eam revocatur interpretatio conſuetudinis non præſcriptæ, & interpretatio judicialis facta à judicibus inferioribus: ſimiliter facta ab ipſo Principe, ſed tamquam Doctore privato, aut opinativè reſcribente; prout Pontifex Innocentius IV. tamquam Doctor privatus jus Canonicum interpretatus fuit. Unde fit *Hoſtienſem* & alios Doctores receſſiſſe à declaratione factâ ab Innocentio IV. ſuper Conſtitutione antea à ſe editâ, teſte *Bonacina diſp.* 1. *q.* 1. *p.* 8. *nu.* 16. & aliis.

Quæri hoc loco poſſet, an Declarationes ſeu interpretationes Congregationis Cardinalium habeant vim legis? 185. *Declarationes Cardinalium, an habeãt vim legis.* Affirmant Varii. Sed negat *Bonacina, Portel, Diana, Baſſæus* & alii paſſim; idque defectu ſaltem promulgationis. Sunt tamen maximi ponderis, nec ab iis facilè recedendum eſt, quando authenticè de illis conſtat. Ideoque Rota Romana in decidendis litibus ſequitur iſtas declarationes, velut deciſiones probabiliſſimas judicum ſpeciali poteſtate, eiſdem per ſummum Pontificem conceſſâ pollentium. *Quid dicendum de deciſionibus Rotæ Romanæ.* Idem eſt dicendum de Deciſionibus Rotæ Romanæ: tum quia Auditores Rotæ non habent auctoritatem condendi leges: tum quia innituntur tantùm rationibus probabilibus, ſeu non evidentibus, uti deciſiones gravium judicum. Sunt equidem non parvi ponderis.

Quid requiratur, ut Declarationes Cardinaliũ fidem faciant. Quia verò variæ Cardinalium declarationes non authenticæ, & interdum etiam invicem contrariæ reperiuntur apud varios Scriptores, prudenter decrevit Urbanus VIII. *die* 11. *Auguſt. Anno* 1632. nullam fidem illis in judicio vel extrà eſſe adhibendam, niſi in authentica forma ſolito ſigillo & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtẽtium munitæ fuerint. Quòd ſi Pontifex conſultus declarationem Cardinalium approbet ac obſervari mandet, dubium non eſt, quin nil deſit ad completam rationem legis ſi accedat promulgatio.

186. Petes I. An liceat privatis Doctoribus interpretari Concilium Tridentinum; eò quòd videatur hoc prohibitum à Pio IV. in Bulla Confirmationis Concilii? Reſp. Pium IV. ſolùm prohibere, ne quis ex profeſſo illud Concilium interpretetur, edendo ſcilicet in illud ſcolia, aut expoſitiones: non prohibere tamen illud explicari in cathedris, aut etiam incidenter pro occaſione aliquas quorumdam locorum explicationes edi in libris, aut certè eatenus prohibitio non eſt in uſu; ut patet ex ſenſu & praxi totius Chriſtianitatis.

Vetitum eſt, ne quis Tridentinum interpretetur ex profeſſo editis libris, non autem ſic in ſcholis aut incidenter in libris id fiat.

187. Petes II. Undè deſumenda ſit doctrinalis interpretatio legis? Reſp. ex triplici potiſſimùm capite. Primò ex ratione legis, quando de ea ſufficienter conſtat; maximè ſi putetur eſſe adæquata vel primaria. Secundò ex mente legiſlatoris, quæ indubiè longè eſt præferenda cortici verborum, ac proinde verba non ſunt adeò curãda, quando de mente legiſlatoris ſatis conſtat. Ipſa verò mens colligi poteſt ex materia ipſius legis, ſimilitudine & concordiâ aut diſcordiâ cum aliis legibus, abſurdo aut inconvenientiis aliàs ſecuturis, & ſimilibus ſignis. Quando tamen non eſt ratio recedendi à tenore verborum, debet conformiter ad illa explicari mens legiſlatoris: cùm verba ſint uſitata ſigna affectûs & mentis loquentis. Unde primò deſumitur interpretatio ex verbis legis. Pro quo

Interpretatio doctrinalis deſumitur ex ratione legis, mente legiſlatoris, & verbis legis.

188. Notá duplicem eſſe verborum ſignificationem, naturalem videlicet, quæ ex communi hominum uſu ſumitur, & civilem, quam habent verba ex impoſitione aut fictione juris. Sic mors ex fictione Juris non ſolùm mortem naturalem ſed etiam civilem ſignificat. Quo modo Religioſi dicuntur civiliter mortui: & filius ſecundùm acceptionem civilem ſignificat etiam filium adoptivum.

Verborum ſignificatio, alia naturalis, alia civilis.

Itaque in genere loquendo, ſi vocabula non ſoleant in Jure uſurpari, niſi in hac ſignificatione civili, certum eſt ſecundùm eamdem eſſe explicanda (ut in jure Civili eſt uſucapio, præſcriptio &c. & in jure Canonico, ſuſpenſio, interdictum) alioquin enim leges ſæpè forent ridiculæ, nihilque ſignificarent. Similiter ſi verba ſolùm habent ſignificationem naturalem, patet in illa debere intelligi. Si verò habeant utramque ſignificationem, debet per ſe loquẽdo præferri ſignificatio naturalis; cùm hæc ſit frequentior in communi convictu, cenſeatur autem ſuperior uti verbis legis in ſignificatione, quæ eſt humano convictui magis accommodata: quandoquidem lex ſit exercitium hujuſmodi convictûs, & ſermo ſuperioris ad ſubditum directus. Si denique vocabulum habeat duplicem ſignificationem naturalem, præferenda eſt uſitatior; niſi ex ſignis aliud colligatur. Immo ſignificatio communis præferri debet propriæ: quia lex, quæ loquitur omnibus, cenſetur loqui juxta intellectum communem.

Quæ harum ſit præferenda, & qualiter.

Sed cùm lex ſubinde debeat amplè explicari, ſubinde ſtrictè (idem eſt de privilegiis & ſimilibus facultatibus) hinc pro ampliatione, extenſione, aut reſtrictione legum debitè faciendâ ſunt obſervandæ ſequentes regulæ. 189.

Variæ regulæ aſſignantur pro ampliatione & reſtrictione legum.

Regula prima: Numquam debet lex ampliari aut reſtringi detorquendo verba ad ſignificationem impropriam, niſi ad abſurdum evitandum, ut ſi lex alioquin eſſet illuſoria, aut contineret injuſtitiam; vel præjudicium innocentis, vel nimium rigorem vel ſimile inconveniens: cùm à conſtitutione ſuperioris debeat excludi abſurdum; & juxta vulgatam regulam, omnis diſpoſitio interpretanda ſit, ut valeat potiùs quàm pereat: aliàs ſine fundamento fingitur ſuperiorem loqui impropriè: & ſimiles verborum torturæ legiſlatoribus meritò ſolent diſplicere. Ita communiter Doctores.

Regula prima.

Regula ſecunda: Si lex ſit oneroſa ſeu odioſa, debent verba reſtringi, quantùm patitur proprietas verborum ſpectato contextu & circumſtantiis. Si autem ſit favorabilis, debet extendi, quantùm poteſt, manendo intrà verborum proprietatem, tum civilem, tum naturalem. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia, ut habet *Regula 15. Juris in 6. Odia reſtringi favores convenit ampliari.* Nempe quantùm ſine incõvenientia fieri poteſt. Cùm autem in præſenti retineatur verborum proprietas, nullũ ſubeſt inconveniens in præfato modo ampliandi & reſtringendi. Hinc cùm Jus aliquid diſponit in odium Clericorum, non veniunt intelligendi Religioſi; cùm ſtrictè non ſignificentur nomine Clericorum, ſed ſpecialiter ſoleant in Jure appellari Regulares: ſecùs eſt, cùm in favorem; nam latè loquendo etiam intelliguntur nomine Clericorum. Similiter poteſtas diſpenſandi circa beneficia conceſſa Epiſcopo intelligitur etiam de Curatis, cùm hæc ſint propriè beneficia: quàmvis ipſa diſpenſatio ad beneficium, utpote odioſa, ſit intelligenda de beneficio ſimplici, pro quo ſtat beneficium ſtrictè acceptum. 190.

Regula ſecunda.

Regula III. Quando verba legis conſtat eſſe generaliora, quàm ſit ratio legis, reſtringenda ſunt ſecundùm terminos ſuæ rationis. Ita communiter Doctores. Ratio eſt: quia motivum legis eſt velut anima illius, ac proinde non latiùs extenditur lex, quàm ratio illius. Deinde legiſlator præcipit ob rationem tamquam cauſam volendi, adeòque ultra eam præceptum non extenditur. Debet autem ratio eſſe in lege expreſſa, aut ſaltem aliundè conſtare, quòd alia ratio non moverit legiſlatorem; alioquin præſumendum eſt pro generali verborum intellectu. 191.

Regula tertia.

Regula IV. Non eſt lex, quantumvis favorabilis, extendenda ultra proprieta- 192.

Regula quarta.

tem

tem verborum ad ſimiles caſus ob ſimilitudinem aut identitatem rationis. Ita *Suarez*, *Bonacina*, & alii contra plurimos Juriſperitos & Theologos. Ratio eſt: quia ſi verba legis caſum ſimilem non comprehendant, nec lex comprehendere cenſetur, utpote quæ verbis exprimitur, nec aliter obligat, quàm quatenus per verba legis mens legiſlatoris declaratur. Verum quidem eſt, legiſlatorem ex ſimilitudine aut identitate rationis ſubinde moveri ad idem ſtatuendum de ſimilibus caſibus, uti facit Bonifacius VIII. c. *Conſtitutionem* 3. *De Regul. in* 6. priuſquam tamen id fiat, lex non eſt ita extendenda; cùm ipſa dumtaxat vim obtineat ex voluntate legiſlatoris, quatenus exteriùs expreſsâ ac ſignificatâ, nec ſimilitudo aut identitas rationis mox cogat Principem ad idem de ſimilibus ſtatuendum per legem in favorabilibus; ſicut certum eſt non cogere in pœnis, & in variis privilegiis: immo interdum non expedit omnia ſimul prohibere. Unde expreſſio unius, & taciturnitas alterius, ſignum eſt, Principem unum & non aliud voluiſſe ordinare. Et hinc eſt vulgatum axioma: *In Jure poſitivo non licet argumentari à paritate* (adde, vel identitate) *rationis*. Quod proinde non ſolùm habet locum in pœnis, legibus correctoriis, vel à jure communi exorbitantibus, ut etiam alii non gravatè admitterent, negantes extenſionem ad caſus ſimiles, præſertim in pœnis (quod omnes fatentur) ob ſimilitudinem vel identitatem rationis, ſed etiam in legibus favorabilibus, ſi nequidem ſub latâ verborum formâ caſus ſimiles comprehendantur.

Lex etiam favorabilis non eſt extendenda ad ſimiles caſus ultra ſignificationem verborum.

193. *Limitationes ſeu declarationes variæ allegantur.*

Excipe tamen, quando ex non extenſione ſequeretur iniquitas & imprudentia in lege, ſeu legiſlatore: tunc enim ex circumſtantiis ſaltem debent caſus ſimiles lege comprehendi, etiamſi fuerit pœnalis, odioſa & correctoria. Excipe præterea, quando legiſlator de caſu vel perſonâ ſpeciali, ſolùm agit gratiâ exempli, & alioquin ex circumſtantiis ſatis conſtat diſpoſitionem legis ex mente legiſlatoris eſſe generalem: exemplum enim non limitat diſpoſitionem, ſed declarat. Quâ ratione Pontifices & Imperatores decidendo caſum aliquem ſpecialem, frequenter legem generalem ſtatuunt. Quando autem hoc fiat, ex circumſtantiis penſandum eſt. Idemque locum habet in lege etiam correctoriâ. Excipiuntur denique caſus correlativi quà tales: diſpoſitum enim in uno correlativo cenſetur eſſe diſpoſitum in alio. Idemque eſt de æquiparatis, jure vel conſuetudine connexis, &c. de quibus *Suarez l.* 6. *de Leg. cap.* 4.

194. *Iudex ad ſimiles caſus in judiciis procedit.*

Poſtremò obſerva, quòd etſi lex quoad obligationem non extendatur ad ſimiles caſus lege non comprehenſos, tamen juxta Doctores in externis ſaltem judiciis Judici eſſe procedendum à ſimilibus, ſi de caſu controverſo lex aliud ſpecialiter non diſponat: id enim prudentia & recta ratio poſtulat, & colligitur ex *L. Non poſſunt* 12. *ff. De Leg.* ibi: *Cùm in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet.* Et *L. ſeq.* ibi: *Nam quoties lege unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cetera quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione vel certè juriſdictione ſuppleri.* Sic namque Judex quantùm poteſt ſecundùm leges judicat, & ad æquitatem magìs accedere eſt præſumendus.

QUÆSTIO XV.

Qualiter in Legem humanam cadat Epykia?

EPYKIAM ſeu æquitatem ponit *Philoſophus* 5. *Eth.* 10. inter virtutes juſtitiæ affines, eamq; definit eſſe *Emendationem legis ex ea parte quâ deficit propter univerſale.* Quia enim fieri non poteſt, quin in caſu particulari ſubinde deficiat univerſalis humanæ legis diſpoſitio, eò quòd res humanæ innumeris ſubſint mutationibus, & caſibus contingentibus, quos legiſlator humanus nō potuit prævidere, idcirco per judicium prudētiæ corrigitur univerſalis legis expreſſio, quo judicatur non fuiſſe mentem legiſlatoris, caſum aliquem particularem comprehendere, ſi prævidiſſet. Cui accedit alius actus ex parte voluntatis, quo ipſa decernit neglecto verborum cortice operari ſecundùm præſumptam ſeu tacitam legiſlatoris voluntatem. Eſtque Epykia etiam quædam interpretatio legis; etſi ſtrictè loquendo diſtinguatur ab ea, quòd interpretatio verſetur circa verba legis, quando ſunt obſcura & de ſenſu illorum emergit dubium, epykia verò emendet legem declarando certum caſum non comprehendi, etiamſi alioquin circa legis verba non ſit ambiguitas. 195.

Epykia quid ſit.

Cur ſæpè neceſſaria in humanis legibus.

Epykia non habet locum ex eo præciſè, quòd in caſu particulari ratio legis videatur ceſſare, ſeu ex eo quòd finis legis ceſſet contradictoriè in particulari; ut oſtendetur *quæſt. ſeq.* § 1. Verùm habet in primis locum, quando caſus particularis foret pernicioſus bono communi, ſive quando ratio legis deficit contrariè, ſi nimirum occurrat ratio vel finis contrarius. Secundò, quando caſus ob ſupervenientem aliquam circumſtantiam fit illicitus, eò quòd videlicet repugnet legi naturæ, aut alteri altioris ordinis, vel ſtrictiùs obliganti. Tertiò, quando caſus ſupervenit, quo legis obſervantia foret nimiùm difficilis: Regulariter enim & ſine graviſſima cauſa ſub legem humanam vel humanam poteſtatem non cadunt valdè difficilia ſeu graviſſima 196.

Non uſuvenit fine legis ceſſante negativè in caſu particulari, remiſſivè: Secùs ſi contrariè, Vel quando caſus ob circumſtantias eſt illicitus, Aut legis obſervantia nimis dura.

viſſima onera. Unde ratione gravis damni in honore, vitâ vel rebus fortunæ regulariter ceſſat obligatio legis Eccleſiaſticæ. Idque non tantùm, quando ſequeretur ejuſmodi damnum in rebus acquiſitis, ſed etiam in acquirendis, v.g. amiſſio notabilis lucri: nam lucrum ceſſans moraliter loquendo æquiparatur damno.

197. *Alium adhuc modum utendi epykiâ addit Suarez.*

Quartò denique poteſt eſſe locus epykiæ, juxta *Suarez infrà*, quando lex quidem non eſſet adeò rigida ut ſuperior abſolutè non poſſet obligare in tali caſu, adſunt tamen rationes & circumſtantiæ, ex quibus colligitur non fuiſſe mentem legiſlatoris talem caſum comprehendere. Ratio eſt; quia voluntas tacita idem valet quod expreſſa; ex circumſtantiis autem colligi poteſt, eſſe tacitam ſuperioris voluntatem non obligandi in omni eventu, & rigore quo poſſet, ſed ſæpè minùs, ſpectatâ materiâ legis; ut patet in variis legibus v.g. jejuniorum, feſtorum &c. quæ, ut docet praxis, multas excuſationes patiuntur, in quibus colligitur ex circumſtantiis legiſlatorem obligare noluiſſe, quàmvis potuiſſet abſolutè loquendo: ergo in ſimilibus caſibus locum habere poteſt epykia. Quæ proinde non æquè facilè in quibuſvis legibus adhiberi poteſt, ſed in aliquibus faciliùs, in aliis rariùs. Vide *Suarez l.6. cap.7. num.*11. Generalis autem regula eſt: Quotieſcumque moraliter poteſt conſtare, quòd legiſlator noluerit aliquem caſum comprehendere, etſi verba legis ſint generalia, licitum eſt contra illa operari.

Regula generalis.

198. *An licitus ſit uſus epykiæ, quando tantùm probabiliter cõſtat, quòd caſus non ſit comprehenſus,*

Petes I. An licitus ſit uſus epykiæ, quando tantùm probabiliter judicatur ſuperiorem non potuiſſe aut non voluiſſe caſum ſub lege comprehendere? Reſp. Aff. ex communi principio, quòd ordinariè licitum ſit in operando ſequi opinionem, ſeu judicium probabile. Nihilominus ſi ſuperior poſſit conveniri, & caſus moram patitur, omnino ſuadendum eſt, immo neceſſarium juxta *Suarez l.6. cap.8. num.9.* (qui dicit eſſe communem ſententiam) conſulere ſuperiorem: tunc enim ceſſat ratio epykiæ, ſeu æquitatis; immo potiùs contra æquitatem videtur, tunc uti opinione probabili, & ob incertas conjecturas deſerere verba legis, quando nobis explorata poteſt eſſe ſuperioris voluntas; cui proinde diſplicceret oppoſitus procedendi modus. Idem à fortiori dicendum eſt, quando eſt, & manet propriè dictum dubium, an caſus ſit ex mente legiſlatoris comprehenſus lege: tunc enim nullum apparet principium rectè procedendi in tali dubio contra verba legis. Quòd ſi verò commodus non pateret ad ſuperiorem ſeu Principem recurſus, adhuc non poſſe in dubio procedi cõtra tenorem verborum legis, cenſent Doctores paſſim: eò quòd lex ſit certa etiam in ordine ad hunc caſum particularem, adeòque ſit in poſſeſſione, exemptio autem, uti & ipſa legiſlatoris mens, tantùm ſit dubia; quorum neutrum tollitur per impotentiam recurrendi ad Principem. Verùm etſi hoc tutius ſit, in rigore tamen videtur tali caſu, non lex, ſed libertas eſſe in poſſeſſione: cùm ſit dubium, an circa talem caſum particularem lex umquam fuerit, ſive an obligatio aliquando intraverit; & conſequenter lex non eſt certa quoad ipſum caſum particularem. Vide dicta *Tract. præced. d.4. n.43.*

Aut quãdo eſt de hoc propriè dictum dubium.

Petes II. An epykia habeat etiam locum in lege irritante? Reſp. ordinariè non habere locum, juxta receptam Doctorum ſententiam. Et patet in legibus ſtatuentibus impedimenta matrimonii, v.g. nè fiat niſi in præſentia parochi & teſtium, nè inter affines, & conſanguineos, nè ex gravi metu &c. alioquin ſanè multis dubitationibus ſubjicietur invaliditas actuum, ſi vis irritandi queat paſſim impediri. Ratio eſt: quia etſi gravis cauſa ſubſit, non poteſt actus poni ſine ſua forma, aut à perſona inhabili; per epykiam autem non ponitur forma ſubſtantialis actûs aut habilitas perſonæ. 199.

Epykia ordinariè locum non habet in lege irritante.

QUÆSTIO XVI.

De Ceſſatione ſeu Mutatione legis humanæ.

Lex humana ceſſat ſeu mutatur, quando ejus obligatio tollitur. Id autem frequenter & diverſimodè fieri certum eſt. Aliquando lex ceſſat velut ab intrinſeco, ceſſante fine: aliquando verò ceſſat velut ab extrinſeco, per hoc quòd ſuperior illam revocet ſeu abroget, vel per conſuetudinem contrariam, quæ etiam poteſt legem abrogare ſeu tollere. 200.

Legis humanæ mutatio multiplex.

§. I.

Quomodo Lex ceſſet ob ceſſationem finis?

Legem ceſſare, quando generaliter & abſolutè ceſſat cauſa ſeu finis legis, tradunt Doctores cõmuniter, arg. c. *Cum ceſſante 60. De appellat*, ubi dicitur, quòd *ceſſante causâ ceſſat effectus.* Deinde juſta ratio legis eſt velut anima illius; adeòque illâ extinctâ extinguitur. Denique eo ipſo ceſſat judicium legiſlatoris, quo judicabatur materia legis expedire bono communi ob talem cauſam; adeòque etiam ceſſat intentio obligandi. 201.

Primò ceſſat lex humana generaliter & abſolutè ceſſante causâ.

Quòd ſi cauſa legis ſolùm ceſſet pro aliquo tempore, lex non ceſſat ſimpliciter, ſed pro aliquo tempore ſolùm ſopitur, reſumptura vires ſine nova promulga-

Sopitur ſolùm pro tẽpore causâ taliter ceſſante.

mulgatione, ubi cauſa inceperit reviviſcere.

Quæ ſi ceſſet circa aliqua remanēs circa alia, ita ceſſabit & lex.

Deinde ſi per eamdem legem varia ſtatuantur, & reſpectu aliquorum cauſa abſolutè ceſſet, remaneat tamen reſpectu aliorum, retinebit reſpectu horum vim ſuam, quàmvis non obliget circa alia, reſpectu quorum ceſſat cauſa.

202. *Non ceſſat lex unâ ex multis cauſis ceſſante.*

Denique ſi legis alicujus plures ſint cauſæ, unâ ceſſante non ceſſat lex, modò reliquæ ſufficiant ad æquitatem legis. Sic non ceſſat obligatio ſolvendi vectigalia impoſita ob varias cauſas, etſi una ceſſet, modò aliæ ſint adhuc ſufficientes. Idem eſt juxta *Bonacina d. 1. de Leg. q. 1. pun. ult. §. 2. num. 1.* ſi ſimiles aliæ cauſæ de novo ſuperveniāt.

Secùs eſt ſi aliæ de novo ſuperveniant;

Quod tamen in rigore videtur falſum: nam ad novas rationes Princeps in lege ferendâ non reſpexerat, ideoque utilitas Reipublicæ ex illis cauſis adveniens habet ſe impertinenter ad legem priùs latam ejuſque obligationem: oporteret igitur legem ob ſupervenientes cauſas rurſum innovari, ut cenſeatur obligare. Ita *Suarez l. 6. de leg. cap. 11. num. 11. & 17.*

Ob quas lex eſt rurſum innovanda.

Instructio pro ſubdito ceſſante fine legis.

Debet autem ſubdito, ut ſine peccato agat contra tenonorem legis, ſatìs conſtare ceſſatio abſoluta finis, ſeu cauſæ legis; quod fiet, ſi vel accedat ſuperioris declaratio, vel judicium ſuum communi aliorum æſtimatione firmetur. Alioquin in dubio præſumendum foret pro lege, pro qua ſtat poſſeſſio: maximè quia dum ceſſatio cauſæ non eſt cōmuniter nota, ſignum eſt, non eſſe tantam nec univerſalem. Quòd ſi nihilominus de facto aliquibus conſtaret, ceſſaſſe integrè finem legis à legiſlatore intentum, poſſent hi in rigore & ſecluſo ſcandalo legem non ſervare, quantumvis id communitati non conſtaret: nam à puncto ceſſationis cauſæ primariæ tollitur lex & obligatio communitatis; etſi per accidens ratione ignorantiæ ſeu conſcientiæ erroneæ peccarent, qui citra ſcientiam ceſſationis cauſæ legem non ſervarent. Communitatis enim notitia de ceſſatione cauſæ non facit legem perire, ſed ipſamet cauſæ ceſſatio. Ita contra *Suarez* docet *Caſtro Palao d. 5. pun. 1. n. 8.*

203. *An lex ceſſet ceſſante ejus fine, ſeu cauſa negativè in caſu particulari.*

Sed reſtat difficultas, an ceſſet lex etiam in caſu ſeu perſonâ particulari, ſi ratio ſeu finis legis in eo tantùm ceſſet negativè ſeu contradictoriè, non autem contrariè; cùm tamen circa reliquos caſus, reliquaſque perſonas perſeveret? v. g. ſi lata ſit lex prohibens, ne arma noctu deferantur ad vitandas rixas, ſeditiones, ſimiliave incommoda plerumque nata ſubeſſe, quæ tamen inconvenientia hîc & nunc non timentur, an poteris abſque legis violatione arma deferre? Si lata ſit lex prohibens deferri certam veſtium pompam eò quòd ſimilibus luxibus familiæ depauperentur, an tibi, in quo periculum iſtud non ſubeſt, licitum ſit ejuſmodi veſtes deferre? Affirmant nonnulli Recentiores.

Sententia negativa probatur:

Sed meritò id negant ceteri DD. unanimiter. Ratio eſt: quia dum vulgariter dicitur ceſſare ratio legis in caſu particulari, verè non ceſſat omnis ratio etiam reſpectu perſonæ particularis, quin adhuc juſtè præcipiatur illi quod generali lege cavetur: adhuc enim manet finis generalis & altior, nempe bonum commune, cui manet valde utile ſervari legem in tali caſu, nimirum ut ſit conformitas in membris communitatis, & præcludatur via variis incommodis, quæ ſequerentur, ſi tali & ſimilibus caſibus tribuatur licentia agēdi contra legem: nam quiſque facilè ſibi blandietur cauſam legis & nunc in ſe ceſſare. Immo etiam particularis ratio legis ſufficienter afficit caſum, in quo communiter dicitur ceſſare: dum enim prohibetur actus ob inconvenientias plerumque adeſſe ſolitas, poteſt ob illas prohiberi generaliter, etiam quando iſtæ inconvenientiæ non ſubſunt: manet enim actus equidem talis conditionis, ut frequenter ſint illi natæ ſubeſſe ſimiles inconvenientiæ. Finis autem ſeu ratio legis eſt vitare generale ſeu commune periculum (quod manet) & non tantùm ſpeciale, quod in caſu particulari ceſſat.

204. *Declaratur ampliùs deſcendendo ad varios caſus.*

Sic ob periculum fraudum rectè prohibentur aut irritantur generaliter certi contractus & electiones: ob periculum incontinentiæ rectè præcipitur generaliter clauſura Monialibus: ob periculum perverſionis prohibetur generaliter lectio librorum hæreticorum: ob periculum adulteriorum & libidinum, aliarumque inconvenientiarum pericula, univerſaliter fuit olim prohibitum (quod nunc eſt irritum) matrimonium clandeſtinum, atque etiamnum generaliter, ob pericula impedimentorum occultorum prohibetur celebratum ſine præviis denuntiationibus &c. Quæ proinde leges indubiè etiam afficiunt illas perſonas & caſus, in quibus per accidens non ſubeſt ſpecialiter inconveniens ſeu periculum, quod generaliter natum eſt ſubeſſe. Omitto leges quæ verſantur circa materiam honeſtam in ſe, & exinde bono communi convenientem: has enim non ceſſare, etiamſi in particulari ceſſet finis extrinſecus, v. g. in jejunio, carnis mortificatio, etiam alii Auctores facilè admittunt; eò quòd adhuc maneat ratio quaſi intrinſeca legis, v. g. honeſtas temperantiæ. Jocari proinde viſus eſt, qui in quodam Tractatu Edito tali caſu legem jejunii contrariè ceſſare diſputativè urget, ſaltem quando per piſces magìs venus accenderetur; quaſi dum præcipitur abſtinentia à carnibus, præcipiatur comeſtio piſcium.

Dices: Secundùm noſtrum procedendi modum videtur tolli hypotheſis difficultatis: cùm verè non tollatur tota ratio ſeu finis legis in caſu particulari; quod tamē præ- 205.

ſens

An juxta noſtrum explicandi modũ ceſſet hypotheſis controverſia.

ſens difficultas ſupponit. Reſp.Neg.Aſſ.nã loquimur ut multi, & prout intelligi ſolet, etiam à Nonnullis diverſum ſentientibus, præſens controverſia, ſcilicet de ceſſatione finis ſpecialis in caſu particulari; quâ poſitâ oſtendimus adhuc nõ tolli totam rationem, & finem generalem legis. Alioquin niſi eſſet uſus ſic loquendi & intelligendi, facilè admiſerim in caſu particulari finem legis non ceſſare in rigore loquendo. Quòd ſi etiam ita ceſſaret, ut nulla omnino remaneret ratio in hoc vel illo caſu præceptum ſeu legem imponendi particulari perſonæ (quæ utique in caſu præſentis controverſiæ non deeſt) conſequenter obligatio tunc ceſſaret: nam ſicut ceſſante omni causâ, ceſſat lex in univerſali, ſic etiam in caſu particulari ſi nulla omnino cauſa ſubſit, quæ in illo legem rationabilem faciat.

Dices II. Ceſſat obligatio correctionis fraternæ, ſi ex ea non ſperetur utilitas, etſi tantùm in caſu particulari, ut omnes docét: ergo &c. Reſp.Neg.Conſ.nam in caſu antecedentis correptio eſſet omnino inutilis, corripienſq; ſimilis foret medico, qui amaram potionem præberet ægro invito, quam ſciret ei nullatenus profuturam: in caſu autem controverſiæ hujus obſervatio legis adhuc manet valdè utilis. Deinde præceptum correptionis fraternæ, cùm ſit affirmativũ, non obligat ad ſemper, ſed tempore & conditionibus debitis, quarum una eſt, ut ex ea ſperetur fructus.

§. II.

De Mutatione legis humanæ per revocationem ſive abrogationem ſuperioris.

206. *Legis abrogatio poteſt fieri ab eo qui tulit, ejus ſucceſſore, & in ordinaria juriſdictione ſuperiore.*

MUTATIO velut extrinſeca legis contingit per voluntatem legiſlatoris, ejus ſucceſſoris, aut in juriſdictione ſuperioris legem revocantis ſeu abrogantis. Lex namque humana non obligat ultra voluntatem legiſlatoris, cui voluntas ſucceſſoris æquivalet, ſuperioris in juriſdictione prævalet. Deinde *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, ut dicitur c. *Omnis res, De Reg.juris.* Quando autem hæc revocatio eſt totalis propriè vocatur abrogatio legis: quando verò eſt partialis, puta quando pars ſolùm legis tollitur, v.g. pœna per legem taxata, dicitur propriè legis derogatio.

207. *Idq; ſæpè rationabiliter :*

Porrò hanc mutationem ſæpè rationabiliter fieri inde patet, quòd ob humani ingenii imbecillitatem non ſemper exactè perſpiciantur omnia conſideranda; quo fit, ut temporis ſucceſſu aliquando deprehendatur obeſſe, aut minùs prodeſſe, quod credebatur ampliùs profuturum. Subditorum quoque ingenia, negotia, aliæque circumſtantiæ diverſis ſubſunt mutationibus, quibus ſubinde lex deſinit eſſe utilis, aut incipit communi bono eſſe minùs utilis, vel fragilitati non ſatis accõmodata; ob quæ recta ratio dictat eam poſſe, aut debere mutari. Hoc modo ſe excuſat Artaxerxes *Eſther 16.* dicẽs: *Nec putare debetis, ſi diverſa jubeamus, ex animi noſtri venire levitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, ut reipublicæ poſcit utilitas, ferre ſententiam.* His accedit invaleſcens paulatim legum multitudo, ob quam ſubinde lex alioquin utilis licitè revocatur, ut populi onus in gravi legum obſervantiâ portandum relevetur.

208. *Non facilè tamen, ſed moderatè eſt adhibenda.*

Nihilominus debet mutatio legum eſſe prudens & moderata, nec mox ut meliùs aliquid occurrit adhibenda: nam *in rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt*, ut dicitur *L.2 ff. de Conſt.Princ.* Iſta enim mutatio hoc continet incommodi, quòd æſtimationem legum diminuat, conſuetum populi morem immutet, & (ut ait *Auguſt. Epiſt.* 118. *ad Januarium c.5.*) *Quæ adjuvat utilitate, novitate perturbet.* Plura quoque ſolẽt interdum poſteà apparere incommoda antea non præviſa. Unde *Philoſophus 2. Politic.6.* exiſtimat errata quædam legiſlatorum potiùs eſſe diſſimulanda, quàm de facili legem mutandam.

Legum correctio odioſa & reſtringenda.

Hinc oritur legum correctionem, per ſe loquẽdo eſſe odioſam, adeòq; quantùm fieri poteſt, vitandam ac reſtringendam; juxta c. *Odia de Reg.juris in 6.* Niſi odium hoc aliũdè compenſetur; ut ſi lex revocata repugnet juri communi regni, vel aliàs fuerit multùm odioſa: tunc enim illius revocatio cenſenda eſt favorabilis.

209. *Lex ſpecialis etiam precedens derogat legĩ generali, niſi hæc contineat ſingulares clauſulas derogatorias.*

Ex quo ulteriùs ſequitur, non ſatis derogari legi ſpeciali per clauſulas generales, quò minùs iſtis non obſtantibus lex aliquid diſponens circa particularẽ materiam, vel perſonas retineat ſuum robur: nam lex generalis adhuc ſervat vim ſuam & commodum ſenſum, etſi ſubintelligatur exceptio lege ſpeciali expreſſa. Idem conſtat ex *Reg.34. Juris in 6. Generi per ſpeciẽ derogatur.* Quam *Gloſſa* & omnes alii ita intelligunt, ut ſpecies ſeu lex ſpecialis præcedens deroget etiã generi, ſeu legi generali ſubſequenti. Unde Bonifacius VIII. c.1. *de Conſtit.in 6.* expreſsè decidit, ſtatuta & cõſuetudines ſpeciales non revocari per generalem legem, niſi eorum fiat mẽtio ſpecialis. Quod etiam locum habet in lege juratâ ſeu firmatâ juramento; intellige promiſſorio, quo legiſlator juravit, ſe legem non revocaturum, ut rectè *Bonacina d.1. de Leg.q.1.pun.ult.§.1. n.1. in fine*: præſumi enim debet, ipſum non voluiſſe violare juramentum, quando ſpecialiùs id non exprimit.

Idem eſt de lege juratâ.

Nec refert, quòd in Principe non præſumatur ignorantia juris communis, juxta illud quod de Pontifice dicit Bonifacius VIII. c.1. *de Conſtit.in 6. Jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere.* Item quòd præſu-

præſumendum ſit pro valore actûs, adeòq; pro lege poſteriori; nam quando duæ præſumptiones ſimul concurrunt, illa prævalere debet pro qua eſt honeſtas, & excludi illa, quæ delictum Principi adſcribit. Adſcriberetur autem delictum Principi, ſi conſcius juraméti (cujus veluti ſtrictiſſimè obligantis oblivio non eſt præſumenda) legem revocet, nullâ factâ mentione juramenti. Saltem circumſtantia hujuſcemodi juramenti facit, talem legem ſpeciali notâ dignam, ut proinde generali derogationis clauſulâ meritò non cenſeatur cóprehenſa.

210. *Lex ſine cauſa validè abrogatur; etſi illicitè.*

Eſt autem advertendum quòd licèt non rectè, ſed malè & imprudenter ageret legiſlator aut ſuperior mutans ſine cauſa legem uſu roboratam; factum tamen tenebit: quia lex eſſentialiter pendet ab illius voluntate, ac proinde ipsâ, quantumvìs illicitè, deficiente, deficit lex: quemadmodum lex non poneretur in principio, ſi ſuperior nollet, quamtumvìs eam condere rationabile, immo neceſſarium videretur.

211. *Poteſt lex à ſuperiore accidentaliter (ut ſolet) confirmata per eum qui tulit abrogari.*

Petes I. An legiſlator poſſit abrogare legem, quæ per ſuperiorem eſt confirmata? Reſp. ordinariè poſſe: nam confirmatio iſta regulariter tantùm eſt accidentalis, quæ ad majorem auctoritatem ſolet frequenter à Sede Apoſtolicâ peti pro Conciliis provincialibus, immo etiam pro Statutis generalibus Religionum: hæc enim confirmatio relinquit leges confirmatas in ſuo ordine ac naturâ. Unde c. *Cùm acceſſiſſent de Conſtit.* Pontifex apertè ſupponit ſtatutum quoddã Canonicorum per Sedê Apoſtolicam confirmatum potuiſſe per Canonicos abrogari. Quare præſumi non debet, cófirmationem eſſe eſſentialem, quâ ſuperior v. g. Papa legem inferioris faciat ſuam, niſi clarè id exprimatur, aut ex circumſtantiis colligatur.

212. *Epiſcopus per ſe poteſt abrogare ſtatuta Synodi Diœceſana.*

Petes II. An Epiſcopus poſſit conſtitutiones Synodi diœceſanæ abrogare inconſultâ Synodo? Reſp. Cótra Nonnullos affirmativè, quando (quod rarum eſt) id videret expedire: ſunt enim propriè conſtitutiones ipſius Epiſcopi, ſoluſque Epiſcopus eſt legiſlator; ceteri autem clerici, qui in Synodo comparent, ſolùm ſe habent velut Conſiliarii, à quibus non dependet legum conſtitutio, adeòque nec abrogatio. Quemadmodum rex in abrogatione legis non pendet à ſuis Conſiliariis, de quorum conſilio legem tulerat. Quare poteſt ſimiliter Epiſcopus conſtitutiones ſuas, utì extra Synodum, ſic & in Synodo factas independenter à Synodo abrogare.

213. *An & qualis ad revocationem legis promulgatio requiratur.*

Petes III. An ut legis revocatio obtineat effectum, debeat promulgari? Nonnulli requirunt publicationem, qualis requiritur ad ipſam legem. Ita *Vaſquez*, *Azorius* & alii. Alii è contrà cenſent nullam publicationem requiri. Sed rectiùs Reſp. quòd dum legis revocatio fit per novæ legis præſertim incópatibilis impoſitionem, illam non obtinere effectum ante novæ legis promulgationem: tunc enim legis revocatio eſt velut acceſſoria introductioni novæ legis: adeòque prior non niſi indirectè & velut ex conſequenti revocatur, quatenus eſt ſuccedenti incompoſſibilis. Unde abrogatio, velut ſecundaria & acceſſoria alteri legi, non obtinet, niſi quatenus principale ſeu lex alia incipit obtinere. Quando tamen ſimpliciter lex aliqua retractatur, non requiritur revocationis ſolemnis, immo fortè nec ulla externa promulgatio: deficiente enim in ſuperiore voluntate obligandi deſtrui debet lex, adeò ut etiam rectè tradat *Suarez* non fore re ipsâ legem, ſi dum initio ſuperior curat legê promulgari, deeſſet in ipſo interna obligandi voluntas. Nec obſtat, quòd ad conſtitutionem legis requiratur promulgatio: nam ad conſtitutionem requiruntur omnes partes; ad deſtructionem autem ſufficit defectus unius partis. Non obſtat etiam, quòd tunc orirentur ſcandala & confuſiones: hæc enim ſunt per accidens, & cavenda, ſicut caveri debent ab iis qui habent diſpenſationes ac ſpecialia privilegia, quæ tamen non ſolent promulgari. Congruum nihilominus eſt legum revocationem etiam aliqualiter promulgari pro majori uniformitate ſervãdâ, & incómodis evitandis: adeòq; voluntas ſuperioris abrogandi legem non debet præſumi, niſi exteriùs declaretur, ac de ea ſatìs cóſtet.

214. *An reductio impedimentorum matrimonii facta per Tridentinũ obtineat in locis, in quibus non eſt promulgatum.*

Ex his Varii colligunt, Reductionem impedimentorum matrimonii factam per *Concilium Tridentinum* ſortiri effectum etiam in locis in quibus Concilium non eſt promulgatum. Ita *Zypæus in Conſult. Canon. L. 4. Tit. de Cognat. ſpirit. conſult. 1.* & tãquam probabile admittunt *Præpoſitus*, *Malderus* & alii. Videturq; conforme praxi & conſuetudini. Conſonat etiã æquitati, quoad illa ſaltem loca, in quibus ob hæreſim non potuit publicatio Concilii obtineri: durũ enim apparet Catholicos ibidê ſub jugo graviſſimo hæreticorum gementes favore iſto ceteris alibi communi privare. Accedit, quòd promulgatio Romæ & alibi ſolemniſſimè facta ad hunc ſaltem effectum ſufficere videatur: præſertim cùm ad revocationê minùs quàm ad conſtitutionem requiratur, potueritque quoad hujuſmodi favores eſſe receptum Cócilium, etiamſi non quoad omnia onera.

§. III.

De Mutatione legis per conſuetudinem.

215. *Conſuetudo poteſt tollere legem humanam.*

Dico I. Conſuetudinem à majori parte communitatis frequentatam poſſe abrogare legem humanam, certum eſt apud omnes Gentes, & expreſſum in utroque Jure, *L. De quibus ff. de Leg.* & *c. fin. de Conſuetudine.* Convenienter etiam hæc vis conſuetudini à ſuperioribus eſt attributa, ut plurimorum malorum vitetur occaſio; & quia plerumque minùs

minùs utilis eſt reipublicæ lex, cui conſtanter moribus populi contradicitur. Nec obſtat quòd *L. Conſuetudinis C. quæ ſit longa conſuetudo*, de conſuetudine longæva dicatur: *Non uſque adeò ſui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Nam id ſimilibus verbis repetitur c. *fin. cit.* & explicatur, ut juri poſitivo non debeat præjudicium generare, *niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.* Vel certè *L. cit.* fit cõparatio reſpectu legis ſequentis: vel denique ſignificatur, quid nequeat vi ſuâ, non autem quid valeat ex ipſa Principis voluntate, ſive tacitâ ſive etiam per ipſas leges expreſsâ.

Non tamen naturalem aut divinã. Dixi, *Legem humanam:* nam nemo ſanæ mentis intelligit naturali juri quâcumque conſuetudine poſſe aliquatenus derogari, ut dicitur c. *fin. de Conſuetudine.* Idem eſt de jure divino poſitivo, quod etſi non ſit tam mutabile, quàm jus naturæ: non potuit tamen legiſlator humanus, aut ullius hominis voluntas (unde vim ſuam conſuetudo obtinet) contra leges altiores hanc conſuetudini concedere poteſtatem: nec etiam Deus ipſe legitur conceſſiſſe, ſed potiùs contrarium ex communi omnium ſenſu eſt manifeſtum.

216. *Debet eſſe rationabilis & præſcripta.* Porrò requiritur c. *fin. cit.* ut conſuetudo legi præjudicans ſit rationabilis & legitimè præſcripta. Cenſetur autem rationabilis in ordine ad abrogandam legem, quæ non militat contra jus divinum & naturale, nec à jure reprobatur, & in quam legiſlator ipſe *Quæ cenſeatur rationabilis,* poſſit juſtè conſentire ad hoc ut abrogaret legem. Unde non cenſetur conſuetudo irrationabilis ex eo præcisè, quòd repugnet legi humanæ, ſi nullam aliam indecentiam contineat: ſicut ex hoc capite non cenſetur irrationabilis lex ſcripta, quæ interdum aliam legem abrogat. Proinde & lex & abrogatio illius poteſt bono ſenſu ac diverſo reſpectu eſſe rationabilis: ſicut in moralibus plerumque ſunt rationes prò, & contrà. Immo quàmvis actus, quibus conſuetudo inchoatur contra legem, non forent excuſati à formali peccato per ignorantiam aut bonam fidem, adhuc cenſeri poteſt conſuetudo ad ſenſum præſentis loci rationabilis, nempe ex parte materiæ ſeu ſubjecti, modo ſuperiùs explicato.

217. *Quæ cenſeatur legitimè præſcripta.* Cenſetur autem conſuetudo præſcripta, quando legitimo tempore eſt continuata abſque interruptione. Quod tempus pro *Quantum temporis requiratur pro lege civili.* lege civili quidam ſtatuunt viginti annos reſpectu Principis abſentis, & decem reſpectu Principis præſentis. Sed communis Sententia non diſtinguit: quæ videtur valdè rationabilis & uſu recepta. Deinde tempus decennii ſufficit ad legem civilem inducendam, adeòque etiam ad abrogandam.

Quod autem ad legem Eccleſiaſticam attinet, Doctores cõmuniùs requirunt tempus *Quantum pro Eccleſiaſtica.* quadraginta annorum *ex c. De quarta*, & c. *Ad aures, de Præſcript.* ubì tamen eſt ſermo de præſcriptione contra bona & jura Eccleſiæ, v.g. contra agros & prædia, juriſdictionem Eccleſiaſticam &c. non autem de mandatis & legibus. Aliàs ſanè ad præſcribendũ contra leges Pontificias requirerentur centum anni, uti ex jure canonico requiritur ad præſcribendũ cõtra jura & bona Eccleſiæ Romanæ; quod tamen eſt contra communem ſenſum Doctorum. Unde Varii Doctores nõ improbabiliter etiam pro legibus Eccleſiaſticis viâ præſcriptionis tollendis dicunt ſufficere tempus longævũ; id eſt decem annorum. Hinc c. *fin. de Conſuetudine* dicitur: *Conſuetudinis longævæ non vilis auctoritas eſt.* Et quàmvis in fine addatur limitatio pertinens ad præſens punctum: *niſi fuerit rationabilis & legitimè ſit præſcripta*; hoc fit, eò quòd conſuetudo longæva poſſit eſſe irrationabilis, item non continua, ſed interdum interrupta; non poſſit autem dici legitimè præſcripta (vt notat *Zoeſius l. 1. Digeſt. tit. 3. §. de Conſuet.*) ſi antequam ſit perfecta, intervenerit actus contrarius, qui populi conſenſum facit vacillare, argumento præſcriptionis bonorum, quæ interrumpitur actu contrario.

Determinatum autem tempus non eſt neceſſarium, quando conſuetudo tollit legem, non via præſcriptionis, ſed viâ tacitæ convenientiæ. tunc enim ſolùm requiritur tempus determinandum judicio prudentis, attentis circumſtantiis, ut diximus *diſp. 3. q. 6.* de Conſuetudine inducente legem.

Dico II. Sicut conſuetudo poteſt tollere totam legem, ſic etiam pro parte illi præjudicium generare. Sequitur ex concluſione præcedenti. Ratio eſt: quia cum partiales obligationes legis ſint diſtinctæ, & per expreſſam voluntatem legiſlatoris à ſe invicem ſeparabiles, ſic etiam ſeparari poſſunt per voluntatem ejuſmodi tacitam, aut in iure declaratam. Hinc poteſt conſuetudo relictâ obligatione ad culpam derogare legi quoad obligationem ad pœnam, v.g. excommunicationis; quæ non incurretur, poſtquam fuerit conſuetudo completa; & è converſo poteſt relictâ in vigore pœnâ derogare legi quoad obligationem in conſcientia, quando pœna hanc non neceſſariò ſupponit. 218. *Poteſt conſuetudo etiã derogare legi pro parte.*

Dico III. Conſuetudo poteſt etiam abrogare legem irritantem. Ita contra Nonnullos docet *Sanchez, Suarez*, & plures alii citati à *Bonacina q. 1. pu. vlt. §. 3. n. 5.* Probatur: quia c. *de Conſuetudine*, loquitur generaliter. Deinde lex irritans poteſt per conſuetudinẽ introduci, ergo & abrogari. Hinc dico, quòd lex præſcribens formam ſubſtantialem contractuum poſſit per conſuetudinem abrogari: ſimiliter lex irritans matrimonia. Et quàmvis actus contra talem legem exerciti ſint invalidi; ſi tamen paſſim in aliquo populo tententur, incipient eſſe validi, poſtquam tempus ad præſcriptionem requiſitum effluxerit. Immo ante illud ſi intervenerit tacitus ſeu præſumptus conſenſus Superioris. 219. *Et abrogare legem irritantem.*

Nec

Nec univerſim dici poteſt talis conſuetudo irrationalis; aut ſi talis ſit, non modò non legem irritantem, ſed nec ullam aliam abrogare poteſt. Ejuſmodi declaratur eſſe conſuetudo contrahendi matrimonium intrà gradus prohibitos c. *Quod ſuper, de Conſang. & affinit.* ubì dicitur eſſe *corruptela*. Quamvis enim non ſit intrinſecè mala reſpectu omnium graduum; cùm Pontifex in quibuſdam interdum diſpenſet: poteſt tamen obſiſtere conſuetudini generaliter per inferiores inducendæ tamquam corruptelæ.

220. *Aut illam quæ prohibet conſuetudinem;*

DICO IV. Lex prohibens conſuetudinem poteſt etiam tolli conſuetudine. Ita *Suarez l. 7. de Leg.* c. 19. n. 21. & plures alii. Ratio eſt: quia lex, quæ eſſentialiter eſt præceptum ſive prohibitio, poteſt abrogari per cõſuetudinẽ; cur ergo prohibitio cõſuetudinis non poteſt conſuetudine abrogari? Deinde prohibitio conſuetudinis includitur implicitè in omni lege, quâ prohibetur fieri ipſe actus. Nec tamen fruſtrà conſuetudo interdum expreſſiùs inhibetur: hoc enim deſervit, tum ut longè difficiliùs præſumi poſſit tacitus Principis conſenſus, tum ut majori cautelâ conſuetudo legi contraria caveatur, & populus ad hoc ampliùs obligetur, quod viderit tam graviter à Principe poſtulari. Ex quibus patet, potiori jure poſſe præſcribi contra legẽ, cui apponitur clauſula: *Non obſtãte quacumque conſuetudine*. Nam hæc clauſula intelligitur de conſuetudine præexiſtente, non autem de ea, quæ ſubſequitur, & eſt præſcripta, vel tacito conſenſu Principis ſtabilita.

221. *Non tamen illam, quæ reprobat conſuetudinem inducendã tamquam irrationabilem corruptelã,*

DICO V. Non poteſt lex tolli per conſuetudinem jure reprobatam, niſi tanta mutatio ſuperveniat, ut non cenſeatur manere ſub iiſdem circumſtantiis, ſub quibus erat reprobata. Ratio eſt: quia jus reprobãs conſuetudinem declarat illam non eſſe rationabilem, ſicut requirit illam eſſe in ordine ad abrogandam legem; ideoque hoc titulo frequenter in jure ei nihil defertur. Deinde conſuetudo non habet vim abrogandi legem, niſi ex Principis conſenſu; qui circa talem conſuetudinem non poteſt cum apparentia præſumi. Mutatis tamen circumſtantiis poſſet interdum fieri rationabilis; adeòque ſufficiens ad præſcribendum cõtra hujuſmodi legem. Vide *Suarez ſuprà n. 24.*

Niſi hæc mutatis circumſtãtiis fieret rationabilis.

Porrò reprobatur in jure interdum conſuetudo, non ſolùm quæ repugnat juri naturali aut divino, ſed etiã quia continet magnam indecentiam, enervat diſciplinam Eccleſiaſticam &c. Quod fieri ſolet variis clauſulis; ut cùm dicitur: *reprobamus, improbamus*. Itẽ cùm cõſuetudo appellatur *irrationabilis, prava corruptela, abuſus*; cùm dicitur, *diſrumpere nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ &c.*

Lex conſuetudinaria poteſt oppoſitâ conſuetudine tolli.

Finaliter obſerva, quòd ſicut conſuetudo, debitis conditionibus veſtita, poteſt derogare legi ſcriptæ, ſic etiam legi conſuetudinariæ; adeòque lex inducta per conſuetudinem poteſt contraria conſuetudine abrogari. Quemadmodum etiam lex ſcripta per conſuetudinem abrogata, poteſt rurſum per novam & contrariam cõſuetudinem introduci. Quæ omnia ex præmiſſis ſatìs patent.

DISPUTATIO QUARTA.

De Diſpenſationibus & Privilegiis ſeu Lege favorabili.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Diſpenſatio, & quam cauſam poſtulet?

1. *Quid ſit diſpenſatio.*

DICO I. Diſpenſatio non eſt aliud quàm relaxatio legis in particulari caſu vel perſonâ (ſub qua comprehende etiam perſonã fictam, v.g. Monaſterium, Religionem &c.) relictâ ejuſdem legis obligatione in univerſali. Hinc patet, in quo diſtinguatur ab Epykia: hęc enim nõ ſupponit obligationem legis, ſed declarat non eſſe in caſu particulari. Patet etiam, quomodo diſtinguatur à Derogatione ſtrictè dictâ, videlicet quòd per Diſpenſationẽ nihil de legis ſubſtantiâ ſimpliciter pereat, ſed tantùm perſona aliqua ab ea eximatur, vel obligatio in caſu ſuſpendatur: at per derogationem ſimpliciter deperit aliqua pars legis. Quamquam & diſpenſatio contineatur ſub derogatione latè dictâ, quatenus cenſeri poteſt aliquid legi decedere, dum perſonæ, quæ alioquin forent & manerent obligatæ lege, ab ejus obligatione eximuntur, ſicque extenſivè quaſi minuitur ex parte objecti ſeu perſonarum.

In quo diſtinguatur ab Epykia & derogatione ſtrictè dictâ.

Nota Diſpenſationem aliam fieri per modum ſuſpenſionis legis; ut ſi Princeps concedat legem pro uno anno à Communitate non ſervari: aliam per modum exceptionis à lege; ut ſi perſona aliqua abſolutè à lege eximatur: aliam denique eſſe mixtam; ut ſi certa perſona abſolvatur à lege ad definitum tempus; illa enim partim à lege excipitur; partim lex in illa ſuſpenditur. Deinde aliquando relaxatur lex tota, & dicitur diſpenſatio totalis ſeu plena; aliquando ſolùm relaxatur lex quoad partem, v.g. quoad obligationem in conſcientia, relicta obligatione ad pœnam, & dicitur partialis. Quando autem tollitur quidem circa aliquam perſonam tota obligatio legis, ſed loco illius imponitur alia obligatio, eſt etiam diſpenſatio ſemiplena, quæ propriè vocatur cõmutatio. 2. *Diſpenſatio diverſis modis concedi poteſt.*

DICO II. Sicut lex humana poteſt mutari ſimpliciter & in toto per abrogationem; ſic indubiè poteſt ex cauſa rationabili mutari per diſpenſationem. Unde *Trid. ſeſſ. 25. c. 18. de Reform.* docet expedire, quòd legis vinculum quandoq; relaxetur. Idq; confirmat praxis cõtinua Eccleſiæ & totius orbis. 3. *Lex humana poteſt mutari per diſpenſationem.*

Ad cujus valorem requiritur interna voluntas diſpenſantis,

Dico III. Ut valeat diſpenſatio, requiritur interior voluntas diſpenſantis; quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Unde fictè diſpenſatus, ubì certior factus eſſet de rei veritate, ſeu prudenter ſibi perſuadere deberet alterum fictè proceſſiſſe, non poſſet uti tali diſpenſatione, antequam alter ſeriò diſpenſationem renovaret.

4. *Exteriùs manifeſtata.*

Dico IV. Debet voluntas interior diſpenſantis exteriùs manifeſtari; cùm diſpenſatio ſit actus humani convictûs, nec poſſit aliis interna voluntas innoteſcere, ut ſubditi ſic ſe poſſint illi conformare. Forma tamen certa jure naturæ non eſt præſcripta, nec univerſim jure poſitivo. Unde ad ejus valorem communiter non requiritur ſcriptura.

Diſpenſatio tacita; ejuſq; ſignū.

Adde diſpenſationem non ſolùm expreſsè, ſed & tacitè concedi poſſe, idque non tantùm ab habente ordinariam poteſtatem, ſed etiam valde probabiliter ab habente delegatam. Ratio eſt: quia conſenſus tacitus æquivalet expreſſo, ubì certa forma de jure non requiritur. Signum tacitæ diſpenſationis erit, ſi Superior aliquid concedat vel jubeat, quod fieri non poteſt ſine diſpenſatione in lege aut impedimento, quod ipſe Superior novit: ut ſi Pontifex ei, quem irregularē ſcit, conferat beneficium; Prælatus Religioſum, quem novit eſſe irregularem, & in cujus irregularitate poteſt diſpenſare, mittat ad ſuſcipiendos Ordines: non enim præſumi debet Superior præcipere vel cōcedere actus illicitos aut invalidos. Taciturnitas, quàmvis ex ſe ſolâ non ſit ſignum ſufficiens tacitæ diſpenſationis, poteſt tamen adjūctis quibuſdam circumſtantiis eſſe ſignum, ex quo diſpenſatio poſſit prudenter præſumi.

5. *Ad licitam diſpenſationem requiritur juſta cauſa.*

Dico V. Ut diſpenſatio fiat licitè, requiritur juſta cauſa. Eſt certum, colligiturque ex *can. Neceſſaria* 1. *q.*7. Et præcipuè ex *Tridentino*, variis locis, ſignanter *ſeſſ.* 24. *c.* 5. *de Reform. matr.* ubì ordinat circa diſpenſationes matrimoniales, ut non niſi ex cauſa concedantur. Et *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de Reform.* generaliter loquens juſtam cauſam poſtulat, oppoſitumque dicit *nil aliud eſſe, quàm unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire.* Et ex *Bernardo l.* 3. *de Conſid. c.* 4. in fine ubì ait: *Ubì neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubì utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cùm nil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Ratio eſt à *Tridentino ſup. c.* 18. inſinuata: quia alioquin ſequeretur legum contemptus & vilipenſio. Cui accedit irrationabile ſubditorum præ aliis gravamen; &, quæ inde ſequitur, eorumdem turbatio.

6. *An Princeps peccet mortaliter ex genere ſuo, diſpenſando ſine cauſa, ſive cum ſubditis,*

Unde Princeps irrationabiliter diſpenſans nocet bono communi, quod ex juſtitia legali tenetur promovere. Peccat inſuper contra juſtitiam diſtributivam in onerum impari diſtributione; adeòque ex genere mortaliter delinquit diſpenſans in propria lege, ut cum multis aliis docet *Suarez l.*6.*c.*18.*n.*9. Et conſequenter eodem modo peccat is, qui Principem ſcienter ad dandam ſimilem diſpenſationem inducit. Varii tamen exiſtimant eſſe levem materiam, niſi aliis grave damnum ſequatur, vel ſcandalum & gravis perturbatio apud prudentes oriatur, quòd frequenter fiant hujuſmodi diſpenſationes ſine cauſa vel levibus de cauſis: quia enervatur diſciplina Eccleſiaſtica aut Reipublicæ. Ita inter alios *Navarrus, Sanchez, Baſilius Pontius, & Præpoſitus q.*97.*dub.*5.*num.*26. etſi contrarium docuerit *q.*8.*de Matrim.dub.*3.*n.*19. Quidquid ſit, non videtur mortale (inquit *Præpoſitus*) ſi putetur cauſa ſubeſſe, quàmvis fortè non ſit proportionata diſpenſationi.

7. *Sive cum ſeipſo.*

Quid verò dicendum ſit de ipſo Principe ſecum diſpenſante, magìs adhuc incertum eſt, pendetque à qualitate & modo obligationis quo adſtringitur ſuis legibus. Nam ſuppoſito, quòd alioquin obligetur ſuâ lege graviter, utì ceteri, omninò dicendum videtur ipſum committere peccatum ex ſuo genere grave, ſecum diſpenſando citra cauſam juſtam: aliàs enim ridicula foret obligatio in iſto gradu, ſi pro libitu poſſet citra peccatum mortale per diſpenſationem à ſe tollere obligationem gravem ſeu ſub mortali. Unde ut ſolida ſit obligatio, ex genere gravis, Principis ad proprias leges, fateri oportet ipſum non poſſe eam à ſe ſine gravi cauſâ auferre, quin in tali diſpenſatione peccet mortaliter ex genere ſuo. Niſi malis cum Nonnullis diſpenſationem ejuſmodi eſſe invalidam, utpote in lege naturæ, quâ juxta illos Princeps grauiter ex genere ſuo adſtringitur ſuis legibus. Si verò Princeps tantùm ex æquitate quadam leviter adſtringatur ſuis legibus, ceſſat quæſtio: indubiè enim conſequenter non peccat, per ſe loquendo, mortaliter, ſecum ſine cauſa diſpenſando, utì nec citra diſpenſationem leges tranſgrediendo.

8. *Iuſtæ cauſæ diſpenſandi aſſignantur.*

Juſtæ porrò cauſæ diſpenſandi aſſignantur à Theologis communiter: gloria Dei, bonum commune vel proximi, utilitas privata corporis ſeu animæ diſpenſandi, adeòque ejuſdem nimia fragilitas: quarum ſufficientia prudenti judicio relinquitur æſtimanda, attento quòd debeant gravitati ipſarum legum eſſe proportionatæ, ut rectè *Suarez lib.*6.*de Voto c.*17.*n.*14. In quo & conſiderari debet commune dictum, quòd melius ſit de nimia pietate, quàm de nimia ſeveritate redargui. Juſta etiam cauſa ſubinde eſt impoſitio alicujus mulctæ, vel pecuniæ pro bono communi; quæ cauſa ſolet vocari extrinſeca, habetque ſæpè locum in diſpenſationibus matrimonialibus, ut docet *Sanchez l.*8.*diſp.*19 *& diſp. ſeq.n.ult.*

Rectè

9. *Poſitâ cauſa ſufficientiâ non ſemper debita eſt diſpenſatio.*

Rectè autem advertunt *Suarez l. 6. de leg. c. 18. n. 20.* dicens eſſe certum, *Sanchez, Baſilius Pontius* & alii paſſim, contra nonnullos apud *Sanchez l. 3. De matr. diſp. 10. n. 2.* ſuperiorem poſitâ etiam ſufficienti cauſâ non ſemper teneri diſpenſationem concedere: *non enim quidquid judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati, L. Non quidquid 40. ff. De judiciis.* Poteſtas diſpenſandi quidem Prælatis commiſſa eſt in bonum ſubditorum, ſed non ſemper omne bonum tenetur uſu ſuæ poteſtatis procurare; præſertim cùm negatâ diſpenſatione ex legis obſervantia ſæpè non minus aut ferè æquale bonum poſſit oriri. Quàmvis interdum ex officio obligari poſſit ad diſpenſandum, quando cauſæ ſunt multùm urgentes ſeu neceſſariæ ad vitandum damnum commune vel privatum, aliæque quas prudens judicabit. Aliàs per ſe loquendo diſpenſare non tenetur. Quemadmodum enim causâ poſitâ non ſemper tenetur legem condere, ſic neque causâ poſitâ tenetur ſemper aliquem à lege eximere. Ideoque Juriſperiti communiter dividunt diſpenſationem in prohibitam, debitam & permiſſam. Et in Jure diſpenſatio interdum vocatur indulgentia, interdum miſericordia, aliquando gratia; quæ non ſonant debitum, ſed beneficium.

10. *Ne tū quidem quando cauſa in jure denotatur, niſi amplius ex verbis aut ſubjecta materia colligatur.*

Cenſet autem *Caſtro Palao diſp. 6. de Leg. pu. 8. n. 10.* quoties in jure denotatur cauſa ad diſpenſandum, teneri inferiorem eâ poſitâ diſpenſare, eò quòd tunc is cui poteſtas committitur, inſtruatur, quomodo debeat illâ uti. Quod etſi verum ſit, quando jus utitur verbis præceptivis, aut ex ſubjecta materia vel circumſtantiis textûs hoc ipſum colligitur; generaliter tamen loquendo id falſum eſt, puta quando lex ſolùm concedit, ut poſſit diſpenſari: tunc enim non eſt debita diſpenſatio, ut patet c. *At ſi Clerici §. De adulteriis verò*, ibi: *poteſt Epiſcopus diſpenſare.* Ex quo ipſe *Caſtro Palao ſup. n. 9.* collegerat diſpenſationem non ſemper eſſe debitam. Non excluditur tamen ſimili loquendi modo diſpenſandi obligatio, quæ aliundè oriri poſſet; ut teſte *Suarez ſup. n. 21.* (quem non rectè *Caſtro Palao* pro ſua generali regula adducit) notatur per ipſum textum in c. *Cùm ex eo, De Elect. in 6.* etſi utente ſimiliter verbo *poſſint*. Quod equidem ex textu ſatis clarè deprehendere non potui.

11. *Caſus debitæ diſpenſationis.*

Debita verò eſt diſpenſatio, quando diſpenſaturus eſt merus executor impoſito ei mandato, ſi preces veritate nitantur, hâcque conditione impletâ; ut contingit in diſpenſationibus Romanis, quæ remittuntur ad Ordinarios ſeu Officiales. Idemque eſt de diſpenſationibus, quæ in foro ſacramentali diriguntur ad diſcretum Confeſſorem, vel conceduntur alicui exequendæ per Confeſſarium deligendum, poſitâ electione & acceptatione.

Denique ex natura rei poteſt eſſe debita diſpenſatio, quando eſt neceſſaria ad commune bonum, vel vitandum publicum ſcandalum; aut etiam fuerit neceſſaria ad ſpirituale bonum poſtulantis, vel ad vitandum grave periculum animæ, vel ad conſervationem aut reparationem honoris aliter non reparabilis, præſertim injuſtè ablati &c.

Quæ ſi negetur, ſervanda lex, extra caſus Epykia.

Petes quid agendum ſubdito, ſi Superior diſpenſationem, quàmvis debitam, indiſcretè negaret? Reſp. ſubditum debere obedire legi; niſi tanta urgeret neceſſitas, quòd veroſimiliter ſit locus Epykiæ.

12. *Inferior ſine cauſa in lege Superioris invalidè diſpenſat.*

Dico VI. Juſta cauſa requiritur etiam ut valida ſit diſpenſatio facta à delegato ſeu in lege Superioris; ut apud omnes eſt in confeſſo: quia Superior non cenſetur conſentire, ut alicui relaxetur vinculum legis abſque cauſa rationabili, niſi id clarè exprimat. Deinde in generali conceſſione non ſunt intelligenda, quæ Princeps veroſimiliter in ſpecie non fuiſſet conceſſurus. Unde idem docent communiter Doctores de diſpenſatione in votis, etſi factâ à Papa, quæ etiam fit quaſi in lege Superioris. Ideoque taliter diſpenſans committit peccatum ex genere mortale, veluti temerè uſurpans alienam juriſdictionem, idque nulliter diſpenſando.

Probant præterea Aliqui Concluſionem ex eo, quòd non ſit præſumendum delictum in Principe; qui talem poteſtatem licitè non poſſet concedere. Verùm omninò potuiſſet illa concedi ſine peccato, ſi v. g. Superior conceſſiſſet inferiori generaliter poteſtatem agendi totum quidquid validè aut licitè poteſt ipſemet: cùm iſta facultas ejuſve conceſſio non ſit mala, ſed irrationabilis illius uſus: ſicut ipſe Deus licitè nobis dedit facultatem agendi benè & malè, & ſicut ipſa Communitas dedit Principi omnimodam regiminis facultatem, qui tamen eâ validè, ſed illicitè abuti poteſt, ſignanter etiam diſpenſando validè in propriâ lege ſine cauſa. Immo de facto hanc facultatem competere inferiori circa legem Superioris, ſi ei fuerit à Superiore conceſſa poteſtatis plenitudo, qualem habet Legatus à latere in caſibus ſibi à Pontifice commiſſis, docet *Emanuel Rodriguez*, ut refert *Caſtro Palao ſup. num. 3.* Quàmvis id non eſſe de facto præſumendum, conſequenter ad communem Doctrinam ſuprà traditâ meritò cēſeat *Sanchez* & alii paſſim.

13. *Niſi ſuppleat cauſæ defectum bona fides.*

Quæri verò poteſt, an valeat diſpenſatio facta in lege Superioris ſine juſta cauſa, ſi diſpenſans & diſpenſatus bonâ fide putent illam adeſſe. Reſpondet *Sanchez l. 8. diſp. 17. num. 8. & 9.* cum pluribus aliis Aff. adeò ut poſtmodum etiam errore detecto non expiret diſpenſatio: meritò enim præſumi poteſt, Superiorem ratam habere diſpenſationem bonâ fide factam re examinatâ, alioquin omnia plena eſſent periculis

riculis & ſcrupulis. Unde etſi cauſa particularis diſpenſandi verè non ſufficeret, ſufficere tamen poteſt iſta generalis. Hoc tamen ſaltem ita limitandum cenſeo, quòd diſpenſatus quidem ſit in conſcientia tutus, quouſquè conſtet de nullitate cauſæ; ſimiliter validi & liciti ſint & maneant actus vi illius facti. v.g. matrimonium cum tali diſpenſatione celebratum, collatio Ordinum & beneficiorum facta taliter diſpenſato in irregularitate.

Quod tamen limitandum,

Idem eſt de aliis effectibus, qui perficiuntur in inſtanti. Si tamen effectus habeat durationem ſucceſſivam, adeòque ſit virtualiter multiplex, dico cognitâ inſufficientiâ cauſæ diſpenſationem ceſſare, in quantùm adhuc non eſt mandata executioni, ut v.g. contingit in diſpenſatione jejunii, lectionis horarum &c. licèt enim videatur unica diſpẽſatio eſt tamen virtualiter multiplex. Alioquin ſi cum aliquo diſpenſatum foret in jejunio quadrageſimali ob debilitatem, eſſet liber à jejunio, etſi interea fieret manifeſtum, debilitatem eſſe nullius momenti; quod nemo dixerit. Immo abſolutè reſponſio *Sanchez* non videtur adeò ſolido nixa fundamento: eò quòd bona fides excuſet quidem à ſcrupulis & peccato formali, non tamen tribuat jurisdictionem aut actus inde pendentes & aliàs invalidos validet; uti patet ſi bonâ fide contrahentes putarent ſe vel non habere impedimentum, vel non indigere diſpenſatione: ipſorum enim putare nil mutaret in re, ſed tantùm in conſcientia quoad peccatum formale. Neque amplius exigere videtur congrua Eccleſiæ gubernatio. Unde etiam audirentur, qui delegatum ſine cauſa diſpenſaſſe allegarent.

Immò veroſimiliter abſolutè negandum.

14. Dico VII. Diſpenſatio Superioris in propria lege facta abſque cauſa legitima eſt valida. Ità plerique Doctores, contra paucos alios, in quorum ſententiam inclinat *Vaſquez diſp.* 178. *c.* 4.

Valet diſpenſatio in propria lege data ſine cauſa,

Probatur I. Quia lex pendet in fieri & conſervari à voluntate Superioris, ut habeat vim ſuam: ergo ſi Superior aliquem non velit obligari, etſi peccet, ſi id faciat ſine cauſa, tamen factum tenet; prout juxta omnes valet, etſi non liceat, totalis abrogatio legis facta ſine cauſa.

Probatur II. Quia valet abſolutio ab excommunicatione conceſſa ſine cauſa ab auctore cenſuræ, ex c. *Venerabilibus* §. *Sanè, De Sentent. excomm. in* 6. ergo ſimiliter valet diſpenſatio.

Probatur III. Quia poſſet Princeps validè unum vel alterum ab initio non comprehendere lege, etiam ſine cauſa, & tamen lex ideo non deſinet alios obligare: ergo ſimiliter poteſt, poſtquam legem condidit, particulares ab illa eximere per diſpenſationem ſine cauſa, etſi ceteri maneant obligati. Nec ex uno potiùs quàm ex altero ſequitur legem eſſe injuſtam injuſtitiâ deſtruente valorem legis, quantumvis in utroque caſu relinquatur inter membra Communitatis quædam inæqualitas repugnans juſtitiæ diſtributivæ. Ex qua tamen non bene infertur legem eſſe nullam; ſicut non eſt invalida electio indigni prætermiſſo digniori, etſi ſit contra juſtitiam diſtributivam. Et ratio à priori eſt, quòd lex remanens equidem ſit rationabilis; nam adhuc rationabile manet ceteros v.g. legere horas, audire miſſam, ſolvere tributa pro ſua quota &c. etſi aliqui irrationabiliter eximantur. Quod manifeſtius eſt, ſi ſingulis imponeretur obligatio per præceptum perſonale, illud quibuſdam non imponendo, aut impoſitum auferendo.

Nihilominùs ſi diſpenſatio redundaret in damnum injuſtum aliorum, ut ſi reliquis membris Communitatis gravius imponeretur tributum, quo ſuppleatur illud, quod penderent illi qui irrationabiliter eximuntur; in tantùm lex tributaria adverſaretur juſtitiæ commutativæ, adeòque eſſet invalida quoad quotam ſaltem injuſti exceſſûs.

Major eſt diſſenſio, an utens tali diſpenſatione, poſito quòd ſit valida, peccet. 15.
Affirmant Varii peccare ſaltem venialiter. Sed veriùs negat *Rodriguez*, *Navarrus*, *Baſilius Pontius*, *Vaſquez* & plures alii: nam per validam diſpenſationem eſt à lege exemptus; ergo illâ uti poteſt abſque eo quòd in legem committat diſpenſantis. Quod addo: quia plures docent latere aliquam culpam contra naturalem æquitatem, quæ poſtulat, ut pars non diſcrepet ſine cauſa à toto corpore: quàmvis Alii ſimpliciter dicant diſpenſatum non peccare, rem ulteriùs non explicantes. Quorum indefinita locutio inde ulteriùs probari poteſt, quòd talis habeat legitimam cauſam exemptionis, adeòque non conformandi ſeſe ceteris, ſcilicet veram diſpenſationem, etſi illicitè datam aut etiam obtentam.

Eâ utens nō peccat ſaltem contra legem diſpenſantis.

Adverte non peccare etiam acceptantem ejuſmodi diſpẽſationem, ſi Superiorẽ ad indebitè diſpẽſandum ſcienter non induxerit, ſed bonâ fide ſuas rationes propoſuerit, judicium de earũ ſufficientiâ Superiori relinquendo. Addit *Præpoſitus q.* 97. *dub.* 3. *n.* 30. quòd quàmvis peccaſſet malâ fide petendo, ſicque Superiorem ad peccatum indebitæ diſpenſationis inducendo; non tamen peccaret, ſaltem graviter, utendo; quia uteretur diſpenſatione validâ, nec ei ex officio incumbit revocare diſpenſationem ſine cauſa datam, vel efficere, ut revocetur. Niſi quatenùs charitas fraterna ipſum poſſet obligare ad corrigendum ſeu tollendum peccatum ſuperioris diſpenſationem revocare obligari.

Dico VIII. Requiritur etiam ad licitam 16.
diſpenſationem examen ſeu cognitio cauſæ: alioquin enim temerariè procedit diſpenſans, exponendo ſe periculo diſpenſandi

Illicitè eſt data ſine cognitione cauſæ.

ſandi abſque juſta cauſa. Unde *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 18. *De Reform.* idem ſtatuit de diſpenſatione faciendâ in jure canonico, ordinans ut *aliter facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*. Nullo tamen jure requiritur judicialis notitia cauſæ, ſed ſufficit ſummaria & extrajudicialis. Quòd ſi etiam cauſa ſatis notoria ſit, non eſt opus illius inquiſitione. Interdum quoque diſpenſans adſtringitur quoad hoc atteſtationi alienæ. Prout Epiſcopus Ordinans quoad cauſas remiſſionis interſtitiorum debet deferre judicio & atteſtationi Superioris Regularis ordinandi (quatenùs videlicet præſcindendo à privilegiis diſpenſatione indigeret) ex *Declaratione S. Congregationis ad Seſſ.* 23. *Trid. c.* 11. *de Reform.*

17. *Valet tamen data in propria lege.*

Non requiritur etiam notitia cauſæ ad valorem diſpenſationis factæ in lege propriâ aut inferioris: nam illa valeret, etſi ſciretur cauſam non ſubeſſe; adeoque (quod non eſt præſumendum) etſi cauſa non indagaretur. De delegato tamen aut inferiore diſpenſante in lege Superioris non ita conſtat: plures enim cum *Navarro*, *Covarruvia*, & *Barboſa* probabiliter putant diſpenſationem à talibus ſine notitia cauſæ datam non valere. Quod etſi admittendum ſit, quando jura in ſpeciali caſu id tamquam formam ſubſtantialem præſcriberent, vel quando mandatum diſpenſandi ad aliquem dirigitur exequendum prævio examine cauſæ (prout apponi ſolet in diſpenſationibus matrimonialibus) deficiente enim conditione, ſeu formâ jure vel mandato præſcriptâ, deficit valor actûs aliter exerciti: aliàs tamen, cùm favendum ſit valori actuum, & in dubio ſit valor eorum præſumendus, valdè probabile eſt (quod docent *Suarez*, *Sanchez*, *Baſilius Pontius* & plures alii) tales diſpenſationes valere (quouſq; ſaltem per Superiorem reſcindantur) modò cauſa verè ſubſit: non enim irritantur ex jure naturæ, ut videtur ſatis conſtare; nec ex jure poſitivo: cùm *Tridentinum ſup.* poſſit explicari de præſumptione fori externi; cùm loquatur generatim de diſpenſationibus à quibuſcumque etiam in propria lege dandis. Confirmatur: quia valeret lex, quam quis ex commiſſione aut delegatione temerè indiceret, ſi cauſa boni communis intercedat, cur ergo non ſimiliter legis diſpenſatio? Item valet electio ſine examine cauſæ, ſi electus reverà dignus ſit, ut à contrario ſenſu colligitur ex c. *Nihil* 44. *De Elect.* Deinde defectus tunc non committitur in ſubſtantia diſpenſationis, quæ fulcitur juſtâ causâ, ſed tantùm in modo: non cenſetur autem Superior poteſtatem delegati ſimpliciter datam ita velle reſtringere, ut non poſſit illâ validè uti, quoties aliquod peccatum in illius uſu committitur, quando equidem à parte rei juſtum eſt poteſtate uti. Sicut idcirco œconomus validè alienat bona domini, dum utilitas domini intercedit, quamquam peccaſſet rem non examinando.

Immo probabiliter etiam data à delegato, ſi cauſa verè ſubſit.

Dico IX. Ad diſpenſationem non requiritur ut petatur: poteſt enim Superior proprio motu legem relaxare, ſicut poteſt abrogare. Regulariter tamen ſolet præcedere ſupplicatio: ſicut etiam in reſcriptis. Immò inde videntur reſcripta vocari, quod ad preces ſive libellos ſupplicantium (quæ *petitoria*, ſive *petitoriæ inſinuationes* & *oblationes petitorii* dicuntur) concedantur. Quòd ſi verò petitio diſpenſationem præcedat, non debet adhiberi ab eo qui diſpenſatione indiget. Undè valida eſt diſpenſatio procurata per amicum, etiam cui non mandaſti, ſi à te acceptetur. Ex natura namque rei nihil obſtat: cùm ſimili modo poſſint alia bona & favores impetrari. Nec etiam jure poſitivo hoc vetatur. Immò ex indefinita locutione c. *Si motu* 23. *De Præbend. in* 6. colligitur reſcriptum gratiæ ſive ad beneficia rectè pro alio impetrari ſine mandato. Quod *Rebuffus*, *Navarrus* & alii meritò extendunt ad omnes gratias, etiam ad diſpenſationes. 18.

Valet etiam non poſtulata diſpenſatio.

Aut procurata ſine ſcitu vel mandato perſona diſpenſanda.

Nec obſtat c. *Nonnulli*, §. *Sunt & alii* 28. *De Reſcriptis*, ubi dicitur, quòd non valeat reſcriptum ſine ſpeciali alterius mandato impetratum, niſi is ſit perſona conjuncta, à qua de jure non exigatur mandatum. Nam loquitur apertè de reſcriptis juſtitiæ ſive ad lites. Ratio autem differentiæ eſt, quod lites ſopitas ſuſcitare ſit odioſum, uti & novas excitare dominis ignorantibus: è contrà favorabile ſit alicui gratiam procurare, etiam ignoranti; cùm per hoc nemini noceatur.

Quamvis ſine hoc non valeat reſcriptum juſtitiæ ſeu ad lites.

Non obſtat etiam c. *Innotuit De Elect.* nam ibi agitur de electione invalidâ illegitimi in Epiſcopum, quam Capitulum petebat confirmari, cùm Pontifex aſſerat debuiſſe diſpenſationem poſtulari; quæ etſi quoque petita fuerit, quia tamen non nomine ipſius Capituli, duxit Pontifex non eſſe cõcedendam, donec ex parte Capituli peteretur; non autem dicit aliter conceſſam fore irritam. Ubì præterea non obſcurè ſignificatur, mandatum ipſius illegitimi electi, & diſpenſatione indigentis, non fuiſſe ullatenus requiſitum; immò hoc ipſum velut ambitionem ſapiens minimè congruebat.

QUÆSTIO II.

Penes quos reſideat poteſtas diſpenſandi?

Dico I. Poteſtas ordinaria diſpenſandi eſt penes omnes Superiores, qui habent juriſdictionem ordinariam in foro externo: ut ſunt Papa, Epiſcopi, ſaltem confirmati, Principes ſæculares, Prælati Regularium, eorumque Vicarii in abſentia: item Vicarius generalis Epiſcopi &c. Secùs eſt regulariter de Archipresbyteris ſeu Vicariis fora- 19.

Poteſtas ordinaria diſpenſandi competit habentibus juriſdictionem ordinariam in foro externo.

foraneis. Diſpenſatio enim eſt actus juriſdictionis fori externi. deinde illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare.

Unde Parochis & Confeſſariis non competit jure ordinario poteſtas diſpenſandi; cùm careant juriſdictione in foro externo. Quamquam ex ſpeciali privilegio competat Confeſſariis mendicantium ampla in votis diſpenſandi aut illa commutandi delegata poteſtas. Similiter Parochi ſolent conſuetudine diſpenſare in caſibus particularibus frequentiùs occurrentibus circa præcepta jejunii, & feſtorum quoad vacationem ab operibus ſervilibus: quæ conſuetudo ſervari poterit quoad leges circa quas eſt introducta, non autem extendi ad alias, quia eſt juri contraria, ut ait *Suarez l. 6. de leg. c. 14. in fine.*

20. Qui poſſunt illam aliis delegare.

20. DICO II. Facultas diſpenſandi poteſt delegari ab iis quibus jure ordinario illa competit. Patet ex praxi Eccleſiæ, & colligitur ex *L. More ff. De juriſdictione*, ibi: *More majorum ita comparatum eſt, ut is demum juriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo jure, non alieno beneficio haberet.* Fit porrò hæc delegatio per ſignum aliquod externum declarativum voluntatis Superioris: quod licèt ordinariè ſit reſcriptum, in foro tamen conſcientiæ ſufficit quodcumque aliud.

Quinam delegati poſſint ſubdelegare.

Non poſſunt autem delegare, niſi qui habent poteſtatem ordinariam, ſeu quibus poteſtas competit ex officio, aut qui habẽt poteſtatem quaſi ordinariam, ſeu quodammodo æquivalentem; ut ſunt in primis delegati ad univerſitatem cauſarum; deinde quibus datur ſpecialis commiſſio ſeu facultas ad ſubdelegandum, juxta doctrinam communiter in praxi receptam. Similem habet ſpecialitatem in ſubdelegando Legatus Papæ aut Principis ex c. *Fin. De officio Legati*: quamquam poteſtas Legati Pontificis rectè cenſeatur nomine poteſtatis ordinariæ.

21. Quiſque jure ordinario diſpenſat in lege propria aut inferioris.

21. DICO III. Poteſt quiſque jure ordinario diſpenſare in lege à ſe lata. Idemque poteſt ſucceſſor aut in juriſdictione ſuperior; quemadmodum hi poſſunt jure ordinario abrogare totam legem. Ratio eſt: quia illius eſt ſolvere, cujus ligare; adeòq; etiam in juriſdictione ſucceſſoris aut Superioris. Dixi *in juriſdictione ſuperior:* quia Archiepiſcopi & Primates non poſſunt diſpenſare cum ſubditis ſuorum Suffraganeorum ſeu Epiſcoporum comprovincialium in eorumdem aut quibuſcumque legibus, qui non ſunt Epiſcoporum Superiores in juriſdictione, ſed tantùm per viam appellationis, & in quadam dignitate, cui pauci actus juriſdictionis jure expreſſi annectuntur.

Non competit id Metropolitano in legibus Epiſcoporũ ſuæ provinciæ,

Sed Pontifici reſpectu Iuris Canonici, legũ Conciliarium, & merè Apoſtolicarum,

Ex Concluſione ſequitur Papam poſſe diſpenſare in toto jure Canonico, quatenùs concernit mores, & conſideratur eſſe Eccleſiaſticæ poteſtatis, etſi lex ordinata foret à Conciliis generalibus aut ab Apoſtolis. Eſt enim Conciliis ſuperior, Petro, cui ſuccedit, in poteſtate æqualis, ceteris Apoſtolis ſuperior, etſi in gratiis gratìs datis & munere Apoſtolatûs ſit eiſdem inferior. Idẽ eſt de Epiſcopo reſpectu Conſtitutionum Synodi diœceſanæ, quæ ſunt propriè ejus cõſtitutiones juxta dicta *diſp. 3. q. 4.*

Et Epiſcopo reſpectu ſtatutorum Synodi Paſtoralis;

22. DICO IV. Prælati inferiores non poſſunt ordinariè in lege Superioris diſpenſare, etſi diſpenſatio non reſervetur expreſsè per Superiorem. Eſt communior & probabilior Doctorum contra *S. Antoninum, Covarruvias* & plures alios, quos refert *Barboſa 2. p. de Poteſt. Epiſc. All. 33. n. 17.* Quorum ſententiam probabilem varii noſtræ ſententiæ Patroni reputant. Colligitur ſatis ex *Clem. Ne Romani, De Elect.* ubì dicitur inferiorem non poſſe tollere legẽ Superioris, ideoq; reprobatâ opinione, quæ aſſerebat Cardinales Sede vacante potuiſſe quamdã Cõſtitutionem Gregorii X. tollere, vel quidquam ei detrahere, aut in ea diſpenſare, declaratur illos utpotè inferiores hoc non poſſe, nec aliquid aliud quod poſitivè illis non conceditur.

22. Non autem Prælatis inferioribus in legibus Superioris;

Hinc colligitur ratio Concluſionis: quia nempe diſpenſatio eſt actus juriſdictionis; inferior autem non habet juriſdictionem in legem Superioris, niſi quatenus ei poſitivè conceditur. Deinde non poteſt inferior tollere voluntatem Superioris, niſi de ipſius conſenſu; tollitur autem voluntas Superioris partialiter per diſpenſationem, ſicut totaliter per abrogationem, quam idcirco inferiori certum eſt non competere citra ſpecialem commiſſionem.

23. Dices I. c. *Nuper, De Sent. excom.* dicitur, eo ipſo quòd excommunicatio non reſervatur, concedi illius abſolutionem inferiori; ergo idem eſt de diſpenſatione. Reſp. Neg. Conſ. quia Superior expreſsè cõcedit poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione, quæ ſpecialiter non reſervatur: nullibi autẽ expreſſè concedit inferioribus generalem poteſtatem diſpenſandi in quibuſcumque legibus, quando diſpenſationem ipſe ſpecialiter ſibi non reſervat; in jure autem poſitivo non licet argumentari à paritate rationis. Deinde ſi illatio valeret, ſequeretur non tãtùm Epiſcopos, ſed & Parochos poſſe diſpenſare in legibus Põtificiis, ſicut poſſunt (ut ex *c. cit.* patet) abſolvere à Cenſuris non reſervatis. Confirmatur: tum quia abſolutio ab excommunicatione eſt ſecundùm jus, quod præcipit diſpoſitum abſolvi: tum quia ordinatur ad bonum animæ, ideoque conveniebat faciliùs concedi.

23. Ab Excommunicatione tamen poteſt abſolvere, hoc ipſo, quòd non reſervetur,

Dices II. Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis non reſervatis: ergo & in qualibet lege quãdo Superior diſpẽſationem expreſsè ſibi non reſervat. Reſp. ſimiliter Neg. Conſ. nam prius ex uſu & ſenſu cõmuni cenſetur Epiſcopis conceſſum, non poſterius. Congruentia eſt, quòd ob frequentiſſimos caſus occurrentes videatur bono communi expedire, ut Prælati (niſi ſpecialiter interdicatur) poſſint vota nomine Dei remittere ſeu condonare; quod agẽdo non diſpenſant in lege

Uti & diſpenſare in votis ſpecialiter non reſervatis,

Pon-

Pontificia, neque etiam propriè in lege Dei. Deindeab uno conceſſorũ, etſi ſimili, immo majori, ad alterum non licet argumentari.

Poſſunt tamen Epiſcopi diſpenſare in legibus Pontificiis, Primò, quãdo lex diſpenſationem concedit,

24. Hinc Epiſcopi non poſſunt cõmuniter diſpenſare in legibus Põtificum & Conciliorũ generalium. Poſſunt tamen in certis caſibus.

Primò, quandò jus concedit, etſi tantùm impersonaliter ſeu indefinitè, ut poſſit diſpenſari: nam ordinariè intelligitur, quòd poſſit hoc fieri ab Epiſcopis: tum quia favor eſt ampliandus: tum quia ſuperfluè hoc adderetur in ordine ad Papam. Quàmvis interdum majoris claritatis gratiâ (præſertim quando res antea erat vel putabatur eſſe ſubſtracta poteſtati Epiſcopali) expreſſiùs Epiſcopi ſpecificentur, dum facultas diſpenſandi declaratur, ut patet c. *Cùm ex eo* 34. *de Elect. in* 6. Et c. *un. De ætate & qual. & ord. &c. in* 6. Interdum etiam exprimi poſſent Epiſcopi privativè ad alios. Et ſic ſpecialiter abſolutio in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta committitur Epiſcopis per ſe, diſpenſatio verò in ceteris caſibus occultis aut abſolutio committitur iis etiam per Vicarium ſpecialiter deputandum, in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de Reform.*

Secundò, quando eſt levis materia,

Secundò, quando materia videtur parva aut leviter obligans: non enim eſt præſumendum Pontificem velle adſtringere, ut pro levi re ad Sedem Apoſtolicam accedatur; quod ſanè nimis etiam oneroſum foret. Ita paſſim Doctores.

Tertiò, quãdo eſt frequens & quotidiana neceſſitas diſpenſandi in lege,

Tertiò, quando frequens occurrit neceſſitas, poſſunt Epiſcopi diſpenſare, ſaltem ex conſuetudine, & quia moraliter id requiritur ad bonam gubernationem, nè gravia ſequantur incommoda, ſi caſibus ſæpè occurrentibus nequeat obviari, niſi per Sedem Apoſtolicã: ut in jejuniis, feſtis, horis legendis &c. Quare cenſetur Papa illam poteſtatem conceſſiſſe. Unde in his admitti poteſt generalis propoſitio, Epiſcopum poſſe diſpenſare in omnibus ſibi non prohibitis.

Quartò, quando periculum eſt in mora, nec eſt facilis ad Papam recurſus,

25. Quartò poteſt Epiſcopus diſpẽſare, quando gravis occurrit neceſſitas, & eſt periculum in mora, aut ad Papam difficulter recurri poteſt ob pauperiẽ aut ſimiles cauſas: hæc enim videtur rationabilis interpretatio mentis Pontificiæ, quam Pontifice ſciente Doctores, hoc præſertim tempore, communiter adhibent, ut *Sanchez l.* 2. *diſp.* 40. *n.* 3. & *l.* 8. *diſp.* 9. *n.* 22. *Azorius, Præpoſitus q.* 97. *dub.* 3. *n.* 22. & alii paſſim. Nec tenentur Epiſcopi ſuis ſumptibus procurare diſpenſationem Pontificiam (quidquid Pauci velint) id enim eſſet nimis grave, nec conſonat praxi. Neq; Epiſcopi ad id tenẽtur ex miſericordia; cùm diſpenſandus non ſit indigens eleëmoſynâ ad ſui ſuſtentationem: neq; etiam ex officio Epiſcopali, cùm ex hoc eis competat quidem diſpẽſare, non tamen neceſſitatem obtinendæ ab eis diſpenſationis ſuis ſumptibus tollere, aut prævenire ad hoc, ut obtineatur alibi: quamquam, per ſe loquendo, monere tenerentur Pontificem, ſi id facilè poſſent. In praxi equidem ad hoc nõ videntur obligandi; quia rarò caſus patiuntur moram: nec abſque onere Epiſcopi id præſtare poſſunt. Unde poſita neceſſitate tam antè quàm poſt contractum matrimonium poſſunt pro foro cõſcientiæ in impedimentis occultis matrimonii diſpẽſare. Excipit *Præpoſitus ſup.* quando adiri poteſt alius habens facultatem delegatam; prout habent interdum Nuntii: tũc enim ceſſat neceſſitas reſpectu Epiſcopi.

Quintò, addunt Varii ad poteſtatem Epiſcopalem ſpectare caſus dubios, de quibus dubitatur an diſpenſatione indigeant. Verùm ſi probabiliter judicetur, caſum non indigere diſpenſatione, non eſt neceſſariò adhibenda; etſi conſultum ſit ad majorem cautelam. Si verò ſit propriè dictũ dubium cenſet *Bonacina* habere praxim, ut obtineatur diſpenſatio Pontificia, ne quis exponatur periculo tranſgreſſionis legis. Attamen mihi probabile videtur tali caſu, utpote quo de lege nõ cõſtat, poſſe judicari pro libertate, adeòq; diſpenſationem nõ requiri. Et admiſſo, quòd requiratur, cenſent probabiliter Varii ſufficere Epiſcopalem; cùm Pontifici videantur reſervari ſolùm caſus certi, & poteſtas diſpenſandi ſit latè interpretanda. 26.

Quintò, juxta nonnullos in caſibus dubiis. De his quid cenſendum.

Sequitur II. Prælatos Regularium exemptorum poſſe cum ſuis ſubditis diſpenſare in legibus Pontificiis in iiſdem caſibus, quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis: quandoquidem in illis, quæ ſunt merè juriſdictionis, gaudeant poteſtate Epiſcopali reſpectu ſubditorum ſuorum. 27.

Prælati Regularium Exemptorũ poſſunt quoad hæc reſpectivè, quod Epiſcopi.

Sequitur III. Epiſcopos, immo & Archiepiſcopos ac Primates, cùm ſint inferiores Concilio Provinciali, non poſſe in illo diſpenſare, niſi tamquam in lege Superioris; adeòque non niſi in quantùm poteſtas iſta à Concilio Provinciali conceſſa cenſetur: prout ſingulis reſpectivè ad ſuas diœceſes eſſe conceſſam colligitur, tum ex uſu; tum quia eſt moraliter neceſſaria, nè pro diſpenſatione Pontificem adire, vel aliud Concilium congregare oporteret.

Epiſcopi & Archiepiſcopi ex uſu diſpenſant in legibus Concilii provincialis, etſi ſuperioris;

Nec aliâ ratione poteſt Generalis Religionis diſpenſare in Statutis Capituli generalis, quo eſt inferior, quàm quatenus illi à Capitulo eſt cõceſſum, ſive expreſſè, ſive tacitè & ex uſu. Generales enim Religionum ſunt ipſo generali Capitulo inferiores, ut generatim tradit *Suarez To.* 4. *de Relig. Lib.* 2 *de Religioſis quatenus Prælati ſunt c.* 8. *n.* 8 & 18. Et ſpecialiter de Religione Franciſcana docet *Corduba* & alii Expoſitores Regulæ In ea enim vi Regulæ ſubjiciuntur Capitulo, quantùm ad ſufficientiam & ſubſtitutionem alterius in caſu inſufficientiæ; & vi Statutorũ Capituli generalis ſubjiciũtur ejuſdem Capituli ſyndicationi & correctioni; ipſum quoq; Capitulum poteſtatem Generalis coarctat, immò Capitulum generale Romanum Anno 1639. declarat omnem & quamlibet poteſtatem, quæ in Miniſtris Generalibus reperitur ad diſpenſandũ in Statutis generalibus, 28.

Nec aliâ ratione diſpenſant Prælati generales Religionum in ſtatutis Capituli generalis.

bus,totã ipſi provenire à generali Capitulo. Cēſetur nihilominus poteſtas iſta Generalibus cõpetere,niſi quoad nonnulla ſit ſpecialiter reſtricta aut modificata.Idē eſt de Provinciali reſpectu Statutorum provincialium, in quorum pleriſq; poteſt diſpenſare,immo & in Statutis generalibus, quoad caſus leves aut quotidiè occurrentes, ſicuti de Epiſcopis reſpectu legũ Pontificiarum eſt dictum.

Aut Provinciales in ſtatutis Capituli Provincialis.

29. *Diſpenſatio poteſt concedi ſubdito extra territoriũ.*

DICO V. Poteſt diſpenſatio concedi ſubdito etiã extra territorium concedentis: ſola enim contentioſa juriſdictio reſtringitur intra territorium. Idem habet praxis & ſenſus communis. Confirmatur:quia poteſt ſubditus diſpenſationem extra territorium executioni mandare;ergo & ipſa poteſt extra territorium concedi.

Attendendum tamen eſt,ut ſi diſpenſatio certam rem afficiat,cõcedatur ab illo Superiore,in cujus territorio res eſt ſita,ratione cujus alter extra territorũ exiſtens cenſetur ſubditus illius.Sic diſpenſationē in Reſidentia Mechlinienſi debet obtinere beneficiarius,alibi habitãs,ab Ordinario Mechliniēſi.

30. *An Ordinarius loci poſſit cum forenſibus diſpenſare, variant Doctores.*

Sed difficultas eſt,an Ordinarius loci poſſit cum forenſibus in ſuo territorio exiſtētibus, ſicut cum ſubditis, diſpēſare in legibus,votis & juramentis. Aſſerit *Baſilius Pontius* poſſe, dum cauſa urget:eò quòd mora,etiam tranſitoria,ſicut facit ſubjectos eſſe forenſes legibus territorii,ſic etiam facere debeat ſufficienter ſubjectos ad obtinendam diſpenſationem ab Ordinario territorii.

E contrà *Silveſter*, *Angelus*, *Barboſa* & alii neceſſarium ad hoc eſſe putant domiciliũ.Et favent declarationes Cardinalium(quorum relatione auditâ probaſſe id ipſum fertur Gregorius XIII.) cenſentiũ foreſes quidem poſſe à peccatis & cenſuris abſolvi,nõ poſſe tamen cum eis diſpenſari ab Ordinario loci, etiã in quo habitant,ſcilicet citra fixionē domicilii perpetui,ut referunt *Garcias & Farinacius*.Eò uſq; enim non fiunt verè ſubditi.

Denique *Sanchez*, *Rodriguez*, *Henriquez Leſſius*, & alii cenſent,non requiri quidem ſtrictum domicilium, ſufficere tamen,& ſaltem requiri quaſi domicilium, contractum per diuturnam habitationem, v g per majorem partem anni: eò quòd per hoc ſortiatur quis forum externum, ſic ut ibi de alibi geſtis poſſit cõveniri,ut ex diverſis juribus colligitur : adeòque etiam in rebus ſpiritualibus,in ordine ad diſpēſationē,ſortietur forũ,cùm utrobiq; par requiratur juriſdictio.

31. *Aſſeritur poſſe diſpenſare cum eis in legibus,*

His verò Opinionibus in ſua probabilitate relictis, dicendũ exiſtimo,cum prima quidem,quoad leges, tam cõmunes quàm municipales,poſſe ſuperiorem cum forenſibus diſpenſare, utì ad ipſum ſpectat legum obſervantiam vigere,cauſaſq; non obſervantiæ cognoſcere.Specialiter autem de legibus loci id rectè probat ratio *Pontii*. Quæ confirmatur:quia cujus eſt ligare eſt quoq; obligationē tollere.Adde,alioquin forenſes fore pejoris conditionis, quàm ſubditos: eſſent enim quoad obligationem pares, & quoad obtentionem remedii diſpenſationis diſpares.Quod à fortiori locũ habet in iis,qui per diuturnum tempus alibi commorantur. Et credo receptum in praxi,quoad diſpenſationem in lege jejunii, & ſimilibus.Neque de hujuſmodi diſpenſatione loquuntur Declarationes Cardinalium.

32. *Non in votis, irregularitate & ſimilibus vinculis.*

At quoad diſpenſationem in votis,juramentis,irregularitate,aut alio ſingulari impedimento , etſi valde probabilis videatur ſecunda Opinio , tamen præferēda videtur tertia Opinio ob declarationem Cardinalium (etſi de ea fortè irrefragibiliter non conſtet) niſi fortaſſe caſus ſit ejuſmodi,in quo meritò præſumatur talis eſſe voluntas Ordinarii proprii.Vnde conſequenter ſine domicilio non contrahitur forum aut parochia quoad has partes juriſdictionis , utì etiã ſpecialiter quoad Sacramentum Ordinis decernitur *c.Cum nullus, De tempor.Ordinat. in 6*.Quamquam quoad Sacramentum Matrimonii ſufficiat habitatio , quoad Sacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ etiam tranſitoria mora.

Confeſſarii nihilhominus Mendicantium ex delegata per Põtificia privilegia facultate poſſunt indubiè diſpenſare in votis aliiſvè vinculis,ad quæ eorum poteſtas ſe extenderit , etiam cum forenſibus, undequaque ad eos confluentibus, ut ex Bullis Pontificum eſt manifeſtum.

33. *Ordinarius poteſt diſpenſare ſecum*

DICO VI.Habens ordinariam poteſtatem diſpenſandi,utì cum aliis,ita ſecum diſpenſare poteſt:cùm enim poſſit ſeipſum legibus obligare,non eſt ratio,cur non poſſet ſolvere.Nec refert,quòd diſpenſatio ſit actus juriſdictionis:quia poteſt quis juriſdictionem voluntariam in ſe ipſum exercere. Aliud eſt de juriſdictione coactiva ſeu cõtentioſa,quã quis ſeipſum cogat aut ſententiã dicat inter partes, quarum una ipſe ſit. De qua debent intelligi jura in contrarium allegari ſolita.Sic etiam ex inſtitutione divina abſolutio Sacramentalis requirit diſtinctionem perſonarum.Idipſum ſpecialiter diſponit Jus de Patrono,quòd non poſſit præſentare ſe ipſum c.*Per noſtras, de Jure patronatûs*: & de collatione beneficii c.*Fin de Inſt.* Unde quod ibi dicitur:*Cùm inter dantem & recipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis*; intellige de dante vel accipiente beneficium;ut nimirum ambitio , proprius quæſtus & ſimilia mala caveantur. Alioquin generaliter loquendo conſtat eſſe falſum:nam filiusfamilias , ſi ſit Præſes vel Conſul,poteſt poteſt ſeipſum emancipare L.*Si Conſul ff.de Adoptionibus*;& Procurator Principis poteſt ſibi ipſi dare ſolutionem, utì aliis creditoribus.

34. *V.g. Pontifex, Epiſcopi, aliiq; prælati; immo etiam illimitatè delegati.*

Hinc ſequitur,Pontificem poſſe ſibi ipſi concedere Indulgentias, vel ſoli, vel ſimul cum communitate Fidelium,cujus ipſe non ſolùm eſt caput,ſed etiam membrum.Simili modo poteſt ſecum diſpenſare in legibus & votis, ſive per ſe , ſive committendo alteri, ut

ut cũ ipſo diſpenſet; prout cõfert alteri juriſdictionẽ, ut ipſum in Cõfeſſione abſolvat à peccatis. Eſt cõmunis Doctorũ. Idem dicendum eſt de aliis Prælatis, tum ſecularibus, tũ Eccleſiaſticis, ut Epiſcopis, Generalibus, Provincialibus & Superioribus localibus. Immo & de eo, cui poteſtas diſpenſandi generaliter & ſine limitatione eſt delegata: nulla enim poteſt obſtare ratio, quàm identitas perſonæ (quam tamen non obſtare, oſtenſum eſt) aliàs namque non debet ipſe eſſe deterioris conditionis, quàm ceteri. Aliud eſt, quando poteſtas delegatur cum limitatione ad certas perſonas, aut certum perſonarum genus, vel aliundè ex tenore conceſſionis oppoſitum colligitur. Unde *Sanchez l. 8. diſp. 3. à n. 6. uſque ad* 11.

35. *An inferior diſpenſans in lege ſuperioris poſſit uti commutatione.*

Petes, An inferior diſpenſans in lege Superioris, vel habens poteſtatem tantùm delegatã diſpenſandi, poſſit onus legis in aliud commutare? *Sanchez* & alii negant; eò quòd per cõmutationem imponatur alteri novũ onus ſeu obligatio, quod talis diſpenſans imponere nõ poteſt; cùm non ſit legiſlator, nec talis poteſtas includatur in poteſtate relaxandi ſeu tollendi onus legis. Quæ ſententia etſi fortaſſe in rigore juris ſit vera, nihilominus conſtat ex uſu Prælatos inferiores diſpenſando in legibus univerſalibus ſæpè uti cõmutatione. Unde ſaltem ex conſuetudine præſcripta, & tacito legiſlatoris conſenſu id poſſunt: ex quo ſolutum eſt alterius opinionis fundamentum. Atque ita docet *Suarez l. 6. c. 16. n. 4. & ſeqq.* Eſtque id interdum ad hoc etiam expediens, ut commutatione ſuppleatur cauſæ inſufficientia aut dubia ſufficientia. Accedit quòd facultatem habens diſpenſandi in votis, poſſit eadem cõmutare. Fateor tamẽ non eſſe quoad hoc omnimodam paritatẽ in præſenti caſu. In quo equidẽ res apparet facilior quantùm ad impoſitionem novi oneris per commutationem, quando diſpenſans eſt alioquin ſuperior ordinarius diſpenſandi, cui proinde poteſt præcepto ſuo onus imponere, ſive abſolutè, ſive ſub conditione.

QUÆSTIO III.

Quomodo Diſpenſatio ſit invalida ob errorem vel metum?

36. *Tripliciter poteſt in diſpenſatione contingere defectus.*

TRIPLICITER poteſt in diſpenſatione defectus contingere: nẽpe defectus poteſtatis, qui manifeſtè diſpenſationẽ facit eſſe invalidam; cùm ipſa ſit eſſentialiter actus juriſdictionis. Defectus juſtitiæ, ſi nimirum deſit juſta cauſa. Ex quo capite qualiter contingat diſpenſationem eſſe nullam dictum eſt *quæſt.* 1. Deniq; defectus voluntatis: ſicut enim ubi non eſt poteſtas, ſic etiam ubi non adeſt diſpenſandi voluntas, non valet diſpenſatio. Poteſt autem interdum eſſe quædam voluntas diſpenſandi, & expreſsè diſpenſatio concedi, cum admixtione tamen alicujus involuntarii, oriundi, ſive ex errore aut ignorantiâ, ſive ex metu aut coactione; de quo movetur præſens quæſtio.

Subreptio ſeu obreptio nullã facit diſpenſationem.

DICO I. Taciturnitas veri aut expreſſio falſi irritam & nullam reddit diſpẽſationem juxta cõmunem doctrinam: nam ejuſmodi diſpẽſatio eſt ſubreptitia; adeòq; nullius momenti, quod conſtat ex c. *Fin. de filiis Presbyt. in 6. c. Quod ſuper his, De fide inſtrumentorum* & aliis juribus. Unde diſpenſatio ſemper intelligitur dari ſub cõditione: *ſi preces veritate nitantur*; ut dicitur c. *Ex parte, de Reſcriptis*: quod licèt agat de reſcriptis ad beneficia, tamẽ ſtylo & praxi cõmuni, ac omnium Doctorũ cõſenſu extenditur ad quęvis reſcripta gratiæ, quæ quoad ſubreptionem in omnibus æquiparantur. Valetque reſcriptum etiamſi præfata clauſula aut æquivalens expreſſè non apponatur; quia equidem ſubintelligitur, ut habetur c. *cit.* Etſi jure civili ſit exprimenda ad valorem reſcripti *L. fin.* C. *De diverſ. reſcript.* Vitiatur autem per ſubreptionem reſcriptum ſeu diſpenſatio juxta Doctores communiter, etſi petens procedat bonâ fide: quia ſimplicitas petentis non ſupplet defectum intentionis diſpenſantis, à qua ſumit gratia vires.

37. *Diſcrimen inter ſubreptionem & obreptionem,*

Quæ tamen plerumque confundi ſolent.

Diſtinguunt porrò Juriſtæ inter ſubreptitium & obreptitium. Nam cùm reſcriptum vel diſpenſatio obtinetur per ſuggeſtionem ſeu allegationem falſi, aiunt laborare vitio obreptionis; dum autem per ſuppreſſionem ſeu taciturnitatem veri, laborare vitio ſubreptionis. Quàmvis frequenter iſta confundantur, & diſtinctio iſta parum deſerviat in ordine ad irritationem reſcriptorum vel diſpenſationum; ut proinde frequenter dicantur litteræ indifferenter obreptitiæ, vel (& ordinariè) ſubreptitiæ, quoties malè impetrantur, ſive tacitâ veritate neceſſariò explicandâ, ſive falſo, quod ad rem confert, allegato. Non tamen quævis taciturnitas veri aut expreſſio falſi irritam reddit diſpenſationem, ut rectè Doctores monent; qui proinde certas regulas ponunt ad dignoſcendum quandonam diſpenſatio ex hoc capite ſit ſubreptitia. Ea tamen eſt differentia juxta *Vallenſem l. 1. Tit. 3. §. 2. n. 5.* & alios Canoniſtas inter reſcripta juſtitiæ ſeu ad lites, & reſcripta gratiæ ſive ad beneficia, ac diſpenſationes, quòd ſubreptio faciat hæc eſſe iure nulla, iſta verò non, ſed debent oppoſita exceptione refringi, ut declarentur nulla. In foro autem externo qui ſubreptionem objicit, eam probare debet: ei verò qui obreptionem falſi narratione commiſit, incumbit probatio illius, juxta *Wameſium* & *Vallenſem ſuprà*. Ad regulas nunc veniendum. Itaque

38. *Taciturnitas qualitatis de jure exprimenda vitiat diſpenſationem.*

Primò vitiatur diſpenſatio, quando taceatur aliqua qualitas quam jura exprimi volunt, quãtumvis eâ cognitâ Superior equidẽ diſpenſaſſet, v. g. ſi in petitione reſcripti taceatur beneficium, etſi minimum; ut patet ex c. *Non poteſt* Et c. *Si motu proprio, de Præbendis in 6.* Tunc enim expreſſionem talis qualitatis requirunt jura tamquam formam ad ſu-

ad ſupplicationem diſpenſationis requiſitam, adeòque ad diſpenſationem deſuper datam, quâ proinde non ſubſiſtente diſpenſatio non ſubſiſtit.

Sic etiam quando in jure exprimitur, non eſſe aliquibus concedendam diſpenſationem, ſeu eos ſpe diſpenſationis carere qui certum peccatum commiſerunt, v.g. qui ſpe facilioris diſpenſationis copulam carnalem admiſerunt, aut qui ſcienter in gradibus prohibitis matrimonium contrahere præſumpſerunt; aut ignoranter quidem, ſed ſine ſolemnitate ab Eccleſia ad valorē præſcriptâ (quod ordinat *Trid. ſeſſ. 24. de Ref. matr. c. 5.* in his, inquam, ſimilibuſve caſibus neceſſariò eſt talis culpa ſeu qualitas exprimenda, quâ tacitâ indubiè diſpenſatio non valeret.

Hinc exprimendus eſt gradus propinquior dum eſt primus à ſtipite.

Simili ratione ex Regula expreſſa Pii V. *Conſtit. 13. in Bullar. To. 2.* ad diſpenſationem in conſanguinitate & affinitate (de publica honeſtate non eſt ibi ſermo) requiritur, ut gradus propinquior exprimatur, ſi ſit primus à ſtipite: v.g. ſi patruus cum nepte ex fratre aut ſorore, vel amita cum nepote ex fratre aut ſorore matrimonium inire deſideret, *cùm* (ut ibidem dicitur) *in eo ſua Sanctitas numquam diſpenſare intendat.*

De cetero dum perſonæ diſpenſandæ diſtant in gradu inæquali v.g. ſecundo & tertio, vel tertio & quarto, expedit quidem omnino id declarari, & ſæpè facultates Apoſtolicæ, quæ quibuſdam delegantur, ſe extendunt ad ſecundum v. g. & tertium mixtum, quæ non ad ſecundum gradum purum; non neceſſariò tamen debet propinquior tunc exprimi, cùm remotior trahat ſecum propinquiorem, juxta Regulam Pii V. ſuprà; obtentis tamen poſtea (ut ibidem additur) litteris Pontificiis declaratoriis gradûs propinquioris non expreſſi in petitione; quæ equidem non requiruntur ad valorem juxta *Dicaſtillo d. 8 de matr. dub. 9.*

39. *Servandus ſtylus Curiæ in expreſſione qualitatum.*

Denique attendendus eſt ſtylus Curiæ (qui hâc ſaltem in parte facit jus & formam quaſi ſubſtantialem) ut exprimatur qualitas, quæ ſtylo Curiæ exprimi jubetur; ut habet recepta Doctorum ſententia: quamquam *Henriquez l. 12. de Sacram. c. 3. n. 7.* cenſeat inde non vitiari diſpenſationem pro foro conſcientiæ, ſed tantùm pro foro externo. Verùm, ſeclusâ falſitate præſumptionis fori externi, idem eſt ſervādum in interno, ſaltem regulariter. Si verò in petitione diſpenſationis tacita fuerit veritas notoria, quam creditur Princeps noviſſe, non inducitur hinc ſubreptio, utì nec ignorantia, vel defectus conſequens intentionis. Idem eſt de tacita qualitate, quæ de jure ineſt, adeòque Principi nota eſſe ſupponitur.

40. *An explicanda ſit copula inceſtuoſa, diſputatur.*

An autem exprimenda ſit copula inceſtuoſa præcedens diſpenſationem matrimonialem pro conſanguineis, inter Doctores diſputatur: nam, pro parte affirmativa ſtat *Sanchez* & alii, immo etiam allegatur Declaratio Cardinalium, & favet ſtylus Curiæ, quo etiam inceſtuoſis ſolet concedi diſpenſatio cum quibuſdam clauſulis & pœnitentiis. Eſtque id ſecuriſſimum.

Pro parte negativa ſtant plurimi alii Doctores. Et ratio eſt, tum quòd expreſſio copulæ inceſtuoſæ ſpectet ad propriā infamiā in foro, in quo publicè expediuntur & executioni mandantur Litteræ Apoſtolicæ: tum quòd inceſtus non ſit ullatenus hodie impedimentum, nequidem impediens matrimonium: cur ergo ſit exprimendus, cùm aliundè jus id non præſcribat? Cardinales autem ſecuti ſunt ſententiam probabilem. De uſu deniq. ſeu ſtylo Curiæ non ſatìs conſtet; cùm non ſemper exprimi ſoleat, etiam conſulentibus viris doctis ſtylum non ignorantibus; clauſulæ verò ſpeciales tunc addi ſolitæ non ſpectent ad cauſam finalem, nec reſpiciant diſpenſationem in conſanguiniate, ſed pœnam delicti, ſeu copulæ inceſtuoſæ.

41. *Vitiat quoque taciturnitas veri aut expreſſio falſi pertinētis ad diſpenſationē, quæ cognitâ veritate non fuiſſet conceſſa.*

Secundò diſpenſatio redditur ſubreptitia, quando tacetur veritas vel exprimitur falſitas intrinſeca, ſeu habens prudentem connexionem cum materia diſpenſanda, & faciens ad rationem diſpenſandi, quâ cognitâ Superior rationabiliter noluiſſet diſpenſare. Patet ex c. *Fin. de Filiis Presbyt. in 6.* Si tamen Superior equidem abſolutè diſpenſaſſet, etſi difficiliùs, non redditur ex hac parte diſpenſatio ſubreptitia, utì nec involuntaria. Unde c. *Dudum* ℣. *Nos igitur, de Præbendis in 6.* in favorem valoris cujuſdam conceſſionis, in qua aliquid non erat expreſſum, ponderat quòd illo expoſito nihilominùs litteras gratioſas dediſſet. Et tunc dici ſolet error verſari circa cauſam impulſivam, quæ ſcilicet allicit Principem ad faciliùs concedendum gratiam, ſine qua tamen eodem modo fuiſſet conceſſa. Quando autem eſt cauſa propria ſine quâ non conceſſionis gratiæ, dicitur cauſa finalis: qualis eſſe cenſetur ea, quæ in reſcripto exprimitur, ſi ſit unica. Quòd ſi ſit, & re examinatâ maneat dubium, an ſit error circa cauſam finalem an circa impulſivam, ſeu an Superior diſpenſaſſet, ſi aliquam conditionem, quæ non fuit expreſſa, inſpexiſſet, controvertunt Doctores. Videtur autem cum *Sanchez* & aliis paſſim exiſtimandum valere diſpenſationem: quia jura maximè favent valori actuum, & in dubio eum præſumunt. Quàmvis oppoſitum mihi non diſpliceat (quod Varii docent) ſaltem quando diſpenſatio eſt odioſa.

42. *Quod locū videtur habere, ſi dives petat diſpenſationē in forma pauperum.*

Hinc ſi petatur à divite diſpenſatio matrimonialis Romana in forma pauperum, videtur ex hoc errore diſpenſatio reddi ſubreptitia; utpote quæ aliàs fuiſſet data in iſta forma, ſed cum appoſitione gravioris ac ſolitæ mulctæ in cōpenſationem relaxatæ legis ac utilitatem Eccleſiæ Romanæ: ideo datur abſoluta & in forma pauperū ob narrationē paupertatis (quæ tamen ſtylo ordinario magnam latitudinem habet) non ſubſiſtentis. Ita tradit *Marchant To. 3. parte 3. Tract. 1.*

Tit-

Tit.9.q.4.Concluſ.5. Adi ipſum *Tit. 9. cit.* ubì quædam ſatis notabilia habet.

43. *Secùs ſi ſit circa aliquid ad diſpenſationis cauſam impertinens.*

Non vitiatur equidem diſpēſatio, quando tacetur aut fingitur conditio aliqua extrinſeca ſeu impertinens: nam quàmvis diſpenſans ita habitualiter ſit diſpoſitus, ut re cognitâ non diſpenſaſſet, ſimpliciter equidem & abſolutè vult ob cauſam propoſitam diſpenſare. Quæ voluntas non tollitur, nec fit conditionata ob aliquid, quod ad finem ſeu cauſam diſpenſationis non confert; ut patet à ſimili in extortis per dolum aut mendacia, ſubſiſtente causâ finali diſpoſitionis. Ita *Sanchez, Suarez, Salas* & alii, ut refert & ſequitur *Bonacina de Leg. q. 2. pu.4. n. 3.*

Corollaria.

Unde valet diſpenſatio voti petita ab eo, qui finxit ſe virum doctum, aut qui tacuit ſe eſſe vitioſum, vel ex tali origine &c. Valet item probabiliùs diſpenſatio in irregularitate contractâ ex homicidio, etſi non fuerit expreſſum, quòd occiſus fuerit Sacerdos: defectus enim lenitatis, & non circumſtantia ſacerdotii aggravans peccatum homicidii, pertinet ad pœnam irregularitatis; quæ proinde multis peccatis magìs enormibus non eſt impoſita. Idem eſt, ſi taceatur conditio futura; quæ cùm non inſit actu, nihil operatur: ut ſi obtineatur reſcriptum ad beneficium, quod Superior certò alteri contuliſſet, ſi eum ſciviſſet fore ſollicitaturum.

Denique magìs id locum habet, quando conditio non ſolùm ad cauſam diſpenſationis eſt impertinens, ſed etiam irrationabiliter ob illam præciſè diſpenſatio fuiſſet negata. Unde valet diſpenſatio, etſi Superior decipiatur in ſperata remuneratione, aut in eo quòd putet alterum cognatum eſſe vel amicum; quamquam non conſuevíſſet diſpenſare, niſi mediantibus iſtis conditionibus: voluntas enim illa irrationabilis tantùm eſt habitualis, nec in factum influit, aut ex jure influere eſt præſumenda, ſed potiùs in facto retractari.

44. *Error circa ſubſtantiam moralem rei vitiat diſpenſationem.*

Tertiò vitiatur diſpenſatio, fitque ſubreptitia, quando in ſupplicatione committitur error circa moralem ſubſtantiam rei: ut enim alii contractus, ſic & diſpenſatio tunc eſt nulla. Quod verum eſt, etſi errore detecto Superior equidem, immo faciliùs diſpenſaſſet. Unde non valet diſpenſatio petitâ in reſidentia beneficii ſimplicis, cùm ſit curatum; in tertio gradu conſanguinitatis, cùm ſit affinitas, etſi in hac diſpenſatio ſit facilior; aut contrà: item in impedimento dubio, cùm ſit certum: tunc enim non exprimitur moralis ſubſtantia rei; diſpenſans autem cenſetur diſpenſare in ſpecie ſibi expreſſâ. Idem eſt ſi petatur diſpenſatio in tertio gradu, cùm ſit ſecundus. Secùs eſt juxta *Bonacina qu.2.pu.5.n.15.* & plures alios, ſi petatur diſpenſatio in ſecundo gradu, cùm ſit tertius, aut in tertio, cùm ſit quartus: eò quòd non ſint ſpecies con-

diſtinctæ, ſed ſecundus gradus contineat tertium, & tertius quartum velut minorem; diſpenſans autem in toto, cenſeatur etiam diſpenſare in parte contentâ. Idem ſit de ſimilibus judicium.

45. *Talis non eſt error in ſolo nomine perſonæ.*

Petes, An valeat diſpenſatio ſi erretur in nomine perſonæ? Reſp. Aff. regulariter loquendo. Ratio eſt: quia Superior intendit diſpenſare cum perſona pro qua petitur, & in materia ſuper qua petitur, qualitercumque nominetur: cùm nomen materiæ, aut perſonæ, dum de ipſa re & perſona conſtat; nihil conferat ad diſpenſationem aut cauſam illius. Idem patet in abſolutione ſacramentali & ſimilibus. Ad quod etiam faciunt *Inſtitutiones, de Legatis* § *Si quidem in nomine,* & L. *Si quis in fundi 4. ff. de Legatis 1.* ubì dicitur: *Si quis in fundi vocabulo erravit, & Cornelianum pro Sempronìano nominavit, debebitur Sempronianus.*

46. *Aut in nomine reſidentiæ.*

Hinc valet diſpenſatio, ſi quis nomine Petrus vocetur Paulus; ſi cùm ſit Mechlinienſis vocetur Antuerpienſis; ſi petatur diſpenſatio in reſidentia Antuerpienſi, & dicatur Mechlinienſis.

Litteræ Apoſtolicæ à quo ſunt executioni mandandæ.

Dices: Si ego, qui ſum diœceſis Mechlinienſis, dicar diœceſis Antuerpienſis, mandatum diſpenſandi dirigetur ad Ordinarium Antuerpienſem: tunc autem nec hic poterit diſpenſare; cùm non ſit meus Ordinarius; quòd reſcriptum ſupponit: nec poterit idipſum Ordinarius Mechlinienſis; quia reſcriptū ad eum non fuit directum. Ita *Sanchez l. 8. de Matr. diſp.21.n.39.* qui proinde exiſtimat errorem in nomine Ordinarii vitiare reſcriptum. Sed Reſp. contrarium omninò eſſe dicendum cum pluribus aliis: cùm error iſte ſit planè accidentalis. Poterit itaque mecum diſpenſare Ordinarius Mechlinienſis: mens enim Pontificis eſt, reſcriptum dirigere ad Ordinarium diſpenſandi; parumque refert, qualiter nominetur: quia nihil obeſt error in nomine, quando conſtat de corpore.

47. *Subreptio non ſemper totam diſpenſationem vitiat.*

Notandum verò taciturnitatem veri aut expreſſionem falſi non ſemper vitiare totam diſpenſationem, ſed pro ea ſolùm parte, quam talis taciturnitas aut expreſſio concernit; dummodò ea pars ſit ab aliis ſeparabilis: v.g. petit quis diſpenſationem in jejunio plurium dierum, allegatâ causâ, quæ non ſufficit, niſi pro uno vel altero die, diſpenſatio ſaltem pro his valebit: nam *utile non debet per inutile vitiari*, ut habet *Reg. 37. Juris in 6.*

48. *Quid cenſendum, dum non ſubſiſtit cauſa allegata, ſive unica, ſive multiplex.*

Notandum II. Quando unica tantùm cauſa in ſupplicatione diſpenſationis allegatur, eaque non ſubſiſtit, diſpenſationem eſſe nullam. Si autem plures cauſæ disjunctivè narrentur, ſufficit unam earum ſubſiſtere. Quòd ſi variæ cauſæ allegentur copulativè, & aliquæ earum ſubſiſtant, aliquæ non, diſtinguendum eſt: ſi enim cauſa finalis aut principalis, ob quam diſpenſatio conceditur, ſit vera & ſufficiens, valet diſ-

penſatio, etſi cauſæ impulſivæ non ſubſiſtant, quæ non ſunt ratio juſtæ diſpenſationis, etſi aliundè voluntatem Superioris impellant. Secùs eſt, quando plures cauſæ narrantur, quarum una ſine altera non ſufficit ad æquitatem diſpenſationis; aut etſi fortè ſingulæ ad hoc ſufficiant, quando ad aliquam, quæ non ſubſiſtit, conſtat Superiorem ita reſpexiſſe, ut ſine ea diſpenſationem non dediſſet.

49. *Quid ſi taceatur adhuc petitam, & negatam fuiſſe diſpenſationem.* Notandum III. valere probabiliùs diſpenſationem, quæ priùs petita & negata fuit, ſi poſtea obtineatur, licèt taceatur, quòd prius negata fuerit. Quod verum videtur, non ſolùm quando diſpenſatio fuerat obtenta à ſupremo Principe, à quo fuerat antè negata, ſed etiam quando obtinetur ab ejus ſucceſſore, aut etiam inferiore habente poteſtatem ordinariam circa materiam & formam diſpenſandam; immo licèt ſit delegatus ejus qui negavit. Similiter hoc procedit, ſive in poſteriori petitione allegentur novæ & plures cauſæ, ſive non. Vide *Suarez l.6. de Leg. c.22.* Unde dicendum eſt inferiorem v.g. Epiſcopum, ſi caſum ſuæ poteſtati ſubjectum remiſerit ad ſuperiorem v.g. Papam, & hic diſpenſationem negaverit, aut certè onus legis in aliud commutaverit; poſſe ſimpliciter diſpenſationem concedere, ſi cauſam judicet eſſe ſufficientem: denegatio enim diſpenſationis non fit per ſententiam juridicam, nec Superior per illam imponit aliquod præceptum vel obligationem, ſed ſolùm relinquit vinculum præexiſtens, denegando uſum propriè poteſtatis; cui non repugnat, quòd alteri relinquatur ſua poteſtas & arbitrium operandi juxta ſuum judicium. Et quàmvis per commutationem Superior imponat novum onus, non tamen ſuſtinendum, niſi ſub conditione, quòd alter non velit priorem legem implere, aut hæc aliundè non ſit ſublata; prout etiam fit in commutatione voti; cùm enim commutatio fiat in gratiam alterius, non debet in ejus diſpendium retorqueri, juxta *Reg. 61. Juris in 6.* quin poſſit conari majorem favorem alibi adipiſci.

50. *An diſpenſandus poſſit petere diſpenſationem in uno vinculo, aliis ſuppreſſis.* Notandum IV. quando quis pluribus vinculis impeditur ab aliquâ re, poſſe peti diſpenſationem in uno vinculo, tacitis aliis. Unde irregularis ob homicidium, & illegitimitatem, aliaſve cauſas, poteſt obtinere diſpenſationem in irregularitate ex homicidio contractâ, aliis relictis; etſi (ut patet) priuſquam ad Ordines promoveatur, debeat ab omnibus irregularitatibus liberari. Similiter juxta communem Doctorum ſententiam poteſt quis pluribus excommunicationibus irretitus abſolvi ab una, tacitis, & non ablatis aliis. Idem eſt de ſimilibus. Sicut enim unum impedimentum poteſt ſine alio poni, ſic & tolli: nec neceſſe eſt omnia exprimere, quæ diſpenſationem fortè reddunt difficiliorem. Unde ſic obſervat uſus Curiæ Romanæ, inquit *Bonacina q.2. pu.9.* qui tamen excipit impedimenta matrimonii cum variis limitationibus, dicens id ſtylo ſeu uſu Curiæ receptum. Sed fortè uſus eſt facti potiùs, quàm juris, nec generalis. Quare etſi id ſecurius ſit, ſimpliciter tamen pluribus non placet ejuſmodi onerum multiplicatio, ut *Rodriguez, Salas, Henriquez, Filliucio* & aliis.

An autem debeat fieri mentio prioris diſpenſationis obtentæ, quando petitur ſimilis, diſputat latè *Suarez l.6. c.23.* adferens varia exempla, quibus debet, & varia, quibus non debet mentio prioris diſpenſationis fieri.

Dico II. Metus probabiliter non impedit valorem diſpenſationis in lege, ſi de facto detur cum abſoluta voluntate. Ita *Suarez l.6. c.21.* cum pluribus aliis, qui rectè notant differentiam inter diſpenſationē in voto & in lege humana, quòd cùm illa ad ſui valorem requirat legitimam cauſam, hæc non, quando datur in propria lege; ideo valere poſſit diſpenſatio in propria lege facta ob metum ſine alia cauſa: ſicut valeret totalis propriæ legis abrogatio facta ex metu ſine alia cauſa. Ubi etiam cōſiderat, ex ipſo metu poſſe ſumi cauſam, quantùm ad diſpenſantē, ut non peccet diſpenſando; quia interdum ex cauſa extrinſeca poteſt diſpenſatio honeſtari. 51. *Metus probabiliter nō invalidat ipſo facto diſpenſationem ſeriò datam.*

Quòd ſi objiciatur, incongruum videri, ut ex iniqua violentia ſubditus commodum reportet. Reſp. fieri poſſe, ut metus ab uno tertio inferatur ſubdito ignorante. Deinde fieri poteſt, ut metus ad illum finem non inferatur, ſed aliundè oriatur, etiam ſine culpa, v.g. ex bello juſto. Si verò metus ſit injuſtè incuſſus ab ipſo diſpenſando ad obtinendam diſpenſationem, licèt indubiè irritabilis ſit talis diſpenſatio, poſſitque revocari, ſi res adhuc ſit integra, eo ipſo quòd diſpenſans metum evaſerit; ſit etiam credendum Superioris conſenſum eſſe potiùs permiſſivum, quàm approbativum, adeòq; inſufficientem: quando tamen reverà interiùs intenderet legem ob metum tollere, valeret diſpenſatio. Nec videri debet adeò incongruum, ut aliquis remotè & occaſionaliter ex ſua iniquitate, per ſe tamen & proximè ex validâ diſpēſatione, commodum reportet; nam contractus metu initi, etſi ſint gratuiti, regulariter ſunt validi, ut eſt valde probabilis doctrina *Leſſii l.2. de juſt. c.17. dub.6.* & pluriū aliorum in eadem materia.

Pro fine tractari hîc poſſet de interpretatione diſpenſationis; ſed cùm ſit relaxatio & vulnus juris, adeòque odioſa, conſtat per ſe loquendo eſſe ſtrictè interpretandâm, niſi videlicet odium iſtud aliundè favore compenſetur aut ſuperetur. 52.

De interpretatione autem facultatum diſpenſandi commodiùs tractabitur inferiùs, dum de interpretatione privilegiorum agetur,

agetur; ubi etiam oſtendetur, quibus modis privilegium, adeòque etiam diſpenſatio intereat. Hîc ſolùm de ceſſatione illius ob ceſſationem cauſæ breviter dico, non ceſſare diſpenſationem, juxta communem Doctrinam, ſi poſtquam ultimatè ſuum effectum obtinuit, cauſa ceſſet. Immo juxta plures Doctores etſi ceſſet cauſa, antequam quis ex diſpenſatione operetur, v.g. antequam matrimonium contrahat, Ordines diſpenſatus in irregularitate ſuſcipiat &c. quia cauſa ſubfuit, quando gratia eſt facta, ſcilicet quando vinculum legis fuit ſublatũ, nec debuit cauſa quoad remotum effectum perdurare: vinculum quoque v.g. irregularitatis ſemel ſublatum per ſe numquam reviviſcit. Varii tamen aliter ſentiunt. Sed quod diximus, eſt ſatis ſecurum, ut ait *Suarez l.6.c.20. nu.*18. quia per diſpenſationem legitimè factam jus eſt acquiſitum diſpenſato; quando autem alteri jus eſt acquiſitum, non ſolet revocari ex cauſæ ceſſatione. Si tamen ſolùm datum eſſet indultum ſeu mandatum diſpenſandi, illud non poſſet mandari executioni, ſi cauſa ceſſaret; poſſet tamen, ſi cauſa reviviſceret. Unde varii rectè monent, quòd dum Pontifex ad petitionem concedit indultum diſpẽſandi, debeat ſubſiſtere cauſa, tam quando Pontifex illud dat, quàm quando alter indultum exequitur: ſi enim non ſubſtitiſſet cauſa dum indultum conceditur, Pontifex illud ſciens non dediſſet: utì nec dare cenſetur, ut alter causâ non ſubſiſtente, adeòque illicitè illud exequatur.

An vel qualiter ceſſet diſpenſatio ob ceſſationem cauſa

QUÆSTIO IV.

Quid & Quotuplex ſit Privilegium, item à quo, & cui concedi poſſit?

53. *Quid Privilegium.* PRIVILEGIUM deſcribi poteſt, Conſtitutio Principis ſpecialem favorem concedens. Nam per privilegium datur facultas ſpecialis ad aliquid agendum vel omittendum, recipiendũ vel conferendum; aliiſque implicitè & velut ex natura rei eo ipſo præcipitur, ne poſſint privilegiatum impedire: quamquam expreſſum præterea & ſpeciale iſtius rei præceptum ſæpè ſoleat apponi.

In quo diſtinguatur à lege. Diſtinguitur Privilegium à lege in hoc, quòd privilegium ex natura ſua non poſtulet eſſe perpetuum, aut concedi Cõmunitati perfectæ, aut ſolemniter promulgari, nec etiam in eo tam intendatur bonũ Commune, quàm privatum aliquorum, ob quod lex privata dici ſolet. Inſuper per ſe loquendo non obligat privilegiatum ad eo utendum: per privilegium enim conceditur beneficium, non imponitur onus. Per accidens tamen tenetur ſubinde privilegiatus uti ſuo privilegio, quãdo nimirum hoc expreſsè in privilegio præcipitur; prout præcipitur Clericis ut utantur privilegio clericali *Canonis, Si quis ſuadente*, & fori; quod in honorem Statûs clericalis, ipſi potiùs ſtatui & communitati Clericorum, quàm ſingulis perſonis eſt datum: tale privilegium ſimul habet veram rationem legis; prout etiam habent privilegia ſtabilia, quæ ſunt inſerta Corpori Juris, aut ſolemniter promulgata, reſpectu aliorum, qui prohibentur contraniti privilegio; ut ſunt privilegia minorennium & pupillorum. Aliundè adhuc per accidens fieri poteſt, ut quis teneatur uti privilegio, ſi per illud fiat habilis ad actum lege præceptum. Sic per privilegium exemptus à communi interdicto, cui ſubjacens non poterat intereſſe divinis, tenetur die feſto audire ſacrum.

Nonnulla ſunt vera leges.

54. *Non omne eſt contra jus.* Porrò privilegium generaliter concedit aliquid ſpeciale, quod jure communi non erat conceſſum, ne alioquin ſit inutile. Non tamen ſemper concedit aliquid contra jus, ſed ſæpè aliquid ultra jus; ut patet in facultatibus abſolvẽdi, diſpenſandi &c. quas Pontifices Religionibus cõceſſerunt. Immo aliqua privilegia reperiuntur conceſſa Religioſis ad eorum inſtantiã, quæ dant licentiã aliquid omittendi, v.g. non repetendi horas, ex certis cauſis non jejunandi &c. quod jure licebat; idque ad ſedandos ſcrupulos, vel ad majorem certitudinem & plenam ſecuritatem, quando ſunt utrimque ſententiæ. Tamen quãtùm verba & materia commodè patiuntur, explicari debent, ut concedant aliquid novi.

Diſtinguitur à diſpenſatione. Hinc colligitur non omne privilegium eſſe diſpenſationem, ſed illud ſolum quod eſt contra jus. Neque etiam omnis diſpenſatio eſt privilegium; ut patet ex communi modo loquendi, quo diſpenſationes in impedimentis matrimonii, irregularitate & ſimilibus, quæ dantur ad unicum actum, etſi ſint quædam beneficia, non ſolent vocari privilegia. Unde videtur privilegium importare ſtabilitatem quamdam, & jus velut ordinarium agendi vel omittendi aliquid contra vel præter jus.

55. *Scriptura non eſt de ſubſtantia privilegii.* Nota ſcripturam ſeu bullationem non eſſe de eſſentia privilegii; ut ſumitur ex *c. Inſtitutionis 25. qu.2. Clem. Dudum, de Sepulturis*, & plurimis vivæ vocis Oraculis ſeu Cõceſſionibus vivâ voce factis abſque aliqua ſcriptura vel ſignatura cõcedentis. Quàmvis ad fidem faciendam in judicio regulariter ſcriptura requiratur, quando privilegium non eſt conſuetudine acquiſitum; prout inſtar aliorum jurium ac bonorum acquiri poteſt. Unde Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus, ut poſſint uti in foro conſcientiæ tantùm, omnibus cõceſſis à Sede Apoſtolica, ſive per Bullas, aut Brevia, aut vivæ vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur. Eſt & aliud privilegiũ Julii II. conceſsũ Auguſtinianis Bullâ *Nihil eſt* 22. in Bullario *Rodriguez*, quo proprio motu & ex

certâ ſcientiâ conceſſit eiſdem, & conſequenter ceteris Mendicantibus ſeu in eorum privilegiis communicantibus, quòd *quæcumque eis conceſſa, ſive per ſe, ſive per communicationem, ſive ſint facta in forma Brevis, ſive per ſupplicationem expedita, in quibus placuit, ut ſignatura ſola ſufficeret, eamdem omnino vim & efficaciam habeant, tam in judicio quàm extra judicium, ac haberent ſi plumbeo ſigillo eſſent obſignata.*

56. *Privilegiũ, aliud reale, aliud perſonale.*

Dividitur Privilegium in Reale & Perſonale. Perſonale dicitur, quod conceditur immediatè perſonæ ratione ſui. Reale, quod directè conceditur alicui rei, muneri vel conditioni diſtinctæ à perſona; puta prædio, Monaſterio, Eccleſiæ, dignitati Epiſcopali, aut etiam perſonæ fictæ, ut Religioni, Capitulo &c. Ejuſmodi etiam ſunt privilegia conceſſa certo generi perſonarum, v.g. pupillis, minorennibus &c. hæc enim conceduntur perſonis, non tam ratione ſui, quàm bene ratione qualitatis in ſimili genere perſonarum repertæ. Multùm autem attendi debet ad tenorem privilegii, ejuſque proœmium, item ad quem dirigatur, & ſimilia; ut inde colligatur, an privilegium ſit reale, non neceſſariò intermoriturum cum perſona, ſed cum re ipsâ, cui cohæret: an verò perſonale, quod perſonam ſequitur, & cum ea extinguitur. Sic colligitur privilegium concedi dignitati, v. g. Sedi Epiſcopali, quando dicitur: *Concedimus Epiſcopo Antuerpienſi, Archiepiſcopo Mechlinienſi &c.* Et tale privilegium tranſit ad ſucceſſores, in quibus eadem dignitas perſeverat. Aliud eſt, ſi dirigatur ad perſonam, etſi ſimul apponatur dignitas, aut aliæ circumſtantiæ indicent omnino reſpici ad perſonam; v.g. ſi addatur, *Tuam induſtriam agnoſcentes; Tua merita conſiderantes.* Omnia tamen prudenter ſunt perpendenda.

57. *Quale in dubio ſit cenſendum.*

In dubio autem, an privilegium ſit reale, an perſonale aſſerit *Tiraquellus* cenſendum eſſe reale: At *Jaſon* cenſendum eſſe perſonale. Sed omninò diſtinguendum eſt cum *Bartolo*, *Suarez* & reliquis Doctoribus. Nam debet quidẽ cenſeri reale, quando non præjudicat tertio, neque eſt contra jus commune: cum tunc velut beneficium nemini præjudicans ſit ampliandum; adeòque cenſendum privilegium reale, utpote magìs favorabile. Quando autem præjudicat tertio vel juri communi, ordinariè, velut odioſum, eſt ceteris paribus, reſtringendum; adeoque cenſendum eſt perſonale. Dico *ceteris paribus:* nam ratione alterius circumſtantiæ v.g. uſus & poſſeſſionis in alterutra parte, judicandum eſt in favorem illius partis quæ poſſidet. Vide *Suarez l.8. de Leg. c.3. n.14. & ſeqq.*

Hinc privilegium datum certæ Communitati permanet, quamdiu cenſetur illa eadem permanere, quàmvis ex uno loco in alium migret: manet enim idem corpus politicum, cui potiùs, quàm loco cenſetur Superior privilegium affixiſſe. Deinde quando privilegium datur loco, v.g. templo, non perditur, niſi templum legitimâ auctoritate deſtruatur ſine ſpe reparationis. Secùs eſt, ſi caſu vel ab hoſtibus deſtruatur; tunc enim reſtaurato templo perſeverat privilegium. Vide *Suarez l.8. c.5. n.5. & ſeqq.*

58. *Privilegiũ inſuper aliud Tẽporale, aliud Perpetuum.*

Præcedenti Diviſioni affinis eſt illa quâ Privilegium dividitur in Temporale & Perpetuum. Nam omne Privilegium perſonale eſt temporale, ſeu finitur lapſu temporis, ſicut ipſa perſona; immo ſubinde citiùs, quando tempus determinatum vitâ brevius cõceditur. Privilegium autem reale ferè eſt perpetuum, ſicut ipſa res, quando nimirum conceditur indefinitè ſeu abſque limitatione temporis. Contingere enim poteſt interdum non eſſe perpetuum, vel quia res cui inhæret, non eſt perpetua, vel etiam quia datur tantùm ad limitatum tempus, aut ſub conditione, quæ lapſu temporis finitur. Cùm enim privilegium non extendatur ultra mentem concedentis exteriùs ſignificatam, patet ejuſmodi privilegium non adhærere rei diutiùs, quàm intenderit concedens. Ideoque quæ immediatè antè diximus, intelligenda ſunt de privilegio reali illimitatè conceſſo.

Plures aliæ Diviſiones adferri ſolent, quæ ſatìs patent, aut ſecundùm occurrentiam materiæ explicabuntur.

59. *Cujus ſit concedere privilegiũ, & quibus.*

Privilegium conferre poteſt propriè is dumtaxat, qui poteſt legem ferre: non enim cujuſvis hominis beneficium, ſed quod publicâ poteſtate alicui cõfertur, privilegium appellatur. Similiter privilegium ſtrictè dictum, vel quod eſt contra jus, debet concedi aliquo modo ſubdito: per illud enim eximitur privilegiatus à lege, cui proinde ſubdi debebat, aut exercetur actus aliquis juriſdictionis. Quando autem eſt præter jus, poteſt concedi non ſubditis; tunc enim propriè non eſt tam actus juriſdictionis, quàm cujuſdam donationis & dominii illius rei vel juris, quod per privilegium datur: quàmvis etiam tunc conſiderari poſſit aliqua ſubjectio ſic privilegiatorum, ſaltem ratione rei, in qua privilegium obtinent.

60. *Qualiter poſſit privilegiatus uti privilegio extra territorium concedentis.*

Petes, an poſſit concedi ſubdito privilegium, ut eo uti valeat extra territoriũ concedentis? Reſp. Aff. ſi privilegium datum ſit abſolutè & ſine reſtrictione ad locum; dummodò in loco, ubi invenitur, non ſit ſpecialis aliqua prohibitio, ſive dummodò ſpeciali lege alterius loci non prohibeatur id, ad quod aliquis à Superiore ſui territorii privilegium acceperit: nam hic nõ poteſt concedere privilegium in præjudicium alterius legiſlatoris ſibi nullo modo ſubjecti, & dare facultatem ejus leges infringendi. Si hoc non ſubſit, poteſt uti: quia privilegium datum ab eo qui dare poterat, eſt perſonale, & perſonam comitatur. Adde, quòd perſona per illud fiat exempta à lege.

Nihilo-

Nihilominus cùm ſit probabile exterum non obligari ſpecialibus legibus locorum, per quæ tranſit, in eâdem Opinione procedendo probabiliter dici poteſt, privilegiatum ſecluſo ſcandalo uti poſſe privilegiis à ſuo Superiore conceſſis, etiam quando ſunt contraria ſpecialibus legibus locorum per quæ tranſit, dummodò non ſit ibi pro majore parte anni, ſeu diuturno tempore.

61. *Corollaria.* Hinc qui habet generalem facultatem audiendi Confeſſiones in aliqua diœceſi, poteſt audire confeſſiones quorumcumque iſtius diœceſis, etiam extra diœceſim. Similiter qui habet privilegium eligendi Confeſſarium, non legendi horas, non jejunandi &c. poteſt ubique illo uti, non ſolùm ſi ſit privilegiatus à Papa, ſed etiam, ſi ab inferiori Prælato. Item habens facultatem obtinendi plura beneficia, poteſt ea ubique obtinere.

Excipe niſi facultas foret conceſſa cum reſtrictione, ſaltem tacitâ, ad locum: ſi enim Pontifex alicui concedat facultatem habendi duas præbendas in determinata Eccleſia, non ideo poteſt hic duas in alia Eccleſia obtinere. Similiter ſi ob penuriam piſcium in aliqua Regione à mari remotâ ſit generaliter conceſſa facultas comedendi ova in quadrageſima, non poteſt incola illius Regionis uti iſtâ facultate, quando eſt in locis, ubì eſt abundantia piſcium. Idem eſt, ſi privilegium præjudicet juriſdictioni alterius Prælati ſibi non ſubjecti: ſic enim habens privilegium à ſuo Prælato exeundi conventum ſine licentia, non poteſt alibi exiſtens exire conventum ſine licentia Prælati illius. Vide *Suarez l. 8. cap. 26.*

QUÆSTIO V.

Quæ forma Privilegii, & quando obtineat effectum?

62. *Forma intrinſeca privilegii, rationabilis voluntas concedentis.* FORMAM velut internam & eſſentialem privilegii conſtat eſſe internum conſenſum & intentionem concedentis: debet quoque Privilegium utì lex conformari regulis juſtitiæ & normæ æquitatis, ut nempe ſit honeſtum, ratione non carens, & in gravamen injuſtum tertii non cedens, niſi ratio injuſtitiam expurget.

Forma extrinſeca, ſignum ſenſibile. Forma verò extrinſeca eſt ſignum ſenſibile, quod plerumque eſt ſcriptura, vocaturque aliquando reſcriptum, vel indultum, vel bulla; aliquandò vocatur breve: & in hac forma ſunt tria conſideranda, nempe antecedentia conceſſionem privilegii ſeu proœmium, formalis conceſſio, & illam conſequentia ſeu epilogus, in quo contineri ſolent diverſæ non obſtãtiæ ſeu clauſulæ derogatoriæ ad robur privilegii. *Tres ſunt Bullæ ſeu Reſcripti partes.*

63. Solet autem Privilegium dupliciter concedi. Primò & ut plurimùm ad petitionem ſeu inſtantiam. Secundò ex motu proprio, quando ſcilicet Superior ad illud concedendum non movetur precibus alicujus, ſed ex ſola ſua liberalitate. Quod diſcerni poteſt, tùm ex proœmio cõceſſionis, in quo ſolet ſupplicatio narrari ſi præceſſerit, tùm præcipuè ex ipſa forma conceſſionis in qua ſolet exprimi, quando proprio motu eſt facta, per clauſulas: *Motu proprio, non ad inſtantiam alicujus, ex mera noſtra liberalitate*, aut his æquivalentes. Quod dum non ſatìs exprimitur, cenſetur privilegium datum ad petitionem juxta c. *Si motu proprio, De præbendis in 6.* *Privilegium aliud datur ad inſtantiam, aliud motu proprio.*

64. *Differentia inter utrumque.* Inter has Privilegii conceſſiones variæ ſunt differentiæ. Primò quòd conceſſum ad inſtantiam partis non ſit adeò voluntarium & liberale, ſicut conceſſum ex motu proprio: & proindè hoc, quantùm patitur verborum proprietas, eſt ampliandũ; quod non habet ita privilegium conceſſum ad petitionem. Secundò quòd aliquando qui petiit privilegium cogatur uti privilegio petito: ſi verò illi conceſſum fuerit motu proprio, non poteſt cogi, ut illo utatur, quando ſibi minùs utile videretur. Tertiò quòd privilegium ad petitionem interdum ſit ſubreptitiè impetratum, adeòq; nullum: at clauſula motus proprii tollit ſubreptionem; licèt ex alio capite poſſit ſubinde eſſe nullum. Vide *Suarez l. 8. c. 12.*

65. *Modus ſeu forma conceſſionis ſi ſit ſubſtantialis, & nõ ſervetur, impedit effectum privilegii.* Circa formalem conceſſionem privilegii obſervandum in primis eſt, an exigatur in eâ aliqua conditio, aut modus ad conſequẽdum effectum privilegii. Et ſi quidem exigatur velut modus quidam aut ſolemnitas accidentalis, & onus concomitans fructum privilegii, violatio illius non impedict effectum privilegii. Secùs eſt, ſi ſtatuatur velut conditio aut forma ſubſtantialis; hac enim deficiente, actus virtute privilegii exerciti erunt invalidi, utpote celebrati ſine forma ſua ſubſtantiali. Vide *Bonacina q. 3. pu. 4. §. 2.*

66. *Forma privilegii conceſſi ad inſtar quid operetur.* Privilegium ſubinde conceditur ad inſtar alterius privilegii, velut exemplatum ad inſtar exemplaris. Quæ forma conceſſionis hoc operatur, ut per eam concedatur omnis favor & gratia eodem modo, id eſt, cum iiſdem extenſionibus & limitationibus quæ continentur in alio privilegio ad cujus inſtar datur; in hoc enim conſiſtit perfecta æquiparatio, ſeu ſimilitudo ſignificata per verbum *ad inſtar.* Aucto tamen privilegio exemplari non augetur privilegium ad inſtar, aut contrà: nec deſtructo aut revocato uno, deſtruitur aut revocatur alterum. Ratio eſt: quia privilegium ad inſtar ſolùm datur ad imitationem alterius privilegii conſiderati in ſtatu, in quo eſt tempore conceſſionis ad inſtar; quâ ſemel factâ, fit diſtinctum & abſolutum privilegium, proprium illi, cui conceſſum eſt.

Hinc ſi nullum detur aut inveniri poſſit privilegium exemplare, invalidum eſt privilegiū ad inſtar; niſi in hoc aliquæ gratiæ ſpecificarentur; quoad illas enim, quarum fit expreſſa mentio, privilegium ad inſtar valet, cùm ſupponendum ſit Principem id velle, ut nempe favor illius aliquid operetur, ſecundùm quod poteſt. Adde privilegium exemplare non videri cauſam propriè dictam, ſed ſolùm requiri, ut qualitas & ſignificatio verborum privilegii ad inſtar determinatè ſciri poſſit: adeòque ſi in ipſo ſpeciales gratiæ per verba exprimantur, non relinquitur quoad illas aliqua dependentia ad privilegium exemplare. Vide *Suarez lib.8. c.15.* Cum privilegio ad inſtar ferè coincidit communicatio privilegiorum, de quâ *quæſt. ſeq.*

67. *Facultatum pro foro interno conceſſarum an vel quãdo ſit uſus extra Sacramentum Pœnitentiæ.*

Frequenter conceditur facultas abſolvendi à Cenſuris, diſpenſandi in votis &c. pro foro conſcientiæ tantùm ſeu pro foro interno: nam quàmvis poteſtas quæ datur pro foro externo ſeu contentioſo, etiam valeat pro interno, non tamen è contrà; ut ex plurimis Pontificum conceſſionibus eſt manifeſtum. Ejuſmodi autem privilegiis poſſunt privilegiati uti, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ; niſi contrarium ſatis exprimatur; ut ſi dicat Pontifex, *auditis confeſſionibus, injunctâ pœnitentiâ Sacramentali &c.* aut niſi privilegium per ſe ſupponat confeſſionem, ut poteſtas abſolvendi à caſibus reſervatis. Non ſufficit tamen, ſi dicatur: *Damus facultatem Confeſſori.* Immò nec ſi dicatur: in foro pœnitentiæ; ut cum aliis docet *Suarez l.8. c.6. n.14. & ſeqq.* etſi contrarium docuerit *To. 5. in 3. Partem diſp.7. ſect.5.* Aliud enim eſt forum pœnitentiæ, aliud forum pœnitentiæ ſacramentalis: nam etiam exercetur judicium pœnitentiale, quando aliquis v.g. à cenſurâ abſolvitur pro foro conſcientiæ, impoſitâ ſalutari pœnitentiâ aut ſatisfactione; etſi hoc fiat extra confeſſionem.

68. *Conceſſio privilegii contra jus commune non exigit clauſulam ejus derogatoriam.*

Circa conſequentia conceſſionem privilegii, ſeu Epilogum notandum eſt clauſulam addi ſolitam: *Non obſtantibus quibuſcumque*, nihil eſſentiale continere: nam eo ipſo quo Princeps concedit Privilegium contra jus, intrinſecè (ut ſic dicam) vult derogare juri communi, quod ipſe præſumitur non ignorare, præſertim cùm ſit regulare privilegio concedere aliquid contra jus; adeòque non eſt neceſſe clauſulam derogatoriam apponi: niſi jus commune expreſsè reſiſteret tali privilegio; tunc enim illa aut ſimilis clauſula poſſet eſſe neceſſaria.

69. De altera Quæſtionis parte non levis eſt inter Doctores controverſia, quam fuſè tractat *Suarez l. 8. c. 25.* allegans & refutans varias ſententias. Quibus omiſſis

Privilegium regulariter non ſortitur effectum, antequàm innoteſcat & acceptetur à privilegiato vel alio ejus nomine.

Reſp. I. Ordinariè privilegium non ſortiri ſuum effectum antequam innoteſcat & acceptetur à privilegiato, vel ejus nuntio ſeu procuratore. Ità Doctores paſſim. Ratio eſt: quia privilegium eſt veluti quædam donatio, quæ ordinariè ſaltem non valet antequam innoteſcat donatario ejuſque procuratori, & ab eo acceptetur. Deinde invito beneficium non datur *Reg. 69. ff. de Reg. juris:* expeditque, ut qui poteſt uti voluntate, non acquirat regulariter aliquid, niſi volens; adeòque privilegia cenſentur concedi, ut vim habeant poſtquam innotuerunt & ſunt acceptata, niſi verba aliud cogant. Cujuſmodi privilegium ſe nullum vidiſſe teſtatur *Suarez ſup. n.15.*

Secùs tamen fieri poſſet.

Nihilominus non videtur impoſſibile, ut privilegium habeat ſuum effectum antequam acceptetur aut innoteſcat: nam in concedente non videtur deeſſe poteſtas; adeòque ſi velit, poterit ita concedere. Confirmatur: quia per varia privilegia tantùm aufertur aliquod onus, v.g. obligatio ad pœnam &c. à quo non eſt ratio, cur ignorans, immò invitus, liberari nequeat. Unde in ſimilibus privilegiis non eſt abſolutè neceſſarius duorum conſenſus: & quàmvis requireretur, interpretativè cenſeri poſſet adeſſe, quando privilegium adfert favorem abſque gravamine conſcientiæ: cenſetur enim quilibet in talem favorem ſeu donationem ſibi factam, nemini oneroſam, conſentire, niſi poſitivè diſſentiat; quod moraliter non fit. Ideoque *Præpoſitus qu.97. d.4. nu.39.* probabile dicit in effectibus privativis, v. g. exemptione à pœna &c. etiam de facto privilegium ſortiri vim à tempore conceſſionis, antequam innoteſcat.

Signanter in iis quæ tantùm auferunt onus.

Immò fortè in his de facto ita fit.

70. *Acceptatum à procuratore non neceſſariò innoteſcit ipſi privilegiato in ordine ad effectum.*

Reſp. II. Non eſſe neceſſarium ad effectum privilegii, ut innoteſcat ipſimet Privilegiato: nam ſi quis ſimul committeret alteri, ut ejus nomine facultatem obtineat contrahendi cum conſanguinea abſente, & poſtquam obtinuerit, cum illa contrahat inſtar procuratoris, indubiè matrimonium eſſet validum & licitum, etſi facultas necdum innotuiſſet ipſi Privilegiato. Idem eſt de ſimilibus actibus, qui per alium poſſunt exerceri.

Etiamſi is ſit actus ab ipſomet exercendus.

Immo ſecundùm *Sanchez l.4. Summæ c. 48. num.9. Bonacina* & plures alios contra *Suarez, Vaſquez* & alios, privilegium obtinet valorem à tempore acceptationis factæ per Procuratorem, etiam reſpectu actûs per ipſum Privilegiatum exercendi: ad omnem enim conceſſionem, donationem &c. ſufficit intervenire conſenſum duorum, habentque illæ effectum ſuum à tempore acceptationis factæ per Procuratorem: ergo idem eſt de Privilegio.

71. *Varia Corollaria.*

Hinc validum eſſet matrimonium contractum poſt diſpenſationem Romæ ſimpliciter factam, & à Procuratore acceptatam, etſi contrahentibus id per litteras, aut nuntium determinatè necdum innotuiſſet. Item valida eſt confeſſio facta Sacerdoti poſt datam ab Epiſcopo & acceptatam à Procura-

Procuratore facultatem, ſi Sacerdos id ignorans intendat abſolvere quantùm poteſt. Similiter invalida eſt etiam juxta *Vaſquez* excommunicatio lata in eum qui excommunicari non poteſt per privilegium, poſtquam illud à nuntio fuerit acceptatum, etſi ex erronea conſcientia malè ageret non ſervando excōmunicationem quouſque privilegium ei conſtaret. Quod multò magìs verum eſt quando privilegium eſt acceptatum à Religione, etſi particularis aliquis id ignoret. Unde valeret abſolutio data ab eo, qui non ſcit caſum aliquem eſſe reſervatum, aut ſi ſciat exiſtimat ſe habere in illum poteſtatem, tamen ex falſo fundamento, modo reverà equidem ſubſit aliquod privilegium datum Religioni circa talem caſum: quia voluntatem habuit generalem abſolvendi, & privilegiis Ordinis utendi. Unde tunc locum habet communis regula: *Si non valet hoc quod ago prout ago, valeat ut valere poteſt.*

72. *Vtens diſpenſatione, quam neſcit, ſicut cujus non recordatur, validè agit, ſed ratione conſcientiæ illicitè.*

Nec refert, quòd Superior diſpenſet v. g. in impedimentis matrimonii, ut illud poſſit contrahi tutâ conſcientiâ. Reſp. enim ipſum diſpenſare abſolutè juxta naturam diſpenſationis, aliarumque donationum, ut nempe actus fiat validè, & concurrentibus aliis conditionibus, ſcilicet conſcientiâ non erroneâ, etiam licitè: quamquam ignorans diſpenſationem eſſe acceptatam peccet, non quidem contra legem quæ ſublata eſt, ſed contra conſcientiam: ſicut is qui eſſet immemor ſeu oblitus diſpenſationis ſecum factæ. Sicut etiam donatio à tempore acceptationis factæ per nuntium valida eſt jure divino naturali, actuſque ſimiliter poſtea facti; etſi contra conſcientiam peccet, qui ignarus acceptationis factæ tentaret res ſibi donatas alienare.

QUÆSTIO VI.

De Communicatione & Confirmatione Privilegiorum, præſertim Regularibus conceſſorum.

73. *Quid communicatio privilegiorum.*

COMMUNICATIO Privilegiorum apud Religiones eſt uſitata, & conſiſtit in extenſione quadam ſeu multiplicatione privilegii, per quam fit, ut jus uni Religioni conceſſum, etiam alteri concedatur.

Convenit Religionibus Mendicantium, & plurimis aliis,

Religioſi mendicantes habent pleniſſimam inter ſe communicationem privilegiorum; immo etiam communicant privilegiis conceſſis aliis Ordinibus non mendicantibus. Variæ etiam Religiones non mendicantes ſimili communicatione gaudent. Vide *Rodriguez To.1. qq. Reg. q.55.*

Signanter tribus Ordinibus S. Franciſci.

Pro Ordine Minorum notanda eſt ampliſſima conceſſio Clementis VII. Bullâ 2. in qua motu proprio & ex certa ſcientia tribus Ordinibus S. Franciſci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias, & alia quæcumque privilegia conceſſa & concedenda aliis quibuſcumque Ordinibus, tam mendicantibus, quàm non mendicantibus, perinde ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent. Quæ Bulla confirmata eſt à Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & aliis Pontificibus.

74. *Quibus etiam communicātur privilegia Societatis Ieſu.*

Unde præfati etiam communicant in privilegiis Societatis Jeſu: quàmvis enim Clemens VII. tantùm videatur loqui de privilegiis Ordinum qui tunc erant, Societas autem tunc nondum foret à Sede Apoſtolica approbata: poſteriores tamen Pontifices (quorum tempore Societas erat inſtituta) approbarunt & de novo conceſſerunt privilegia Ordini Minorum, ac ſi tenor ipſorum privilegiorum foret Litteris Apoſtolicis inſertus, adeòque de novo conceſſerunt communicationem cum omnibus Ordinibus, etiam Societate, quæ tunc erat Ordo approbatus. Deinde Gregorius XIV. expreſsè conceſſit Religioni Ciſtercienſium & Crucigerorum communicationem privilegiorum Societatis; adeòque Fratres Minores & alii mendicantes, qui communicant in omnibus conceſſionibus factis & faciendis Religionibus præfatis, etiam communicant in prædicta conceſſione, & conſequenter in privilegiis Societatis.

75. *Exceptis ſaltem prohibitivis communicationis;*

Aliud eſt juxta *Suarez l.8.c.17. ſub finem, Tortel V. communicatio privilegiorum n. 5.* de Privilegiis conceſſis Societati cum expreſſa conditione, ut aliis Ordinibus non communicentur: nam generali communicatione videtur omnino Pontifex velle in ſpeciali caſu per ſimilem clauſulam derogare, ac ſucceſſores Pontifices communicando privilegia ſine limitatione, & in generalibus terminis non volunt derogare conceſſioni particulari non expreſſæ. Oppoſitum nihilominus aſſerit *Rodriguez ſup. a.17. verſ. At circa hunc*, & alii. Quorum Opinio roborari poſſet ex eo, quòd Gregorius XIV. Bullâ *Romanus Pontifex* 3. in Bullario *Rodriguez*, privilegia Congregationi reformatæ S. Bernardi ac Ordini Ciſtercienſi conceſſa confirmans ex certa ſcientia, privilegia quibuſcumque Ordinibus ac Religionibus earumque congregationibus ac quibuſvis Regularibus Perſonis quomodolibet conceſſa, eidem Congregationi communicet *aquè & pariformiter abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi ea omnia illis & eorum ſingulis principaliter & expreſſè, & non ad inſtar conceſſa fuiſſent, ac ſi in eis talis Ordo & Congregatio S. Bernardi illiuſq; perſonæ primò expreſſa, & prænominata fuiſſent, ac ſi pro & in favorem eorumdem à Sede Apoſtolica à principio emanaſſent, & fuiſſent immediatè conceſſa .... Non obſtantibus privilegiis ſub quibuſcumque tenoribus obtentis, ac cum qui-*

Quin immo ne his quidem exceptis juxta varios DD.

buſvis, etiam annullativis, mentis atteſtativis, & etiam communicationis prohibitivis, aliiſq; efficacioribus & inſolitis clauſulis. Ex quo videtur deſumi poſſe, quòd cùm Ordines Mendicantium per communicationem fruantur præfatâ conceſſione, utpote quæ caret clauſulâ communicationis prohibitivâ, conſequenter etiam fruantur privilegiis Societatis, etſi alioquin ex primæva conceſſione communicationem excludentibus. Pontifices enim nec poſſunt nec volunt ligare Succeſſoribus manus, quò minùs ampliare valeant, quod alii reſtrinxerunt.

76. *Quibus in privilegiis participent Tertiarii ſæculares.*

Adverte Tertiarios utriuſque ſexûs, ſive conjugatos ſive non conjugatos, viventes in privatis domibus, non gaudere privilegiis Fratrum Minorum quoad exemptionem à decimis, tributis, poteſtate Ordinarii, ſive Eccleſiaſtici ſive laici, ſed illos ſolùm, quibus competunt conditiones requiſitæ à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Ceteris tamen privilegiis, quæ non ſunt ſublata per Concilium Lateranenſe, ut ſunt merè ſpiritualia, gaudere poſſunt. Ad quod facit quòd Sixtus IV. in Mari magno Carmelitarum *Bullâ* 37. in Bullario *Rodriguez* extendat indulta & favores tam ſpirituales quàm temporales ad Tertiarios Carmelitarum etiam conjugatos utriuſque ſexûs, ſpecificans *n.*84. etiam indulgentias.

Conformiter Clemens VII. *Bullâ* 5. *apud Rodriguez* Tertiariis quibuſcumque Ordinis noſtri communicat omnia privilegia, favores & indulgentias Ordinis Minorum, Prædicatorum, Clariſſarum, aliorumque Ordinum mendicantium. Vide *Hieronymum Rodriguez Reſol.* 116. *n.* 40. & *Reſol.* 136. *n.* 1.

77. *Quæ reſtrictio ſubintelligatur in communicatione privilegiorum.*

Circa communicationem privilegiorum ſciendum in primis eſt, ſubintelligi in illa, etſi non exprimatur, quod tamen frequenter exprimitur, *Dummodo privilegia regulari obſervantiæ non ſint contraria*; hanc enim non præſumitur Papa velle relaxare, niſi quando id, cauſâ cognitâ & urgente, expreſsè declarat. Nec talis conditio tantùm ſubintelligitur in privilegii communicatione, ſed etiam in prima illius conceſſione. Hinc privilegia alicui Religioni conceſſa non communicantur alteri, in cujus malum aut relaxationem cederent.

78. *Reſtrictiones coarctantes privilegium communicantur.*

Sciendum II. in privilegiis ſubinde addi quaſdam reſtrictiones ad coarctandum ipſum favorem, & hæ ſine dubio communicantur aliis, qui in privilegiis communicant; cùm non communicent majorem favorem, quàm ſit datus in principali conceſſione. Sic quando datur privilegium Familiaribus Fratrum Minorum, ſed degentibus dumtaxat intrà ſepta Monaſterii, communicatur aliis Ordinibus cum eadem reſtrictione. Item privilegia conceſſa in feſtivitatibus Sanctorum Ordinis Minorum communicantur Ordini Prædicatorum cum ſimili reſtrictione.

Quâ proportione, ex declaratione Julii II.

Et quidem Julius II. *Bullâ* 18. apud *Rodriguez* declarat reſtrictionem cum proportione eſſe accommodandam, adeò ut conceſſa Magiſtro Generali Prædicatorum cenſeatur conceſſa Miniſtro ſeu Vicario Generali Ordinis Minorum, & contrà: ſimilem item proportionem inſtituendam eſſe Provincialis ad Provincialem, Prælati aut Vicarii loci ad Prælatum aut Vicarium loci, item Congregationis Ordinis unius ad Congregationem Ordinis alterius, Fratrum privatorum ad Fratres privatos, ac denique Feſtivitatum ad Feſtivitates.

79. *An & qualiter locum habeat communicatio Indulgentiarum.*

Unde colligit *Rodriguez To.*1.*q.*55.*a.*20. indulgentias plenarias conceſſas Eccleſiis Fratrum Minorum in Feſtivitatibus SS. Franciſci, Antonii &c. cenſeri conceſſas Eccleſiis Fratrum Prædicatorum pro Feſtivitatibus SS. Dominici, Thomæ de Aquino &c. Et contrà: quàmvis Feſtivitates utriuſque Ordinis ſint in impari numero. Idipſum tradit *Hieronymus Rodriguez*, & noviſſimè *Marchant in Reſolutionibus caſuum caſu* 15. Eſtque notiſſimum in praxi, præſertim hîc in Belgio. Immo eſt clariſſimum ex Bullis Pontificum, in quibus conceditur communicatio privilegiorum, & nominatim exprimuntur Indulgentiæ ac peccatorum remiſſiones; prout exprimit Sixtus IV. *Bullâ* 33. (quæ eſt Mare magnum Prædicatorum) *nu.* 52. & Julius II. *Bullâ* 19. & Leo X. *Bullâ* 30. & Adrianus VI. *Bullâ* 4. & Clemens VII. *Bullâ* 2. & Pius V. *Bullâ* 5. Intellige cum proportione reſpectivâ juxta Declarationem Julii II. *Bullâ* 18. *cit. n. præc.* Ut proinde non ſatis mirari poſſim adeò peregrinum in privilegiis Regularium eſſe *Antoninum Diana*, virum alioquin in quavis praxi familiarem & doctiſſimum, ut *Parte* 9. *Tr.* 2. *Reſol.* 20. præfatam opinionem dicat prorſus rejiciendam, & abhorrentem eſſe à praxi, admirabundus interrogans: *Quis igitur umquam cogitavit, quòd virtute Jubilæi* (id eſt, plenariæ Indulgentiæ) *conceſſi in die S. Bonaventuræ lucrentur Fideles illud in die S. Hyacinthi* (vel potiùs S. Thomæ Aquinatis) *in Ordine Prædicatorum?*

80. *Reſtrictio addita vel ſubintellecta in omnibus privilegiis Societatis non eo ipſo communicatur ceteris Ordinibus.*

Subinde autem additur reſtrictio non ad reſtringendum favorem, ſed potiùs ad concedendum favorem ſpeciali inſtituto. Prout ex Declaratione Gregorii XIII. conceduntur Societati Jeſu privilegia cum hac reſtrictione, ut ſinguli Religioſi eis uti non poſſint, niſi à Præpoſito Generali, vel alio per ipſum deputato eis communicentur. Hæc tamen reſtrictio non communicatur aliis Religionibus, in quibus ratio iſtius reſtrictionis locum non habet: ideoque ſicut conceſſionibus ſibi principaliter factis, ſic etiam factis Societati per communicationem fruuntur abſque tali reſtrictione. E contrà autem Clerici Societatis, ſicut privilegiis principaliter

Societati

Societati conceſſis, ſic etiam aliis conceſſis per communicationem non gaudent, niſi cum præfata reſtrictione. Deinde (ut ait *Suarez l.8. c.17. n.6.*) reſtrictio iſta fuit addita per ſpecialem Declarationem Gregorii XIII. poſtquam privilegia abſolutè Societati erant conceſſa, nec proinde reſtringit modum utendi privilegiis, niſi quoad Societatem iſtam: communicatio autem Religionibus facta eſt de ſolis privilegiis & gratiis, non autem de hujuſmodi Declarationibus. Interdum tamen additur iſta reſtrictio ad coarctandum ob ſpecialem cauſam & conditionem privilegii, & tunc ipſa communicatur ceteris Religionibus; ut patet in privilegio exequendi litteras S. Pœnitentiariæ conceſſo Generali Societatis & per ipſum ſpecialiter deputandis.

81. *Pœna non communicantur.* Sciendum III. Religioſos communicantes in privilegiis, non cōmunicare in pœnis & prohibitionibus alterius Ordinis. Unde ſi in una Religione lata ſit excommunicatio Papalis contra ſubornatores, hæc non extenditur ad alias Religiones: quia non eſt privilegium aut favor, ſed pœna, odia autem ſunt reſtringenda, favores verò ampliandi. Ita *Portel. ſup. n.10.* & alii.

82. *Privilegiū fit communicanti proprium, eoq; ſe tuetur contra primò privilegiatum.* Sciendum IV. Cùm per communicationem fiat privilegium Religioni communicanti ita proprium & ſpeciale, ac ſi primò ei fuiſſet conceſſum, poſſe illam ſe tueri per privilegium cōmunicatum contra aliam Religionem, cui illud primò fuerat conceſſum. Sic Fratribus Minoribus conceſſum eſt privilegium, nè juxta ſuum Monaſterium intrà ſpatium trecentarum cannarum, quarum unaquæque habet octo palmos in longitudine, poſſit ædificari aliud Monaſterium alterius Ordinis in paupertate viventis, cui privilegio Fratres Prædicatores communicant; qui proinde per illud poſſent ſe defendere contra Fratres Minores, ſi hi intrà præfatum ſpatium niterentur ædificare Conventum juxta Monaſterium Fratrum Prædicatorum. Simile quid cernitur in quibuſlibet pariter privilegiatis: ſi enim duæ Religiones habeant privilegium, nè aliquis poſt profeſſionem poſſit tranſire ad aliam Religionem, poteſt utraque Religio ſuos impedire, nè ad aliam Religionem tranſeant.

83. *Confirmatio in forma communi qua ſit, & quam vim habeat.* Confirmatio privilegii (à qua vix aut ſolo nomine differt privilegii innovatio) eſt duplex. Una in forma communi, quâ confirmatur privilegium in confuſo ſicut jacet ſine examine. Hæc non habet vim revalidandi privilegium, ſed tantùm deſignat promptiorem voluntatem confirmandi ſeu roborandi validum, quod abſque ulteriori examine ſimpliciter proponitur velut antea conceſſum. Colligitur idem ex c. *Examinata, de Confirm. utili*, & c. *Quia diverſitatem, de Conceſſ. prebenda.*

Altera dicitur Confirmatio ex certa ſcientia, in qua declaratur Principem proceſſiſſe ex plena notitia prioris privilegii. Ut ſi addatur clauſula: *Ex certa ſcientia*, vel *de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ*, vel *non obſtante contrario quo privilegium erat revocatum.* Inſuper ſi tenor privilegii confirmati inſeratur litteris Confirmationis, aut Princeps dicat ſe confirmare *ac ſi tenor illius de verbo ad verbum eſſet inſertus.* Habet hæc Confirmatio vim novæ conceſſionis, ut Plurimi docent. Nam ſi privilegium ob non uſum aut revocationem fuerit invalidum, per ejuſmodi confirmationem revalidatur & priſtino vigori reſtituitur: niſi tamen Princeps in confirmatione privilegii exprimeret contrarium: ſi enim diceret Pontifex: *Confirmamus ex certa ſcientia privilegia Prædicatorum quatenus ſunt in uſu*, tantùm confirmaret privilegia quæ valent, & non ſunt per uſum contrarium ſublata. Similiter tantùm confirmat valida, quando addit particulam: *quatenus non ſunt revocata, aut ſub ullis revocationibus comprehenſa.* *Quid confirmatio ex certa ſcientia, & quam vim habeat.*

Privilegia Fratrum Minorum ſunt à plurimis Pontificibus ante & poſt Concilium Tridentinum confirmata ex certa ſcientia ac de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis: videlicet à Paulo II. Sixto IV. Clemente VII. Julio III. Paulo IV. Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. Et quàmvis *Portel* V. *Privilegiorum confirmatio n.30.* referat in Bulla Pauli V. quæ incipit *Injunctis nobis*, non haberi clauſulam, *ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis*; aperiſſimè tamen continetur in exemplari Romæ anno 1607. in Typographia Cameræ Apoſtolicæ impreſſo, & manu Sigilloque Miniſtri Generalis tunc exiſtentis authenticato, ut ipſe vidi. In eadem Bulla additur clauſula, *quatenus ſunt in uſu*, à qua hunc Pontificem abſtinuiſſe ait *Portel*, etiam errans in data, cùm Bulla edita ſit anno præfato 19. Julii, ipſe autem ponat annum 1609. niſi fortè ſit adhuc alia Bulla, de qua *Portel* tractat. Confirmationes tamen Concilio Tridentino poſteriores addunt clauſulam: *In his quæ non adverſantur Decretis Concilii Tridentini.* Addit inſuper Gregorius XIII. *quatenus ſunt in uſu.* Quam tamen limitationem Sixtus V. & Clemens VIII. omiſerunt. Illa autem privilegia cenſentur eſſe in uſu, quæ contrariâ conſuetudine tempore legitimo (quod *quæſt.8.* determinabitur) non ſunt abrogata. Aliæ ſimiliter Religiones ſuorum privilegiorum habent confirmationes; ſignanter Societas Jeſu à Gregorio XIII. *Bullâ 26.* in Bullario *Rodriguez*; idque non additâ clauſulâ quatenus Tridentino non ſunt contraria. Et generaliter privilegia Ordinum Mendicantium confirmavit Pius V. Bullâ, *Etſi Mendicantium Ordines.* Cui hac in parte non 84. *Privilegia Franciſcanorum qualiter & à quibus ſint confirmata.*

non derogat Conſtitutio Gregorii XIII. *In tanta negotiorum mole.* Tum quia per hanc Bulla Piana ſolùm reducitur ad terminos Juris communis & Concilii Tridentini: quare nec derogat Pontificiis & meris declarationibus Tridentini (quod eſt valde notandum in certis materiis) Tum quia Conſtitutionem Gregorianam non fuiſſe publicatam, teſtis eſt *Navarrus* tunc Romæ exiſtens, & poſt ipſum *Henriquez* & plures alii apud *Baſſæum* v. *Miſſa VIII. n. 9.* & *in Supplem.* v. *Prædicatio n. 5.*

85. *Explicatur clauſula:* Dummodo non ſunt contraria decretis Tridentini.

Dubitari autem poſſet circa intellectum clauſulæ, *in his quæ non adverſantur Decretis Concilii Tridentini*; de quibus privilegiis ſit intelligenda? Reſpondetur autem non intelligi de omnibus privilegiis quovis modo etiam materialiter Tridentino contrariis, ſed quæ formaliter contrariantur, ita videlicet ut expreſsè à Concilio revocentur per clauſulam *non obſtantibus privilegiis*: hæc enim ſola ſunt ei ſimpliciter contraria: quæ autem non revocantur, tacitè ab illo confirmantur; cùm generales locutiones univerſalium Canonum & Legum contineant tacitam exceptionem privilegiorum ſpecialium, quibus expreſsè non derogant, juxta certam ac receptiſſimam regulam: *Generi per ſpeciem derogatur*. Unde poſteriores Pontifices, qui per præfatam clauſulam non intendunt excludere privilegia, niſi quæ ipſum Tridentinum excludit, tantùm loquuntur de privilegiis quibus per ipſum Tridentinum derogatur.

86. *Satisfit objectioni ex Tridentino deſumpta.*

Nec obſtat quòd Concilium *Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 22. de Regularibus* alloquens Religioſos dicat: *Omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſervari ſancta Synodus præcipit, non obſtantibus privilegiis ſub quibuſcumque verborum formulis conceptis*: nam loquitur Concilium de decretis iſtius Seſſionis 25. *de Regularibus* ut ſatis indicat contextus, aliæque circumſtantiæ. Imponit enim coronidem ſeſſioni dicens: *Hæc omnia & ſingula in ſuperioribus decretis* (non ait, Seſſionibus) *contenta* &c. Quòd ſi etiam alia fuiſſet Concilii mens, ſtatuiſſet derogationem ad calcem totius Concilii ſeu Ordinationum omnium. Unde in decretis aliarum ſeſſionum aliquando expreſsè derogat privilegiis (quæ ſummariè exprimit *Rodriguez To. 1. q. 8. a. 8.*) aliquando non. Hinc extat declaratio Cardinalium ad *Cap. 8. Seſſionis 23. de Reform.* quâ declaratur privilegium ſuſcipiendi Ordines extra tempora, quale habent Ordines Mendicantes per decretum iſtius capitis, non eſſe ſublatum. Quod *Averſa qu. 3. de Sacram. Ordinis ſect. 9. §. qui verò* teſtatur pro ſua Religione Clericorum regularium minorum (cujus fuit Generalis) ſæpiùs in pluribus diœceſibus & in ipſa Romana Urbe ſervatum. Idemque conſequenter ob eamdem rationem plures tradunt de privilegio non ſervandi interſtitia, etiam ſecluſis (quæ Variis non deſunt) privilegiis Tridentino poſterioribus; de quo tamen in materia de Sacramento Ordinis.

QUÆSTIO VII.

De Interpretatione Privilegiorum.

QUAMVIS authentica privilegiorum interpretatio ad Principem pertineat, 87.
eique in variis indultis & conceſſionibus *Penes quos*
reſervetur, doctrinalis tamen interpreta- *ſit privile-*
tio fieri poteſt à Theologis & doctis vi- *giorum in-*
ris. *terpretatio.*

Et Regularium privilegia præſertim doctrinaliter interpretari poſſunt Prælati Religioſorum, quorũ interpretationi poſſunt ſubditi tutâ conſcientiâ acquieſcere. Immo Prælati Generales etiam juridicè auctoritate Apoſtolicâ ea poſſunt explicare in rebus dubiis, eatenus ut ſubditi teneantur acquieſcere in iis quæ ad conſcientiarum ſuarum ſerenitatem ſpectant ex conceſſione Julii II. factâ Generali Prædicatorum Bullâ *Conſiderantes 17.* in Bullario *Rodriguez*. Prælatis tamen Eccleſiæ inhibetur interpretatio privilegiorum Regularium ex conceſſione Clementis IV. factâ Prædicatoribus & Minoribus, & Pauli III. factâ Societati Jeſu. Et meritò; ne cognoſcant de propria cauſa, & in ea ſint judices. In favorem tamen non prohibentur privilegia doctrinaliter explicare: quo modo in favorem interpretanda eſſe Regularium privilegia; quando dubium exoritur ex ambiguitate verborum, aut interpretatione Juriſperitorum varii Pontifices conceſſerunt; ut refert *Rodriguez To. 1. qu. 11. a. 6. ℣. Decima Regula.*

Dubio exoriente ſunt in favorem Regulariũ explicanda.

88. *In apertis ſervandus privilegii tenor.*

Eſt autem generaliter obſervandum ex *Suarez l. 8. c. 29. n. 18.* quando verba privilegii ſunt ſatis clara & certam habent ſignificationem, nullam adhibendam eſſe interpretationem, ſed tenorem privilegii eſſe obſervandum juxta c. *Recepimus*, & c. *Porrò, de Privilegiis.* Quando verò eſt aliqua ambiguitas, ad mentem concedentis potiſſimùm eſt reſpiciendum: quæ poteſt colligi ex variis circumſtantiis & conjecturis; ſpecialiter autem primò ex conſuetudine, quæ ſicut in legibus, ſic & in privilegiis mentem principis rectè indicat, immo etiam ſenſum ſpecialem inducere poſſet. Secundò ex ſupplicatis: nam concedens præſumitur ſe conformare menti ſupplicantis, niſi contrarium conſtet. Tertiò attendi debent motiva conceſſionis, materia ſubjecta, privilegia ſimilia &c. Denique verborum tenor, circa quem eſt regulariter retinenda uſitata verborum ſignificatio, ſpectato etiam ſtylo concedentis: nam privilegia non debent plùs operari, quàm ſonant; uti etiam non debent

In dubiis quæ ſint attendenda.

minùs

minùs operari. Unde niſi neceſſitas cogat (ut ſi alioquin privilegium eſſet illuſorium aut inutile) vel niſi de contraria intentione concedentis conſtet, non debet excedi proprietas verborum: quamquam intrà illam reſtringenda ſint privilegia, quæ omnibus ſpectatis ſunt odioſa, & ampliari debeant, quæ cenſenda ſunt favorabilia. Hinc

89. *Privilegia contra ius commune quando reſtringenda, quãdo non.* Sequitur I. Privilegium derogans Juri communi, utpote ex hac parte odioſum, ceteris paribus eſſe reſtringendum: niſi tamen favor ſit tam pius & neceſſarius, ut non obſtãte derogatione juris privilegium ſit ampliandum; ut contingit in privilegio exemptionis Eccleſiaſticorum à temporali juriſdictione, ac Regularium à juriſdictione Ordinariorum, item in aliis quæ multùm conducunt ad bonum publicum aut Religionis. Unde generaliter Paulus IV. *Bulla* 1. in Bullario *Rodriguez* confirmans omnia privilegia trium Ordinum S. Franciſci ex certa ſcientia, eadem concedit *pro potiori cautela, etiam juxta ampliorem & favorabilem eorum intelligentiam & interpretationem.*

Solet etiam communiter addi limitatio ut non procedat regula reſtrictionis, quando privilegium eſt conceſſum motu proprio: tunc enim cenſetur proprium beneficium Principis, quod in dubio potiùs eſt extendendum. Excipiuntur etiam privilegia Juri communi inſerta, quæ cenſentur Jus commune ac regulas illius ſequi. Ita *Suarez l.8.cap.27.n.8.* Si denique cum æquali derogatione juris poſſit privilegium ampliari, ampliandum eſt: quia favor eſt ampliandus, ubi id fieri poteſt ſine ampliatione odii.

90. *Præjudicantia juri quæſitò tertii ſunt reſtringenda.* Sequitur II. reſtringendum privilegium præjudicans tertiò in jure acquiſito, quod Princeps non cenſetur auferre, niſi quantùm ſatis clarè exprimit, quantumvis motu proprio concedat. Vide *Suarez ſup. n.9.* An autem privilegia Regularium quoad adminiſtrationem Sacramentorum & alia cenſeri debeant jura quæſita, diſcutiunt Nonnulli, & affirmant quòd ſic; ſententiâ quidem *Baſſæi in Supplem.* V. *Privilegium n.* 13. non improbabiliter.

Sequitur III. Facultatem diſpenſandi illimitatè conceſſam eſſe latè interpretandam: quia eſt favor principis, quo poteſtatem ſuam aliis communicat; quamquam odioſa ſit diſpenſatio, quæ eſt remotus ac primariò non intentus effectus ſimilis conceſſionis. Si tamen committatur alicui facultas diſpenſandi circa certam perſonam, aut ipſis perſonis diſpenſandis directè concedatur facultas eligendi aliquem qui ſecum diſpenſet, ſtrictam recipit interpretationem, ſicut ipſa diſpenſatio; cùm moraliter cenſeatur diſpenſatio ex parte Principis jam facta, & tantùm executio alteri demandari, niſi tamen cauſæ pietas aut bonum publicum ſuadeat ampliationem, ut contingit in facultatibus Jubilæi & Cruciatæ.

Sequitur IV. Privilegium non eſſe extendendum ad ſimiles caſus, etſi ſit par, immo potior ratio. Unde non debet extendi ad alias perſonas vel actus, v.g. privilegium conceſſum Patri non extenditur ad proles, nec privilegium mariti ad uxorem, niſi quòd participet illius nobilitatem, uti & proles; ſimiliter participet privilegium conceſſum bonis mariti, quoad bona ſua, quæ ſunt ipſi & marito communia. Item ſi privilegium datum ſit providendi primam præbendam vacaturam per obitum, non extenditur ad illam, quæ vacabit per reſignationem aut ceſſationem. 91. *Privilegia non ſunt ob paritatem extendenda ad ſimiles caſus.*

Hinc ſtatui poteſt Regula generalis, privilegium nempe cenſeri ſolùm conceſſum iis perſonis vel rebus, quæ ſunt in privilegio expreſſæ, vel in eo includuntur aut comprehenduntur, ſive ob ſignificationem vocis, ſive ob materiæ aut actionis connexionem, ſive ob juris diſpoſitionem. Unde *Pro quo ſtatuitur Regula generalis.*

Sequitur V. Facultatem ſuſcipiendi Sacerdotium extendi ad Ordines inferiores. Item juxta *Sanchez*, *Rodriguez* & alios, privilegium condendi teſtamentum extendi ad Codicillum, ſimplicem donationem causâ mortis, atque etiam reſciſſo primo teſtamento extendi ad ſecundum. Eodem modo juxta varios Doctores diſpenſatus ad comedendum carnes, cenſetur habere licentiam comedendi ova & lacticinia, quæ ſementinam originem à carnibus trahunt. 92. *Varii caſus in quibus extẽſio quædam privilegii locum habet.*

Sequitur VI. Privilegium conceſſum Religioſis extendi ad Moniales, conceſſum filiis ad filias, conceſſum fratribus ad ſorores: nam hæ cenſentur nomine illorum comprehendi, niſi contrarium ſignificetur; ut ſi dicatur, *Viris Religioſis*, *filiis maſculis* &c.

Sequitur VII. Privilegium conceſſum Sacerdoti, ut celebret tempore interdicti, extendi ad miniſtrum Miſſæ: & conceſſum ad audiendum divina officia eodem tempore interdicti, extendi ad honeſtum comitatum juxta conditionem ſui ſtatûs. Quod Aliqui non improbabiliter ampliant ad omnes domeſticos ſeu familiares, propter c. *Licet*, *de Privilegiis in* 6. Immo ſecundùm *Suarez l.8. c.11. n.7.* privilegium conceſſum alicui, ut in privata recitatione horarum, poſſit prævenire tempus, poteſt extendi ad ſocium.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Ceſſatione ſeu interitu Privilegii.

93.
Privilegiū reale deſtruitur deſtructâ re.

EX dictis *quæſt.*4. facilè patet, quomodo deſinat privilegium reale per rei deſtructionem, & quid ad hoc requiratur. Satis etiam per ſe patet, quomodo deſinat privilegium quod datur aliquibus ob connexionem cum aliis: deſinit enim deſinente iſtâ cōnexione, v.g. Novitius ſi egrediatur, perdit privilegiū cōceſſum Religioſi, & acceſſoriè Novitiis. Item privilegium datum familiaribus Ordinis perdit, qui deſinit Ordini tamquam domeſticus inſervire: & conceſſum ratione dignitatis perdit, qui dignitatem dimittit, vel eâ privatur: & in genere, qui privatur conditione in aliquo privilegio requiſitâ, amittit illud. Inſuper privilegium conceſſum ad certum tempus aut actum, perit elapſo tempore aut abſoluto actu. Similiter privilegium perſonale perit mortuâ perſonâ privilegiatâ.

Datum ob certam connexionem ceſſat hâc ceſſante.

Temporale ceſſat finito tempore vel actu.

Perſonale, mortuo privilegiato.

94. Majori indigent explicatione reliqui modi, quibus deſinit privilegium. Nam primò videri poſſet deſinere per mortem concedentis: ſub qua etiam intelligitur abdicatio officii. Nihilominus oppoſitum eſt certum & communiter docetur: quia donatio & gratia ſimpliciter facta & acceptata non pendet in conſervari ab influxu donantis aut concedentis. Patet etiam ex c. *Si ſuper gratia, de Off. Judicis deleg. in 6.* Idque verum eſt, etſi rēs adhuc ſit integra, ſeu privilegium necdum ceptum ſit deduci in uſum, nam equidem eſt gratia abſolutè facta. Unde à fortiori Confeſſarii Regulares ſemel à Provinciali deputati ad diſpenſandum v.g. cum inceſtuoſis ad petendum debitum, non indigent ulteriori deputatione Succeſſoris; præſertim cùm licentiam ſeu privilegium diſpenſandi non det Provincialis, ſed ipſe Papa, etſi iis dumtaxat, qui fuerint à Provinciali deputati.

Privilegiū non ceſſat morte vel amotione concedentis ab Officio.

Aliud eſt, ſi privilegium non detur ſimpliciter, ſed cum aliqua conditione illud reſtringēte ad vitam aut durationem officii, vel ſoleat ex conſuetudine aut ſpecialibus ordinationibus ita intelligi. Prout idcirco interdum ex uſu vel ſtatutis facultates à Prælatis provincialibus conceſſæ ſubditorum ſuorum Confeſſariis ſuper caſus reſervatos indigent renovatione faciendâ per Succeſſorem.

Niſi conceſſio fuerit reſtricta ad vitam aut officium.

95. Unde facultas audiendi confeſſiones, abſolvendi à caſibus Papalibus &c. Ordini, immo privatæ perſonæ conceſſa abſque limitatione, aut ſub conditione quæ per mortem cōcedentis non extinguitur, perſeverat mortuo concedente; ut ſi dicatur: *Ad beneplacitum Sedis, uſque ad revocationem noſtram &c.* Secùs eſt, ſi dicatur: *Donec vixero, tempore officii mei &c.* Idem etiam eſt juxta varios Doctores ſi dicatur: *uſque ad beneplacitum meum*: per mortem enim ceſſat beneplacitum. Aliquibus tamen videtur ſic loquentem communi uſu intendere idem, ac ſi diceret: *Donec revocavero aut aliter ordinavero.*

Quod particulariùs declaratur.

Immo ſicut juxta ſententiam plurimorum (de qua in materia de Contractibus) poſſunt ceteræ donationes poſt mortem donantis acceptari, ſic conſequenter etiam poſſet acceptari privilegium poſt mortem concedentis: ex parte enim illius gratia eſt abſolutè facta; adeòque non expirat per mortem, juxta c. *Si ſuper gratia cit.* & per conſequens non eſt ratio, cur nequeat poſt mortem acceptari, ſi donationes ſaltem ſic acceptari queant.

An poſſit acceptari poſt mortem concedentis.

Signanter autem dixi: *gratiam abſolutè factam non expirare per mortem concedentis*: ſi enim adhuc ſit facienda ab altero, cui facultas committitur, in favorem determinatæ perſonæ, expirat. Idem eſt juxta probabilem multorum ſententiam, ſi detur mandatum diſpenſandi, ut fieri ſolet in diſpenſationibus matrimonialibus, quæ committuntur Ordinariis pro foro externo, Confeſſariis pro interno, faciendæ ab eis, ſi preces veritate nitantur. Sed contrarium non eſt improbabile: moraliter enim cenſetur gratia ex parte Pontificis eſſe facta; & diſpenſandus acquiſivit jus ad diſpenſationem, eò quòd executor non ſit voluntarius, ſed diſpenſare teneatur, ſi preces veritate nitantur. Immo aliqui exiſtimant idem dicendū in priori caſu, quando executor eſt voluntarius, ſeu quando tantùm datur poteſtas diſpenſandi v.g. cum aliqua determinata perſona: nam eo ipſo factus eſt iſti perſonæ favor, ſcilicet licentia, ut ei conferatur diſpenſatio: favor autem ſeu gratia non expirat morte concedentis. Quemadmodum non expirat licentia data ad eligendum Confeſſorem, qui abſolvat, etſi finalem gratiam Confeſſor necdum ſit executus. 96.

An mandatum diſpenſandi expiret morte mandantis.

Ad *L. Inter cauſas 26. ff. Mandati* in qua habetur, *Mandatoris morte ſolvi mandatum*, dici poteſt eam intelligi de mādato juriſdictionis litigioſæ ſeu contentioſæ, quod expirat morte mandantis, non autē de mandato gratiæ. Quo modo etiam ſpeciale eſt juriſdictioni contentioſæ, quæ alicui delegatur, quòd re integrâ ſeu nondum inchoatâ, expiret morte concedentis: ſecùs tamen eſt de ordinaria juriſdictione. Similiter reſponderi poteſt ad alia jura, ea ſcilicet loqui de juriſdictione contentioſa, aut certè de materia odioſa, adeòque ad gratias non debere extendi.

Iura id inſinuantia patiuntur explicationem.

Secundò cenſeri poteſt deſinere privilegium per ceſſationem cauſæ: nam ceſſante cauſâ ceſſat effectus. Hæc tamen locum non habet in privilegiis merè gratioſis & nemini 97.

An vel qualiter ceſſet privilegiū ob ceſſationem cauſæ.

nemini oneroſis. Immò etiam in aliis juxta *Suarez lib. 8. cap. 30. num. 7. & 12.* id locum non habet, niſi cauſa ceſſet contrariè; ut ſi v. g. Eccleſia, cui ob indigentiam monaſterii decimæ erant ſubtractæ, incipiat ipſamet indigere illis ad ſui ſuſtentationem. Ratio eſt: quia gratia jam facta, ut perſeveret, non requirit permanentiam cauſæ; utì nec aliæ donationes. Confirmatur: quia cauſa etiam tranſiens, quæ in conceſſione privilegii reſpicitur, poteſt ſufficere, ut concedatur perſeveranter. Unde nobilitas, legitimatio, & ſimilia non ceſſant ceſſante causâ. Similiter privilegium non ſolvendi decimas conceſſum monaſterio ob indigentiam, non ceſſat ceſſante indigentiâ.

98. *Qualiter deſinat privilegium per renuntiationem,*

Tertiò amittitur privilegium per voluntariam reſignationem ſeu renuntiationem exteriùs factam, & à concedente acceptatam. Secùs eſt, ſi renuntiatio ſit tantùm interna, aut needum acceptata. Patet à ſimili in aliis juribus, donationibus & favoribus. Hoc tamen locum habet in privilegiis dumtaxat, quæ dantur per modum alicujus poteſtatis faciendi, vel omittendi aliquid in futurùm; qualis eſt facultas audiendi confeſſiones, eligendi Confeſſarium &c. non autem in illis, quæ habent effectum momentaneum, quem ſcilicet operantur mox ac ſunt obtenta; ut eſt diſpenſatio in irregularitate, legitimatio &c. quando enim ſemel hæc impedimenta ſublata ſunt per diſpenſationem, non poſſunt redire per renuntiationem.

99. *Factam ab eo qui renuntiare poteſt.*

Debet tamen renuntiatio fieri ab eo qui renuntiare poteſt. Quod addo: quia licèt privilegio conceſſo alicui in proprium commodum, poſſit idem renuntiare, cedendo juri ſuo; quando tamen non datur in gratiam alicujus privati, ſed in gratiam Ordinis vel certi Statûs hominum, non poſſunt privati renuntiare, v.g. Clerici privilegiis clericalibus, privati Religioſi privilegiis Ordinis &c. Unde qui graviter percuteret Clericum, etiam volétem, incurreret excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente.* Poteſt tamen Ordo renuntiare privilegiis ſibi conceſſis, aut Capitulum generale, quod Ordinem repræſentat.

Facultas Superiorum Regularium in ſubditos circa uſum Privilegiorum Apoſtolicorum.

Ex conceſſione etiam Leonis X. & aliorum Pontificum, ac pleniùs ex conceſſione Gregorii XIII. factâ Societati Jeſu, cui ceteri Ordines communicant, poſſunt ſuperiores Prælati, maximè Generales Ordinum, Capitula generalia, atque etiam provincialia tollere, limitare ſeu reſtringere ſibi ſubditis reſpectivè uſum quorumcumque privilegiorum Apoſtolicorum. Immo *Rodriguez Tom. 1. quæſt. 9. art. 2. Hieron. Rodriguez Reſol. 116. num. 26.* exiſtimant hanc facultatem penes Præfatos reſidere etiam citra ſpecialem Sedis Apoſtolicæ conceſſionem, quaſi ſaltem implicitè ex mente Pontificum facultas hæc inſit indultis datis Religioni ejuſque membris, ſicut cenſetur includi, dum non excluditur, conditio: *Si Regulari obſervantiæ non fuerint contraria.*

Quartò amittitur privilegium per uſum contrarium exemptioni, quam privilegium importat. Item privilegium, quo conceditur facultas aliquid faciendi in gravamen aliorum, amittitur per non uſum privativum. Non eſt tamen uſus contrarius, aut non uſus privilegii ſufficiens mox ſignum renuntiationis: quia poteſt aliquis velle retinere jus & facultatem utendi, quàmvis actu non utatur. Confirmatur: quia habens privilegium non tenetur eo uti; nec jure naturæ oſtenditur, quòd aliquis debeat uti, aliàs perditurus: nec etiam jure poſitivo univerſaliter loquendo. Et primò ſi quis habeat privilegium merè gratioſum & nemini oneroſum, nō perditur per uſum contrarium, vel non uſum, quãtumvis diuturnum. Secùs eſt, ſi inferat gravamen; tunc enim poteſt præſcribi cõtra illud, ſicut contra aliàs ſervitutes. Unde licèt per actum contrarium privilegium merè gratioſum perdatur, quoad actum in quo privilegio contravenitur: non tamen quoad poteſtatem eo utendi in futurùm, niſi per præſcriptionem legitimi temporis, quando ante tempus ad præſcriptionem requiſitum actus privilegio contrarius non retractatur, ſeu uſus privilegii non inducitur. Ad præſcriptionem tamen impediendam & lites vitandas conſultū eſt, præmittere proteſtationem, quâ operans proteſtetur ſe actum privilegio contrarium facere, ſalvâ ſemper exemptione ac conſervatione privilegii; ut monet *Suarez l. 8. c. 34. n. 24.* 100. *Qualiter amittantur per uſum contrarium*

101. *Quòd tempus requiratur ad præſcribendum contra privilegia. Præſertim Regularium.*

Porrò ad præſcriptionem contra laicos requiritur ſpatium decem annorum inter præſentes, ac viginti inter abſentes. Contra Eccleſiam non præſcribitur, niſi ſpatio 40. annorum; & contra Eccleſiā Romanam ſpatio 100. annorum. Contra monaſteria autem, perſonas, aut alia bona Religioſorum jure communi quidem neceſſaria eſt præſcriptio 40. annorum: ex privilegio autem Eugenii IV. requiruntur 60. anni. Immo ex quadam alia conceſſione factâ monaſterio Benedictinorum S. Pauli extra muros Romę (cum quo alia monaſteria, & conſequenter alii Ordines communicant) requiruntur 100. anni, ut videre eſt apud *Rodriguez To. 3. qq. Reg. q. 35. art. 2.* & *Caſſaing de Privil. Reg. tr. 1. c. 5. prop. 1.* qui alia inſuper privilegia adducit.

Quid requiratur, ut currat præſcriptio.

Advertit autem *Portel V. Privilegia, In Additione ad additionem,* ut currat præſcriptio, eſſe neceſſarium, quòd habeatur notitia privilegii, adſit voluntas non utendi illo, & occurrat caſus ſeu opportu-

nitas

nitas utendi privilegio infra tempus præſcriptionis. Porrò quando Pontifex confirmat ex certa ſcientia privilegia quatenus ſunt in uſu, ſeu quæ adhuc ſunt in uſu, fit, ex tunc de novo præſcriptionem eſſe incipiendam, etiamſi ratione uſûs contrarii, aut non uſûs, aliqui anni præſcriptionis fluere cœpiſſent. Prout etiam ſiſtitur præſcriptio, adeòque velut interrupta eſt denuò inchoanda, dum ante lapſum integri temporis uſus privilegii per actum aliquem practicatur.

102. *Qualiter privilegium amittatur per abuſum.* Quintò amittitur privilegium per abuſum: nam *Privilegium omnino meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate*; ut dicitur c. *Ubi, diſt.* 74. & c. *Privilegium* 11. *quæſt.* 3. & c. *Ut privilegia*, 24. *De privilegiis* & alibi. Idque potiſſimùm contingit ex juris diſpoſitione, quæ eſt pœnalis. Unde requiritur ſententia judicis (qui reſpectu Regularium exemptorum eſt Pontifex) ſaltem declaratoria criminis, prout in aliis pœnalibus conſtitutionibus. Amittitur autem privilegium in toto vel in parte, perpetuò vel pro aliquo tempore, juxta demeritum abuſûs ac diſpoſitionem juris, ſententiamque judicis. Aliquando tamen perditur privilegium quoad præſentes actus ex natura rei; ut ſi per uſum tollatur fundamentum privilegii, aut ſub prætextu privilegii fiat aliquid, quod per illud verè non conceditur. Vide *Suarez l.* 8. *c.* 36.

103. *Qualiter amittatur per revocationem.* Sextò denique amittitur privilegium per revocationem concedentis, ſucceſſoris vel ſuperioris. Poſſunt autem revocari privilegia gratuitâ ſubditis conceſſa, quæ ſunt velut licentiæ quædam operandi contra vel præter jus. Regulariter tamen revocari non poteſt privilegium conceſſum non ſubdito, niſi ſtatus rerum notabiliter mutetur: dum enim illud à non ſubdito acceptatur, tranſit in contractum. Similiter revocari non poſſunt privilegia conventionalia ſeu per contractum onerosum ſubditis conceſſa, vel in remunerationem, aut aliàs continentia tranſlationem dominii, niſi gravis cauſa intercedat. Vide plura apud *Suarez lib.* 8. *c.* 37. *& ſeqq.*

104. *Privilegia Mendicantium ſunt remuneratoria.* Ubi notandum privilegia Regularibus mendicantibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſſe remuneratoria; eò quòd videlicet (ut loquitur Pius V. Bullâ *Etſi mendicantium Ordines* in principio) *pro ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſq; laboribus, proq; ſalute animarum ab Apoſtolica Sede (cujus continuè pacem & dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt) tam ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaq; acceperint & accipiant.* Similiter alii Pontifices *ampliſſima merita, uberrimoſq; fructus, quos in Dei Eccleſia continuè adferunt* (prout de Ordinibus Prædicatorum & Minorum loquitur Sixtus IV. in Bulla aurea, quæ eſt 20. in Bullario *Rodriguez*; ubi hæc ipſa merita & fructus miris laudibus deprædicat) pro motivo concedendi privilegia adferunt. Unde etſi abſolutè à Pontificibus revocari poſſint, ad licitè tamen & rationabiliter revocandum gravis & urgens cauſa requiritur. Quod tamquam ex communi ſententia tradit *Baſſæus in Supplem.* V. *Privilegium n.* 15.

105. *Multa privilegia ſunt ſpeciali notâ digna, adeòq; ſub generali revocatione non comprehenſa.* Notandum prætereà, privilegia non cenſeri eſſe revocata, niſi ſufficienter & expreſsè eis derogetur; idque non ſolùm ſi non contineantur in corpore Juris, quæ præſumitur Princeps ignorare, adeòque non revocare, quando non facit de illis mentionem, juxta c. 1. *De Conſtitut. in* 6. ſed etiam ſi contineantur in Jure communi, quod Princeps præſumitur ſcire: nam nihilominus generi per ſpeciem derogatur, etſi ſpecies præcedat. Immo privilegiis generaliter revocatis, non cenſentur revocari illa quæ ſunt in corpore Juris; ut rectè inter ceteros docet *Suarez lib.* 8 *cap.* 38. *num.* 1. quia privilegia Juri communi inſerta tamquam canones & leges communes, earumdem conditiones participant. Quòd ſi privilegium ſit conceſſum in Concilio Generali, debet etiam ſpecialiter ei derogari, ut cenſeatur revocatum, ut tradit *Covarruvias*, *Menochius*, *Sanchez* & alii paſſim. Similiter ſub generali revocatione non comprehenduntur privilegia remuneratoria, vel conventionalia. Nec item privilegia, in quibus dicitur, ea non cenſeri revocata, niſi tenor illorum de verbo ad verbum in litteris revocationis contineatur. Ad horum tamen derogationem ſufficit hæc aut ſimilis clauſula: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis; etſi in iis expreſsè caveatur, quòd non cenſeantur revocata, niſi de verbo ad verbum fiat expreſſa illorum mentio.* Quod eſt bene notandum pro quibuſdam bullis Jubilæi, & aliis, quæ ſic loquuntur. Sic etiam privilegia Regularium Mendicantium non cenſentur ſufficienter revocata (niſi fortaſſe conſuetudo aut circumſtantiæ in ſpecialibus caſibus aliam fuiſſe mentem revocantis demonſtrent) per generalem clauſulam, ob nonnullas conceſſiones exigentes fieri ſpecialem eorumdem mentionem; tum etiam quia conceſſa ſunt ob merita: ut tradit *Rodriguez tom.* 1. *qq. Reg. q.* 9. *art.* 6. *Baſſæus in Supplem.* V. *Privilegium num.* 16. ubi etiam ex *Diana* & aliis addit, in dubio an privilegium ſit revocatum, cenſendum non eſſe revocatum.

106. *Urbanus VIII. revocavit vivæ vocis oracula.* Denique notandum Urbanum VIII. revocaſſe omnia vivæ vocis Oracula per Bullam *Aliàs Felicis*. Ideoque ſaltem in iis locis, in quibus hæc Conſtitutio eſt uſu recepta, ſeu in quibus non eſt ei deroga-

tum per deſuetudinem (meritò dubitari poteſt quoad hoc de variis locis) abſtinendum eſſe à privilegiis hujuſmodi. Non cenſentur tamen Oracula vivæ vocis, quæ fiunt per ſignaturam Papæ, quando ſcilicet ipſe alicui petitioni propriâ manu ſubſcribit, etſi tantum ſcribendo, *Fiat*: quia tales conceſſiones non fiunt tantùm oretenus, ſed etiam manu ſeu ſcripto. Ita *Portel*, *Lezana*, *Bordonus*, quos citat & ſequitur *Baſſæus* V. *Privilegium I. num.* 8. Ubi etiam, & *in Supplem.* V. *Privilegium num.* 8. ex quorumdam Recentiorum ſententiâ plures exceptiones ſeu declarationes præfatæ Bullæ revocatoriæ allegat; inter ceteras hanc, quòd non cenſeantur eâ comprehendi vivæ vocis Oracula per bullam Pontificiam ex certa ſcientia confirmata, quaſi exinde ſuſcipiant conditionem privilegii ſcripti ſeu bullati, accedente præſertim benigniore interpretatione adhibendâ in favorem permanentiæ privilegiorum. Quam tamen explicationem non probat *Diana parte* 10. *Tract.*14. *Reſol.* 24.

Plura de Privilegiis vide apud *Suarez toto Libro* 8. *De Leg. Rodriguez tom.*1. *quæſt.* 7. 8. 9. 11. & 55. & *tom.* 3. *quæſt.*51. *Hieronymum Rodriguez Reſol.* 116. *Portel* V. *Communicatio privilegiorum*, & V. *Privilegia* & alios.

DISPUTATIO QUINTA.

De Lege Pœnali & Irritante.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Lex pœnalis?

1. *Quid lex pœnalis, & qui diſtinguatur à morali, Alia eſt mixta, alia purè pœnalis.*

LEx pœnalis dicitur, quæ pœnam aliquam intentat: diſtinguiturque à lege morali quæ nullam intentat pœnam, ſed mores dirigit, obligando ad actum vel omiſſionem illius. Quòd ſi lex obliget ad actum, & ſimul ad pœnam, dicitur lex mixta, ex morali ſcilicet & pœnali: ſi verò tantùm pœnam irroget, nec ad actum faciendum vel omittendum obliget, appellatur purè pœnalis.

2. *Item alia Civilis alia Eccleſiaſtica.*

Lex pœnalis, alia eſt civilis, alia eccleſiaſtica. Utraque rursùm eſt multiplex, pro multiplicitate pœnarum, quæ ſive in jure civili aut eccleſiaſtico, ſive in tribunalibus ſæcularibus aut eccleſiaſticis irrogantur. Specialiter autem in canonibus & judiciis eccleſiaſticis frequentantur pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti (quæ ſunt cenſuræ eccleſiaſticæ) ceſſationis à divinis; depoſitionis & degradationis. Irregularitas pœnalis etiam infligi ſolet, ſed à Jure. Uſurpatur etiam carcer, detruſio in monaſterium, verbera, bannum ſeu relegatio, damnatio ad triremes, privatio, inſtallatio, ſeu publica oſtentatio in theatro aut columnâ ad infamiam criminoſi, ſeu deductio per plateas, vel proceſſiones cum tæda & in lineis veſtibus, aut aliis criminum indicibus; denique mulcta ſeu pœna pecuniaria. Quam *Concilium Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de. Reform.* eo ipſo quòd exacta fuerit, applicari vult piis uſibus; adeò ut juxta declarationem Cardinalium apud *Riccium*, nequidem merces Vicarii, & Officiariorum curiæ inde deſumi debeat. Hoc tamen praxis hîc non ſervat, idque ut credit *Zypæus in Anal. Jur. pont. l.*5. *tit. De pœnis num.*1. ob exiguitatem dotium Epiſcopalium in Belgio. Quo (inquit) caſu præſertim, etiam mulctas, Epiſcopi uſibus & eleemoſynis judex retinere poteſt.

Variæ pœnæ Eccleſiaſticæ.

Vulgatiſſima verò Legis pœnalis diviſio eſt in legem pœnalem ferendæ ſententiæ, & latæ ſententiæ. Hæc dicitur, in qua legiſlator de facto tranſgreſſori pœnam imponit, ac ad eam condemnat: illa verò, in qua legiſlator tantùm pœnam comminatur, ſeu mandat judici, ut reo pœnam infligat. Unde ſententia hîc non eſt idem, quod judicialis definitio, quâ per judicem controverſiæ terminantur; ſed generaliter quodvis decretum ſuperioris, ſive fiat in judicio citatis reo & teſtibus, ſive fiat in aliqua lege. Et quidem ſi priori modo fiat, vocatur ſententia ab homine: dividiturque in declaratoriam facti, & condemnatoriam ad pœnam: item in interlocutoriam & definitivam. Si poſteriori modo fiat, dicitur ſententia à jure. Quod nomen uſus obtinuit, ut ſoli conſtitutioni juris pœnalis tribuatur. 3. *Famoſiſſima legis pœnalis diviſio in legem ferendæ & latæ ſententiæ.*

Ad dignoſcendum verò an lex aliqua pœnalis contineat latam vel ferendam ſententiam, notandæ ſunt ſequentes regulæ. 4. *Regulæ ad dignoſcendum, an ſit lex ferendæ, an latæ ſententiæ.*

Regula I. Quotieſcumque dubium eſt an verba Legis contineant ſententiam latam vel ferendam, cenſendum eſt, quòd tantùm contineant ferendam: nam *in pœnis benignior interpretatio eſt adhibenda*, ut dicitur *De regulis Juris in* 6. *In dubio cenſetur ferendæ ſententiæ.*

Regula II. Si lex ſolùm comminetur pœnam, continet ſententiam ferendam; ut ſi *Item ſi lex ſit pœna co-*

minatoria; cujus varia formula.

ut ſi dicat: *Sub pœna excommunicationis, ſub interminatione anathematis, ſub pœna privationis actuum legitimorum &c.* Idem dicendum ſi lex utatur verbo, vel participio futuri temporis, dicendo v. g. *Reus erit talis pœnæ, ſubjacebit excommunicationi &c.* Idem veroſimiliter eſt, (quamquam Varii contradicant) ſi lex dicat: *Excommunicationem ſe noverit incurſurum*; cùm perinde ſit, an dicatur, excommunicationem incurret, an verò, excommunicationem ſe noverit incurſurum. Itaque his & ſimilibus verbis non ſatis indicatur ſententia lata; cùm rectè explicari poſſint per ordinem ad ſententiam vel pœnam à judice ferendam.

5. *Niſi verba juncta vel pœnæ qualitas reſtringant ad ſententiam latam.*

Excipe, niſi aliquæ particulæ addantur, quæ ſatis indicent, pœnam de facto infligi; ut ſi dicatur: *Sub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda: ſubjacebit ipſo facto excommunicationi &c.* Item niſi lex alioquin eſſet inutilis; ut contingit in lege pœnali irregularitatis, quæ non ab homine, ſed à ſolo jure infligitur: & in legibus ſtatuentibus impedimenta matrimonii vel profeſſionis, quæ poſtmodum irritari non poſſent; hæ enim circumſtantiæ apertè indicant, pœnam infligi ipſo facto, etſi verba præcisè ſumpta id non exigerent.

6. *Excipiunt etiam multi pœnam conventionalem valde probabiliter;*

Excipitur etiam juxta valde probabilem plurimorum Theologorum ſententiam, pœna conventionalis, quam ipſi contrahentes ſolent apponere contractibus, ſolvendam ab eo, qui contractui non ſteterit: cùm enim hæc pœna debeatur ex contractu, ſoleatque adjici contractibus, ut ſine recurſu ad judicem poſſit ſortiri effectum, conſentaneum eſt naturis rerum ipſiſque contrahentium intentioni, ut ipſo facto pœna incurratur; quantumvis verbo comminatorio aut futuri temporis fuerit adjecta. Regulariter tamen non videtur hæc pœna deberi, quouſque pars illam exigat: eò quòd petitio partis ex mente contrahentium videatur ſuccedere loco ſententiæ judicis, & non petens cenſeatur pœnam condonare. Ita *Covarruvias, Suarez* & alii.

Etſi oppoſitum quoque non ſit improbabile.

Nihilominus ſatis probabile eſt, ad pœnam conventionalem ordinariè ſeu niſi aliud expreſsè caveatur, aut de mente contrahentium conſtet, non eſſe obligationem, niſi factâ condemnatione per judicem: tum quia multi mentem contrahentium ſic interpretantur, ut *Sanchez, Vaſquez* & plures alii: tum quia hæc pœna ſequitur tranſgreſſionem legis ſibimet à contrahentibus impoſitæ, adeòque non videtur contrahi ante ſententiam judicis, uti nòn contrahitur pœna appoſita tranſgreſſioni legis factæ à Principe; præſertim in caſu dubio, ſeu controverſo; in quo cenſentur contrahentes apponere pœnam juxta regulas pœnarum Juris communis: tum quia has etiam pœnas, dum exorbitantes ſunt, judex moderatur; immo teſtatur *Sanchez l. 1. de Matrim. d. 37. num. 4.* ex *Gutierrez*, ſtylo curiæ non fieri condemnationem ad pœnam conventionalem, niſi quatenus intereſt; ideoque minimè deberi, ſi nullum intereſſe ſecutum fuerit, habet probata conſuetudo, juxta eumdem *Gutiererz*; adeòque neceſſaria videtur interventio judicis, ut diſcuſſis diſcutiendis decernat quid ſolvendum ſit. Ita *Sanchez* ſuprà.

Regula III. Si lex utatur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediatè ipſam pœnam, ſed vel reatum pœnæ, v. g. *Reatum talis pœnæ incurrat, fiat talis pœnæ reus.* Vel ipſam actionem judicis; v. g. *Excommunicetur, ſuſpendatur à divinis &c.* ſolùm continet ſententiam ferendam: de hac enim verba iſta commodè explicari poſſunt, adeòque debent; cùm in pœnis benignior ſit interpretatio adhibenda. Aliud juxta pleroſque Doctores eſt, quando verba imperativi modi afficiunt immediatè ipſam pœnam, v. g. ſi dicatur: *Sit excommunicatus, ſit ſuſpenſus &c.* eò quòd illa verba non tam ſignificent pœnam debere infligi à judice, quàm benè ipſum jus habere rationem ſententiæ, per modum imperii pœnam infligentis efficaciter, quæ etiam ſimilibus verbis à judice ſolet ferri. Contrarium nihilominus tenet *Navarrus l. 27. Manual. num. 12.* & Nonnulli alii quoad verba: *ſit excommunicatus*; quando alia jura non declarant oppoſitum: eò quòd verba iſta explicari poſſint per ſubintellectam clauſulam, *à Judice*: ſicut verbum *excommunicetur*, ab omnibus hoc modo intelligitur; quod tamen videtur coincidere in aliquo ſaltem ſenſu cum his verbis, *ſit excommunicatus.* Et ſic loquuntur teſte *Navarro* plurimi Canones, qui tamen ſecundùm *Gloſſam* ferendam ſententiam continent. 7. *Verba imperativi modi, quando cõtineant ſententiam ferendam.*

Regula IV. Lex eſt latæ ſententiæ, ſi ſententiam judicis expreſsè excludat. Item ſi verba nullam dilationem temporis admittant, v. g. hæc: *Ipſo facto, ex tunc, mox &c.* Inſuper ſi lex dicat, *reum eſſe in conſcientia obligatum ad pœnam.* Similiter ſi legiſlator ſibi vel legi ſuæ adſcribat ſententiam, dicendo v. g. *Auctoritate noſtrâ, virtute hujus legis, ipſo jure ſubjaceat tali pœnæ.* Denique ſi lex utatur ſolo verbo indicativi modi præſentis aut præteriti temporis, v. g. *Excommunicamus, ſuſpenditur, excommunicationem ſe noverit incurriſſe, ſciat ſe eſſe excommunicatum.* Vide plura apud *Suarez l. 5. de Leg. c. 6.* *Verba ſignificantia latam ſententiam.*

QUÆST.

QUÆSTIO II.

Ad quid obliget Lex pœnalis ante Iudicis ſententiam?

8. *Lex ferenda ſententia, antequam hæc lata ſit, reum ad pœnam non obligat;*

DICO I. Quando lex pœnalis continet tantùm ſententiam ferendam, certum eſt ex communi omnium doctrinâ, non obligari reum ad pœnam ſolvendam vel ſubeundam, aut aliquos ejus effectus præſtandos ante ſententiam judicis condemnatoriam. Patet: quia non obligatur reus ad amplius, quàm lex ipſa contineat; ipſa autem ſolùm præſcribit, ut reus pœnæ adjudicetur; quod magìs judicem quàm reum concernit.

Vnde reus tantiſper licitè ſe gerit inſtar cæterorum,

Hinc patet, reum tantiſper validè & licitè ſe gerere tamquam non excommunicatum, ſi per legem excommunicandus decernatur: ſimiliter poſſe acceptare officium vel beneficium, actuſque officii exercere, & fructus beneficii recipere, etſi crimen commiſerit, ob quod officiis vel beneficiis per judicem eſt privandus.

9. *Et bona rectè alienat, etiam in fraudem fiſci.*

Denique poteſt reus validè & licitè alienare bona temporalia per ſententiam confiſcanda; idque (quàmvis Aliqui contradicant) etſi fiat in fraudem fiſci, ſeu ejus, cui bona per ſententiam ſunt adjudicanda. Quod tunc fit, quando reus ideo alienat, ne Fiſcus poſtmodum obtineat. Quandonam autem id fieri præſumatur, varias ad hoc conjecturas adfert *Sanchez lib. 2. Sum. cap. 21. num. 5. & ſeq.* Sunt tamen alienationes tunc revocabiles, L. *In fraudem ff. De jure Fiſci.* Excipe onerosas, dum altera pars recipiens rem titulo oneroſo eſt expers doli: nam *L. 10. §. 4. ff. Quæ in fraudem creditorum*, id declaratur de venditione facta in fraudem creditorum (quibus omnibus Fiſcus poſtponitur) ſi emptor ſit expers doli.

Cui non fit injuria:

Nec refert, quòd fraus & dolus nemini debeant patrocinari: nam nec debent nocere, ubi jus id non ſtatuit. Nec denique per hoc fit Fiſco injuria: nam utens jure ſuo nemini facit injuriam. Unde nec fraude injuſtâ Fiſcum impedit ab emolumento ſperato, utpote quod jure pendebat à propria voluntate defraudantis Fiſcum. Secùs eſſet, ſi emolumentum ſperatum dependeret à voluntate aliena, in quam jus non habet, qui alterum fraude impedit. Quare nec injuriam facit reſtitutioni obnoxiam, qui fraude ſeu ſtudio impedit, ne certa perſona liberalitatem ſuam cum ceteris in donorum largitione ſentiat; eò quòd tota ſpes beneficii tunc dependeat a propria voluntate fraudem adhibentis.

Quantumvis alienationes fiant poſt conteſtationem litis.

Immo hæc vera ſunt etſi alienationes fiant poſt conteſtationem litis: cùm enim reus retineat dominium & adminiſtrationem bonorum ante latam ſententiam, non apparet, cur alienationes eſſent invalidæ aut illicitæ. Quod verum eſt, etſi lis penderet in contumacia rei: contrarium enim (quod docet *Sanchez*) nullo jure ſatìs probatur.

Dices: A die conteſtatæ litis bona rei ſunt litigioſa: ergo eorum alienatio non eſt valida *L. Cenſemus C. De litigioſis.* Reſp. Neg. Antec. lis enim non eſt de bonis, ſed de crimine.

10. *Obligat autē talis lex Iudicem ad ſententiam conformiter ferendam.*

DICO II. Judex obligatur ad ſententiam ex præſcripto legis ferendam, quâ reus condemnetur ad pœnam, quando crimen eſt ſufficienter probatum; ſi ejus libertati non relinquatur pœnam moderari. Ita communiter Doctores. Et colligitur ex c. *In iſtis diſt.* 4. & c. *Summopere* 11. *quæſt.* 3. Ratio eſt: quia judex eſt cuſtos legis; cujus proinde officium eſt, obſervationem legis procurare; maximè ſi lex ipſum expreſsè concernat, prout facit lex pœnalis ferendæ ſententiæ. Deinde per talem legem præſcribitur medium juſtitiæ vindicativæ; adeòque hoc judex ſervare tenetur, cùm ipſius ſit juſtitiam vindicativam exercere.

Niſi remiſſio aut moderatio pœnæ ei (prout interdum fit) relinquatur.

Uſu tamen & jure poteſt judex certis caſibus minuere vel non imponere pœnam. Quod ex variis cauſis ſummo Principi faciliùs conceditur: hic enim non ſolùm ex Epykia, ſed etiam ex facultate diſpenſandi poteſt pœnam lege taxatam mitigare, & ſententiam à ſe vel judice inferiori latam revocare; cùm tamen judex inferior citra ſpecialem facultatem jure vel conſuetudine conceſſam, nec poſſit in lege pœnali diſpenſare, nec ſententiam ſemel latam revocare. Videndum tamen, nè nimiâ indulgentiâ invaleſcant ſcelerati, & bonum publicum graviter lædatur. Vide *Malderum tract. 6. De Juſt. c. 1. dub. 26.* Quando autem exiſtimamus bonâ fide eſſe in poteſtate judicis pœnam lege taxatam mitigare, aut etſi neſciamus, petimus tamen ſub implicita conditione, ſi ei liceat; tunc poſſumus pro hac re apud judicem intercedere; aliàs non; quia non licet inducere alium ad malum. Qua tamen in re interdum circa indigniſſimos omni gratiâ committuntur abuſus etiam à piis perſonis zelum compaſſionis ac ſpeciem quamdam pietatis habentibus, ſed non ſecundùm ſcientiam & rationabilem ponderationem boni publici; quod non patitur iſtiuſmodi ſceleratos vivere.

11. *Non omnis lex lata ſententia reum obligat ad luendam pœnam ante*

DICO III. Non quælibet lex pœnalis latæ ſententiæ obligat reum ad luendam pœnam ante omnem judicis ſententiam. Conſtat ex conſuetudine (cujus teſtes ſunt quotquot de hac materia ſcripſerunt) quæ

ſententiam declaratoriam criminis,

quæ eſt optima legum interpres: nullus enim Doctor vel Confeſſarius condemnat eos, qui non ſolvunt pœnas jure ſtatutas, antequam à judice ſint requiſiti. Deinde adhuc ſubſiſtet differentia inter legem ferendæ & latæ ſententiæ: nam illa requirit, ut per ſententiam judicis, & crimen declaretur, & reus ad pœnam condemnetur: ad hanc verò ſufficit ſententia declaratoria criminis, quâ v.g. Judex declaret, Petrum eſſe reum læſæ Majeſtatis, & hoc nomine incurriſſe hanc vel illam pœnam. Reliquæ differentiæ infrà patebunt.

Etiamſi crimē ſit facto vel famâ publicum,

Declarat autem praxis concluſionem eſſe veram, etſi crimen ſit publicum facto vel famâ: nam equidem non eſt publicum jure antequam Judex illud declaret.

Quàmvis ſecùs fieri non repugnet:

Quamquam verò lex pœnalis latæ ſententiæ non ſemper obliget ante ſententiam declaratoriam judicis, poteſt quandoque ante illam obligare, ut certum eſt; cùm nulla in hoc appareat repugnantia, nec minor ſit virtus ſententiæ legis, quàm ſententiæ judicis. Unde ſicut hæc reum obligat ad pœnam ſtatim ſubeundam, ita etiam id poſſet ſententia legis. Plurimùm tamen inter ſe variant Doctores in explicando cujus generis aut qualitatis pœnales leges obligent ante ſententiam: quorum opinionibus ac loquendi modis prætermiſſis.

12.

Immo de facto in variis pœnis non eſt præſtolanda ulla judicis ſententia.

Dico IV. Lex pœnalis latæ ſententiæ obligat reum ad luendam pœnam ante ſententiam declaratoriam, quando illud vel conſuetudo ſenſuſque communis declarat, vel conditio pœnæ exigit, vel legiſlator ſatis exprimit. Concluſio eſt ſatis manifeſta.

V.g. in cenſuris latæ ſententiæ, & irregularitate, &c.

Primò itaque voluntas legiſlatoris obligandi ante ſententiam, ipſaque obligatio conſtat ex communi uſu, & Doctorum ſenſu in cenſuris ipſo facto impoſitis, & irregularitate pœnali, quæ incurritur ante omnem ſententiam declaratoriam: quamquam natura cenſurarum id non requirat. Ut nec apparet, cur irregularitas non poſſet ferri per ſententiam ab homine, ſeu expectare ſententiam judicis, ſi naturam ipſius pœnæ ſpectemus. Quam ſpectans *Scotus 4.d.25. quæſt.1. num.7.* dicit, quòd poſſet aliquando infligi à judice ſecundùm jura, quæ juxta *Commentarium Scoti ibid. num.*18. nuſquam id expreſsè prohibent: nam c. *Is qui, De ſent. excomm. in 6.* explicationem patitur, ut videre eſt in *Comment. ſup.* Uſus tamen non patitur irregularitatem expectare ſententiam judicis. Simili ratione non poteſt contrahere matrimonium, cui id per legem prohibetur in pœnam. Similiter non licet petere debitum matrimoniale, quando id in pœnam conjugibus prohibetur, ut habet *Sanchez lib. 9. De matr. diſp. 30. numer. 3.*

In impedimentis matrimonii pœnalibus.

Secundò conſtat ex ipſa pœnæ conditione, quæ ſi ſuſpenderetur uſque ad ſententiam judicis, lex foret inutilis; ut contingit in impedimentis dirimentibus matrimonium (de quibus idem declarat communis Theologorum conſenſus) etſi in pœnam criminis ſint poſita: ſi enim non irritaretur matrimonium mox ut contrahitur, non poſſet poſtmodum irritari. Idem dicitur, quando lex aliquid præcipit, vel prohibet ſub pœna perjurii.

13.

Et aliis, in quibus manifeſtè omnis ſententia omnino per verba legis excluditur,

Tertiò idem conſtat ex verbis legis, ſi illa omnem omnino ſententiam judicis excludant. Cujuſmodi tamen non ſunt hæc vel ſimilia: *Ipſo facto, ipſo jure privamus eum bonis ſuis, ipſo facto officium vacet &c.* nam hæc verba poſſunt habere effectum de præſenti, etſi requiratur ſententia judicis declaratoria criminis. Unde ſunt variæ leges ita loquentes, quæ tamen juxta communem Doctorum ſententiam non obligant ante ſententiam judicis. Notanter autem c. *Cùm ſecundùm leges, De hæreticis in 6.* prohibetur, ne fiſcus bona hæreticorum, etſi ipſo jure fiſco addicta, occupet ante ſententiam.

Cujuſmodi verba aſſignantur.

Aliud eſt, ſi lex dicat, *Reum ipſo facto teneri in conſcientia ad pœnam*, vel *non poſſe abſolvi in foro conſcientiæ, niſi pœnam luerit*, vel *ipſo facto vacare officium aut beneficium ut ſtatim poſſit alteri conferri*, vel *nullam debere expectari ſententiam declaratoriam criminis.* Hâc ratione beneficiarii omittentes lectionem horarum tenentur ad proportionatam reſtitutionem fructuum in conſcientia. Similiter Pius V. dum in motu proprio contra committentes ſimoniam confidentialem dicit: *Ne quiſquam vanâ fiduciâ fretus non intentandi contra ſe judicii in crimine perſeveret, omnes & ſingulos præſentium auctoritate privamus &c.* ſatis manifeſtè videtur excludere neceſſitatem ſententiæ judicialis: quamquam *Suarez l. 5. de Leg. cap.8. n.16.* dicat probabile, hanc legem ſeu pœnam non eſſe in hoc ſenſu communiter receptam, & ideo fortè illi in hac parte derogatum per communem conſuetudinem; quæ tolerabilis judicari poteſt (inquit) quia revera pœna eſt valde rigoroſa. Immo *Caſtro Palao d.2. pun. 2. num.* 10. exiſtimat privationem beneficiorum, & inhabilitatem, nequidem vi verborum, aut intentionis Pontificiæ contrahi ante ſententiam declaratoriam criminis, quaſi menti Pontificis ſatisfiat, ſi à die commiſſæ ſimoniæ delinquens maneat obnoxius privationi, nec aliud quàm declaratio delicti poſtuletur, ut privatus exiſtat. Verùm ſic non videretur ſatis evelli vana fiducia non intentādi judicii; utpote equidem intentandi ad obtinendam ſententiam declaratoriam.

Quòd

14. *Quid cenſendum ſit ſi lex dicat*: Nullâ expectata ſententiâ *vel* abſque declaratione.

Quòd ſi lex dicat pœnam incurri *nullâ expectatâ ſententiâ*, *Covarruvias*, *Sanchez*, *Leſſius*, & plures alii docent, intelligi poſſe de ſententia condemnatoria ad pœnam, quę in materia pœnali ſolet intelligi per ſententiam, adeòque intelligi debet in re tam odioſâ. Quòd ſi denique lex dicat: *abſque declaratione*, ſeu *nullâ declaratione præmiſsâ*, id explicat *Leſſius*, & alii de declaratione pœnæ. Licèt autem hæc explicatio, videri poſſet ſatis torta, & minùs fortaſſè congruens menti legiſlatoris, ideoque rejiciatur à *Suarez* & pluribus aliis; illam tamen confirmat uſus, ex quo conſtat non teneri reum ſe abdicare bonis vel officiis, etſi leges dicant pœnam abſque declaratione incurrendam; prout loquitur *Extrav. Ambitioſæ, De rebus Eccleſiæ non alienandis.* Unde licèt prima legiſlatoris mens fuiſſet alia, non equidem obligaret ex hoc capite, quòd ſimiles leges non videantur in iſto ſenſu receptæ, ſed potiùs ſit eis per contrariam cōſuetudinem hac in parte derogatum. Vide *Leſſium l. 2. de Juſtitia c. 29. dub. 8.* Quare notat *Præpoſitus q. 95. d. 3. dub. 7. n. 38. in fine*, pauciſſimas leges videri eſſe, quæ ita ſtrictè obligent; & fortè nullas civiles.

Ultra cenſuras & irregularitatem vix ullæ ſunt pœnæ, quæ in praxi non exigant ſententiam.

Immo ultra cenſuras & irregularitatem, nullam aliam pœnam propriè dictam (qualis eſt privatio alicujus juris quæſiti, ſeu cœpti poſſideri) incurri ante ſententiam declaratoriam criminis praxis habet, ut poſt *Farinacium* & alios aſſerit *Caſtro Palao diſp. 2. pu. 2. n. 12.* adeò ut nullatenus alioquin poſſit mandari executioni. Declaratoria verò requirit citationem partis, teſte *Julio Claro*; & ab ea dari poteſt appellatio, ut docet *Farinacius* & alii.

15. *Corollarium.*

Ex quibus colligitur pœnam privationis officiorum, beneficiorum, actuum legitimorum, confiſcationis bonorum temporalium, inhabilitatis ad hereditatem adeundam, & ſimiles, non obligare in conſcientia ante ſententiam declaratoriam criminis, etſi ipſo jure imponantur. Idem eſt de pœna inhabilitatis ad electionem paſſivam, quamquam Plures contradicant; uſus enim communis declarat non debere reum ſe his bonis ſpoliare, aut ab eis abſtinere ante ſententiam.

Quid de hac re conformiter declarent Statuta Franciſcanorum.

Pro pœnis etiam Statutorum Ordinis noſtri Franciſcani tam generalium quàm provincialium, tam conditorum quàm impoſterùm condendorum, notanda eſt valde generalis declaratio, quæ habetur in *Statutis Toletanis c. 6. §. 9.* videlicet *quòd quoties pœna ſuſpenſionis vel privationis vel alia quacumque* (pœnâ excommunicationis exceptâ) *ipſo facto incurrenda imponitur, nullus eâ pœnâ ligatur, quàmvis crimen fuerit publicè perpetratum, quò uſque per Prælatum fuerit reus judicialiter declaratus.*

16 *Privatus bonis ipſo facto quid poſſit ante ſententiam declaratoriam.*

Colligitur II. quòd quàmvis reo, qui per legem ſententiæ latæ incurrit privationem officii, bonorum &c. relinquatur poſſeſſio & adminiſtratio, nec ante ſententiam poſſint à fiſco auferri, ut ex uſu & c. *Cùm ſecundùm leges de Hæreticis, in 6.* conſtat; immo etiam iuxta *Sanchez* & alios relinquatur eò uſque dominium, cùm nullo jure aut conſuetudine citiùs auferatur: jus tamen ſeu dominium rei à die commiſſi delicti redditur debile, & bona fiunt vi legis fiſco obnoxia, adeò ut etiam poſt mortem rei poſſint illius heredes conveniri.

Diſcrimen quale ſit dũ pœna privationis eſt ferendæ ſententiæ.

Quod ſecùs ſe habet in pœnis ferendis: nam mortuo reo ante ſententiam condemnatoriam, moritur omnis actio fiſci, nec poſſunt heredes conveniri, cùm non condemnetur defunctus. Verùm cùm per legem latæ ſententiæ reus jam condemnatus ſit, tantùmque debeat crimen declarari (quod etiam poſt mortem fieri poteſt) poſſunt heredes conveniri. Poſt latam etiam ſententiam judicis aliter ſe res habet in lege ferendæ ſententiæ, aliter in lege latæ ſententiæ, ut patebit *quæſtione ſequenti.*

QUÆSTIO III.

Ad quid obliget Lex pœnalis poſt judicis ſententiam?

DICO I. Latâ à judice ſententiâ obligatur reus pœnam ſubire, & aliquando obligari poteſt ut eam per ſe exequatur; non tamen ſemper. 17. *Latâ per Iudicem ſententiâ tenetur eam reus ſubire*

Prima pars probatur: quia juſtæ ſententiæ parendum eſt, quæ hoc expreſsè imponit.

Poſſetq́ interdũ obligari ad illam in ſe exequendam.

Secunda pars probatur: quia non videtur dubium quin legiſlator aut judex poſſit per ſententiam hoc reo imponere, quãdo pœna non eſt nimis gravis, ſicut alia gravamina poteſt ex juſta cauſa imponere; ac proinde quando verba legis ſeu ſententiæ id ſatis clarè exprimunt, aut uſus ſic habet, aut denique ipſa pœnæ conditio cooperationem rei exigit, non excuſatur reus ab ea ſibi inferenda. Sic obligatur ne fugiat è carcere moderato; ut diſcedat de civitate, quando ſaltem exilium non eſt perpetuum, aut ad loca horrida. Similiter poteſt obligari, ut per ſe ſolvat mulctam pecuniariam moderatam, etiam antequam exigatur. Si alicui tamen pœna v.g. pecuniaria ſit addicta, non videtur communiter teneri ad eam ſolvendam, antequam petatur; ex quo fit ut altero non petente tempore ad præſcribendum idoneo contra eum præſcribi poſſit. Sic etiam in Religionibus poteſt aliquis obligari ad flagellationem ſui per regulam vel ſuperiorem impoſitam; & ſic de ſimilibus eſt judicandum.

Tertia pars probatur: quia in primis ſi verba legis aut ſententiæ poſſint per judicem vel publicum miniſtrum mandari execu- 18. *Non tamen ſemper ad id obligat.*

 ecutio-

cutionem, quia lex pœnalis potiùs eſt reſtringenda; cùm ergo per legem aut ſententiam illud onus reo non imponatur, nec conditio pœnæ cooperationem rei exigat, non eſt ad hoc obligandus, ſed ſufficiet, ſi non reſiſtat pœnæ infligendæ. Idem dicendum eſt, quando non eſt uſu receptum, ut reus in ſe pœnam exequatur: prout in variis pœnis ſic receptum eſt; maximè quando cenſentur nimis difficiles, ſi reus teneretur eas per ſe exequi.

Immo neque obligare ſemper poteſt.

Immo ne quidem tunc videtur lex humana ad hoc obligare poſſe, v.g. in pœnis mortis, mutilationis, perpetui & gravis carceris, infamis flagellationis &c. nam præterquam quòd juxta communem Doctorũ doctrinam nequeat reus juſtè condemnatus eſſe executor ſententiæ mortis in ſe ipſum; eſto tamen quòd licitè poſſet eſſe illius, uti & aliarum, executor, ipſæque pœnæ ſint juſtæ, ac delictis commenſuratæ, modus tamen illas exequendi eſt inhumanus ac nimis difficilis, ſuperanſque fragilitatem humanam; qui proinde, ſaltem ordinariè, non cadit ſub præceptum judicis aut legis. Unde per ejuſmodi ſententias obligantur miniſtri juſtitiæ publicæ, ut reum cuſtodiant, pœnam exequantur &c. ipſe autem reus non aliter tenetur pœnam ſubire, quàm ut per vim non reſiſtat.

Damnatus ad mortem aut mutilationem licitè fugit,

19. Petes I. An damnatus per ſententiam judicis ad mortem vel mutilationem poſſit fugere, ſi via effugiendi pateat? Reſp. Aff. cum Doctoribus communiter: quia præceptum oppoſitum foret nimis difficile, ſuperanſque humanam conditionem. Unde poſſet fugere ſub ictum gladii, ſi ſpes foret evadendi.

Et carcerem effringit,

Ob eamdem rationem licitè poſſet effringere carcerem, juxta Doctores paſſim. Quod confirmatur: tum quia cui licet finis, ſcilicet fuga, etiam licent media, ſcilicet ablatio impedimentorum, ut catenarum &c. tum quia reus non tenetur ibi manere, ſed judicis eſt curare, ut vi majore detineatur; ideo enim catenæ ſunt ferreæ, & carceres fortiſſimi. Aliàs ſi vinculis ſtupeis conſtrictus eſſet reus, non poſſet ea diſrumpere.

Quamquam ſententia ſit juſta, & vim ſuam reſpectu rei habeat.

20. Nec rectè arguas, ſententiam judicis non videri juſtam, ſi non debeat reus ei parere: nam parere debet, quatenus ſententia ipſum afficit, videlicet ut ſuſtineat pœnam non inferendo vim vel injuriam juſtitiæ aut miniſtris; non afficit autem eum, quaſi debeat ſponte ſuſtinere, quando poteſt commodè evadere. Immo potiùs ſententia talis ex parte modi videri poſſet injuſta & nulla.

Non obſtat etiam, quòd effractoribus carcerum imponatur pœna capitis. Nam ſi Imperatores id ſtatuerint, acerbius eſt, quàm ut probare poſſimus, ait *Malderus Tract. 6. de Juſt. c. 3. dub. 5.* Deinde imponitur hæc pœna iis, qui aliundè equidem ſunt ordinariè capitis rei. Vel certè imponitur ad terrorem, non infligenda tamen, niſi aliæ cauſæ ſubſint; vel denique præſumitur vis eſſe facta cuſtodibus; quorum proinde negligentia ſi rei id fecerint, mitiùs cum illis eſſe agendum Leges ſtatuunt.

Nec per hoc fit injuria poteſtati publicæ,

Non obſtat præterea, quòd effringens carcerem videatur facere injuriam Reipublicæ; cùm carcer ſit cuſtodia juſtitiæ, & velut inſtrumentum ejuſdem. Nam carceri ac ejuſmodi rebus inanimatis poteſt quidem ineſſe communicata quædam auctoritas; non tamen poteſt ſic carceribus & vinculis communicari, ut præjudicet juri & poteſtati, quæ reis competit in ordine ad conſervandam ſuam vitam. Quare ob neceſſitatem & periculum vitæ in quo eſt reus, non cenſetur moraliter facere vim auctoritati aut juſtitiæ publicæ, ſed tantùm fugere mortem; quod juſtè poteſt. Sicut damnatus ad beſtias poteſt cum leone v.g. pugnare, & eum, ſi poſſit occidere, etſi leo ibi ſit inſtrumentum juſtitiæ publicæ. Aliàs ſanè nec poſſet reus fugere, etſi incluſus eſſet domui ſtramineæ; quod eſt ridiculum.

Secùs foret, ſi qui deforis ſunt, id facerent.

Aliud eſt de iis qui deforis ſunt extra neceſſitatem: ii enim ſi frangerent carceres violarent auctoritatem publicam moraliter, ſicut qui litteras ſigillo regio munitas, ac mandatum continentes laceraret aut conculcaret. At ſi v. g. hoſte me inſequente non pateret mihi alia fuga, niſi pertundendo oſtium aliquod domûs publicæ, quis dicat id mihi fore illicitum? aut ſi neceſſariò litteras Regis in via, per quam tranſire debeo, pavimento ſparſas pedibus calcare oporteat?

An reus id agens teneatur ad reparationem damni reipublicæ illati.

An autem reus obligetur reparare damnum Reipublicæ illatum, dubitatur. Nõnulli negant. Quibus videtur favere uſus. In rigore tamen videtur obligatus ad reſtitutionem damni, quod per ſe ex effractione carceris oritur, v. g. in muris &c. non quod per accidens ex fuga aliorum reorum; ipſe enim ob iſtum eventum per accidens non amittit jus ſuum fugiẽdi. Ita communiùs Doctores.

An ejuſmodi reo poſſit fuga conſuli.

21. Petes, An poſſim conſulere reo fugam? Reſp. Aff. quia ſuadeo id quod honeſtum eſt. Et per ſe loquendo licet monſtrare media fugæ, & inſtrumenta porrigere; niſi id prohiberetur ſub obligatione (prout Reſpublica poteſt: nam id non eſt aliis nimis difficile; quamquam ſit nimis difficile reo ipſi, cui idcirco non poteſt prohiberi) quod an factum ſit, non conveniunt Doctores. Saltem deberet talis lex proferri. Si tamen valde gravi pœnâ tales plecterentur, cenſere videretur Reſpublica, id graviter eſſe prohibitum; cùm gravis pœna ſupponat gravem culpam. Non liceret tamen proximè ad effractionem cooperari: hoc enim foret violare publicam auctoritatem, & jure merito graviſſimè punire-

punietur. Ceſſat præterea ibi ratio, ob quam reo licita eſt effractio. Denique ſic nihil eſſet judicibus ſatis tutum & firmum. Similiter miniſtri juſtitiæ publicæ non poſſunt conſulere, nec præbere reo inſtrumenta ad fugam: quia ipſorum eſt curare ex officio, ut reus ibi detineatur.

22. *Reus poſt ſententiam non tenetur ſponte bona fiſco deferre.*

Ex dictis patet, quòd is, cujus bona ſunt addicta fiſco, etiam poſt ſententiam declaratoriam non teneatur illa deferre ad fiſcum, aut ſeſe illis ſponte privare; id enim reo non imponitur, ſed fiſco tantùm datur poteſtas auferendi: quinimmo nimis inhumanum apparet, quòd homo teneatur ſe ſuis fortunis ſpoliare, & in ſe exequi ſententiam, ex qua miſeram vitam cum ſuis debeat tranſigere. Ob quod etiam veroſimile putat *Præpoſitus quæſt. 95. diſp. 3. num. 42. in fine* (& colligitur etiam ex *Leſſio lib. 2. De Juſtit. cap. 12. num. 134.*) quòd etiam poſt ſententiam poſſit res occultare, aliò transferre, nec teneatur in conſcientia rerum ſuarum ſtatum fiſco aperire; quia illud eſt nimis acerbum. Quod ſaltem admitti poſſe videtur, quoad neceſſaria parcæ ac moderatæ ſuſtentationi. Ut tamen occultent cetera etiam requiſiti, non ſim conſultor.

An poſſit aliqua ſaltem occultare.

23. *Quæ bona rei fiſco debeantur poſt ſententiam.*

Dico II. Per pœnam privationis bonorum, ſi ſit ferenda, debentur poſt ſententiam judicis fiſco illa bona, quæ pertinent ad reum tempore ſententiæ: ſi autem ſit pœna lata, debentur poſt ſententiam illa bona, quæ erant rei à die commiſſi criminis, ad quem ſententia judicis retrotrahitur. Ratio eſt: quia bona rei non debentur fiſco, niſi per ſententiam condemnantem reum; ſententia autem per ſe condemnat ſolùm reum de bonis præſentibus, ſeu quæ ſubſunt tempore ſententiæ. Ex quo patet concluſio; nam in lege ferendæ ſententiæ reus non condemnatur ad pœnam, niſi per judicem; in lege autem latæ ſententiæ patrato crimine jam condemnatus eſt per ipſam legem, adeòque in hac reſpiciendum eſt tempus delicti, in illa verò tempus quo judex fert ſententiam.

24. *Differentia inter pœnam confiſcationis latam & ferendam.*

Hinc notanda eſt differentia inter legem ferendæ & latæ ſententiæ, quòd reus pœnæ ferendæ bona ſua, utpote nulli obligata, ſic alienare valeat ante ſententiam, ut poſt illam nequeant alienationes reſcindi; niſi tunc ſolùm, quando factæ eſſent in fraudem fiſci, idque ex diſpoſitione juris. Immo ſi alter bonâ fide egerit, & titulo oneroſo bona receperit, ne quidem tunc reſciſſioni erit locus. At verò ſi lex ſit latæ ſententiæ, poſſunt à judice reſcindi (niſi alter bonæ fidei ſeu neſcius criminis tempore legitimo præſcripſiſſet) omnes alienationes voluntariæ, quocumque titulo factæ, à die commiſſi criminis, fructus rei confiſcatæ exinde percepti, repeti, acta ratione officii reſcindi &c. ad quoſcumque bona devenerint; cùm res tranſeat cum ſuo onere, etſi res ipſas recipiens id neſciat; veluti dum quis bonâ fide emit equum furtivum. Debet equidem fiſcus primò intentare actiones revocatorias; cùm contractus & acta fuerint valida. Si tamen alienationes non fuerint voluntariæ, ſed neceſſariæ, ut vocant, v. g. pro alimentis, ſuſtentatione familiæ, ſolutione debitorum, expenſis funeris, non reſcinduntur, cùm hæ ſint tales, ut ipſe fiſcus ſuccedens in bona deberet ejuſmodi debita creditoribus ſolvere. Idem eſt de illis, quæ factæ ſunt pro expenſis litis aut defenſione bonorum.

Ex dictis colligitur, quòd ubi ejuſmodi leges vigent, non poſſit reus latæ ſententiæ, etiam ante ſententiam declaratoriam, bona aut officia titulo oneroſo licitè transferre, niſi illa conditio parti contrahenti declaretur. Quàmvis enim tales contractus non ſint de ſe irriti, nec peccet reus ex eo præcisè quòd alienet, ſicut non peccat relinquendo filiis hereditatem; peccat tamen ex eo quòd irroget alteri gravem injuriam contrahendo de bonis fiſco obnoxiis, ac ſi obnoxia non forent. Aliud eſt, ſi leges alicubi non ſint in uſu; prout in his & multis aliis locis leges confiſcantes ipſo facto bona hereticorum ſunt per uſum abrogatæ: ibi enim pars nullum dammum aut gravamen ſubit. 25.

Obnoxius pœna lata ſententia deberet parti ſecum contrahenti titulo oneroſo indicare periculum rerum de quibus contrahit.

Niſi pœna in deſuetudinem abierit.

QUÆSTIO IV.

An Ignorantia excuſet à pœna Legis humanæ?

Dico I. Omnis ignorantia quæ excuſat factum à peccato, excuſat etiam debitum pœnæ in utroque foro. Probatur ex c. 2. *de Conſtitut.* ubi dicitur: *Rem quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Ad idem facit regula, quæ habetur c. *Cùm ceſſante* de Appellationibus: *ceſſante cauſâ ceſſat effectus.* Et alia jura, quæ refert *Suarez l. 5. cap. 12. num. 3.* Ratio eſt: quia lex juſta non imponit pœnam, niſi ut pœnam; qualis non eſt, niſi præceſſerit culpa. Concluſio cum proportione locum habet in lege purè pœnali, videlicet illum non incurrere pœnam, cujus opus vel omiſſio fit ex tali ignorantia, ut non foret peccaminoſum, ſi ſub culpa fuiſſet præceptum. 26.

Ignorantia excuſans à culpa, excuſat à pœna.

Dices: *Ignorantia facti, non juris excuſat*, ut habet *Reg. 13. juris in 6.* ergo Concluſio non eſt generatim vera. Reſp. Neg. Conſeq. nam ſi regula juris loquatur

Explicatur axioma: Ignorantia facti, non juris excuſat.

quatur de foro interno; vult ignorantiam facti potiùs quàm juris excuſare, eò quòd rariùs hæc ſit invincibilis; cùm ſcientia juris haberi debeat. Si autem loquatur de foro externo, procedit ex præſumptione, quòd non fuerit ignorantia juris, ſaltem invincibilis; quæ non ſupponitur adfuiſſe niſi probetur (quod eſt factu difficile) ideoque in foro externo punitur quis, ignorantiâ juris non obſtante: quàmvis in foro conſcientiæ poſſit declinare pœnam, qui deficit in probatione ignorantiæ invincibilis, ſeu etiam inadvertentiæ; modò conſtet reverà fuiſſe talem.

27. *Ignorantia excuſans à gravi culpa excuſat ſaltem à gravi pœnâ: Secùs ſi non excuſet à culpa gravi,*

DICO II. Ignorantia quæ excuſat à gravi culpâ, etſi non excuſet à peccato veniali, excuſat à gravi pœnâ. Ratio eſt: quia tunc ceſſat cauſa ob quam gravis pœna imponitur, videlicet culpa quatenus gravis.

DICO III. Ignorantia quæ non excuſat à culpa gravi, ob quam imponitur, non excuſat à pœna, niſi lex ad incurrendam pœnam requirat ſcientiam aut dolum. Ratio eſt: quia hæc ignorantia non tollit cauſam pœnæ; ergo nec pœnam tollit.

Si ſit illius ſpeciei, ob quam pœna eſt impoſita;

Dixi, *ob quam pœna imponitur*; nam ſi actus ſit quidem culpabilis, non tamen eâ culpâ ob quam eſt impoſita pœna, non incurretur pœna. Sic peccat quidem percutiens alterum, ſi tamen invincibiliter ignoret eum eſſe Clericum, non incurrit pœnas conſtitutas percuſſori Clerici; utì nec incurrit ſolutus pœnam adulterii, qui cognoſcit alienam quam invincibiliter ignorat eſſe coniugatam. Neque conjugatus incurrit privationem juris ſeu facultatis petendi debitum, ſi cognoſcat alienam, quam invincibiliter neſcit eſſe uxoris conſanguineam, adeòque non committit peccatum formale inceſtûs, cui ob affinitatem contractam ejuſmodi pœna eſt annexa.

Dixi etiam in Concluſione: *Niſi lex ad incurrendam pœnam requirat ſcientiam aut dolum*: quia ſi utatur his aut ſimilibus verbis: *Qui temerè hoc attentaverit, præſumpſerit, ſcienter hoc fecerit &c.* non ſufficit ad pœnam incurrendam culpa gravis qualiſcumque, ſed quæ ſupponat ſcientiam; adeò ut ſi quis tranſgrediatur legem ex ignorantia vincibili aut craſſâ, etſi ſufficienti ad peccatum mortale, non incurrat ſimiles pœnas. Secùs eſt juxta *Suarez ſup. num.* 15. & plures alios contra *Bonacina d.* 1. *de Cenſuris q.* 2. *pun.* 1. *nu.* 11. & alios (quorum ſententia mihi valde eſt probabilis) quando ſimiles leges violantur ex ignorantia affectata, eò quòd in jure ipſa æquiparetur ſcientiæ ac temeritati.

Niſi lex ſcientiam vel dolum requirat.

28. DICO IV. Si quis tranſgrediatur legem humanam in materia juris divini vel naturalis, ſciens quidem ſe agere contra legem Dei aut naturæ, ignorans tamen invincibiliter legem humanam, non excuſatur à pœna legis humanæ, exceptis cenſuris. Ita *Scotus* 4. *d.* 6. *q.* 8. *n.* 1. *Suarez ſupra n.* 7. & alii. Ratio eſt: quia tunc non ceſſat cauſa pœnæ: lex enim humana non ſolùm intendit punire formalem ſui tranſgreſſionem, ſed etiam tranſgreſſionem legis divinæ aut naturalis, præſertim ſi cadat in materiam à ſe etiam præceptam.

Ignorantia legis Eccleſiaſticæ non excuſat à pœna tranſgreſſorem legis alterius, ab Eccleſia puniendum,

Dixi *exceptis cenſuris*: nam probabiliſſimum eſt, & jam communiter receptum, invincibilem ignorantiam legis Eccleſiaſticæ excuſare à cenſura; quamdiu enim præceptum Eccleſiæ ignoratur, peccans non cenſetur eam contemnere, aut contumax. Quod certius eſt in cenſuris latis per judices ordinarios, ob c. *Ut animarum de Conſtitut. in* 6. ubi dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes. Scotus* autem 4. *d.* 6. *q.* 8. *n.* 1. ubi videtur velle quòd ignorantia Canonis non excuſet à cenſura, loquitur de culpabili, ut explicat *Hugo Cavellus* in Scholio ſubſequenti. Immo generaliter de quibuſlibet pœnis humanâ lege conſtitutis id docet cum pluribus *Sanchez l.* 9. *de Matrimonio d.* 32. *n.* 17. & 18. nimirum non incurrere pœnam juris humani, qui ipſum jus humanum ignorat. Sed (ut non immoremur ſingulis) manifeſtum eſt, incurri ſaltem impedimentum pœnale criminis dirimens matrimonium, etſi non ſolùm ignoretur iſta pœna, ſed etiam lex ipſa Eccleſiaſtica.

Exceptis cenſuris.

DICO V. Ignorantia ſolius pœnæ non excuſat ab illa incurrenda. Ita paſſim Doctores & patet ex dictis: quia illa ignorantia non tollit cauſam pœnæ ſeu culpam, ergo nec effectum ſeu ipſam pœnam: atque ita videmus ſervari (inquit *Suarez n.* 11.) tam à Deo quàm ab hominibus; puniet enim Deus æternâ pœnâ etiam illos, qui eam peccatis ſuis deberi ignorarunt: & ab hominibus ſuſpenduntur malefactores, etſi ignoraverint pœnam. 29.

Ignorantia ſolius pœnæ non excuſat.

Valde tamen probabile eſt, ignorantiam invincibilem cenſuræ excuſare ab ea incurrenda: tum propter auctoritatem plurimorum Doctorum: tum quia taliter ignorans non cenſetur plenè contumax; cùm autem jura requirant contumaciam, de plenâ videntur intelligenda, juxta *Regulam Juris in* 6. *Odia reſtringi &c.* Idque multò probabilius eſt in cenſuris Ordinariorum propter c. *Ut animarum* citatum. Accedit, quòd ſaltem excuſet à cenſuris ignorantia ſpecialis

Probabiliter excipiuntur cenſuræ.

cialis prohibitionis ſeu legis Eccleſiæ; quando autem ſub eſt ignorantia cenſuræ, plerumque ſubeſt ſimul ignorantia ipſius legis. Vide *Præpoſitum de Cenſuris quæſt. 1. dub. 8.* Immo *Sanchez ſup. num. 21.* non improbabilem exiſtimat opinionem *Navarri cap. 23. Manualis num. 47. & cap. 27. num. 274.* docentis ignorantiam cujuſcumque pœnæ, præſertim ſi ſit gravis & extraordinaria, excuſare ab ea incurrenda: & conſequenter probabile cenſet (quod probabiliſſimum dicit *Dicaſtillo diſp. 9. de Matrimonio dub. 9. numero 105.*) eum, qui uxori ſuæ factus eſt affinis per copulam cum conſanguinea uxoris, non privari jure petendi debitum, etſi non defuerit ſcientia juris & facti, ſi fuerit ignorantia probabilis ſeu invincibilis ſolius pœnæ. Quod tamen non facilè admiſerim ob dicta in Concluſione. Neque admiſſuros crediderim ullos judices, qui non obſtante allegatione, immo & probatione hujuſmodi ignorantiæ, pergerent in punitione malefactorum per pœnas legibus ſtatutas. Neque inde delicti quantitas adeò diminuitur, ut ob hoc pœnâ ordinariâ derelictâ ad extraordinariam ſeu minorem ſit judici procedendum.

QUÆSTIO V.

De lege Irritante.

30. *Irritatio actuum humanorum deſcribitur.* AD pleniùs cognoſcendum vires & obligationes legum, explicandus ſupereſt ſpecialis quarumdam legum effectus, qui eſt irritatio actûs humani, quâ fit ut actus humanus contra formam legis humanæ exercitus, ſit invalidus careatque ſuâ efficaciâ morali: hoc enim eſſe in poteſtate humani legiſlatoris, ex uſu & praxi Eccleſiæ, Conciliorum, ac etiam Principum ſæcularium certum eſt. *Cadit ſub publicam poteſtatem.* Si namque in poteſtate privatorum ſit, apponere certas conditiones contractibus, quibus deficientibus valor & obligatio contractuum non ſubſiſtat, multò magis id poterunt ſuperiores per legem. Aliud etenim eſt actum ſimpliciter eſſe humanum, aliud illum eſſe validum, ſeu habere moralem efficaciam; adeòque poſterius poteſt per legitimam poteſtatem ſeparari à priori. Confirmatur: quia voluntates ſubditorum ſunt poſitæ in manu Rectoris Reipublicæ, ſicut antea erant ſeu fuiſſent in manu ſua: adeòque ſicut à voluntate propria, ſic etiam à voluntate ſuperioris pendet actuum valor ſeu efficacia moralis. Deinde ſicut Lex humana poteſt præcipere quod jure naturæ non erat præceptum, ſic etiam irritare quod jure naturæ non erat irritum, v. g. matrimonium clandeſtinum, quod eſt validum jure naturæ, non quidem præceptivè ſed permiſſivè, quatenus ſcilicet ipſum quidem non irritat, tamen etiam irritari non vetat.

Dupliciter autem poteſt actus aliquis humanus per poteſtatem publicam irritari. 31. *Idq; dupliciter.* Primò immediatè & directè; prout v. g. contractus matrimonii clandeſtini irritatur à *Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. De Reformatione Matrim.* Et tunc contrahentes ſimpliciter relinquuntur habiles ad contrahendum, ſolùmque redduntur inhabiles ad ſic contrahendum, ratione ſcilicet contractûs in ſe invalidi, ad quem quiſque eſt inhabilis. Secundò mediatè & indirectè, inhabilitando videlicet perſonas alioquin habiles ad contrahendum, & ex conſequenti tantùm irritando ipſum contractum: prout v. g. perſonæ conſanguineæ, affines &c., ſunt inhabiles; & ex conſequenti matrimonia earumdem; quæ tamen abſque nova circa ſe diſpoſitione valerent, hoc ipſo quòd inhabilitas ſeu impedimentum lege ſtatutum ab ipſis perſonis conſanguineis per diſpenſationem tolleretur. His præmiſſis

Lex humana irritans eſt, quæ actum alioquin validum impedit, ne effectum ſortiatur. 32. *Quid lex irritans, & quotuplex.* Dividiturque in legem ferendæ & latæ ſententiæ. Ad quod diſcernendum conducere poſſunt ſigna ſuperiùs allata ad cognoſcendum, an lex pœnalis ſit ferendæ, an latæ ſententiæ. Porrò quandò lex irritans eſt latæ ſententiæ, nulla requiritur ſententia judicis etiam declaratoria, niſi quando lex irritans eſt pœnalis ſeu conſtituta in pœnam delicti. Pro quo

Nota actus irritari vel in pœnam, vel ob bonum commune, vel mixtim: quod ex occaſione legis & ſubjectâ materiâ eſt judicandum. Unde patet aliquas leges irritantes eſſe pœnales, aliquas non. *Leges irritantes ſi ſint pœnales ſequuntur regulas legum pœnalium.* Quando ſunt merè pœnales ſequuntur regulas legum pœnalium, ac requirunt ſententiam declaratoriam criminis, etſi ſint latæ ſententiæ. Similiter requirunt ſcientiam legis adeſſe, adeò ut ignorantia excuſans actum à culpa, etiam excuſet ab irritatione incurrendâ. Secùs eſt, quando irritatio non eſt conſtituta in pœnam, aut certè ſimul ac principaliter ob bonum commune ac moralem decentiam diſtinctam à punitione delinquentis. Sic conſtat ex ſenſu Eccleſiæ profeſſionem factam ante annum decimum ſextum ætatis completum eſſe invalidam, ſimiliter matrimonium clandeſtinum aut cum alio impedimento dirimente contractum eſſe invalidum, quãtumcumque lex irritans ignoretur:

retur: cùm enim hæ leges non reſpiciant præciſè aut præcipuè culpam, ſed bonum commune, hinc locum habent, etſi culpa abſit, cùm equidem adſit ratio boni communis.

33. *Non omnis lex actum prohibens irritat illum.* Petes, unde poſſit dignoſci, quòd lex aliqua irritet actum? Reſpond. primò, non rectè colligi ex eo, quòd lex actum aliquem ſimpliciter prohibeat: nam annullatio actûs & prohibitio illius ſunt effectus legis diſtincti, nec neceſſariò connexi; adeòque ex prohibitione actûs non rectè infertur ejuſdem annullatio; maximè cùm actum irritari, ſit gravamen; adeòque verſemur in odioſis, quæ oportet reſtringi. Antecedens patet etiam in præceptis naturalibus. Sic v. g. jure naturæ illicitè contrahit matrimonium, qui emiſit ſimplex votum caſtitatis, & tamen contractum tenet. Patet etiam in præceptis Eccleſiaſticis. Sic v. g. illicitum, & tamen validum eſt matrimonium contractum abſque denuntiationibus præviis, aut cum impedimentis impedientibus tantùm. Immo aliqua prohibentur, quæ ab Eccleſia irritari non poſſunt, ut Sacerdoti excommunicato ne celebret, Epiſcopo ne ordinet niſi ſubditos &c. Unde eſt Regula vulgata. *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*; quæ deſumpta eſt ex c. *Ad Apoſtolicam, de Regularibus.* Alia itaque Regula Juris in 6. *Quæ contra jus fiunt debent pro infectis haberi*, ſolùm vult actus, etſi contra legem merè prohibentem factos meritò in pœnam per judicem poſſe reſcindi, quando irritabiles ſunt, juxta illud quod dicit Joannes Papa c. *Vides diſt.* 10. *Quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur.*

34. *Reſpondetur ad L. Non dubium.* Solùm objici poteſt *L. Non dubium C. de Leg.* (cui innituntur quidam Juriſtæ contrarium ſentientes) in illa enim annullantur omnes contractus & acta contra legem, etſi lex tantùm ſit prohibens. Sed Reſp. legem hanc non habere locum in foro Eccleſiaſtico, utì nec in foro civili extra terras Imperii. Immo in ipſis terris Imperii ob extraordinarium rigorem eſt conſuetudine abrogata, ut varii Auctores teſtantur. Alioquin ibi locum haberet objectio; cum his tamen limitationibus: nam cùm irritatio iſtius legis ſit pœna delinquentis contra legem, excuſat ab ea incurrenda, quidquid excuſat à culpa. Similiter requiritur ſententia declaratoria criminis. Denique probabile eſt, legiſlatorem à pœna *L. Non dubium* recedere, quando apponit aliam particularem pœnam; tunc enim videtur eſſe hâc contentus.

35. *Defectus formæ ſubſtantialis irritat actum.* Reſpond. II. Si lex præſcribat formam ſubſtantialem actui, irritat actum ſecùs factum: cùm res non poſſit ſubſiſtere ſine ſua forma ſubſtantiali. Talem formam certò præſcribit, quando addit clauſulas irritantes, ut ſi dicat: *Aliter facta non valeant, ſint irrita, caſſata, effectum non ſortiantur, omni prorſus robore careant, caſſamus, annullamus &c.* tunc enim lex apertè reſiſtit valori actûs. Unde electio, collatio, ſententia, & ſimiles actus aliter exerciti indubiè ſunt invalidi. *Quæ dignoſcitur ex clauſulis irritantibus.*

Sed difficultas eſt, undenam ſciri poſſit formam lege præſcriptam eſſe ſubſtantialem, quando non adduntur clauſulæ irritantes: cùm etiam poſſit per legem præſcribi forma, quæ tantum ſit accidentalis. Et licèt variæ ad hoc ſoleant aſſignari regulæ, ægrè tamen dari poteſt regula univerſalis, quæ ſit infallibilis. Sed videtur conſulenda conſuetudo & communis acceptio legis in hoc vel illo ſenſu. Conſideranda etiam eſt attentè materia legis ac intentio legiſlatoris, & an per ſimilia verba ſoleat limitari actus publicus, aut ad quem debet per legem vel Principem poteſtas concedi; prout contingit in forma ſervanda in electionibus, alienationibus rerum Eccleſiaſticarum &c. In aliis autem actibus privatorum non eſt æquè certum, eſſe formam ſubſtantialem, etſi dicatur; *aliter non poſſit, aliter non poteſt &c.* quia hæc poſſunt intelligi, *licitè, jure &c.* quod enim jure non poſſumus, dicimur non poſſe, quàmvis alioquin actus ſubſiſtat. Similiter non videtur forma ſubſtantialis, quando jam habenti poteſtatem præſcribitur forma ſeu modus in executione iſtius poteſtatis ſervandus: actus enim ſine tali formâ facti cenſentur tunc procedere à poteſtate præhabitâ, quæ quantùm ad valorem non debet cenſeri eſſe reſtricta per poſteriorem formæ præſcriptionem, niſi ſufficienter conſtet; non conſtat autem, quando clauſula irritans aliudque ſignum expreſſius non adeſt. 36.

Hinc validum eſt matrimonium celebratum abſque denuntiationibus; quàmvis illas debere præcedere jure Eccleſiaſtico decernatur: nam per legem non confertur contrahendi poteſtas, ſed ſupponitur, tantùmque præſcribitur modus illam exequendi, non additâ clauſulâ irritante. Similiter valida eſt jure communi excommunicatio, etſi non feratur ſcripto; quod tamen ipſo jure præſcribitur c. 1. *De Sentent. Excommunicationis in 6.* Aliud eſt ſi per legem concedatur de novo poteſtas ſub certa forma aut conditione, ut ſi detur poteſtas abſolvendi à cenſura, injunctâ pœnitentiâ ſacramentali, aut aliquid agendi de conſilio vel aſſenſu alterius; tunc enim actus aliter facti ſunt irriti. 37.

Petes II. An lex humana irritet actus etiam pro foro conſcientiæ? Reſp. Aff. niſi 38. *An lex humana irri-*

tet actus etiam pro foro conſcientia,

niſi fortè alicubi in Jure explicetur formam aut ſolemnitatem tantùm requiri ad probandum in judicio. Ratio eſt: quia verba legum ſimpliciter irritant, nec alibi indicant id eſſe reſtringendum ad forum externum. Deinde irritando actum adimunt poteſtatem aliter agendi aut contrahendi. Quod certum eſt in lege Tridentini irritante matrimonia clandeſtina, & ſimilibus. Vide *Leſſium l. 2. c. 19. n.35.* Non deſunt tamen, qui probabile exiſtimant valere in conſcientia contractus, electiones &c. quibus deeſt ſolemnitas Juris civilis, ſi contrahentes ſint per ſe habiles, & adſit plenus utrimque conſenſus; aut ſuffragium ferant, qui jus eligendi habent, quàmvis aliquæ ſolemnitates jure requiſitæ deſint. Quod aliqui applicant etiam actibus ſimilibus irritatis ab Eccleſia, quando per verba Canonum, vel uſum id expreſſiùs non declaratur; prout declaratur in lege irritante matrimonium clandeſtinum, & multis aliis. Idque *Trapoſitus quæſt. 95. dub. 3. num. 49.* in fine ait, non videri omninò improbabile.

39\. *Lex actum irritans ſæpè eumdem ſimul prohibet.*

Petes III. An lex irritans actum, eumdem ſimul prohibeat? Reſpond. legem irritantem plerumque apponere expreſſam prohibitionem actûs irritati. Immo etſi id expreſsè non faceret, equidem foret illicitum actum irritum facere, quando hic eſt talis conditionis, ut non poſſit fieri honeſtè, niſi fiat validè; v.g. ſi lex præſcribat formam actûs, ad quem aliquis ex juſtitia obligatur: quia tenetur ponere actum validum. Idem eſt ſi lex verſetur in materia Religionis: nam graviter videtur adverſari reverentiæ rebus ſacris debitæ, exercere talem actum invalidè; adeòque per legem humanam conſtituitur medium in materia talis virtutis neceſſariò ſervandum. Hinc Matrimonium invalidum contrahere communi ſenſu eſt grave ſacrilegium; item invalidè abſolvere, profiteri, eligere, beneficia conferre &c. ubi tamen

Quomodo excuſet metus.

Adverte, quòd, ſi gràvis metus intercedat, non videatur peccatum, uſurpare dumtaxat actum externum ad metum evadendum, ſi non adſit animus ponendi actum in ſua ſpecie; v.g. proferendo ſolùm verba externa contractûs, abſque intentione contrahendi, ſi contractus ſit irritus. Ut tamen excludatur peccatum ſaltem veniale mendacii, debet ſic fictè contrahens cautè adhibere æquivocationem ſeu amphibologiam; prout licitè adhibere poteſt, cùm juſtiſſima ſubſit cauſa. Idemque dicendum eſt, etiamſi contractus ſit matrimonialis.

Quando lex irritans non prohibeat actum irritatum.

Si autem lex præſcribat formam ſubſtantialem in aliis materiis v. g. liberalitatis &c. irritando donationes, teſtamenta &c. aliter facta, & non utatur verbis præceptivis, non eſt obligatio in conſcientia ad tales actus non exercendos: ſinè ea enim poteſt lex obtinere effectum, v.g. annullationem actûs; & ex verbis legis, cùm non ſint præceptiva; non apparet oriri obligationem in conſcientia: neque etiam ex natura rei, cùm ejuſmodi actus invalidè facti non contineant ſpecialem inhoneſtatem. Poterit tamen fieri, ut iſti actus invalidè exerciti ſine cauſa, ſint veniale peccatum otioſitatis; aut etiam non careant culpâ gravi, quando innocens, qui bonâ fide procedit, inde pateretur grave detrimentum.

DISPUTATIO SEXTA.

De Cenſuris Eccleſiaſticis & Irregularitate.

Etsi de Cenſuris ſeu pœnis Eccleſiaſticis ordinariè tractari ſoleat in materia de Sacramentis poſt tractationem de Sacramento Pœnitentiæ, proprius tamen & congruus locus apparet hîc eſſe, ut ubi de Legibus etiam Eccleſiaſticis, ac tam de lege favorabili, quàm de pœnali & irritante actum eſt, etiam ſpecialiùs de pœnis Eccleſiaſticis inquiratur: quarum præcipuæ ſunt Cenſuræ. Quibus nônullæ aliæ ſunt valde affines, de quibus etiam conſequenter ordine ſuo tractabitur.

QUÆSTIO I.

De Cenſuris in genere.

§. I.

Quid ſit Cenſura, & quotuplex?

1\. *Cenſura unde dicta.*

Vocabulum *Cenſura* deductum videtur à Cenſorum munere, qui corrigendis civium moribus præerant. Significat & munus ipſum, & animadverſionem coërcitionemve, ſecundùm illud *Juvenalis Satyra 2.*

Vexat cenſura columbas.

Quomodo hîc accipitur, tranſlatâ ſignificatione vocis ad pœnam ſive coërcitionem Eccleſiaſticam, quæ privat uſu aliquorum bonorum ſpiritualium ratione delicti.

Quomodo definiatur.

Solet autem cenſura Eccleſiaſtica hoc vel ſimili modo definiri: *Pœna ſpiritualis, medi-*

medicinalis privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, per Eccleſiaſticam poteſtatem ita impoſita, ut ex ſe non ſit perpetua, ſed poſitâ emendatione tolli debeat. Dicitur primò, *Pœna medicinalis*: quia cenſura non tam imponitur ob punitionem, quàm ob emendationem. Unde per accidens eſt, quòd ſubinde feratur abſque ſpe emendationis. Per hoc quod dicitur, *Pœna*, excluditur Ceſſatio à divinis, quæ non imponitur per modum pœnæ, ſed per modum luctûs ob injuriam Deo vel Eccleſiæ illatam. Dicitur ſecundò, *Privans uſu bonorum ſpiritualium:* ad hoc enim primariò ordinatur, adeò ut bonis temporalibus non niſi ſecundariò privet; utì excommunicatio privat convictu humano, adminiſtratione beneficii &c. Dicitur tertiò, *Per Eccleſiaſticam poteſtatem*: per illam enim ſolam infliguntur cenſuræ; cùm jure divino nulla inveniatur inflicta, civili autem infligi nequeat. Dicitur quartò: *Ut de ſe non ſit perpetua:* cùm enim ſit medicinalis, debuit ſic inſtitui, ut ſublatâ contumaciâ etiam tolli poſſit & debeat. Idque innuitur c. *Ex litteris, De Conſtitut.* Atque ita excluduntur Irregularitas, Depoſitio & Degradatio: nam ſic imponuntur, ut quantùm eſt de ſe, exigant eſſe perpetuæ; cùm non ſint propriè medicinales, nec privent immediatè uſu bonorum ſpiritualium, ſed poteſtate iis utendi.

2. *Eſt triplex.* Cenſura eſt triplex, ſcilicet Excommunicatio, Suſpenſio & Interdictum; ut dividunt communiter Theologi & Canoniſtæ. Quàmvis *Sotus* & pauci alii addant Ceſſationem à divinis, & Irregularitatem quæ imponitur ratione delicti. Quorum loquendi modus improbatur. In primis ex dictis circa definitionem Cenſuræ, à qua duo iſta excluſimus. Deindè c. *Quærenti, De verborum ſignificat.* Pontifex interrogatus, quid nomine Cenſuræ in litteris Apoſtolicis intelligeretur, reſpondet intelligi Interdictum, Suſpenſionem & Excommunicationem: adeòque non oportet alias adjungere, cùm reſponſio Pontificis cenſenda ſit ſufficiens & doctrinalis. Denique qui violat cenſuram celebrando aut Sacramenta miniſtrando, incurrit irregularitatem; quæ tamen communi judicio non incurritur ex eo quòd irregularis celebret, vel Sacramenta adminiſtret. Neque ſimiliter incurrit irregularitatem, qui celebrat, dum eſt ceſſatio à divinis; ut de ceſſatione particulari communiſſimè tenetur, & de generali communiùs, ut patet apud *Suarez d.39. ſect. 1. num. 8. Prapoſ. quæſt. 1. de Cenſuris dub. 3.* & alios.

Sub facultate abſolvendi à cenſuris non continetur facultas diſpenſandi in irregularitate. Ex quo ſequitur, quando in Jubileo aut privilegiis datur poteſtas abſolvendi à cenſuris, vi iſtius conceſſionis non poſſe aliquem diſpenſare in irregularitate, etiam contractâ propter peccatum, & quæ verè pœna ſit; ut contra *Sotum* docent Doctores communiter. Idemque habet ſtylus Curiæ. Interdum autem ad cautelam majorem Pontifices etiam expreſſiùs in ſuis Bullis hanc ſuam mentem declarant; prout fecit Alexander VII. in Bulla indictionis Jubilæi occaſione ſuæ Electionis conceſſi anno 1655. excipiens irregularitatem.

3. *Singula cenſura qui ab invicem diſtinguuntur.* Advertendum autem, quòd etſi Excommunicatio, Suſpenſio & Interdictum eâdem ſubindè re privent, tamen in ratione cenſuræ diſtinguantur, ac proindè meritò tres aſſignentur, propter diverſum privandi modum: interdictum enim privat bonis ſpiritualibus, ut ſunt quædam bona, ibi ſiſtendo: ſuſpenſio illis privat, ut ſunt quidam uſus poteſtatis Eccleſiaſticæ: excommunicatio verò privat, ut ſunt bona communia, quibus fideles inter ſe communicant.

§. II.

An & penes quos ſit poteſtas ferendi cenſuras?

4. *Eſſe in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras fides docet.* Esse porrò in Eccleſia poteſtatem ferendi Cenſuras, eſt fide certiſſimum ex definitione *Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 8. & 15.* & ex perpetuo uſu Pontificum, Conciliorum, etiam Generalium, ac Epiſcoporum. Immo excommunicationis mentionem facit Urbanus I. in Epiſtola Decretali ad univerſos Epiſcopos: & antè hunc *Canon* 33. Apoſtolorum. Ipſe etiam Apoſtolus 1. *ad Cor.* 5. excommunicat inceſtuoſum, & 1. *ad Timoth.* 1. excommunicat Alexandrum & Hymenæum; ut paſſim Patres exponunt.

Patet etiam ex *Matth.* 18. ubi cùm Chriſtus dixiſſet: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*; ſtatim ad inſinuandum Apoſtolis dandam poteſtatem faciendi talem ſeparationem, ſubiunxit: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.* Denique non tantùm poteſtas paſcendi Eccleſiæ debebat competere, ſed etiam poteſtas coërcendi; ſicut cuilibet reipublicæ bene ordinatæ competit poteſtas non tantùm diſtribuendi dignis bona communia, ſed etiam indignos privandi.

5. *Ordinaria poteſtas reſidet penes eos, qui habent ordinariam juriſdictionē in foro externo. Hi enumerantur.* Poteſtatem ordinariam ferendi cenſuras habent omnes & ſoli illi, qui habent juriſdictionem ordinariam in foro externo: eò quòd poteſtas ferendi cenſuram pertineat ad poteſtatem coërcitivam fori externi, & ad ejus complementum requiratur. Unde in primis illam habet Pontifex reſpectu omnium fidelium. Item Epiſcopi reſpectu ſuæ diœceſis: Legati Pontificis reſpectu provinciæ ſuæ legationis: Vicarius Epiſcopi, cui idem eſt cum Epiſcopo tribunal: Vicarius item electus à Capitulo Sede vacante; & multò magis

ipſum

ipſum Capitulum, quod ſuccedit in Epiſcopalem juriſdictionem jure proprio. Pertinet etiam hæc poteſtas ad quoſdam Abbates, Archidiaconos & Archipresbyteros, quibus ex uſu aut jure ſpeciali communicata eſt pro certo diſtrictu ejuſmodi Epiſcopalis juriſdictio. Inſuper ad Concilia Generalia & Provincialia. Denique ad Superiores Religionum, non ſolùm Generales & Provinciales, ſed etiam locales; cùm omnes ſint veri Prælati habentes juriſdictionem in foro externo; quæ nullibi hâc in parte eſt reſtricta. Idemque confirmat Religionum praxis, privilegia & Statuta, ſignanter *Statuta generalia Ordinis noſtri Franciſcani c. 6 §. 19.*

6. *Delegata poteſtas cõpetere poteſt Clerico,* Ex delegatione poſſunt ferre cenſuras, quibus id fuerit commiſſum ab habentibus poteſtatem ordinariam. Poteſt autem committi cuivis Clerico gaudenti privilegiis clericalibus, eò quòd hic ſit capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ. *Non tamen conjugato,* Excipe clericum conjugatum, qui tametſi præſtet ea, ob quæ privilegio Canonis & fori gauderet, eſt tamen beneficiorum & juriſdictionis ſeu adminiſtrationis Eccleſiaſticæ incapax c. 2. *De Clericis conjug.* *Aut laico,* Idem à fortiori eſt de laicis juxta omnes Doctores, & colligitur ex c. *Indicatum diſt. 89.* & aliis Juribus. *Etiam profeſſo,* Quin immo nec Religioſo profeſſo, ſi laicus ſit, committi ea juriſdictio poteſt, ut ex communi Sententia docet *Suarez*, *Layman*, & alii. Quare nequidem ex diſpenſatione Epiſcopi poteſt prædictis competere hæc poteſtas. *Secluſâ diſpenſatione Pontificis,* Quàmvis, cùm hoc Eccleſiæ Statutum ſit de jure poſitivo, poſſit Pontifex de plenitudine poteſtatis committere laico & conjugato hanc juriſdictionem. Idéque videtur probabilius de femina; quæ *Ex qua poſſet etiam femina cõpetere.* etſi jure communi ſit incapax juriſdictionis hujuſmodi; at non jure divino, etſi hoc jure ſit incapax Ordinis. Unde ex privilegio Pontificis poteſt Clericis conferre beneficia, eoſque in Eccleſiis inſtituere, & poſſeſſionem conferre, eiſque præcepta imponere, etiam ſuſpendendo ab officio & beneficio (ſcilicet non per cenſuram, ſed per quamdam prohibitionem) ut patet ex c. *Dilecta 12. De majorit. & obed.* Quæ omnia ſunt munia juriſdictionis ſpiritualis.

Denique delegari poteſt collegio ſeu communitati. Denique poteſt delegari Collegio aut Communitati; cùm conſtare poſſit ex viris baptizatis, & ratione utentibus, atque in gradu clericali conſtitutis. Quod procedet, etiamſi conſtet partim clericis, partim laicis; ſi tamen plures ſint clerici, quàm laici, vel etiam æquales, quia pars dignior trahit ad ſe minùs dignam. Ita *Abbas*, *Suarez*, & alii: cùm hæc poteſtas non ſit in ſingulis, ſed in ipſa communitate. Raro tamen, & non commodè Communitatibus hæc poteſtas committitur, cùm

Segnius expediant commiſſa negotia plures.

§. III.

In quos, ob quam cauſam, & quâ formâ ſit ferenda cenſura?

SUBIECTUM in quod poteſt ferri cenſura eſt homo viator, baptizatus, adultus ſeu doli capax, & inferior ſeu ſubditus infligenti cenſuram: in defunctos enim Eccleſia nullam habet juriſdictionem: *7. Quiſnam Cenſuræ capax.* utì nec in Judæos, Paganos, & alios non baptizatos. Hæretici tamen, Apoſtatæ & Schiſmatici poſſunt cenſuris feriri; cùm maneant ſub Eccleſiæ juriſdictione. Deinde incapax doli, utì non poteſt peccare, vel ligari præcepto, ita nec cenſurâ. Unde in pueros ante uſum rationis, & in perpetuò amentes non poteſt ferri cenſura. Denique cùm cenſura ſpectet ad juriſdictionem coactivam, non poteſt infligi non ſubdito aut ſuperiori, aut etiam ſibi ipſi. Unde Pontifex non poteſt incurrere aliquam cenſuram.

Ad Excommunicationem inſuper requiritur, ut feratur in hominem determinatum: non enim tota aliqua Univerſitas vel Collegium poteſt excommunicari ut habetur c. *Romana*, *De ſent. excommunic. in 6.* idque ne huiuſmodi ſententiâ irretirentur etiam innoxii, quales in integris communitatibus aliqui eſſe ſolent. Secùs eſt de cenſura Suſpenſionis & Interdicti, ut patet ex c. *Si ſententia eod. tit.* Idque quia hæ pœnæ non ſunt tam graves, cùm hominem non privent bonis ita neceſſariis animæ, ut ſunt ſuffragia & auxilia Eccleſiæ (quibus privat excommunicatio) ideóque abſurdum non eſt eis quandoque etiam ligari per accidens innocentes. Unde dum fertur excommunicatio contra aliquam communitatem, cenſetur ſolùm ferri contra particulares perſonas, nempe contra ſingulos delinquentes, qui ſufficienter determinentur per ſuum delictum. *8. Excommunicatio ferenda in hominem determinatum: ſecùs eſt de aliis cenſuris.*

Notandum verò Superiorem regularem poſſe ſuum ſubditum ligare cenſurâ tam per ſtatutum quàm per ſpeciale præceptum, ubicumque peccet; quia poteſtas illius nullo limite locali coarctatur. Quàmvis Epiſcopus ſubditum extra territorium peccantem nequeat lege vel ſtatuto ligare cenſurâ juxta c. 2. *De Conſtitut. in 6.* Si tamen poſt reditum ab Epiſopo citatus non obediat, poteſt ab hoc cenſurâ ligari. An verò ſicut Epiſcopus ſubditum extra territorium exiſtentem poteſt adſtringere præcepto ab homine ſive generali ſive ſpeciali, ſic etiam poſſit ligare cenſurâ tranſgreſſioni præcepti ipſo facto annexâ, dubium eſt. Affirmat *Suarez* & alii. Varii tamen non improbabiliter negant, ut refert & ſequitur *Præpoſitus q. 1. d. 5. n. 31.* *9. An poſſet ſuperior cẽſurâ ligare ſubditum ubicumque delinquentem.*

10. *Poteſt idem pluribus ſive ejuſdem ſive diverſæ rationis cẽſuris innodatus exiſtere.*

Notandum præterea, unum & eumdem poſſe pluribus cẽſuris ſimul ligari, ſive diverſæ rationis v. g. pluribus excommunicationibus; quàmvis enim una excommunicatio perfectè privet ſuffragiis, uſu Sacramentorum &c. poteſt tamen ſecunda adveniens etiam privare virtualiter & novo titulo, ſicut peccator per nova peccata mortalia novo titulo privatur gratiâ & jure ad cæleſtem hereditatem.

Quando id contingat.

Incurrit autẽ quis plures cenſuras diverſæ rationis, quando violat unum præceptum ſub pluribus cenſuris impoſitum, vel plura præcepta, quorum unum eſt impoſitum ſub Excommunicatione, aliud ſub Suſpenſione &c. Incurrit plures cenſuras ejuſdem rationis, quando tranſgreditur plura præcepta impoſita ſub cenſura eiuſdem rationis, v. g. ſub excommunicatione, vel quãdo tranſgreditur idem præceptum iteratis vicibus v.g. percutit ſæpiùs ſeu diſtinctis moraliter vicibus eumdem ſive diverſum Clericum. Immo plures cenſuræ incurruntur in unica tranſgreſſione eiuſdem præcepti, quando illud à diverſis ſuperioribus diverſâ juriſdictione utentibus ſub cenſura eſt impoſitum, ita quòd cenſeatur formaliter diverſum, prout eſt impoſitum ab hoc ſuperiore, & prout ab alio, v.g. ſi unum ſit Jus commune, aliud Statutum particulare Ordinarii: tunc enim geminatur contumacia, adeòque cenſura. Vide *Suarez d. 5. De Cenſuris ſect. 2. num. 13. Bonacina d. 1. q. 1. pun. 5. propoſ. 3.*

11. *Quam ob cauſam infligenda ſit cenſura.*

Cauſa ob quam infligitur cenſura debet eſſe peccatum aliquo modo externum; idque grave, quando cenſura eſt gravis. Qualis non eſt Excommunicatio minor, quæ ferri poteſt, & fertur ob peccatum veniale, v.g. ob levem in civilibus communicationem cum nominatim excommunicato. Debet prætereà peccatum eſſe aliquo modo contra Eccleſiam; cùm cenſura ſit ad frangendam contumaciam, ſeu inobedientiam, conformiter ad illud *Matth.* 18. *Si Eccleſiam non audierit &c.* Sic habet cõmunior opinio, præſertim de Excommunicatione. Quæ confirmatur: quia ſi agatur de peccato futuro, debet ſaltem præcepto ſive divino ſive Eccleſiaſtico aliquid ordinanti cenſura per Eccleſiam eſſe annexa, adeòque eatenus Eccleſia cõtemni. Si de præterito, fatendum propter illud poſſe infligi aliquam pœnam per modum puræ vindictæ abſque ordine ad futurum, v.g. privatio conſortii aliorum &c. non eſt tamen propriè cenſura, quæ eſt medicinalis inſtituta, non tam ad peccata vindicandum, quàm ad hominem ab iis avertendum. Deinde ſi infligeretur ei, qui Eccleſiæ monitionem aut præceptum non contemnit, ſed ei ſe accommodare eſt paratus, potiùs eſſet vindicativa, quàm medicinalis.

12. Debet prætereà peccatum in genere ſuo eſſe completum; cùm in pœnis benignior interpretatio ſit adhibenda. Ideoque c. *Perpetuo, De Elect. in* 6. dicitur, ſcienter eligentes indignum pœnas non incurrere, *niſi adeò in eo perſtiterint, quòd ex votis eorum cõmunis electio ſubſequatur.* Excipe, niſi aliud in tenore legis ſeu cenſuræ exprimatur: tenor enim verborum eſt ſummè attendendus, & juxta eum eſt judicandum. Unde quando excommunicatur homicida non incurrit cenſuram qui ſolùm percuſſit vel vulneravit; ſi excommunicatur vulnerans, non incurrit qui percuſſit abſque inflicto vulnere; ſi excommunicatur faciens, non incurrit qui ſolùm mandat vel conſulit; ſi autem excommunicatur mandans aut conſulens, incurritur cenſura poſito mandato aut conſilio, etſi effectus non ſubſequatur; niſi ex verbis colligatur, quòd legiſlator velit primò punire facientem, alios verò non niſi propter effectum ſecutum.

Peccatum ob quod fertur, intelligitur completum, niſi aliud exprimatur.

13. *Qualis præmittenda ſit monitio.*

Quod ad monitionem cenſuræ præmittendam attinet, nulla ſpecialis eſt neceſſaria, quando cenſura eſt trãſgreſſoribus decreta ipſo jure ſeu præcepto juxta c. *Reprehenſibilis, de Appellat.* & Doctores communiter: ipſum enim jus tunc continuò & peremptoriè admonet, ſub pœna cenſuræ, quæ ſtatim à tranſgreſſore incurritur. Idem varii docent, quando à jure vel præcepto ſuperioris decreta eſt cenſura ferendæ ſententiæ ob futuram tranſgreſſionem: quàmvis enim tunc præmitti debere canonicam monitionem, benigniùs doceant *Suarez, Prapoſitus*, & plurimi alii. Niſi fortaſſe in ipſa lege expreſſa comminatio fieret cenſuræ per judicem ſine alia monitione inferendæ. Quando autem cenſura eſt ferenda ab homine ob peccatum præteritum, necdum emendatum, convenit apud Doctores & ſumitur ex jure, eam infligi nõ poſſe ſine prævia monitione canonicâ, ſive juxta Canonum præſcriptum factâ, nempe trinâ juxta c. *Conſtitutionem, de Sent. excommunic. in* 6. interpoſito aliquot dierum inter monitiones ſingulas intervallo, ut ibidem dicitur: quàmvis, ut additur, etiã unica poſſit fieri pro trina, præfixo eo temporis intervallo, quod pro trina ſufficeret: v.g. moneo te ſemel pro tribus vicibus, concedẽdo tibi ſex dies, biduum pro ſingulis monitionibus. Datur etiã judici licentia amplior tempus reſtringendi; ſi cauſæ neceſſitas poſtulet etiam ad unum diem aut brevius tempus, ut colligitur ex c. *Conſtitutionem cit.* Immo etſi aliqua ſaltem admonitio ad valorem, præſertim excommunicationis (de aliis Cenſuris eſt controverſum) requiri videatur, cùm alioquin non videatur habere locum contumacia: ad valorem tamen non requiritur monitio canonica, juxta Doctores communiter; cùm cenſura aliter lata nullibi irritetur. Excepto caſu, quo judex fert cenſurã contra eos, qui cum excommunicatis ab ipſo communicãt, juxta c.

ta c. *Conſtitutionem*, c. *Statutum & c. Statuimus, de Sent. excommunic. in 6.*

Cui & quomodo facienda.

Advertendum admonitiones faciendas eſſe ipſi reo, aut ſaltem tali modo, ut ad rei notitiam facilè poſſint pervenire: idque coram idoneis teſtibus, ut habetur c. *Sacro, De ſent. excommunic.*

14. *Cenſura ferenda in ſcriptis.*

Cenſura autem debet ferri ex ſcripto, in quo cõtineatur cauſa illius, & exemplar debet tradi reo intrà menſem, ſi petat. Super ipſa autem requiſitione debet fieri authenticum inſtrumentũ. Ita habetur c. 1. *De ſent. Excommun. in 6.* Horum tamen omiſſio non invalidat cenſuram jure cõmuni. Quàmvis jure ſpeciali in *Statutis generalibus Franciſcanorum c. 6. §. 19.* ordinetur ſub pœna nullitatis ipſo jure, ne niſi in ſcriptis ab ullo Prælato pœna excommunicationis feratur per modum ſtatuti, vel ordinationis ad præcavenda delicta; ut eſt prohibitio ingreſſus in cellas, ſive in aliquas ſæcularium domos, & id genus alia.

Etſi ſecus lata valeat jure communi.

An autem, & qualis ignorantia (idem eſt de inadvertentia) excuſet ab incurrenda cenſura, dictum eſt *diſp. prec. q. 4.*

De effectibus Cenſurarum nil eſt dicendum præter ea, quæ dicentur de ſingularium effectibus in particulari.

QUÆSTIO II.

De Excommunicatione.

§. I.

Quid ſit Excommunicatio, & quotuplex?

15. *Excõmunicatio quid.*

EXCOMMUNICATIO eſt cenſura, quæ privat directè communione fidelium. Excluditur Suſpenſio & Interdictum, quæ non privant eâ communione niſi ad ſummum indirectè, nec bonis ſpiritualibus in quantùm ſunt quædam bona communia fidelium.

Alia eſt major, alia minor.

Excommunicatio alia eſt major, quæ videlicet privat Sacramentis Eccleſiæ, ſuffragiis, convictu civili, ſeu omni exteriori cõmunione fidelium. Alia minor, quæ principaliter tantùm privat participatione Sacramẽtorum. Patet ex c. *Si quem 59. De ſent. excommunic.* c. *A nobis 2. De except.* Quando autem excõmunicatio ſolitariè ponitur, intelligitur major, juxta Doctores cõmuniter ex c. *Si quem cit.* Vocaturque interdum *mucro Epiſcopi, nervus Eccleſiaſtica diſciplinæ*, itẽ *anathema, maranatha.* Dicitur *anathema*, quaſi ſurſum poſitio, ductâ ſimilitudine ab antiquis, qui capta in bello appẽdebant ſeparata, & ſejuncta à ceteris. *Maranatha* ſignificat *uſque adventum Domini*, id eſt, donec convertatur & pœniteat, inquit *Bonacina de Excommunic. q. 1. pu. 1.* ex aliis. In hoc tamen anathema differt, quòd feratur majori ſolemnitate, quàm vulgaris Excõmunicatio major, ſcilicet duodecim Sacerdotibus Epiſcopum circumſtantibus cum lucernis ardentibus in manibus, quas in cõcluſione anathematis debent in terram projicere, & pedibus conculcare, ut habetur c. *Debent 11. q. 3.*

§. II.

De Effectibus Excommunicationis Minoris.

QUOD ad effectus Excõmunicationis minoris attinet, privat ipſa perceptione Sacramentorum. Patet ex c. *A nobis* & c. *Si quem* citatis, & c. *Si celebrat, de Clerico excommunicato &c. miniſtrante.* Unde *ſi celebrat* (idem eſt, ſi aliquod Sacramentum ſuſcipiat) *minori excommunicatione ligatus, licèt graviter peccet*, contra prohibitionem Eccleſiæ, *nullius tamen notam irregularitatis incurrit*, ut habetur c. *fin. cit.* 16.

Excommunicatio minor privat perceptione Sacramentorum;

Non tamen adminiſtratione.

An autem removeatur etiam à Sacramẽtorum adminiſtratione, variant Doctores. Aliqui volunt ſic miniſtrãtem peccare venialiter; alii mortaliter. Sed probabilius eſt, quòd neutro modo peccet: eò quòd ex nullo jure ſufficienter colligatur taliter excõmunicato prohiberi adminiſtrationem: immo in Canonibus citatis inſinuatur tantùm removeri à Sacramentorum perceptione. Quod autem c. *fin cit.* dicitur: *peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta*; intellige, dum ipſe debet eadem ſumere; ut contingit, quando ſub Sacrificio communicat populum, vel ſaltem alia, v. g. Euchariſtiam, dum intrà Miſſam confert Ordines. Et quàmvis expoſitio hæc quodãmodò torta videatur, eſt tamen neceſſaria, ob alios textus clariores, immo ob ea quæ immediatè ſubjunguntur, quæ ſic habent: *cùm non videatur à collatione, ſed à participatione Sacramentorum remotus.*

Electio ſic excommunicati ad beneficia nõ eſt ipſo facto irrita, ſed irritanda.

Quod attinet ad Electionem paſſivam irretiti minori Excommunicatione ad beneficia Eccleſiaſtica (idem communiter dicitur de Collatione & Præſentatione) illa eſt ſecundùm aliquos irrita, ſecũdùm alios probabiliùs irritanda. Patet ex c. *Si celebrat fin. cit. De clerico excõmunicato miniſtrante*, ubi dicitur: *Si ſcienter talis electus fuerit, eius electio eſt irritanda. Quod* autem c. *A nobis* de tali dicitur, *quòd tantùm à participatione Sacramentorum ſit remotus*, intelligendum eſt de effectu principali; per quod non excluduntur cõcomitantia, prout electio paſſiva concomitatur ſuſceptionem Sacramentorum. Vide *Suarez d. 24. ſect. 2. n. 23.* 17.

Ab Excommunicatione minori abſolvit, qui poteſt

Petes, quis poſſit abſolvere ab hac Excommunicatione? Reſp. quemlibet qui poteſt abſolvere à mortalibus; nam c. *Nuper, de Sent. excommun.* dicitur taliter excommunicatum poſſe abſolvi à proprio 18.

abſolvere à mortalibus. Sacerdote; qualis in hac materia intelligitur, qui poteſt abſolvere à mortalibus. Ita communiter Doctores teſte *Coninck d.* 14. in fine, contra *Navarrum* & quoſdam alios (& probabile cenſet *Bonacina*) docentes poſſe abſolvi à ſimplici Sacerdote, eò quòd ſicuti is poteſt à venialibus abſolvere, ſic videatur impedimentum receptionis iſtius Sacramenti poſſe tollere. Sed hæc ratio non urget.

§. III.

Qualiter Excommunicatio major privet communione civili fidelium?

19\. *Excommunicatio major privat communione civili fidelium.*

EXCOMMUNICATIO major privat excommunicatum communione civili fidelium, ut patet ex c. *Si quem, de Sent. excommunic.* & c. *Nuper eod. tit.* Et c. *Excommunicatos* 11. *q.* 3. expreſsè præcipit Calliſtus Papa, ne quis excommunicatos ſuſcipiat, aut cum iis *in oratione, cibo, potu, aut oſculo communicet, aut ave eis dicat.* Unde Auctores ſolent actiones ex hoc puncto illicitas comprehendere ſequenti verſu.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Actiones inde illicitæ recenſentur. Per *os* prohibentur oſcula, omnia colloquia, etiam per litteras aut internuntium, & ſimilia ſigna amicitiæ. Per *orare* prohibetur communicatio in Sacris; de qua infrà. Per *vale* prohibetur omnis ſalutatio etiam geſtu facta. Licet tamen priùs ſalutantem reſalutare, eò quòd ſit quædam debiti ſolutio. Ita *Coninck d.* 14. *dub.* 4. *Præpoſitus* & alii. Per *communio* prohibetur omnis cõtractus, cohabitatio, ſocietas, tam in judicio quàm extrà, per donationem, teſtamentum, electionem, collationem beneficii vel officii &c. Per *menſa* prohibetur omnis ſocietas in humano convictu.

20\. *Prohibitio directè excommunicatos, indirectè ceteros afficit.* Et hæc quidem primariò reſpiciunt excommunicatum, cui per modum pœnæ directè prohibentur: ſecundariò tamen etiam reſpiciũt alios, quibus communicatio cum excommunicato indirectè prohibetur. Unde tam excommunicati quàm cum iis communicantes peccant. *In civilibus plerumque communicatio eſt venialis.* Parvitas tamen materiæ excuſat à mortali, præſertim in actionibus civilibus: quæ quia communiter fini illius præcepti non multùm repugnãt, rarò in iis peccatur mortaliter juxta Doctores. Vide *Coninck dub.* 14.

21\. *Cauſæ communicationem excuſantes à culpa enumerantur.* Sunt prætereà aliquæ cauſæ excuſantes ab omni culpa & cenſurâ eos, qui communicant cum quibuſvis excommunicatis, contentæ hoc verſu

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Utilitas, Per *utile* intelligitur utilitas, tam excommunicati, quàm alterius. Unde licet dare excommunicato conſilium, eumque tam facto quàm verbo ad converſionem exhortari. Licet quoque conſilium ab ipſo petere, tam in temporalibus quàm ſpiritualibus, quandò non eſt alius qui poſſit æquè utiliter conſulere. Poteſt tam intrà quàm extra judicium peti ab eodem debitum; immo ipſe poteſt debitum petere, ut cum multis aliis tenet *Bonacina d.* 2. *q.* 2. *pu.* 6. §. 2. *n.* 15.

Lex Conjugii. Per *lex* intelligitur matrimonium ratione cujus poteſt uxor marito excommunicato (ſubintellige, ob aliam cauſam quàm matrimonii) etiam denuntiato reddere debitum, & ab illo petere, immo verſari cum ipſo in eadem menſa, orationibus &c. Patet ex c. *Quoniam* 11. *q.* 3. ubì quia non fit mentio mariti, negant Varii maritum poſſe communicare cùm uxore denuntiata. Sed rectiùs affirmant Alii communiter, volentes mariti & uxoris in hoc parem etiam conditionem, ac propter periculum quod utrimque ſubeſt, poſſe de utroque Canonem citatum intelligi, quatenus diſpoſitum in uno correlativo cenſetur diſpoſitum in altero, ubì ſubeſt, eadem ratio: quàmvis uxores nominatim ibi excipiantur, eò quòd viri frequentiùs quàm uxores in excommunicationem incidant.

Subjectio. Per *humile* intelliguntur ſubjecti; ut liberi, etiam adoptivi, item nepotes & pronepotes comparatione avi & proavi, item gener, nurus, privignus & privigna, pupilli & minores comparatione tutoris & curatoris: hi enim omnes in materia favorabili veniunt intelligendi nomine filiorum. Item mancipia, famuli, villici, &c. qui cum excommunicato cui ſunt ſubditi, v.g. liberi cum parentibus, famuli cum dominis, poſſunt communicare in rebus ad officium ſuum ſpectantibus. Patet ex c. *cit.* Immo aliqui aſſerunt, patrem cum filio, & dominum cum ſervo denuntiato poſſe communicare.

Ignorantia. Per *res ignorata* intelligitur quævis probabilis ignorantia aut inculpabilis inadvertentia juris vel facti; c. *Quoniam* 11. *q.* 3. Immo excuſat juxta *Suarez*, *Coninck* & alios ignorantia etiam culpabilis, quæ non ſit affectata: eò quòd c. *Quoniam cit.* intendat Pontifex favorem præſtare ignorantibus; cùm tamen ignorantes invincibiliter à culpa & pœna jure naturæ eximantur. Deinde ex ignorantia invincibili nemo perire poterat hac in re; cùm tamen ad indulgentiam iſtam præſtandam Pontifex moveatur ab interitu multorum ignorantiâ & ſimplicitate pereuntium.

Neceſſitas. Per *neceſſe* intelligitur quæcumque extrema vel notabilis neceſſitas, ſive teneat ſe ex parte excommunicati non tolerati, ſive ex parte alterius; ſive neceſſitas ſit animæ, ſive corporis, ſive famæ aut fortunæ. Hinc excommunicatus poteſt recipi hoſpitio, poteſt ei dari elemoſyna, poteſt cum eo communicari ubì adhuc bonæ famæ alioquin eſſet infamandus. Solùm adverte ob dictas cauſas licere communicationem cũ

non

non tolerato in quibuſcumque licitis, etiam ſacris. Ita *Coninck d.14. num.132.* plures citans.

22. *Olim omnes excommunicati erant vitandi. Poſt Concilium Conſtantienſe vitandi ſoli nominatim denuntiati, ac publici percuſſores Clericorum.* Obſervandum verò olim omnes omnino excommunicatos fuiſſe vitandos, publicos etiam publicè, occultos tantùm in occulto ſeu privatim, ut patet ex c. *Cum nō ab homine, De ſent. excommun.* Hodiè tamen ex moderatione *Concilii Conſtantienſis*, ſeu Extravagante *Ad evitanda* (quam referunt Doctores ex *S. Antonino p.3. tit. 25. c.3.*) nulli excommunicati ſunt vitandi, niſi ſint ſpecialiter ſeu nominatim denuntiati, vel niſi ſint notorii percuſſores Clericorum, quando ſcilicèt adeò notoriè conſtat, quòd factum non poſſit aliquâ tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari. Unde ſi poſſit probabili ſuffragio excuſari factum, ſic ut prudenti judicio reddatur excommunicatio dubia aut incerta, percuſſor Clerici etiam manifeſtus non eſt vitandus; ut ſi dicat ſe percuſſiſſe ad ſui defenſionem, vel joco, aut inadvertenter ex ſubito motu, vel neſciendo eſſe Clericum. Aliàs etiam ſine prævia denuntiatione eſt vitandus, publicè quidem per totam civitatem, quando plurimis in civitate eius cenſura innotuit, vel per totum collegium, ſi in eo tam multis innotuerit, ut ibi moraliter cenſeatur notoria. Quòd ſi res coram paucis contigerit, qui eam celent, ita ut res non ſit futura publica, putant Aliqui probabiliter percuſſorem ab iis privatim vitandum eſſe. Sed contrarium quoque eſt probabile, eò quòd tam culpa quàm cenſura non ſit abſolutè notoria, de qua notoreitate Extravagans commodè poteſt intelligi. Ita *Prepoſitus dub.16.* & alii.

Qui dicuntur non tolerati; cæteri verò tolerati. Deinceps autem excommunicati ſpecialiter denuntiati & notorii Clerici percuſſores appellari cœperunt non tolerati: ceteri verò omnes tolerati, eò quòd videlicet horum conſortium toleretur, citra periculum culpæ vel cenſuræ, etiam in actionibus ſacris, quantumvis ſit publicum & notorium ipſos eſſe excommunicatos. Idemque de reliquis cenſuris in eâdem Extravagante ſtatuitur, à nullius ſcilicet communione eſſe fidelibus abſtinēdum ratione Suſpenſionis vel Interdicti, niſi præceſſerit expreſſa & ſpecialis denuntiatio.

Nullus equidem favor conceditur ipſis excommunicatis ſeu cenſurâ innodatis, ſed ſolis innocentibus; ut ſatis inſinuat Extravagans, & clariùs expreſſit *Concilium Baſileenſe*, quoad rem ipſam hac in parte uſu totius Eccleſiæ receptum. Quatenus tamen *Baſileenſe* in ſua Conſtitutione *Ad vitandum* omnes notoriè excommunicatos, etſi non denuntiatos, ſtatuat vitandos, conſtat non eſſe uſu receptum, niſi quoad notorium percuſſorem Clerici; & aliundè decreta *Concilii Baſileenſis* per ſe robore carent, præſertim facta poſt inchoatum ſchiſma, quod dudum cœperat ante Seſſionem 20. in qua Decretum ad præſentem materiam ſpectans editum fuerat. *Concilium* quidem *Lateranenſe* ſub Leone X. *Seſſ.11. §. Statuimus inſuper*, recitat moderationem juxta tenorem *Concilii Baſileenſis*; ſed quæ ibi ſtatuuntur ſolam Franciam concernūt, & non eſſe quoad hoc univerſaliter recepta uſus & ſenſus communis docet.

§. IV.

Qualiter Excommunicatio major privet ſuffragiis Eccleſiæ?

SECUNDÒ privat Excommunicatio major communibus Eccleſiæ ſuffragiis & orationibus; ut patet ex c. *Sacris*, & c. *A nobis, de ſent. Excommunic.* Non privat tamen orationibus privatis juxta Doctores communiter. Ideoque licitum eſt in privatis orationibus pro excommunicatis etiam non toleratis orare, & publicas Eccleſiæ preces & miſſæ ſacrificium illis applicare, quatenus fiunt ex privata intentione ſeu à perſona privata. 23. *Excommunicatio major privat ſuffragiis Eccleſiæ, Non tamen privatis orationibus*

Privat autem Excommunicatio major omnibus ſuffragiis excommunicatum etiam contritum, quamdiu non eſt abſolutus. Ita communiùs Doctores contra *Navarrum cap.27. num.36.* & quoſdam alios; quia tamdiu talis manet verè excommunicatus. Deinde non licet pro tali publicè orare, ut conſtat ex Juribus citatis: ergo Eccleſia intendit eos privare, donec abſolvantur, ſive hæc privatio conſiſtat in ſola prohibitione Eccleſiæ prohibentis pro illis publica Eccleſiæ ſuffragia fieri, ſive inſuper in invalidatione eorumdem ſuffragiorum, quatenus Eccleſia poteſt ea invalidare; quod Doctores plerumque ſupponunt. *Uſque dum reus ſit abſolutus, quātumvis fuerit contritus.*

Exiſtimant porrò multi Doctores hæc etiam habere locum in excommunicatis toleratis; pro quibus proinde ſacrificium aut publicas Eccleſiæ preces offerre non liceat. Verùm juxta dicenda in materia de Sacrificio Miſſæ non eſt prohibitum poſt *Concilium Conſtantienſe* pro toleratis offerre publica Eccleſiæ officia, adeòque tolerati, non videntur ita privari, ſicut non tolerati; quia ſaltem fructu ſacrificii quatenus oblati in perſona Chriſti non privantur, cùm illius fructûs applicationem veroſimiliùs Eccleſia non prohibeat, nec invalidare poſſit; eſto fortaſſe invalidet applicationem fructûs ſacrificii, quatenus ſuo nomine oblati, ſimiliter aliorum ſuffragiorum communium. 24. *An vel qualiter hac locum habeat etiam in toleratis.*

§. V.

Qualiter Excommunicatio major privet receptione Sacramentorum?

25. *Excommunicatus, etiã toleratus arcetur à receptione Sacramentorum.*

TERTIÒ, Excommunicatus etiam toleratus graviter peccat per ſe loquendo (niſi ſcilicet excuſet ignorantia, infamia vel periculum gravis damni) percipiẽdo quodcumque Sacramentum: nam id prohibetur excommunicato excõmunicatione minori c. *Si quem. De ſent. excommun.* & alibi. Excommunicatio autem major habet effectus minoris juxta Doctores communiter, & colligitur ex jure citato.

Poſſet tamẽ validè, etiã interdum Sacramentum pœnitentiæ, recipere.

Dubitatur verò, an ſicut alia Sacramenta, ſic etiam Sacramentũ pœnitentiæ validè ſuſcipiat Excommunicatus debitè cõtritus vel attritus. Sed veroſimilius eſt, etiam hoc valere poſſe, ante abſolutionem ab excommunicatione. Nam poteſt excommunicatus legitimè conteri & confiteri, v. g. ignorans ſuam excommunicationem, & ſimiliter Miniſter poteſt debitè proferre formam ſacramẽtalem; cùm Eccleſia ei reſpectu excommunicati non ſubtrahat juriſdictionem: quòd enim excõmunicatus dicatur in jure Canonico à participatione Sacramentorum remotus, commodè intelligitur de pr[illegible]bitione; ac proinde tam gravis pœna, [illegible] eſt ſubtractio juriſdictionis in altero [illegible] innocẽte, non debet aſſeri ſine clariori textu. Eſtque id verum, ſive pœnitens procedat ex ignorantia facti, quâ invincibiliter non recordatur excommunicationis, aut ignorat ſe commiſiſſe delictum cui excommunicatio eſt annexa: ſive procedat ex ignorantia juris, quâ invincibiliter ignorat abſolutioni à peccatis prærequiri abſolutionem ab Excommunicatione: immo etiam quantumvis Confeſſarius procederet malâ fide, non volens aut non potens à cenſura abſolvere.

Advertendum quòd licèt excommunicatus toleratus peccet recipiendo Sacramentum, miniſtrantes tamen propriè non peccant violatione cenſuræ, ſed quia Sacramentum miniſtrant indigno. Qui verò miniſtrant non toleratis inſuper violant cenſuram, adeòque multiplex committunt peccatum. Differentia patet ex ſæpè citatâ Extrav. *Ad Evitanda*; quæ permittit communicationem cum toleratis, non verò cum aliis.

§. VI.

Qualiter privet Excommunicatio major adminiſtratione Sacramentorum?

26. *Excommunicato eſt adminiſtratio Sacramentorum interdicta per ſe, licita per accidẽs, præſertim tolerato.*

QUARTÒ, privat Excommunicatio major adminiſtratione Sacramentorum c. *Illud, De Clerico excommunicato.* Per accidens tamen excuſatur à peccato, ſi v. g. alio deficiente adminiſtret in articulo mortis Baptiſmum aut Pœnitentiam; & toleratus, quotieſcumque aliquis ob ſufficientem cauſam aut utilitatem ab eo petit, modò ſe non ingerat; nam eo ipſo quòd conceditur non excommunicato, ut poſſit excommunicatum inducere, conceditur etiam excommunicato, poſſe miniſtrare; alioquin nullatenus liceret inducere. Unde (quidquid plures contradixerint) ab excommunicato tolerato peti poteſt Sacramentum, non habito reſpectu ad cenſuram, quantumvis alii miniſtri non deſint. Neque aliâ ratione prohibemur, quàm quatenus ſupponeretur extra ſtatum gratiæ eſſe miniſtraturus; quod tamen is cavere poteſt, ſi priùs, dum poteſt, abſolvatur, vel alioquin conteratur. Ratio ſumitur ex generali conceſſione factâ per Extrav. *Ad Evitanda.*

§. VII.

Qualiter Excommunicatio impediat à celebrando?

QUINTÒ, Excommunicato prohibetur Celebratio, c. *Latores*, c. *Illud*, & c. *Fraternitati, De Clerico excommunicato.* Idque verum eſt, etſi ſit toleratus. Excuſat tamen gravis neceſſitas, v. g. gravis metus, periculum infamiæ, communio moribundi, cui non poteſt per abſolutionem Sacramentalem vel alio modo ſuccurri. Excuſatur etiam toleratus, præſertim Paſtor, ſi rogatus celebret, ut populus audiat ſacrum in die præcepto. Ita *Præpoſitus quæſt. 2. d. 8.* 27.

Qui excommunicatis interdicta vel licita ſit celebratio.

§. VIII.

Qualiter Excommunicatio major privet divinis officiis?

SEXTÒ, Excommunicatus nequit intereſſe divinis Officiis juxta Doctores cõmuniter ex c. *Illud cit.* & c. *Alma Mater, De Sent. Excommun. in 6.* Unde excommunicatus per ſe loquendo non poteſt ſine gravi peccato intereſſe Miſſæ, Officio Canonico, publicæ Supplicationi &c. Licitè tamẽ intereſt Cõcioni (idem eſt juxta Nonnullos de Lectione Theologiæ aut Scripturæ, quod tamen negat *Suarez, Zoeſius* & alii, eò quòd de ea non ſit expreſſum in jure, nec ſubſit par ratio) ex c. *Reſponſo. De ſent. Excommun.* Quòd ſi ſit non toleratus, nequidem alii poſſunt cum eo publicè officium recitare, veſperas audire, miſſæ aut ſuppli- 28.

Excommunicatio privat divinis officiis.

Quid agẽdum, ſi non toleratus divinis ſe

officiis ingerat.

ſupplicationi intereſſe, tali modo ut cenſeantur cum eo moraliter communicare in divinis. Hinc ſi ingrediantur non tolerati, dum celebrantur divina officia, monendi ſunt, ut exeant; quòd ſi exire noluerint, novam excõmunicationem Papæ reſervatam incurrunt ex *Clem.2. De ſent. Excommunic.* Et ſi nequidem vi expelli poſſint, divinum Officium eſt omittendũ, quantumvis Miſſæ ſacrificium ſit inchoatum juxta Doctores communiter, & colligitur ex *Clem.cit.* modò ſaltem Canon non ſit inchoatus. Quòd ſi Cõſecratio ſit incœpta, debet Sacrificium perfici uſque ad Communionem, populo interim diſcedente è templo, ſoloque Sacerdote relicto cum miniſtro: quæ autem communionem ſequuntur debet Sacerdos perficere in ſacriſtia, juxta Doctores communiter. Quòd ſi inchoato Canone necdum ſit inchoata Conſecratio, Aliqui putant eſſe progrediendum, Alii verò eſſe deſiſtendum. Dixi *tali modo, ut cenſeantur &c.* quia ſola moralis communicatio in divinis cenſetur prohiberi. Unde non oberit, quòd excommunicatus in alia parte templi aliis rebus intendat, aut etiam privatim oret, ſic ut ſecundùm communem ſenſum hominum non poſſit dici intereſſe cum aliis eidem Sacro, aut divino officio, quòd alii audiunt.

Sola moralis communicatio in divinis cenſetur prohibita.

29. *Excommunicatus tenetur privatim recitare horas, abſtinendo à* Dominus vobiſcum;

Adverte excommunicatum etiam non toleratum non excuſari ratione excommunicationis à privata recitatione horarum Canonicarum, ſi ad eas alioquin ſit obligatus; Eccleſia enim nullibi indicat ſe excommunicatum ab illo onere liberare. Non poteſt tamen in divino Officio dicere, *Dominus vobiſcum*, cùm hoc pertineat ad exercitium Ordinis: ſi tamen dicat, non videtur graviter peccare ob materiæ levitatem; adeòq; (etſi Quidam contradicant) nec incurrere irregularitatem, utpote quæ, dum pœnalis eſt, ſupponit culpam gravem. Immo cum excommunicato quocumque privatim recitare horas putant Multi non eſſe mortale; eò quòd communicatio in divinis prohibita intelligatur de ſolemnibus ſive publicis officiis, & alioquin privata recitatio ſit res parvi momenti in generali ratione communicationis.

Etſi hoc dicendo non peccet graviter nec fiat irregularis.

§. IX.

Qualiter Excommunicatio privet Eccleſiaſticâ ſepulturâ?

30. *Excommunicatus non toleratus nequit ſepeliri in loco ſacro.*

SEPTIMÒ, certum eſt corpus Excommunicati non poſſe ſepeliri in loco ſacro ſeu deſtinato ſepulturæ fideliũ. Patet ex c. *Sacris, De Sepult.* & *Clem.1. eod.tit.* Quod tamen poſt *Concilium Conſtantienſe* intelligi debet de excommunicatis non toleratis: nam ſicut poſſumus toleratis vivis communicare ſic & defunctis. Ita cõmuniter Doctores. Quàmvis ſicut fideles non obligantur communicare vivis, ſic nec obligentur communicare defunctis, etſi toleratis; quibus non eſt per Eccleſiam impenſus favor, niſi indirectè, quatenus fidelibus conceditur communicatio cum eiſdem.

Quid agendum, ſi talis fuerit in eo ſepultus.

Quòd ſi non toleratus fuerit donatus ſacrâ ſepulturâ, debet corpus exhumari, ſi ab aliis poſſit diſcerni c. *Sacris, cit.* nec ante exhumationẽ poſſunt in eo loco alii ſepeliri, vel divina officia celebrari: & poſt exhumationem debet locus reconciliari, c. *Conſuluiſti, De Conſecrat. Eccleſ.* Immo reconciliari debet, etſi corpus non exhumetur, eò quòd diſcerni nequeat: cùm per ſepulturam talis perſonæ locus fuerit ſimpliciter pollutus, & ad divina celebranda fideliumque ſepulturam factus incapax.

31. *Pœna temerariè ſepelientium Excommunicatos vel Hæreticos denuntiatos.*

Illi porrò qui temerariâ audaciâ ſeu ſciẽter Excommunicatos ſepeliunt in loco ſacro, incurrunt excommunicationem, à qua nequeunt abſolvi, antequam parti ex arbitrio Epiſcopi ſatisfecerint. Ita habetur *Clem. 1. De Sepult.* Quicumque verò ſcienter præſumunt Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ Hæreticos (intellige, denuntiatos, juxta *Suarez d.12. ſect.4. n.13. Coninck* & alios) eorumque receptatores aut fautores, incurrunt excommunicationem majorem, à qua abſolvi non poſſunt, niſi eorum corpora propriis manibus publicè exhument, c. *Quicumque, De Hæreticis in 6.* Quòd ſi verò ante mortem ſufficientia doloris ſigna dederint, & cõtingat ipſos ante abſolutionem ab excommunicatione ſepeliri in loco ſacro, poſſunt ſepulti abſolvi, ibique relinqui abſque exhumatione, ſed verberato ſepulchro, juxta ritum præſcriptum in *Rituali Romano* & *Paſtorali Mechlin.* Aliàs ſi corpus nondum ſepultum fuerit, ipſum verberatur. Uti etiam ſi ſepultum ſit in loco non ſacro, & commodè poſſit exhumari. Abſolutio verò iſta eò ſolùm tendit, ut reſtituantur defuncti communioni fidelium quoad ſuffragia publica, quæ exinde poſſunt pro iis offerri, ſublatâ à fidelibus vivis prohibitione cum iiſdem communicandi.

Quid agendũ de mortuis ante abſolutionem, tamen pœnitentibus.

32. *Hæretici ac notoriè mortui in malo ſtatu privantur Eccleſiaſticâ ſepulturâ, etiam ſecluſâ excommunicatione.*

Quàmvis autem ſatis conſtet Hæreticos non denuntiatos, aliosque excommunicatos toleratos poſſe ſepeliri in loco ſacro, citra ejuſdem pollutionem ſeu violationẽ, aliaſve pœnas jure ſtatutas contra ſepulturam non toleratorum; aliundè tamen privantur ſepulturâ Eccleſiaſticâ, quando & quatenus notoriè mortui in malo ſtatu: ut proinde ſi conſtet de pœnitentia, aut de ea ſaltem dubitetur, poſſunt non obſtante excommunicatione ſacrâ ſepulturâ donari. Unde praxi horum locorum Hæretici notorii quicumque & manifeſtè mortui in malo ſtatu privantur Eccleſiaſticâ ſepulturâ; id exigente diſciplinâ Eccleſiaſticâ. Immo *teſte Maldero 1.2.q.96. art.4. dub.5. memb. 4.* Experientia docet à profeſſione hæreſeos quoſdam magis terrere jacturam

Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quàm terrorem Excommunicationis. Eſtq; hoc ipſum determinatum in *Paſtorali Mechlinienſi tit. De cura pro Defunctis gerenda.* Immo etiam in *Rituali Romano Pauli V. tit. De Exequiis, §. Quibus non liceat dari Eccleſiaſticam ſepulturam*, ibi: *Negatur Eccleſiaſtica ſepultura Paganis, Judæis, & omnibus Infidelibus. Hæreticis, & eorum fautoribus: Apoſtatis à Chriſtiana fide; Schiſmaticis, & publicis excommunicatis majori Excommunicatione* (addit ſeu explicat Paſtorale Mechlinienſe ſup. *Et publicè denuntiatis*: aut certè loquitur *Rituale* de impœnitentibus) *interdictis nominatim, & iis qui ſunt in loco interdicto, eo durante. Se ipſos occidentibus ob deſperationem, vel iracundiam (non tamen ſi ex inſania id accidat) niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ. Morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna. Manifeſtis & publicis peccatoribus, qui ſine pœnitentia perierunt. Iis, de quibus publicè conſtat, quòd ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta Confeſſionis & Communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt. Infantibus mortuis abſque Baptiſmo. Ubi verò in prædictis caſibus dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur.*

§. X.

Quomodo privet Excommunicatio uſu juriſdictionis?

33. *Excommunicatio privat uſu juriſdictionis Eccleſiaſticæ.*

OCTAVÒ privat Excommunicatio major uſu juriſdictionis, c. *Audivimus* 24. q. 1. & c. 1. *De Officio Vicarii in 6.* Colligitur etiam ex c. *Si is cui, De Off. jud. delegati in 6.* Et hæc quidem certa ſunt de excommunicato nõ tolerato quoad officium juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ita ut actus ſint ipſo facto irriti. Unde talis non poteſt ferre cenſuram, nec ab ea abſolvere, nec ferre ſententiam in judicio Eccleſiaſtico, ſive interno ſive externo; ſimiliter acta ab ipſo delegatorum ſunt invalida, ut ſatis patet ex c. 1. *De Officio Vicarii in 6.* quia uſus juriſdictionis in delegato aſſiduè pendet ab expedita facultate juriſdictionis in delegante, adeòque hâc per excommunicationem impeditâ in delegante, ſuſpenditur etiam in delegato. Subintellige, re integrâ: nam in re ante excommunicationem delegantis inchoatâ, fieri poteſt progreſſus; uti ſi eſſet mortuus. Idemque videri poteſt in meris gratiis, etiam re integrâ; utpote quæ ne morte quidem concedentis exſpirat, poſtquam ſemel abſolutè factæ ſunt. Hinc Epiſcopus, Paſtor &c. non toleratus invalidè delegaret facultatem miniſtrandi Sacramenta, ferendi leges, diſpenſandi &c. adeòque hæc faciens ſeu committens peccaret uſurpatione juriſdictionis.

Sic ut acta non tolerati ſint invalida.

An autem hæc ſimiliter locum habeant in excommunicato tolerato, dubitatur. Aliqui affirmant. Aliqui cum diſtinctione cenſent acta publicè excommunicati eſſe irrita, occultè verò excommunicati eſſe valida. Alii denique communiùs & probabiliùs cenſent poſt *Concilium Conſtantienſe* acta cujuſcumque tolerati eſſe valida; quia Eccleſia talem tolerans quoad fidelium cum ipſo communicationem, tum in humanis tum in divinis, ac ſi excommunicati non eſſent, conſequenter videtur ei in bonum fidelium relinquere juriſdictionem expeditam. Vide *Præpoſitum dub. 12.* Si tamen fideles excommunicationem objiciant, & ob hanc contra excommunicatum excipiant, ceſſare debet. Ne tamen exceptio ſit nulla, intrà octiduum debet excipiens Excommunicationis ſpeciem & illius auctorem manifeſtè probare, c. 1. *De Except. in 6.* 34.

Secus videtur de tolerato.

Similiter dubitatur, an Excommunicatio privet etiam juriſdictione ſæculari excommunicatum non toleratum. Sed communiùs cenſent Doctores quòd ſic, & colligitur ex c. *Præſidentes, De Hæreticis in 6.* ex eo quòd ibi Pontifex ſupponens in judicibus ſæcularibus impediri juriſdictioné per excommunicationem, det illis ſpecialem poteſtatem procedendi contra hæreticos ad inſtantiam Ordinariorum in caſu quo alii deficiunt. Nihilominus hic textus non convincit: poſſet enim Pontifex conceſſiſſe poteſtatem præfatam ſolùm ad cautelam & majorem ſecuritatem, nil determinando de præſenti dubio; cujus ſanè declaratio deberet (ut apparet) ex alio jure conſtare. Quod non fit: cùm cetera jura loquantur de judice Eccleſiaſtico, aut certè de excommunicato ob hæreſim; cui eſt pœna propria privare juriſdictione etiam temporali. Quidquid ſit, validè ſaltem confertur excommunicatis non toleratis officiũ ſæculare annexam habens juriſdictionem: cùm hoc nullibi irritetur, & ad ſummum ſuſpendatur uſus durante excommunicatione. Ita *Præpoſitus* & alii. 35.

An etiam privet Excommunicatio juriſdictione ſæculari?

§. XI.

Quomodo Excommunicatio arceat à beneficiis eorumq; fructibus?

NONÒ, Excommunicationem impedire, quò minùs validè conferatur Beneficium Eccleſiaſticum excommunicato, patet ex c. *Poſtulaſtis. De clerico excommunicato miniſtrante.* Quod æquè locum habet in tolerato, ac nõ tolerato; cùm per *Concilium Conſtantienſe* excommunicatis nullus pręſtetur favor. Neque etiam juvat ignorantia invincibilis; quæ quidem excuſat à culpa, non tamen ſupplet defectum conditionis requiſitæ ad valorem. 36.

Invalidè confertur beneficium Excommunicato.

Etſi adſit ignorantia invincibilis.

Immo

Vel collatio ſit Pontifi-cia facta motu proprio, Immo non juvat collationem eſſe factam à Pontifice motu proprio, niſi ſciret excommunicationem, vel niſi excommunicatum, uti ſolet, ad cautelam abſolvat, hàc aut ſimili formulâ: *Ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum.* Qualiter abſolvere non competit Epiſcopis, qui nequeunt Excõmunicationem tollere ad peculiarem tantùm effectum. *Idem eſt de Electione & Præſentatione,* Quàmvis autem c. *Poſtulaſtis cit.* tantùm ſit ſermo de Collatione: quia tamen Præſentatio & Electio jus tribuunt electo vel præſentato ad beneficium, & ſortiuntur ſuam efficaciam per ordinem ad validam beneficii obtentionem, quæ in excommunicato non poteſt habere locum; ideo Doctores communiter docent excõmunicatos etiam invalidè eligi & præſentari.

37. *Unde percipere vel retinere nequit fructus beneficii in excommunicatione obtenti: Immo & fructibus antè obtenti privatur; ſed probabilius poſt ſententiam.* Ex quo ſequitur, quando quis in Excommunicatione impetravit beneficium, cum non poſſe facere fructus ſuos, ſed obligari ad illorum reſtitutionem etiam ante ſententiam. Immo etſi conſtet beneficiis jam obtentis quoad titulum non privari excommunicatum, tamen privari fructibus beneficii etiam anteà obtenti, deciditur c. *Paſtoralis §. Verùm, De Appellat.* At plures cum *Vaſquez*, *Avila* & *Coninck* contra alios docent hoc caſu non privari ipſo facto, ſed eſſe opus judicis ſententiâ. Et colligitur ex *c. cit.* ibi: *Et illi proventus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahũtur*; intellige per actionem judicis. Et quàmvis ipſo jure fructibus privaretur, adhuc non deberet ſe eis ante ſententiam ſpoliare, arg. c. *Cùm ſecundùm leges, De Hæretic. in 6.*

38. *Collatio quoque, Electio & Præſentatio facta ab excõmunicato eſt irrita.* Similiter collationem ab excommunicato factam eſſe irritam, tenent communiter Doctores, & colligitur ex c. *Unico, Ne ſede vacante in 6.* Idem dicendum videtur de Electione, & Præſentatione ad beneficium factâ ab excommunicato. Si autem excommunicatus ſit unus è pluribus eligentibus, ſubſiſtere poterit electio, juxta Doctores communiùs, ſi ſufficiens adſit ſuffragiorum numerus abſque ſuffragio excommunicati: aliàs non valeret juxta Doctores. *Facta tamẽ à tolerato valet, niſi ſaltem elidatur per exceptionem.* Poſt Concilium tamen Conſtantienſe, nullus actus excommunicati tolerati factus in aliorum fidelium gratiam eſt irritus, ſpectando præcisè cenſuram. Cenſet tamen *Prapoſitus* Epiſcopum non teneri acceptare præſentationem ab excommunicato tolerato factam; eò quòd etſi poſſit, non tamen teneatur ei communicare.

§. XII.

Quomodo Excommunicatio removeat ab actionibus forenſibus?

39. DECIMÒ, Excommunicatio removet excommunicatum ab actionibus forenſibus. Unde c. *Decernimus, De ſent. Excommunic. in 6.* jubetur repelli ab agendo, patrocinando & teſtificando. Poteſtq; repelli etiam toleratus, & contra eum excipi, quàmvis cum ipſo communicare poſſimus: valent tamen acta, ſi non repellatur, etiam non toleratus. In admittenda verò exceptione varia præſcribuntur judici ſervanda c. 1. *De Exceptionibus in 6.* ne quis ſub hac prætenſione injuſtè gravetur in dilatione litium. Unde dum excommunicatus hîc & nunc obtinere nequit abſolutionem, & niſi ad agendum admittatur, grave damnum incurreret v.g. ob fugam debitoris, poteſt & debet etiam non toleratus admitti tãquam actor; eò quòd cenſura nullatenus cenſeri debeat cum tanto rigore obligare. Excommunicatus toleratus præterea etiam licitè erit teſtis, advocatus vel procurator, ſi fuerit requiſitus. Item exercere munus tabellionis requiſitus. Si autem non fuerit toleratus, putant multi acta tabellionis eſſe invalida: alii verò eſſe valida ſaltem in foro interno, quando admittitur ex conſenſu partium cognoſcentium illius excommunicationem.

Nihilominus poteſt excommunicatus conveniri in judiciis, ut patet ex c. *Comperimus, De judiciis*: quia alioquin commodum ex Excommunicatione reportaret. 40. Quando autem tenetur reſpondere, poteſt in judicio, idque juxta veriorem ſententiam, etiam per ſe, præſtare illa, quæ in quovis alio loco in ſui defenſionem præſtari poſſunt. Tum quia id conceditur cuilibet reo: tum quia ſentiret alioquin magnum ſubinde gravamẽ: tum denique quia c. *Cùm inter*, & c. *Fin. De exceptionibus* conceditur ei ſimpliciter & abſolutè facultas reſpondendi, adeòque etiam per ſe. Quod igitur c. *Intelleximus, De judiciis* dicitur: *Reſpondemus quòd conveniri poteſt, & debet in judicio per alium reſpondere*; intelligi poteſt, quòd debeat ſaltem per alium, ne fruſtrà conveniri poſſit.

§. XIII.

Quis Poſſit abſolvere ab Excommunicatione?

SUPPONO Excommunicationem non tolli per hoc, quòd excommunicatus 41. *Excommunicatio tollitur ſolâ abſolutione.* deſinat eſſe ſub juriſdictione excommunicantis, ſive quia excommunicatus aliò migrat, ſive quia excommunicãs per mortem aut aliter juriſdictionem perdit: nam jure ſic ſtatuente, ſemel inflicta durat, donec legitimè tollatur. Unde etiam non tollitur præcisè per emendationem excommunicati, etiamſi parti ſatisfecerit, c. *Cùm deſideres, De ſent. Excommunic.*

Suppono II. Excommunicationem tripliciter fieri, primò per legem ſeu ſtatutum, ſecundò per ſententiam generalem

ſeu ſpecialem propter actum aliquem futurum, tertiò per ſententiam ſpecialem ex notitia cauſæ propter factum præteritum. His ſuppoſitis

42. *Lata per ſententiam ſpecialem tollitur ab eo qui tulit, ſucceſſore & ſuperiore, vel ab his delegato.*

DICO I. Ab excommunicatione latâ ab homine per ſententiam particularem ordinariè non poteſt abſolvere, niſi qui eam tulit, ejus ſucceſſor vel ſuperior, aut ab aliquo illorum delegatus. Ita communiter Doctores. Et colligitur ex c. *Prudentiam §. Sexta, De Off. jud. deleg.* & c. *Ad reprimendam*, & c. *Paſtoralis §. Præterea, De Off. jud. Ordinarii.* Dixi *ordinariè* quia in mortis articulo poteſt abſolvere quivis Sacerdos. Deinde Archiepiſcopus poteſt abſolvere excommunicatos à ſuis ſuffraganeis, quando ad eum eſt appellatum, c. *Venerabilibus, De Sent. excommunic. in 6.* & quando jure ſuo viſitat diœceſes Suffraganeorum.

43. *Lata per ſententiam generalem tollitur ab eo qui poteſt abſolvere à mortalibus.*

DICO II. Ab excommunicatione latâ per ſententiam generalem poteſt probabiliter abſolvere, qui poteſt ab excommunicatione latâ à jure: nam utriuſque videtur eadem ratio, nec jus inter illas diſtinguit. Ita *Navarrus cap. 27. num. 44. Coninck d. 14. dub. 16. num. 257.* & plurimi alii contra varios apud *Suarez d. 7. ſect. 2. n. 22.* Nec refert, quòd c. *Nuper, De ſent. excommunic.* ſolius cenſuræ à jure latæ fecerit Pontifex mentionem, quaſi ſuper latam per ſententiam judicis inferior ſimilem nõ habeat poteſtatem. Reſponderi enim poteſt ſolùm & ad ſummum, idque non expreſsè, excepiſſe ſententiam judicis ſpecialem in ſpeciales perſonas cum earumdem citatione prolatam: qualiter non fertur ſententia generalis, ſed potiùs per modum univerſalis præcepti ſine ſpeciali citatione rei; ut proinde ex abſolutione ab inferiori datâ non turbetur tribunal ferentis cenſuram. Unde c. *Ex frequentibus 3. De Inſtitution.* ſupponitur Suffraganeos poſſe abſolvere ab excommunicatione, quam Archiepiſcopus tulerat pro provincia per ſententiam generalem à Sede Apoſtolica confirmatam. Ex quibus Concluſio manet ampliùs roborata.

44. *Idem à fortiori eſt de excommunicatione latâ à jure.*

DICO III. Ab excommunicatione latâ à jure, ſi non ſit reſervata, poteſt abſolvere, qui habet poteſtatem abſolvendi à mortalibus. Ita communiter Doctores ex c. *Nuper, De Sent. excommunic.* ubi redditur ratio generalis: *Quia Conditor canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi.* Quæ ratiò cùm ſit generalis, cenſent conſequenter Doctores ab omni cenſura juris ſpecialiter non reſervatâ; non ſolùm poſſe abſolvere proprium Sacerdotem (de quo ibi fit mentio, quoque nomine videtur intelligi parochus) ſed etiam quemlibet delegatum, potentem abſolvere à mortalibus. Idemque confirmat praxis ſeu uſus Eccleſiæ. Excipitur excommunicatio quæ ipſo facto incurritur à communicante ſcienter cum nominatim excommunicato poſt ſententiam, idque in crimine criminoſo, ſeu propter quod fuit excommunicatus, illud cum eo perpetrando, vel auxilium ſive favorem ad illud præſtando: quia enim hæc communicatio redundat in injuriam excommunicantis, decernitur c. *Nuper cit.* eſſe ab eodem excommunicante vel ſuperiore illius abſolvendum, ſi accedi poſſit. Quod intelligit *Præpoſitus q. 1. dub. 14.* quando excommunicatio primariò excommunicati fuerat reſervata; qualis erat, de qua *cap. cit.* eſt ſermo.

DICO IV. Ab excommunicatione reſervata ſolùm poteſt abſolvere is cui eſt reſervata, ejus in officio ſucceſſor, vel in ordinaria juriſdictione ſeu pleno jure ſuperior, aut ab eis ad hoc delegatus. Patet ex vi & natura reſervationis. Ratione tamen conceſſionis à jure vel per privilegia ſpecialiter facta poſſunt multi ab excommunicatione reſervata abſolvere. Primò in articulo mortis poteſt quilibet Sacerdos abſolvere à quibuſvis cenſuris, ex *Trid ſeſſ. 14. cap. 7.* Quod de excommunicatione etiam ſpecialiter latâ contra aliquem, indicatur c. *Paſtoralis §. Præterea, De Off. jud. ordinarii.* Eſtque probabile etiam inferiores Clericos in tali articulo id poſſe, deficiente ſacerdote. Immo idem cenſent nonnulli de laico: quod tamen plerique improbant. Per cenſuras autem in *Tridentino* & Jure quoad præſens intelligi ſolum illas, quæ obeſſe poſſunt ſuſceptioni Sacramentorũ & Eccleſiaſticæ ſepulturæ (ſcilicet excommunicationem & interdictũ) tradunt Doctores paſſim. 45.

Quis abſolvat ab excommunicatione reſervatâ.

In articulo mortis ceſſat omnis reſervatio.

Secundò *Concilium Trid. ſeſſ. 24. c. 6. De Reform.* concedit Epiſcopis poteſtatem abſolvendi ab omni cenſura ortâ ex delicto occulto & non deducto ad forum contentioſum, per ſeipſos aut per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum: etiam ab hæreſi, ſed per ſe ipſos tantùm.

Caſus occulti conceduntur Epiſcopis per Tridentinum.

Tertiò variis caſibus conceditur Epiſcopis in jure poteſtas abſolvendi ab excommunicatione contractâ ob percuſſionem Clerici v. g. ſi excommunicatus ob capitales inimicitias ſine periculo non poſſit Apoſtolico præſentari conſpectui, c. *De cetero:* ſi ſint pueri, c. *Pueris:* ſi Monachi, c. *Monachi:* ſi mulieres, c. *Mulieres:* ſi moniales, c. *De monialibus.* Et generaliter qui corporis impotentiâ ſive quolibet impedimento canonico impediũtur Romanum adire Pontificem, c. *Quamvis, de Sent. excommun.* Quæ, & plura alia capita, etſi ſolùm loquantur de excommunicatione contractâ ob percuſſionem Clerici; eamdem tamen eſſe rationem de aliis excommunicationibus reſervatis, docent Doctores, *Navarrus c. 27. n. 88. §. Ad primam, Coninck d. 14. n. 241.* dicent eſſe communem ſententiam. Ubi notandum, quando impedimentum eſt temporaneum (excepto impedimento puerilis ætatis) 46.

Varii caſus, quibus adhuc excommunicationes Papales cadant ſub poteſtatem Epiſcoporum.

ætatis) abſolvētem debere reo ſub iuramento injungere, ut ceſſante impedimento præſentet ſe ei, qui aliàs poterat, ejuſque mandatis pareat, c. *Quamvis* cit. Quòd ſi omittat, poſtea iterum in Excōmunicationem incidet, c. *Eos qui, de Sent. excomm. in 6.*

47\. *Per ſpecialia privilegia poſſunt inferiores interdum abſolvere à cenſuris Papalibus;*

Quartò per Bullas Cruciatæ & Jubilæi ſæpè conceditur poteſtas abſolvendi à cenſuris Papæ reſervatis. Idipſum conceditur per privilegia Mendicantibus eorumque privilegiis gaudentibus, quoad omnes cenſuras & pœnas, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatas, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini. Vide *Rodriguez To. 1. qq. Reg. q. 61. a. 5.*

48\. *Ad abſolutionem non requiritur certa verborum forma,*

Nota I. abſolutionem ab excommunicatione & quâvis cenſurâ ex natura non requirere certam formam verborum, ſed ſufficere ea ſigna exteriora, quæ ſufficienter illam ſignificent, ſeu mentem abſolventis declarent. Uſus tamen Eccleſiæ habet, ut fiat verbis. Formula conſueta eſt: *Ego te abſolvo à vinculo Excommunicationis, quam incurriſti ob talem cauſam; & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ ac communioni fidelium in nomine Patris &c.* vel: *Abſolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, majoris & minoris &c.* In foro externo obſervandæ ſunt cæremoniæ obſervari ſolitæ in locis, in quibus datur abſolutio, de quibus habetur c. *A nobis. 2. de Sent. excommunicat.* Vide *Suarez d. 19. ſect. 2. in fine.* Aliqui Doctores volunt ante abſolutionem à quavis excommunicatione exigendum eſſe juramentum, quo excommunicatus juret, ſe non ampliùs tale peccatum patraturum. Sed Alii meliùs volunt id tantùm eſſe faciendum in criminibus atrocioribus; cùm de talibus jura ſolùm loquantur; v. g. de percuſſione Clerici c. *Ex tenore*, & c. *De cetero, de Sent. excommunicat.* & de incendiariis c. *Peſſimam. 23. q. 8.* Addit *Bonacina d. 1. q. 3. pu. ult. prop. 2.* non eſſe opus ejuſmodi juramento, dum abſolutio impenditur ſolùm in foro pœnitentiæ virtute Jubilæi, aut alterius privilegii.

Nec ſemper juramentū non patrandi crimen de cetero,

Præſertim dum impenditur in foro pœnitentiæ.

49\. *Nequit tamen dari, niſi ſatisfactâ parte.*

Nota II. quando quis ligatur Excommunicatione, quam incurrit ob injuriam alteri illatam, non poſſe licitè abſolvi, antequàm parti actu ſatisfecerit, vel totaliter, ſi poſſit, vel pro parte, quà poteſt ſatisfacere: alioquin enim fieret parti læſæ injuria, quæ pōſtea difficiliùs obtineret ſatisfactionem. Colligitur ex c. *Ex parte, de Verborum ſignificatione*, & c. *Solet de Sent. excommunic. in 6.* Quòd ſi obligatio ſatisfaciendi ſit dubia, ſufficit dare cautionem, ſaltem juratoriam; ut patet ex iiſdem Canonibus. Quòd ſi excommunicatus ſit omnino impotens ad ſatisfaciendum, poterit abſolvi in utroque foro, etiam invitâ parte; ſi præſtet cautionem pignoratoriam, aut fidejuſſoriam, aut ſi nihil horum poſſit, juret ſe ſatisfacturum

Quando ſufficiat cautio, & qualis.

quamprimùm poterit: hoc enim ratio & pia mens Eccleſiæ requirit, & colligitur ex c. *Quâ fronte, de Appellat.* Quod etiam verum eſt, etſi in Bulla vel privilegio, vi cujus datur abſolutio pro foro interno, dicatur, ut detur *ſatisfactâ parte*: intelligitur enim, quando id fieri poteſt. Ita *Coninck diſp 14. dub. 16. n. 206.* & plures alii.

De jure ineſt conditio, ut detur abſolutio ſatisfactâ parte;

50\. *Valeret aliter data, etiam à delegato.*

Valida nihilominus foret abſolutio data à Superiore ordinario, etiam non ſatisfactâ parte: immo & à delegatam habente poteſtatem, ſi nulla ſit adhibita limitatio. Immo videtur valere juxta *Avila* & plures alios, etſi in tenore privilegii addatur, *ſatisfactâ parte*: eò quòd hujuſmodi formula, quæ cenſetur de jure ineſſe, non inducat formam aut conceſſionem conditionatam, etſi addatur à Pontifice. Secùs eſt, quando reſtringeretur poteſtas delegati, ut non niſi ſatisfactâ parte abſolvere valeat.

51\. *Non facilè à privilegiatis abſolvendus pro foro conſcientiæ, quando eſt denuntiatus, aut res deducta eſt ad forum contentioſum.*

Notandum III. quando quis nominatim eſt excommunicatus, aut cauſa deducta eſt ad forum contentioſum, reum non eſſe communiter abſolvendum pro foro conſcientiæ ab eo qui per privilegia id poteſt; eò quòd hoc quodāmodò perturbaret ordinem juris, proptereà quod reus ſic abſolutus non tam efficaciter ad præſtandam ſatisfactionem ſeu emendationem urgeri poſſet. niſi fortè pars in abſolutionem conſentiret, aut notabilis neceſſitas occurreret. Ita *Coninck ſuprà. num. 207.* In rigore nihilominus valida eſſet abſolutio, immo & licita pro foro conſcientiæ juxta *Baſſaum V. Cenſura nu. 41.* qui refert *Rodriguez, Bonacina* & alios: Eò quòd Pontifex non adjecerit privilegiis hujuſmodi limitationem; quam alioquin adjeciſſet: prout fecit *Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* Neq; inde infertur damnum Ordinariis; cùm hi equidem procedant eâdem ratione contra reos in foro exteriori.

§. XIV.

De variis Excommunicationibus in Particulari.

52\. *Excommunicationes aliæ ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ, aliæ non.*

Excommunicationes à Jure ſeu Canone latæ, aliæ ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ, aliæ non. Rurſum reſervatæ, aliæ continentur Bullâ Cœnæ Domini, aliæ ſunt extra illam. Bulla porrò Cœnæ Domini dicitur Conſtitutio quædam Pontificia, quæ in die Cœnæ Domini annuatim innovatur & Romæ publicatur, veteri abrogatâ, in qua ſolemniores quædam Excommunicationes, quas Pontifex ſibi ſpecialiter reſervare ſolet, etiam dum alias ſibi reſervatas quibuſdam concedit, continentur. Durat nihilominus obligatio Bullæ veteris, quouſque alia publicetur à

Bulla Cœnæ quid.

Romano Pontifice, ut proinde Sede vacante non expiret. Præcipiturque in ea Epiſcopis aliiſque Prælatis ut eam quotannis in ſingulis Eccleſiis Parochialibus publicè populo prælegi curent: utque ipſi, omneſque Parochi & Confeſſarii illam apud ſe ſinguli deſcriptam habeant: quæ tamen multis in locis non fiunt, ut ad oculum patet; immo hujuſmodi publicationis non extat variis in locis memoria.

53. *Quas ipſa Excommunicationes reſervatas contineat.*

Excommunicationes porrò hâc Bullâ contineri ſolitæ ſunt contra Hæreticos, Apoſtatas à fide, credentes, receptatores, fautores, defenſores Hæreticorum, legentes eorum libros de Religione tractantes, retinentes, imprimentes, defendentes. Item contra Schiſmaticos. Contra Appellantes ad futurum Concilium ab Ordinationibus, Sententiis ſummi Pontificis, & ad hoc dantes conſilium. Contra ſurripientes Chriſtianorum naufragantium bona. Contra imponentes vel augentes in terris ſuis nova pædagia ſeu gabellas. Contra falſarios litterarum Apoſtolicarum. Contra Appellantes à gravamine, vel futurâ executione litterarum Apoſtolicarum ad poteſtatem laicam. Contra Officiales & alios, qui cauſas Eccleſiaſticas avocant à judicibus Apoſtolicis. Contra Judices ſæculares, qui perſonas Eccleſiaſticas ad ſua tribunalia trahunt. Contra impedientes Prælatos, ne juriſdictione ſuâ Eccleſiaſticâ utantur. Contra imponentes decimas, collectas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis. Denique contra Nonnullos alios exceſſus libertati potiſſimùm Eccleſiaſticæ, aut Romanæ Eccleſiæ ejuſve bonis adverſantes. An autem per hanc Bullam revocentur privilegia Mendicantium, & facultates conceſſæ Epiſcopis in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de Reform.* quoad caſus in Bulla Cœnæ contentos, diſputant Doctores.

54. *Aliæ, tum reſervatæ, tum non reſervatæ, plurimæ.*

Excommunicationes reſervatæ extra Bullam Cœnæ ſunt plurimæ. 94. recenſet *Baſſæus V. Excommunicatio VII.* Sufficiat nobis diſcutere unicam principaliorem, frequentiorem, atque adeò notiorem, latam contra Percuſſorem Clerici vel Monachi. Omiſſis quoque ceteris non reſervatis, quæ etiam plurimæ ſunt, ſpectatâ immenſâ copiâ Cõſtitutionum tum Epiſcopalium, tum Pontificiarum, etiam Jure communi non contentarum; ſic ut à fortiori de hoc tempore diceret, quod de ſuo ſcripſit *Scotus* 4. *d.* 25. *q.* 1. *n.* 11. *Quandoque erat poſſibile dicere numerum, immo erat parvus numerus, quando fuerunt Decretales compilatæ ſub Gregorio IX. ſed hodie quis numerare ſufficiat? & cùm creſcant in infinitum, creſcentibus moribus Capitum, non oportet circa hoc membranas implere.*

Solemnior illa, quæ infligitur percuſſori clerici.

Itaque Innocentius II. c. *Si quis ſuadente* 17. *q.* 4. ſic ſtatuit: *Si quis ſuadente diabolo manus violentas in Clericum vel Monachum injecerit, Anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandata recipiat.*

Actio ob quam hæc Excommunicatio incurritur, eſt quævis injurioſa (quæ ſit mortaliter peccaminoſa, etiam ſpectatâ actione exteriori) violentia illata perſonę Clerici aut Monachi, vel rebus ei adhærentibus. Unde illam incurrit, qui Clericum vel Monachum occidit, mutilat, vulnerat, percutit, manu, pede, gladio, baculo &c. Item qui ſputum aut pulverem in faciem projicit, veſtimenta illi adhærentia dilacerat, violenter detinet, cingulum Ephippii incîdit &c. Deniq; qui eum veneno ſecretè propinato interficit, juxta Doctores paſſim, etſi Nonnulli contradicant. Neque eſt neceſſe actionem eſſe violentam, aut injurioſam ei cui infertur, ſed ſufficit, ut ſit injurioſa ſtatui Clericali ex c. *Contingit* 36. *de Sent. Excommunic.* Unde excommunicationi incurrendæ non obſtat, quòd Clericus in ſui percuſſionem conſentiat. Idem eſt juxta Doctores paſſim, ſi ſibi ipſi inferat mortem, mutilationem aut vulnerationem injurioſam: tametſi contrarium non improbabiliter ſuſtineri poſſit juxta *Suarez & Bonacina*; eò quòd Pontifex *can. cit.* loqui videatur de tertia perſona offendente & ab offenſo diſtinctâ. 55. *Ob quam actionem hæc incurratur.*

Porrò etſi textu Canonis comprehendantur ſoli phyſicè offendentes Clericum vel Monachum, tamen ex aliis canonibus extenditur hæc excommunicatio ad mandantes, aut precibus ſive promiſſis incitantes, ſecuto effectu, c. *Mulieres, de Sent. excomm.* Et ad ratam habentes offenſionem ſuo nomine factam c. *Cùm quis, eod. tit. in* 6. & ad conſentientes c. *Quanta, de Sent. excommun.* ubi ſermo eſt de conſentientibus iis, qui percutiunt Rectores Eccleſiarum. Communi tamen Sententiâ id extenditur ad quemvis Clericum vel Monachum: immo etiam ad conſulentes, auxiliumve præbentes, quaſi & hi comprehendantur ſub conſentientibus. *Incurritur etiam à Mandante, promiſſis incitante &c.*

Nomine Clerici hîc intelliguntur omnes ſaltem primâ tonſurâ inſigniti, nec privilegio Canonis privati. De Canoniſſis ſęcularibus, cùm poſſint contrahere matrimonium, nec ſint Moniales nec Clericæ, eſt dubium. Probabile tamen eſt, ferturque deciſum in Rota, ut ait *Baſſæus* V. *Excommunicatio* VII. §. *unico num.* 3. cenſendas eſſe perſonas Eccleſiaſticas, adeòque gaudere privilegio Clericali & Canonis, quamdiu præbendam retinent, & in habitu Eccleſiaſtico patenter à ſæcularibus feminis diſtinctivo incedunt ſive in Eccleſia ſive alibi, cùm hæc materia ſit favorabilis. At ſi illo dimiſſo ſæculariter incedant, & ita verberentur, erit de iis judicandum, ſicut de Clerico, qui ſine tonſura & habitu repertus percutitur. 56. *Qui veniant intelligendi hic nomine Clerici.*

Nomine

57. *Qui nomine Monachi.* Nomine Monachi hîc intelliguntur omnes omnino Religioſi & Religioſæ, eorumque converſi & converſæ ex c. *Monachi*, c. *Non dubium*, *Et c. de Monialibus*, *de Sent. excomm.* Immo etiam Novitii & Novitiæ ex c. *Religioſo eod. tit. in 6.* Similiter ſecundùm veriorem Sententiam intelliguntur Tertiarii & Tertiariæ SS. Dominici & Franciſci, qui etſi non ſint Religioſi, tamen aſſumpto habitu monachali ſe mancipårunt obſequiis alicuius approbatæ Religionis ſub obedientia Superioris illius Religionis; quia quamdiu ita vivunt, vulgariter cenſentur Religioſi. Immo Sorores Tertiarias, quæ vulgò dicuntur Exitrices, & pro ſervitio Monialium incluſarum extra clauſtrum degunt, emiſſis tribus votis, eſſe veras & propriè dictas Religioſas, declarat quoad Exitrices monialium Annuntiatarum Leo X. *Bullâ*, *Dum Praexcelſa meritorum*, & *Bullâ*, *Cùm in honorem*, quas, eaſque authenticas, ipſe vidi. De Eremitis majus dubium eſt, & quidem videntur excludendi, ſi ſint vagi, nec ſpecialem Eccleſiaſticam obligationem habeant. Secùs videri poteſt, ſi ſub aliqua Regula & obedientiâ, pacto inito, vel voto certo emiſſo, vitam tranſigerent.

Sorores exitrices apud Annuntiatas ſunt veræ & propriè dictæ Religioſæ.

58. *Ab hac Excommunicatione excuſat levitas materiæ vel culpæ. Percuſſio causâ correctionis legitima.* Ab hac Excommunicatione excuſatur Primò, qui tam leviter, aut ex joco, aut ex ſubita colera Clericum percutit, ut non peccet mortaliter. Secundò excuſatur, qui percutit clericum causâ correctionis & diſciplinæ, habens ad hoc legitimam facultatem; qualem habet Paterfamilias in filium ſuum clericum, etiam in Sacris conſtitutum; juxta plurimos Doctores. Ludimagiſter in ſuum diſcipulum c. 1. & 10. *de Sentent. excomm.* Item Prælati in ſuos ſubditos c. *Ex tenore* 10. & c. *Univerſitatis eod. tit.* Quo poſteriori *cap.* jubetur, ut Prælatus religioſus ſuos Religioſos per ſe verberet, ſi poteſt (quamvis ex privilegiis Superiores Mendicantiũ poſſint verberare per alios Religioſos, quantumvis poſſint per ſe) aut ſi non poteſt, per aliquem clericũ aut monachum. Per quos intelliguntur omnes veri Religioſi, etſi ſint laici ſeu converſi juxta *Suarez ſup. n.* 42. Et alios. Quòd ſi id faciat citra gravem neceſſitatem per laicum non Religioſum, tam mandans quàm verberans erit excommunicatus *eod. cap.* Ubi etſi ſit ſermo de Prælatis religioſis: à Doctoribus tamen extenditur ob paritatem rationis (ob quam equidem fieri non poſſe extenſionem antea dictum eſt) ad omnes Prælatos Eccleſiaſticos, quòd videlicet non poſſint ſuos clericos verberare per laicos: ſed non extenditur, ut ſi poſſint, debeant id facere per ſe. Neque id congrueret ſtatui præſertim Epiſcopali.

Notandum tamen poſſe eos jubere capi ſuos clericos, & ad judicium trahi, c. *Ut famæ, de Sentent. excomm.* & c. *Si clericos, eod tit. in 6.* Quòd ſi Clericus ſit ſubjiciendus torturæ, docet *Suarez ſup. n.* 44. Prælatos id poſſe facere per laicos: tum quia talis actio Prælatos & clericos dedecet: tum quia id non ſatis clarè præſcribitur, uti quòd per ſe vel per alios clericos cauſâ correctionis eos verberent: tum quia id declarat conſuetudo.

Tertiò excuſantur, qui, ut ſe aut ſua defendant, Clericum vim inferentem percutiunt cum moderamine inculpatæ tutelæ, c. *Si verò, de Sentent. excomm.* nam ut *ibid.* dicitur: *Vim vi repellere omnes leges permittunt.* Idem eſt dicendum de percutiente Clericum ob neceſſariam defenſionem innocentis, & de muliere quæ percutit clericum pudicitiam ſuam aliquo facto tentantem, quia hoc ad juſtam defenſionem eſt neceſſarium. Idem videtur, ſi alter pudicitiam tentet verbis nimis importunis: dum ſaltem ſufficienter & ſine periculo pudicitiæ non poteſt (uti interdum fit) hujuſmodi lenonem verbis repellere. 59.

Quartò excuſatur ab hac excommunicatione, etſi non à peccato, qui percutit clericum, quem reperit turpiter agentem (ſufficit quilibet actus turpis) cum ſua matre, uxore, filiâ vel ſorore, modò tamen id faciat in flagranti delicto c. *Si verò de Sentent. excommun.* Huic parcit lex: quia tam juſtum dolorem compeſcere non poſſet, ut ait *Gloſſa*.

Quintò denique (ut caſus rariores omittam) excuſatur, qui percutit clericum, quem invincibiliter neſcit eſſe clericum, c. *Si verò* 2. *de Sent. excomm.*

Abſolutio ab hac excommunicatione per privilegia competit Confeſſariis Mendicantium: quæ tamen pro exiſtentibus in Italia extra urbem Romam ſunt reſtricta quoad hunc caſum per Clementem VIII. ut refert *Baſſæus* V. *caſus reſervatus nu.* 36. Plura de hoc aliiſque caſibus videri poſſunt apud *Bonacina*, *Suarez*, *Caſtro Palao* & alios.

QUÆSTIO III.

De Suſpenſione.

§ I.

Quid & quotuplex ſuſpenſio?

OMISSIS aliis Suſpenſionis ſignificationibus, ut quâ fur ſuſpendi, & quis ſuſpenſo eſſe animo dicitur, & ſimilibus, Suſpenſio generaliter in Jure & apud Doctores ſumi ſolet pro prohibitione uſûs officii vel facultatis alicujus, ſive ſæcularis ſive Eccleſiaſticæ. Sic in jure dicitur quis ſuſpendi ab officio advocationis & notariatûs: item ſententia ſuſpendi per appellationem. 60. *Quid Suſpenſio generatim.*

Quid ſuſpenſio hic. Hic verò ſtrictiùs ſumitur pro Cenſura Eccleſiaſtica quâ Clericus ſeu miniſter Eccleſiæ privatur formaliter uſu poteſtatis ei competentis ratione Ordinis, officii, vel beneficii Eccleſiaſtici. *In quo differat à ceteris cenſuris,* Differt ab Excommunicatione & Interdicto: tum quòd hæ cenſuræ privent quibuſdam bonis, quibus non privat Suſpenſio: tum quòd privent illis ſub alia ratione, & non formaliter quatenus ſunt uſus Eccleſiaſticæ poteſtatis: tum denique quòd Suſpenſio habeat locum in ſolo Clerico. *Cadit in ſolos Clericos.* Ideoque Confeſſarii dum abſolvunt laicos (idem eſt de fœminis) omittunt abſolutionem à ſuſpenſione, ex *Rituali Pauli V.* & *Paſtorali Mechlinienſi.* Quare nec Abbatiſſæ vel Prioriſſæ, etſi ſuſpendi poſſint ab officio, non tamen ſuſpendi propriè dictâ Suſpenſione, quæ ſcilicet eſt cenſura Eccleſiaſtica.

61. *Sub quibus etiam communitas Eccleſiaſtica comprehenditur.* Sub Clerico tamen ſeu miniſtro Eccleſiæ comprehenditur etiam Communitas Eccleſiaſtica, nam ut patet ex *c. unico. Ne Sede vacante §. 1. in 6.* Capitulum poteſt ſuſpendi à functionibus, ſibi tamquam uni corpori competentibus v. g. à collatione beneficiorum. Ad quod non requiritur ut ſinguli peccaverint, ſed ſufficit, quòd major pars, vel Superior nomine Communitatis aliquid faciens peccarit. Quamvis etiam tunc innocentes priventur munere, non quod ſinguli tamquam perſonę particulares exercere poſſunt, ſed quod & quatenus convenit communitati quæ deliquit, & cujus ipſi ſunt membra.

62. *Quædam ſuſpenſiones non ſunt cenſuræ.* Excluditur à ratione Suſpenſionis, quatenus eſt cenſura, Suſpenſio ab officio, quæ interdum fertur per modum puræ pœnæ ob peccatum merè præteritum. Prout fit interdum in Religionibus. Eaque juxta declarationem Statutorum Ordinis Franciſcani non incurritur ante ſententiam declaratoriam criminis, etſi fuerit ipſo facto impoſita per Statuta. Similiter aliquando per modum ſimplicis prohibitionis etiam non pœnalis interdum aliqui ſuſpenduntur à quibuſdam functionibus, ob ſenium, lepram, morbum &c. Quæ autem crimina ſint ſuſpenſione digna, nequit certa regulâ definiri; ut tradit *Abbas Piaſec.* & alii.

63. *Suſpenſio eſt multiplex,* Suſpenſio eſt multiplex. alia ſcilicet à jure (cujuſmodi 75. enumerat *Baſſæus V. Suſpenſio IV.*) alia ab homine. Item alia ferendæ, alia latæ ſententiæ. Præterea alia eſt totalis, alia partialis: ſive alia eſt ab ordine vel officio, alia à beneficio, alia ab utroque. Alia item à toto officio vel beneficio, alia à parte tantùm. Quando autem Suſpenſio fertur abſolutè ſine aliquâ determinatione, intelligitur tam ab officio quàm à beneficio: cùm non ſit unde tunc limitationem accipiat, & cur potiùs de uno quàm de altero intelligatur. Denique ex parte durationis, alia fertur indefinitè; & hæc durat quouſque per abſolutionem tollatur: alia fertur ad certum tempus, v. g. ad triennium. Et hæc juxta *Caſtro Palao diſp. 4. pu. 1. n. 3.* non eſt propriè cenſura, ſed tantùm apponitur in pœnam delicti commiſſi, ceſſatque elapſo tempore abſque alia abſolutione.

§. II.

Quæ forma, & qui effectus Suſpenſionis?

QVOAD formam ſuſpenſionis non eſt certa aliqua præſcripta, ſed ſufficit illam verbis ad rem ſignificandam accommodatis ſcribi. Quod addo: nam Suſpenſio debet fieri in ſcriptis cum expreſſione cauſæ, uti Excommunicatio: alioquin judex Eccleſiaſticus incurrit Suſpenſionem à divinis officiis, & ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem *c. 1. de Sent. Excomm.* Valida tamen eſſet aliter lata. 64. *Quâ formâ ſit ferenda.*

Effectus Suſpenſionis ſunt primò ſuſpenſus abſolutè ab officio, id eſt, ab omni officio tam Ordinis quàm juriſdictionis, prohibetur exercere quaſcumque actiones Clericis proprias. Quales ſunt omnes actiones juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & omne exercitium Ordinis aut officii proprium Clericis. Exiſtimat tamen *Coninck diſp. 15. dub. 2.* nō prohiberi exercitium quod non requirit clericatum; quale eſt exercitium minorum Ordinum eo modo quo à laicis uſurpari poteſt. Et quamvis prohibitum foret, non incurreret irregularitatem; ſed tunc ſolùm, quando ſuſpenſus à divinis exercet officium tamquam initiatus Ordine ſacro. 65. *Suſpenſus ab officio abſolutè arcetur ab omni functione Clericis propriâ.*

Quòd ſi ſuſpenſio ab officio non feratur abſolutè, ſed determinatè ad aliquam materiam, extra illam non extenditur: cùm pœnæ non ſint extendendæ ultra verborum proprietatem. 66. Unde ſuſpenſus ab Ordine non eſt ſuſpenſus à juriſdictione; adeòque poteſt concedere facultatem eligendi Confeſſarium, etſi ipſemet munus Confeſſarii obire nequeat: item poteſt eligere, cùm id ſolùm ad juriſdictionem ſpectet. E contra ſuſpenſus à juriſdictione tantùm non eſt privatus uſu Ordinum. Unde etſi is nequeat ferre cenſuras, abſolvere etiam à peccatis, conferre beneficia &c. poterit tamen celebrare ea divina, ad quorum exercitium juriſdictio non requiritur. Suſpenſus quoque à certo actu juriſdictionis, v. g. collatione beneficiorum, reliquos exercere poteſt. Quinimmo prohibitio unius eſt tacita conceſſio alterius. *Suſpenſus ſpecialiter ab Ordine non eſt ſuſpenſus à juriſdictione; vel contrà.*

Præterea ſuſpenſus ab officio tantùm non cenſetur ſuſpenſus à beneficio; cùm hæ pœnæ ſint omnino diſtinctæ, adeòque una in altera non neceſſariò involvatur. Propter quod etiam frequenter in jure utraque diſtinctè infligitur. Proinde ſic ſuſpenſus poterit omnes fructus ſui beneficii percipere, modò per ſe vel 67. *Suſpenſus à ſolo officio non cenſetur ſuſpenſus à beneficio.*

ſe vel per alium inſerviat. Eſtque communis Sententia *Sayri, Avila, Sanchez, Suarez, Bonacina* & aliorum contra *Navarrum* & alios. Et colligitur ex c. *Inter ſollicitudines, de Purgatione canonica*, & aliis juribus.

68. *Illicitè tamen tali beneficium conferretur.*

Advertendum tamen beneficium illicitè conferri ei, qui eſt abſolutè ab officio ſuſpenſus, juxta Doctores communiter contra *Gaſparem Hurtado*. Et patet ex c. *Fin. de Clerico excomm. miniſt.* Ratio eſt: quia beneficium datur propter officium. Immo *Gloſſa* in c. *Cùm bona memoriæ. De ætate & qualitate, & ordine &c. Navarrus, Garcias* & plures alii ex c. *cit.* Et c. *Cùm dilectus, de Conſuetud.* & c. *Per inquiſitionem, de Electione* exiſtimât collationem eſſe irritam. Verùm *Abbas, Suarez, Coninck* & alii cenſent id ex Jure non ſatìs colligi, adeòque ſolùm eſſe irritandam.

69. *Suſpenſus abſolutè à ſolo beneficio, privatur adminiſtratione & fructibus illius:*

Secundò ſuſpenſus abſolutè à beneficio arcetur ab omni adminiſtratione temporali ſui beneficii, ejuſque fructibus percipiendis: non tamen ab actibus juriſdictionis aut officij clericalis. Unde ſic ſuſpenſus habet jus conferendi beneficium, vel ad illud eligendi. Et quàmvis *Navarrus, Præpoſitus* & Nonnulli alii cenſeant talem eſſe ſuſpenſum à jure eligendi vel conferendi, quod ei competit ratione beneficii à quo eſt ſuſpenſus, eò quòd tale jus videatur quidam quaſi proventus beneficii: nihilominus *Gloſſa, Suarez, Coninck* & plurimi alii contrarium cenſent: eò quòd electio vel collatio beneficii ſit propriè actus juriſdictionis & officii clericalis, ſeu non ſit uſus beneficii, ſed officii ex beneficio provenientis; quantumvis minùs propriè interdum inter proventus beneficii reputetur: non ſit autem extenſio facienda in materia pœnali. Ideoque dum Superior intendit, non tantùm à beneficio, ſed etiam à jure eligendi & conferendi ſuſpendere, exprimit utrumque, ut videre eſt c. *Cùm in cunctis* §. *Fin. de Elect.*

Veroſimilius tamen non jure eligendi aut conferendi, etſi competente ratione beneficii.

70. *Suſpenſus à beneficio an & quas diſtributiones poſſit percipere.*

Nihilominus ſuſpenſus à beneficio tenetur præſtare officium, ad quod alioquin vi beneficii obligatur: cùm cenſura à nullo onere ipſum liberet. Immo poteſt percipere diſtributiones, quæ dantur iis, qui interſunt divinis officiis, modò non dentur intuitu beneficii, v. g. ſtipendia miſſarum, anniverſariorum &c. eò quòd cōcedantur in ſtipendium officii, nec beneficium ſit cauſa conceſſionis, ſed conditio. Aliud eſt de diſtributionibus ex fructibus beneficii extractis, quæ verè & propriè ſunt fructus beneficii. Præterea ſuſpenſo à beneficio non eſt ſubtrahenda portio fructuum ad congruam ſuſtentationem ſufficiens: quæ dum Suſpenſio eſt lata ab homine per ſententiam, taxatur auctoritate Superioris; aliàs arbitrio boni viri, quando delictum non fuit deductum ad forum contentioſum. Si tamen ſuſpenſio ſit lata ob contumaciam, poſſitque ſuſpenſus delicti pœnitens ab ea liberari, nullatenus ex fructibus beneficii eſt alendus, quia ex prava ſua voluntate hanc neceſſitatem ſuſtinet; ut rectè *Panormitanus* in c. *Paſtoralis* §. *verùm de Appellat. Bonacina* & alii.

Quando autem quis ſuſpenditur à beneficio abſque ſpeciali determinatione loci, cenſetur ſuſpenſus univerſaliter ab omni ubivìs beneficio, niſi ex materia vel causâ conſtet Suſpenſionem eſſe tantùm à beneficiis talis vel talis Eccleſiæ. Unde etiam Epiſcopus delicto id exigente poteſt ſuſpendere ſubditum à beneficio quod poſſidet extra territorium ejuſdem Epiſcopi, ut habet communis Sententia: fert enim pœnam in perſonam ſibi ſubditam; & jus eidem eſt inhærens, etſi ad fructus alibi percipiendos. An autem quando Epiſcopus ſimpliciter à beneficio ſuſpendit, cenſeatur ſuſpendere etiam ab his quæ ſunt extra diœceſim, eſt controverſum. Conſulenda videtur Epiſcoporum & Judicum Eccleſiaſticorum conſuetudo, quæ eſt optima verborum interpres; & dubio manente, interpretatio favorabilior amplectenda. 71.

Suſpenſus indefinitè à beneficio cenſetur ab omni ſuſpenſus.

An id ſit cenſendum, quando Epiſcopus Clericum etiā alibi beneficiatum ſimpliciter ſuſpendit.

Nullatenus tamen ſuſpenſus à beneficio ſit irregularis uſurpando fructus beneficii; utì nec juxta prædicta ſuſpenſus ab officio, exercendo actus officii (quàmvis uterque graviter peccet, niſi excuſet levitas materiæ) ſed tantùm qui cenſuram violat per actum Sacri Ordinis. Immo is fit irregularis, quantumvis ſuſpenſio ferretur ad definitum tempus, adeòque non foret propria cenſura, ſed pœna, juxta *Suarez, Bonacina* & alios paſſim contra Nonnullos: quia hâc formâ fertur interdum Suſpenſio Eccleſiaſtica, ut c. 1. *de Sententia & re judic. in 6.* & c. 1. *de Sent. excomm. in 6.* ac expreſsè infligitur violantibus ſeu tranſgreſſoribus irregularitas. 72.

Suſpenſus à beneficio uſurpatione fructuum non ſit irregularis.

Notandum tamen nullam communicationem cum ſuſpenſo, etiam nominatim denuntiato, eſſe interdictam vi cenſuræ, aut jure naturæ, præter eam, quæ involvit cooperationem ad peccatum illius. Unde licitum eſt audire miſſam alicujus ſuſpenſi à celebrando; non tamen ejus miſſæ inſervire, quia hoc eſſet peccato illius cooperari. 73.

Suſpenſus etiam denuntiatus non aliter vitandus quàm quatenus ejus peccato votamur cooperari.

§. III.

Qualiter impediatur & tollatur Suſpenſio?

IMPEDITUR omnis Suſpenſio per juſtam appellationem, ſi hæc præcedat ipſam Sententiam: tunc enim impeditur poteſtas ſuſpendentis; niſi conceſſum fuerit judici, procedere in cauſa non obſtante appellatione quacumque. Per appella- 74.

An & quando appellatio impediat ſuſpenſionē.

pellationem tamen quæ ſequitur ſententiam, non ſuſpenditur ſententia Suſpenſionis ab officio vel ingreſſu Eccleſiæ, ut expreſsè dicitur c. *Is cui, de Sentent. excomm. in* 6. Ex quo Doctores à contrario ſenſu colligunt Suſpenſionem à beneficio ſuſpendi per appellationem etiam ſubſequentem.

75. *Quis poſſit abſolvere à Suſpenſione juris aut latâ per ſententiam generalem.* Abſolutionem à Suſpenſione juris non reſervatâ dari poſſe ab eo, qui poteſt abſolvere à mortalibus videtur Nonnullis, arg c. *Nuper, de Sent. excomm.* Ita generaliter de quavis cenſura ſpecialiter non reſervatâ cenſet *Præpoſitus q. 1. dub. 14. n. 91.* Id tamen Doctores ferè communiter negant, & pro certo tradit *Caſtro Palao diſp. 4. pu. 9. n. 8.* eò quòd abſolutio à ſuſpẽſione non ſit neceſſariò præmittenda abſolutioni Sacramentali, ſicut eſt præmittenda abſolutio ab excommunicatione; ob quod c. *Nuper* cit. declaratur poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione non reſervatâ competere Parocho. Ex quo à fortiori ſequeretur Sacerdotem in foro externo carentem juriſdictione non poſſe abſolvere à Suſpenſione lata per Sententiam generalem, etſi ſpecialiter non fuerit reſervata. Ab his tamen poteſt abſolvere Epiſcopus ſeu Ordinarius, ex communi & uſu receptâ Sententiâ.

76. *Quis à ſuſpenſione ſpecialiter latâ.* Quod attinet ad Suſpenſionem latam in aliquem per Sententiam particularem, non poteſt illam tollere, niſi qui tulit, ejus ſucceſſor vel pleno jure ſuperior, conformiter ad dicta de abſolutione ab excommunicatione. Similiter ſuſpenſionem ſpecialiter reſervatam non poteſt tollere, niſi is cui eſt reſervata, ſucceſſor vel ſuperior. Unde juxta *Suarez diſp. 29. ſect. 1. n. 15.* & *Præpoſitum q. 3. dub. 4.* ſoli præfati poteſtate ordinariâ tollere poſſunt cenſuram latam ad certum tempus, eò quòd juxta illos legiſlator præfigendo certum tempus cenſeatur ſibi reſervare cenſuram, ne ante illud tempus ullus inferior abſolvat. Idemque eſt de aliis Suſpenſionibus latis per modum puræ pœnæ.

Ex privilegio autem ſeu delegatione Sedis Apoſtolicæ poſſunt Confeſſarii Ordinum mendicantium abſolvere à quibuſcumque cenſuris, etiam ſuſpenſionis, ſententiis & pœnis ex delicto provenientibus (adeòque etiam à ſuſpenſionibus latis per modum puræ pœnæ) etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ut patet ex Conceſſione Pauli III. Bullâ, *Cùm inter cunctas* 7. in Bullario *Rodriguez*.

77. *Quæ forma abſolutionis à ſuſpẽſione.* Forma abſolvendi nulla eſt determinatè præſcripta ſeu præcepta, ſed ſufficit quibuſcumque verbis voluntas abſolventis ſignificetur. Solet tamen quando ſuſpenſio eſt certa ſervari ordinariè hæc forma: *Ego te abſolvo à vinculo Suſpenſionis, quam incurriſti ob talem vel talem cauſam, & reſtituo te executioni Ordinis, officio vel beneficio* (prout ab aliquo horum, aut omnibus fuerit ſuſpenſus) *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Quando verò Suſpenſio eſt dubia, ſervatur hæc aut ſimilis forma: *Si teneris aliquo vinculo Suſpenſionis, abſolvo te, quantùm poſſum & tu indiges, & reſtituo te &c.* Et hæc abſolutio, quæ dicitur ad cautelam, eſt juxta *Sayrum l. 4. c. 17. n. 34.* omnino neceſſaria, ſubortâ de valore Suſpenſionis quæſtione, ad hoc ut exercere officium, vel beneficium adminiſtrare quis poſſit.

Quòd ſi denique quis pluribus ſit Suſpenſionibus ligatus, poterit ab habente poteſtatem abſolvi ab omnibus per formulam conformiter modificandam v. g. *Abſolvo te ab omni vinculo Suſpenſionis*; etiam non explicatâ cauſâ ob quam Suſpenſio, quàmvis multiplex, fuerat contracta.

QUÆSTIO IV.

De Interdicto.

§ I.

Quid Interdictum, & quæ diſcrimina inter varias Interdicti ſpecies?

Omiſſis aliis Interdicti ſignificationibus, de quibus *Suarez diſp. 32. de Cenſuris Sect. 1.* hîc uſurpatur pro Cenſura Eccleſiaſtica prohibente uſum tam activum quàm paſſivum divinorum officiorum, Sacramentorum & ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quatenus eſt uſus rerum divinarum Fidelibus cõmuniter competentium. 78. *Quid Interdictum Eccleſiaſticum.* Differt à ſuſpenſione, quòd hæc privet per ſe uſu activo, non paſſivo divinorum, adeòque ſolùm uſu & exercitio poteſtatis Eccleſiaſticæ. *In quo differat à reliquis cẽſuris.* Præterea Suſpenſio in ſolas perſonas Eccleſiaſticas, Interdictum etiam in laicas ferri poteſt. Ab Excõmunicatione differt, quòd hæc latiùs pateat; utpote removens inſuper Fideles à ſuffragiis Eccleſiæ & Communione aliorum Fidelium: quòdque à Sacramentis & Officiis divinis removeat, quatenus hæc ſunt quædam communicatio cum aliis Fidelibus; Interdictum autem hæc prohibeat ſecundùm ſe, & quatenus ſunt quædam bona à Fidelibus habenda. Denique Excommunicatio non fertur in loca aut civitates, uti quandoque Interdictum.

Non fertur autem Interdictum abſolutum, niſi ob culpam gravem: cùm tale ſit pœna gravis. 79. *Interdictũ abſolutum non fertur, niſi ob culpam gravẽ.* Leve tamen Interdictum, v. g. ab ingreſſu Eccleſię per menſem, poſſet ferri ob veniale. Quod idem exiſtimant *Henriquez*, *Avila* de Interdicto perſonali ſpeciali ſimpliciter lato. Sed minùs probabiliter; cùm videatur omnino pœna gravis.

Ita

Cui tamen adſtringi quis poteſt ob culpam alienam.

Ita *Suarez, Præpoſitus* & alii. Ut quis tamen adſtringatur Interdicto, non requiritur ut ipſemet peccaverit, aut ſinguli, qui gravantur Interdicto, nec ſufficit culpa alicujus privati: non enim poteſt ita gravari communitas pro culpa alicujus privati; nec privati ita cenſentur conjungi privatis, ut gravatis aliis cenſeatur puniri delinquens. Unde requiritur culpa Domini vel Rectoris Eccleſiæ, ſeu communitatis. Immo in Interdicto ſpeciali requiritur culpa ipſius interdicendi, aut ſaltem alicujus valde conjuncti, v.g peccatum mariti reſpectu Interdicti uxoris.

80. *Dividitur in Locale, perſonale & mixtum.*

Interdictum dividitur in Locale, Perſonale & Mixtum. Locale eſt, quo interdicitur locus, prohibendo in eo quædam Eccleſiaſtica exerceri. Perſonale immediatè afficit perſonas, prohibendo ne ea exerceant, idq; ſi ſit abſolutum, ubivis locorum. Mixtum comprehendit locale & perſonale, eoque interdicitur tam locus, quàm perſonæ illius loci independenter ab illo.

Locale aliud generale, aliud particulare.

Interdictum locale aliud eſt Generale, quo interdicitur locus varia loca complectens, v. g. Regnum, Provincia, Civitas, villa, caſtrum: aliud Particulare, quo interdicitur particulariter aliqua Eccleſia, ſacellum ſeu oratorium.

Quale cenſeatur Interdictum Parochiæ.

Si autem quæratur, quale cenſeatur Interdictum Parochiæ. Omiſſis diverſis Opinionibus Reſp. cenſeri generale, ſi interdicatur ipſe diſtrictus parochialis v.g. Parochia S. Petri, in qua præter Eccleſiam parochialem ſunt aliæ Eccleſiæ & capellæ: eſſe verò ſpeciale, ſi intelligatur ipſa Eccleſia parochialis. Quod ex tenore interdicti eſt dijudicandum; & in dubio pars mitior amplectenda.

81. *Perſonale quoque interdictum aliud eſt generale, aliud ſpeciale.*

Similiter Interdictum perſonale, aliud eſt generale, quo interdicitur aliqua Communitas, quatenus conſtituit certum corpus, v.g. Civitas aut Univerſitas Lovanienſis: aliud Speciale ſeu Particulare, quod fertur in unam perſonam, vel plures, quatenus particulares ſunt; v.g. in omnes qui conſpiraverint, aut ſocii fuerint necis alicujus. Quàmvis autem etiam hoc Interdictum poſſit comprehendere plures perſonas, uti Generale Perſonale; tamen diverſimodè: Generale enim comprehendit illas mediatè, quatenus ſunt pars Communitatis interdictæ; & manent interdictæ, quouſq; ſunt (etſi alibi exiſtant & ſint innocentes) pars illius Communitatis, & non ampliùs. Particulare verò afficit perſonas in particulari, ligatque illas ubicumque exiſtant, aut cujuſcumque Communitatis fiant, aut deſinant eſſe pars.

82. *Interdicto loco, illi tãtùm ſunt perſonaliter interdicti, qui cauſam Interdicto dederunt.*

Notandum I. Interdicto loco cenſeri ſpecialiter interdictas etiam perſonas particulares, quæ cauſam interdicto dederunt; uti colligunt Doctores communiter c. *Si Sententia, de Sent. Excommunic. in 6.* quæ proinde ligantur interdicto, ubicumque ſunt. Ceteri autem extra locum interdictum poſſunt divina audire, dare & ſuſcipere. Si verò locus non ſit interdictus, ſed ſolùm perſonæ alicujus v. g. Eccleſiæ aut Civitatis, poſſunt alii non interdicti coram ſimiliter non interdictis celebrare januis etiam apertis.

Notandum II. Interdicto oppido, villâ aut caſtro eo ipſo cenſeri interdicta ſuburbia & continentia ædificia, etiam (ait *Præpoſitus q.4.n.8.*) alterius diœceſis vel dominii, idque ex Juris communis diſpoſitione c. *Si civitas, de Sent. excomm. in 6.* ne ſcilicet incolæ interdictum alioquin parvi faciant, ſi in locis vicinis poſſent habere uſum divinorum. Quare juxta Doctores communiter interdictâ civitate etiam interdicuntur monaſteria exempta, quæ intrà diſtrictum continentur: ideòque *Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de Regul.* præcipit, ut Regulares in ſuis Eccleſiis ſervent interdicta Epiſcoporum; qui tamen non poſſent ſpecialiter & directè Eccleſias Regularium exemptorum interdicere. Similiter interdictâ Eccleſiâ cenſetur interdictum cœmeterium, & capella contigua: ſecùs verò, ſi non ſint contigua c. *Si civitas cit.* 83.

Interdicto Oppido ſunt interdicta ſuburbia.

Et monaſteria exempta.

Interdictâ Eccleſiâ interdictũ eſt cœmeteriũ contiguum.

Notandum III. Interdicto populo civitatis v.g. Lovanienſis, non interdici, qui recreationis aut negotiationis causâ eò veniunt; uti nec Studioſos Univerſitatis Lovanienſis, qui non cenſetur de populo loci, ſed conficiunt aliud corpus. Similiter interdicto populo non cenſetur interdictus Clerus, vel contrà, juxta c. *Si Sententia, de Sent. Excomm. in 6.* Nam ſtrictè loquendo ſub populo ſeu civibus non intelligitur Clerus, vel contrà. An autem interdicto Clero cenſeantur interdicti Religioſi, eſt inter Doctores controverſum. Et ſatis probabile eſt, quòd non, niſi conſtet ex antecedentibus, aut conſequentibus de contraria mente legiſlatoris vel judicis: cùm in odioſis Religioſi non veniant nomine Cleri, etſi alioquin plures ex illis etiam primam tonſuram habeant. Comprehenderentur tamen hoc nomine illi ſaltem, qui ſegregati à ceteris habent beneficium ſæculare, v.g. paſtoratum, canonicatum &c. Prout etiam nomine Eccleſiaſticarum perſonarum intelliguntur Religioſi utriuſque ſexûs. 84.

Interdicto populo non ſunt interdicta Academiæ mẽbra.

Neque Clerus,

Nec hoc interdicto Religioſi.

§. II.

Qui ſint Effectus Interdicti?

PRIMUS effectus Interdicti eſt, ſubtractio celebrationis & auditionis divinorum officiorum; ut ex jure patet. Nomine autem divinorum Officiorum intelliguntur ea, quæ Eccleſia ordinavit ad uſum Ordinum aut Sacramentorum, ſacramentalia, horæ Canonicæ & ſimilia, quæ fiunt ab Eccleſiæ Mi- 85.

Interdicto ſubtrahitur celebratio & auditio divinorum officiorum.

ſiæ Miniſtris tamquam talibus. Non tamen inhibetur auditio Concionis, quæ non cenſetur nomine divini Officij in jure.

86. *Moderatio facta per Eccleſiam c. Alma mater.* Nota hanc prohibitionem fuiſſe olim ſtrictiorem quàm modo eſt: nam rigorem illius moderata ſunt varia jura, præſertim c. *Alma mater, de Sent. Excomm. in 6* ubi Bonifacius VIII. concedit, *Quòd ſingulis diebus Interdicti* (ſcilicet Generalis localis, juxta Doctores: etſi attento textu ſecundùm ſe videretur idem dicendum de Interdicto locali ſpeciali; ut patet apud *Præpoſitum q. 4 n. 34* qui tamen judicat in praxi non eſſe recedendum à communi ſententia Doctorum, ob quorum auctoritatem potuit diſpoſitio c. *Alma mater* ſic eſſe recepta) *in Eccleſiis & Monaſteriis miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina officia, ſicut priùs: ſubmiſſâ tamen voce, januis clauſis, excommunicatis ac interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis. In Feſtivitatibus verò Natalis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes & Aſſumptionis Virginis glorioſæ* (quibus Martinus V & Eugenius IV. addiderunt Feſtum Corporis Chriſti cum Octava; diverſi præterea Pontifices ſpecialia feſta Religionum, eorumque octavas & alia quædam, per ſpecialia privilegia pro Eccleſiis Regularium reſpectivè, ut videre eſt apud *Rodriguez To. 2. qq. Reg quaſt. 112.*) concedit Pontifex, ut *campanæ pulſentur, & januis apertis altâ voce divina officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, ſic tamen quòd illi propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent.* Intellige à primis Veſperis; immo in Vigilia Paſchæ (ut videtur) à *Gloria in excelſis* exinde enim Eccleſia inchoat Feſtum Reſurrectionis, & finiuntur dies privilegiati cum Completorio ipſius Solemnitatis. Sub qua non ſolùm intelligi primum diem, v. g. Natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes, ſed etiam dies feſtivos ſequentes, vult *Sotus, Bonacina, Coninck* & alii, contra *Suarez, Filliucium, Reginaldum* & alios paſſim. Nec improbabiliter; eò quòd vulgato & hîc attendendo loquendi modo hi dies cenſeantur coli ſolemniter in honorem natalis Domini &c.

87. *An hæc extendatur ad Oratoria etiam privata.* Hoc privilegium conceditur valde veroſimiliter etiam Oratoriis: tum quia in materia favorabili cenſeri poſſunt nomine Eccleſiæ vel monaſterii, pro conditione Oratorii: tum quia Pontifex ſpecificavit Eccleſias & Monaſteria velut frequentiora loca divinorum officiorum, & quidem omnium; mens tamen ipſius fuit, ut divina officia & Miſſæ *celebrentur, ſicut priùs.* Priùs autem in Oratoriis celebrari poterant miſſæ &c. Ita *Navarrus, Sayrus, Suarez* & alii contra *Covarruvias, Bonacina* & alios cenſentes ſpecificatas eſſe Eccleſias & Monaſteria, non gratiâ frequentioris uſus, ſed ad reſtringendam diſpoſitionem.

Conceditur autem hoc privilegium propriè Clericis. Sub quibus comprehenduntur omnes perſonæ Religioſæ, etiam fœminæ: tum quia Pontifex ſignanter exprimit monaſteria: tum quia id exigit materia favorabilis. Dum autem dicitur: *Excommunicatis ac interdictis excluſis*, ſub interdictis comprehenduntur etiam laici, quàmvis perſonaliter non interdicti, ſic interpretante hanc conceſſionem communi conſuetudine & ſenſu Doctorum. Quàmvis alioquin contrarium fortè videri poſſet, ex eo quòd tales laici non cenſeantur interdicti, dum eſt interdictum locale. Quòd ſi autem reſponderetur cenſeri interdictos ad effectum præſentem, quatenus iis prohibitum manet ut priùs interesſe divinis, hoc ipſo ſolis Clericis inter ſe conceſſo. Contrà urgeri poſſet moderationem iſtam à Bonifacio adhibitam, ne excreſcat indevotio populi, ut dicitur c. *cit.* Quæ ratio videtur exigere etiam ad populum quoad perſonaliter non interdictos favorem eſſe extendendum. Quocirca ſuſpicari quis poſſet c. *Alma mater* eſſe hac in parte abrogatum, ſaltem per conſuetudinem, ne rigor Interdicti ferè enervaretur, ſi paſſim admitterentur etiam laici, excluſis paucis qui cauſam interdicto dederunt. Quidquid ſit, manere debet inconcuſſum, quod laici etiam perſonaliter non interdicti, niſi habeant ſpeciale privilegium, ſint excludendi. Privilegia ſpecialia quoad hoc conceſſa ſervitoribus, Syndicis &c. Fratrum refert *Rodrig. To. 2. qq. Reg. q. 114.* 88. *Quibus perſonis concedatur privilegium c. Alma mater.*

Secundus effectus Interdicti eſt ſubtractio Sacramentorum, tam quoad adminiſtrationem, quàm quoad ſuſceptionem c. *Alma mater* cit. Excipitur tamen Baptiſmus & Confirmatio, quæ tam adultis quàm pueris adhiberi poſſunt tempore Interdicti c. *Quoniam, de Sent. Excommun. in 6.* Ex quo etiam colligitur hæc Sacramenta tunc poſſe conferri ſolemniter; cùm ibi dicatur in Baptiſmo eſſe utendum Chriſmate, quo Eccleſia ſolùm utitur in Baptiſmo ſolemni. Unde etiam licitum eſt benedicere fontem; cùm hæc benedictio ſit ſolemni baptiſmo prævia. Similiter licitum per conſequens eſt renovare Chriſma. Hæc veriora ſunt quoad interdictum locale, præſertim generale. Quæ tamen Aliqui docent etiam habere locum in Interdicto perſonali, ſic ut ita interdictus generaliter poſſit hæc Sacramenta conferre, & interdictus ſpecialiter etiam ſuſcipere. 89. *Interdictũ privat ſacramentis activè & paſſivè; Excepto Baptiſmo, etiã ſolemni & Confirmatione.*

Excipitur II Sacramentum Pœnitentiæ, quod tempore Interdicti, non ſolùm in articulo mortis, ut olim, ſed etiam ſanis quocumque tempore conferri poteſt, ut patet ex c. *Alma mater*, niſi fuerint excõmunicati, vel aliquâ ratione culpabili cauſam dederint Interdicto, quouſque pro ſuo poſſe ſatisfecerint. *Ac Sacramento pœnitentiæ, etiam extra mortis articulum.*

Excipi-

90. *Et Communione dandâ per modum viatici etiã cum ſolita pompâ,* Excipitur III. Communio danda per modum Viatici conſtitutis in articulo mortis, c. *Quod in te, de Pœnitent. & remiſſ.* idque cum ſolita ſolemnitate, honore & comitatu, prout Viaticum regulariter dandum eſt ex c. *Sanè, de Celebrat. miſſar.* Quod enim ſimpliciter in jure permittitur, cenſetur permitti more conſueto & ordinato. Poteſtque in tali articulo recipi etiam à ſpecialiter interdictis, cùm c. *Quòd in te,* & c. *Permittimus* indefinitè loquantur. Perſonaliter generaliter interdictus poteſt eam morienti adminiſtrare: Perſonaliter ſpecialiter interdictus non poteſt quidem adminiſtrare, ſed poteſt alteri committere. Extra periculum autem mortis conſtat illicitè miniſtrari & recipi Euchariſtiam in loco interdicto aut à perſonis generaliter interdictis; idque juxta communem Sententiam (cui tamen contradicit *Suarez*, *Coninck*, & quidam alii) etiam in iſtis feſtivitatibus anni quibus in c. *Alma mater* conceſſum eſt omnibus Fidelibus intereſſe officio divino & ſacrificio miſſæ: eò quòd Sacramentorum receptio & adminiſtratio non comprehendatur ſub divinis officiis in hac materia, ſed patenter iiſdem condiſtinguatur. Si urgeas videri ſaltem licitam tunc communionem ſub Miſſâ de manu celebrantis ſumendam, quæ ſpectato more veteri ſolebat ſubſequi communionem celebrantis; adeòque cenſeri poteſt ſpectare ad celebrationem, quæ inter divina officia computatur. Reſp. id ſaltem non habere locum in ordinariis communionibus extra miſſam, ſeu ex formulis præconſecratis. Deinde ſi licita foret tunc communio ſub Miſſa, facilè eluderetur abſoluta Eccleſiæ prohibitio. Denique etſi cenſeri poſſet quid acceſſorium ad divinum officium, principaliter tamen eſt miniſtratio Sacramenti, & ſic ſpecialiter prohibita.

91. *Secùs eſt de Extrema Unctione,* Quoad Extremam Unctionem certum eſt illicitè miniſtrari vel recipi tempore Interdicti; ſecluſo ſpeciali privilegio (quale habent Religioſi mendicantes, quantùm ad receptionem apud *Compend. Privil. V. Interdictum* 1. n. 4. & quantùm ad miniſtrationem adhibendam de licentia parochi etiã ſæcularibus in domibus Fratrum infirmantibus apud *Rodriguez T. 2. qq. Reg. q. 112. a. 2.*) niſi fortaſſe in caſu, quo infirmus nullum aliud Sacramentum recipere poſſet; idque ex rationabiliter tunc præſumpta Eccleſiæ voluntate. *Cur ipſa minùs permittatur quàm viaticum.* Cur autem Eccleſia potiùs tempore Interdicti permittat Viaticum, quàm Extremam Unctionem, eſt, tum quia Euchariſtia tunc eſt præcepta, & quidem juxta Plurimos jure divino: tum quia in Euchariſtiæ adminiſtratione non conficitur, ſed tantùm diſtribuitur Sacramentum: tum quia eſt pignus futuræ gloriæ. Congruebat igitur ipſam morituris concedi, etſi Extrema Unctio negaretur, in qua rationes iſtæ non militant.

Quod ad Sacramentum Ordinis ſpectat, certum quidem eſt non poſſe tempore Interdicti regulariter miniſtrari. Excipiunt tamen Varii caſum penuriæ miniſtrorum neceſſariorum Eccleſiæ, idq; ex quadam Epykia: poſito tamen (quod moraliter non eſt natum fieri) quòd non ſit commodus Ordines conferendi locus non interdictus. *Idem de Ordine.*

92. *Et juxta multos de Sacramento matrimonii;* Denique quoad Sacramentum Matrimonii cenſet *Suarez*, *Bonacina* & alii illicitum eſſe interdictis illud contrahere; utpote contentum generali prohibitione miniſtrandi & recipiendi Sacramenta tempore interdicti, niſi in caſibus à jure exceptis; inter quos non reperitur Sacramentum matrimonii. Rectiùs tamen *Sylveſter*, *Navarrus*, *Sanchez* & plures alii oppoſitum cenſent: eò quòd Matrimonium ſit præcipuè contractus politicus, cui ratio Sacramenti acceſſit ex inſtitutione Chriſti: contractus autem humani tempore Interdicti non prohibentur; ac proinde nec contractus matrimonii ob acceſſoriam ſecundariò rationem Sacramenti non cenſetur contineri indefinitâ prohibitione Eccleſiæ, de matrimonio non faciente ſpecialem mentionem, adeòque meritò intelligendâ de Sacramentis purè ſpiritualibus, quæ per Eccleſiæ miniſtros diſpenſantur. Quare nec ſpecialiter interdicti arcentur vi cenſuræ à matrimonio; ſed ſolùm vi mali ſtatûs, ſi videlicet ſint impœnitentes. *Rectiùs tamen hoc excipitur.* Benedictiones tamen nuptiales, quæ à Sacerdote, & tempore Miſſæ, adhibitis quibuſdam Orationibus, conceduntur, ſunt illicitæ tempore Interdicti, exceptis illis Feſtivitatibus, in quibus ſuſpenſa eſt prohibitio celebrandi publicè & ſolemniter divina officia. *Benedictiones tamen nuptiales ſunt inhibitæ.*

93. *Privat inſuper interdictum Eccleſiaſticâ ſepulturâ.* Tertius effectus interdicti eſt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, c. *Quod in te, de Pœnitent. & remiſſ.* ubi ſermo eſt de interdicto generali locali. Et c. *Epiſcoporum, de Privilegiis in 6.* ubi indiſtinctè eſt ſermo de perſonis interdictis etiam generali interdicto. Itaque ſi locale ſit interdictum, prohibetur ſepultura in loco ſacro Interdicto; ſi perſonale, prohibetur perſonæ interdictæ ſepultura Eccleſiaſtica, ſeu ea quæ fit in loco per Epiſcopum benedicto & in ſepulturam Fidelium deſtinato. Sublato autem interdicto, qui extra locum ſacrum ſepultus eſt, debet exhumari, & in loco ſacro ſepeliri. Permittitur tamen c. *Quod in te*, ut tempore interdicti localis Clerici, qui illud ſervarunt, eidemque cauſam non dederunt, poſſint in cœmeteriis (quo nomine comprehenditur ex uſu quilibet locus ſacer ſepulturæ Fidelium deſtinatus; illudque Pontifex adhibuit, eò quòd frequentiùs in cœmeteriis ſepeliebantur) ſepeliri cum ſilentio, ſine pulſu campanarum, ſolemnitatibus ceſſantibus, ſcilicet Eccleſiaſticis: quæ enim ad humanum honorem pertinent, non prohi- *Quæ tamen Clericis conceditur, cum certa modificatione.*

prohibentur. Poſſunt autem juxta c. *Alma mater* pro iis fieri divina officia in Eccleſia (ſi extrà ſepeliendum ſit corpus, nequit ibì ullum divinum officium celebrari) cum moderationibus ibidem poſitis. Quem favorem *Præpoſitus q. 4. n. 41.* extendit etiam ad Clericos perſonaliter generaliter interdictos.

94. *Effectus interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ qui ſint.*

Et hos quidem effectus habet Interdictum abſolutè & ſimpliciter prolatum. Præter quod ſubinde ferũtur alia ſecundùm quid: v. g. interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quo prohibetur ne quis in Eccleſia divina officia celebret vel audiat, vel Eccleſiaſticâ fruatur ſepulturâ, ſi impœnitens moriatur: ſecùs ſi moriatur pœnitens. Ita colligunt Doctores ex c. *Is cui, de Sent. Excomm. in 6.* Extra Eccleſiam poſſet talis divina officia audire, aut celebrare, ſcilicet in Oratorio privato, ſi aliàs nullum habeat impedimentum; immo juxta Doctores paſſim etiam in cœmeterio poteſt divina quæ ibi fiunt audire, vel etiam celebrare: eò quòd cœmeterium in rigore non veniat nomine Eccleſiæ, & verſemur in materia odioſa, quæ quantùm fieri poteſt, eſt reſtringenda.

Poteſt taliter interdictus audire in Eccleſia concionem, recipere Sacramenta, extra divina officia;

Certum etiam eſt talem poſſe ingredi Eccleſiam ad audiendam Cõcionem; Et probabiliùs ibidem extra divina officia recipere Sacramenta eò quòd ſic interdictus non ſit privatus uſu Sacramentorum, ſed uſu divinorum officiorum & ſepulturâ. Ita *Henriquez, Bonacina* & alii contra *Suarez, Coninck*, & alios. Similiter juxta *Navarrum, Covarruvias, Bonacina* & alios paſſim poteſt in Eccleſia privatim orare extrà divina officia: eò quòd cenſura videatur intelligenda, attentâ mente Eccleſiæ, de ingreſſu templi publico, & dum divina aguntur.

Vi & privatim orare.

Quàmvis alioquin ſpectato verborum rigore oppoſita Sententia videri poſſit veroſimilis, eò quòd tali prohibeatur ingredi Eccleſiam, nempe ad communem uſum, ad quem Eccleſia eſt deſtinata; inter quos uſus etiam eſt oratio privata. Sed hoc non convincit in præſenti materiâ odioſâ. Iuxta quod tamen conſequenter interdictum ſpeciale ab ingreſſu Eccleſiæ ſuperaret hàc in parte excommunicationem, per quam conſtat non prohiberi orationem ſeparatim & privatim in Eccleſia fundendam.

An etiam per Eccleſiã tranſire ſub divino officio.

Denique taliter interdicto non eſt prohibitum, ſaltem graviter, tempore divinorum officiorum, tranſire per Eccleſiam alio fine, ibique orationem brevem fundere: quia ex illo tranſitu dici non poteſt formaliter audire vel intereſſe divinis officiis, etſi incidenter aliquid horum audiat.

95. *Poſt Concilium Conſtantienſe interdictum locale non eſt ſervandum, niſi ſit nominatim denuntiatum.*

Nota poſt *Extrav. Ad evitanda* locale Interdictum non eſſe neceſſariò obſervandum, niſi fuerit nominatim denuntiatum. Unde licèt Regnum, Provincia vel Eccleſia ſit ſuppoſita Interdicto, poſſunt tamen Clerici ibidem divina officia celebrare, & laici audire, quamdiu non eſt ſolemniter promulgatum. Similiter nullus tenetur vitare perſonaliter interdictum, quamdiu non eſt nominatim denuntiatus; adeòque poteſt quis audire ſacrum, aliaque divina officia ab eo celebrata, modò non cooperetur actioni ipſi prohibitæ ratione interdicti: neque eſt excludendus à ſacris, aut Eccleſiaſticâ ſepulturâ.

Nullus quoque perſonaliter interdictus, niſi denuntiatus, eſt vitandus.

Quòd ſi ſit denuntiatus, eſt à divinis officiis expellendus, præſertim ſi celebrentur in loco interdicto juxta c. *Alma mater.* Similiter eſt excludendus ab Eccleſiaſtica ſepultura.

Qui cenſeantur denuntiati ſeu nominatim interdicti.

Cenſentur autem denuntiati ſeu nominatim interdicti, qui exprimuntur nomine proprio vel officii, aut alio ſigno perſonam ſatìs denotante. Dum autem interdicitur perſonaliter generaliter aliquod Collegium vel Communitas, denuntiatâ Communitate cenſentur denuntiati nominatim ſingli juxta Doctores communiùs contra *Navarrum* & *Saa*: quia Communitas nihil eſt aliud quàm ſingulæ partes; quas etiam ſingulatim nominare frequenter eſt impoſſibile.

§. III.

Quod peccatum & quæ pœna violantium Interdictum?

Violatio interdicti eſt ex genere ſuo mortalis; 96.

PECCATUM violantium Interdictum eſt mortale ex genere ſuo, quando ſcilicet non excuſat levitas materiæ: nam Eccleſia præcipit rigoroſè interdictum ſervari. Unde Clerici interdicti aut in loco interdicto celebrantes divina officia aliter quàm jus permittit, peccant mortaliter. Similiter laici perſonaliter interdicti ingerendo ſe divinis officiis, aut ſuſcipiendo Sacramenta ſibi prohibita, ſive ipſi ſint perſonaliter interdicti, ſive ea ſuſcipiant in loco interdicto.

Etiã quoad laicorum aſſiſtentiam in divinis officiis.

An autem laici perſonaliter non interdicti peccent mortaliter, ſi aſſiſtant divinis officiis in loco interdicto, dubitant Doctores, eò quòd in Jure non ſatìs clarè iis prohibeatur intereſſe divinis, ſed potiùs Clericis, ut eos excludant. Unde Nonnulli exiſtimant laicos ſecùs facientes tantùm peccare venialiter, ſecluſo contemptu, ſcandalo, violentiâ aut aliâ circumſtantiâ extrinſecâ mortali. Verius tamen eſt oppoſitum: Eccleſia enim ſimpliciter prohibet laicis iſto tempore intereſſe divinis, ut ſatìs colligitur ex c. *Si ſententia, de Sentent. excommun. in 6.* Nec hac in parte favor eis conceditur in c. *Alma mater*, ubì quàmvis præcipiatur Clericis ut laicos expellant, non per hoc conceditur his, ut non expulſi interſint; ſed potiùs Clericis favor celebrandi conceditur, non aliter quàm abſentibus non privilegiatis: aliundè autem materia prohibitionis de ſe eſt gravis, adeòque proportionatè obligat prohibitio.

Violan-

97. *Hi tamen violando interdictum rarò incurrunt aliquas pœnas juris.* Violantes Interdictum, ſi ſint laici, nullam incurrunt pœnam juris, niſi rarò in caſibus *Clementina 2. de Sent. Excom.* Clericus autem violans interdictum locale aut perſonale per actum ſeu exercitium Ordinis fit irregularis, ut patet ex c. *Is qui*, & c. *Is cui*, *de Sent. Excommun. in 6.* Præterea celebrans ſcienter in loco interdicto fit ineligibilis activè & paſſivè, c. *Is qui* cit. Immo ſimpliciter violans poſtulari non poteſt ad prælaturam, c. 1. *De poſtulatione Prælatorum.* Deinde Clericus ſive ſæcularis ſive Regularis præſumens illicitè celebrare, aut facere celebrari divina in locis interdictis, aut coram excommunicatis, aut interdictis non toleratis, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, quouſque ſatisfecerit ei, cujus ſententiam violavit, c. *Epiſcoporum*, *de Privilegiis in 6.* Addit præterea *Suarez* & plures alii Clericos violatores Interdicti localis eſſe ſuſpenſos ab officio & beneficio, & conſequenter à juriſdictione. *Pœna clericorum violantium interdictū.* Sed, ut rectè advertit *Bonacina* & alii, hæc pœna non ſatis ex jure probatur, adeòque non eſt aſſerenda. Denique Religioſi etiam exempti qui non ſervant Interdictum, quod vident ſervari ab Eccleſia cathedrali, matrice, aut parochiali loci in quo ſunt, incurrunt excommunicationem *Clem. 1. de Sent. Excommun.* Item præſumentes ſepelire interdictum denuntiatum in loco ſacro, aut alios contra juris permiſſionem tempore localis interdicti, excommunicantur *Clem. 1. de Sepulturis.*

§. IV.

Qualiter ceſſet Interdictum?

98. *Quibus modis ceſſet interdictum citra relaxationem ſuperioris.* POSTREMÒ agendum reſtat de relaxatione Interdicti. Et quidem ſupponendum in primis eſt, Interdictum latum in Communitatem tolli reſpectu innocentium eo ipſo, quòd diſſolvitur Communitas: ipſi enim non ligantur, niſi ut pars communitatis. Qui tamen Interdicto dederunt cauſam, adhuc ligati manent, eò quòd ipſi cenſeantur in propria perſona ſpecialiter interdicti. Deinde Interdictum latum ad certum tempus per ſe deſinit eo finito. Item latum ſub conditione, v. g. donec vel quouſque ſatisfeceris parti, ceſſat impletâ conditione. Quod tamen Plures valde probabiliter limitant ad Interdictum latum per modum puræ pœnæ: eò quòd videlicet latum inſtar propriæ cenſuræ videatur indigere abſolutione; uti aliæ cenſuræ ceſſante contumaciâ non ceſſant, niſi per abſolutionem. Quis autem ante lapſum temporis Interdicto præfixi ab eo poſſit abſolvere, uti ſi Latum ſit per ſententiam particularem, colligi poteſt ex dictis *quæſt. præc.* de Suſpenſione.

Interdictum locale, & perſonale generale non reſervatum poteſt tolli per Epiſcopum vel alium habentem poteſtatē Epiſcopalem in locum aut communitatem quæ ſubjacet interdicto. Colligitur ex c. *Nuper*, *de Sent. excomm.* Quia verò ad ejuſmodi interdictum tollendum neceſſaria eſt juriſdictio in in foro externo, tolli non poteſt ab eo, qui talem juriſdictionem non habet. Juriſdictio itaque Mendicantium verſatur circa objecta fori pœnitentiæ, cujus objectum non eſt locus vel integra communitas, ſed ſingulares perſonæ, quæ proinde quoad perſonas ſuas deberent eſſe interdictæ: nam aliàs non abſolvuntur, niſi quatenus locus vel communitas abſolvitur. 99. *Interdictū locale & perſonale generale tollitur ab Epiſcopo, ſi non ſit reſervatum.* *Circa hoc nil poſſunt Confeſſarii Mendicantium.*

Particulare Interdictum perſonale, ſi non ſit reſervatum, uti excommunicatio non reſervata, poteſt tolli per Confeſſarium, qui poteſt abſolvere à mortalibus, juxta *Suarez diſp.* 38. *Sect.* 2. *n.* 9. & alios. Quid autem Mendicantes poſſint circa abſolutionem hujus Interdicti, colligi poteſt ex dictis de Abſolutione ab excommunicatione & ſuſpenſionibus: circa iſta enim æqualis eſt eorum poteſtas, ut ex tenore privilegiorum conſtat. 100. *Quis abſolvat ab interdicto perſonali ſpeciali.*

Pro fine nota Interdictum locale generale non poſſe tolli ad cautelam, ex c. *Præſenti*, *de Sent. excomm. in 6.* Quàmvis id ex natura rei non repugnet. Unde etiam de facto interdictum perſonale aut ſpeciale locale (de quibus jus præfatum non loquitur) rectè tollitur ad cautelam, quando ſcilicet incertum ſeu dubium eſt, an fuerit juſtè & legitimè latum. Poteſt quoque interdictum ſuſpendi ad tempus, vel ex toto, vel quoad aliquos effectus, prout fit in c. *Alma mater.* 101. *Quale interdictum tolli poſſit ad cautelā.*

An autem Epiſcopus aut alius Pontifice inferior poſſit ſuſpendere interdictum à jure vel à ſe latum quoad certos dumtaxat effectus, dubium eſt. Affirmant Doctores ſatis communiter arg. c. *Dilectis filiis*, *de Appellat.* Unde etſi Epiſcopus vel Judex teneatur interdicto locali à ſe lato, tamen practicè loquendo putat *Præpoſitus q.* 4. *nu.* 47. eum contra agendo non peccare; quatenus implicitè ſaltem cenſetur interdictum quoad illam actionem ſuſpendere, prout poteſt, & ſcit eſſe neceſſarium, ut ſine peccato operetur. Quare conſequenter ſi Epiſcopus dicat ſe collaturum Ordines in loco à ſe interdicto, poſſent ex eadem præſumptione alii ibidē Ordines recipere. Contrarium nihilominus cum *Panormitano*, *Avila*, *Gaſpare Hurtado* tradit *Caſtro Palao diſp.* 5. *de Cenſuris pu.* 7. §. 1. *n.* 3. ex eo quòd effectus Interdicti ſint eidem annexi de jure communi Pontificio, quod Epiſcopus aut alius inferior alterare non poteſt. Vide *Caſtro Palao* loco citato. *An Epiſcopus poſſit ſuſpendere interdictum ad certum dumtaxat effectum.*

QUÆSTIO V.

De Ceſſatione à Divinis.

102. *Quid Ceſſatio à divinis.* CEssatio à divinis eſt quædam deſiſtentia à divinis Officiis & adminiſtratione Sacramentorum ex ſimplici prohibitione Eccleſiæ. Eſtque duplex, Generalis videlicet, quæ reſpicit totum Regnum, civitatem, caſtrum &c. & Specialis, quæ eſt appoſita loco particulari, v. g. certæ Eccleſiæ, cœmeterio &c.

Qualiter differat ab interdicto. Ceſſatio à divinis differt ab Interdicto (cui, præſertim locali, multùm aſſimilatur) quòd non ſit cenſura nec propriè pœna, ſed ſimplex prohibitio in deteſtationem ſceleris, & ſignum graviſſimi doloris conſtituta, quâ deſiſtentiam à divinis Officiis aſſumit Eccleſia inſtar planctûs cujuſdam ratione injuriæ ſibi vel Deo illatæ, vel per modum defenſionis contra illam. Unde violans Ceſſationem à divinis, etiam per actum Ordinis, non incurrit irregularitatem, utpote nullo jure ſtatutam. Secundò quòd Ceſſatio à divinis ſolùm afficiat immediatè loca, Interdictum autem etiam locale ſemper afficiat aliquam determinatam perſonam. Tertiò quòd Interdictum imponatur etiam à jure, Ceſſatio verò non niſi ab homine.

103. *A quibus imponi poſſit.* Poteſt autem imponi ab Epiſcopo, immo etiam ab inferioribus Prælatis, & à Concilio Provinciali, *Clement. 1. de Sent. Excom.* Similiter à Capitulis, Collegiis vel Conventibus Eccleſiarum Regularium vel ſæcularium, quibus ſcilicet id competit ex privilegio vel conſuetudine, ut patet *Clem. cit.* & c. *Quàmvis, de Off. Ord. in 6.* Ex quo etiam colligitur ab his poſſe indici Ceſſationem à divinis contra ſuum Epiſcopum, quem tamen punire non poſſunt.

104. *Tempore ceſſationis prohibentur divina officia & Sacramentorum adminiſtratio.* Per Ceſſationem prohibentur publica Officia divina & adminiſtratio Sacramentorum in loco in quo Ceſſatio eſt indicta. Unde non licet in tali loco Miſſam celebrare, Euchariſtiam miniſtrare, Ordines conferre, Officium canonicum publicè cantare &c. Liceret tamen horas recitare cum ſocio: cùm iſta recitatio ſit privata. Secùs eſt juxta multos (quàmvis Plures contradicant) quando bini vel terni recitarent horas etiam abſque cantu invicem audientes: eò quòd recitatio iſta videatur quodammodo publica, quâ poſſet etiam obligationi Chori ſatisfieri.

105. *Excipitur Baptiſmus & Pœnitentia morientiū & huic acceſſorium Viaticum, Et Confirmatio.* Excipiunt Doctores communiter Baptiſmum parvulorum & Pœnitentiam morientium. Sub Pœnitentia autem cenſetur concedi Viaticum, c. *Quod in te, de Pœnit. & remiſſ.* Et per conſequens licebit unū ſacrum in hebdomada pro renovatione Euchariſtiæ. Idem communiter docent de Confirmatione, quæ eſt velut complementum & conſummatio Baptiſmi. Proinde licitum quoq; erit renovare Chriſma. Plurimi etiam ex pia interpretatione mētis Eccleſiæ cēſent poſſe ſanis miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ. *An etiam Pœnitentia miniſtranda ſanis.* Quod tamen non fundatur in jure, cùm ante c. *Alma mater* (cujus moderatio juxta DD. communiùs non habet locum in Ceſſatione à divinis) id non liceret in Interdicto. *Exceptus cenſetur baptiſmus adultorum.* Aliud eſt de Baptiſmo adultorum, qui etiam tempore Interdicti licebat ante moderationem præfatam; adeoque in Ceſſatione licet, juxta Doctores communiter; qui jura agentia de Interdicto, quantùm ad favores, extendunt ad Ceſſationem à divinis, ſeclusâ moderatione c. *Alma:* quorum interpretationi (in quo etiam reliquæ exceptiones præcipuè fundantur; cùm jura potiſſimùm agant de Interdicto) cenſetur mens Eccleſiæ accommodata.

Denique inter effectus Ceſſationis à multis enumeratur privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ: ſed cùm deſuper non ſit textus juris, nullatenus odia Interdicti ſunt extendenda ad Ceſſationem à divinis; ut proinde etiam laici (niſi uſus fortè obſtaret) tempore Ceſſationis poſſint in Eccleſia vel cœmeterio abſque divinorum officiorum ſolemnitate ſepeliri. De Matrimonio idem cenſendum eſt quoad celebrationem ejus tempore Ceſſationis, quod tempore Interdicti. 106. *Quid cenſendum de Eccleſiaſtica ſepultura & Matrimonio.*

Conditiones ſervandæ in indictione Ceſſationis videri poſſunt c. *Si canonici* & c. *Quàmvis, de Off. Ordinarii in 6.* Religioſi autem etiam exempti ſi non ſervent Ceſſationem generalem, quam ſciunt à Matrice ſive cathedrali Eccleſia obſervari excommunicantur ipſo facto. *Clem. 1. de Sent. excommun.*

QUÆSTIO VI.

De Degradatione ſeu Depoſitione.

DUplex eſt Degradatio Clerici, Verbalis ſcilicet & Realis c. *Degradatio, de Pœnis in 6.* Verbalis eſt pœna Eccleſiaſtica, quâ Clericus in perpetuùm privatur omni officio & beneficio clericali, retento ſolo privilegio Canonis & fori. 107. *Quid Degradatio verbalis.* Degradatio realis ſive actualis eſt pœna Eccleſiaſtica, quâ Clericus in perpetuùm & cum certa ſolemnitate privatur omni officio, beneficio & privilegio clericali, ut patet ex c. *cit.* *Quid Degradatio realis.* Ex quo etiam conſtat Degradationem verbalem vocari Depoſitionem. Unde multi Degradationem verbalem & Depoſitionem confundunt: Alii autem Depoſitionem tunc demum cenſent eſſe Degradationem verbalem, quado judex facit Depoſitionem cum ordine & intentione perveniendi ad Degradationem realem, aliàs autem eſſe propriè Depoſitionem. *Depoſitio variè accipitur à variis.* E contrà Nonnulli ſic loquuntùr, ut Depoſitio ſit maxima pœna, quaſi totalis amotio à Statu clericali, ac proinde coincidat cum Degradatione,

prout

prout hæc eſt amotio ab omni gradu clericali, aliàs autem Degradatio ſit quædam partialis pœna reſpectu Depoſitionis, dum ſcilicet quis tantùm deponitur à determinato gradu, v.g. Sacerdotis, relicto gradu alio: prout loquitur *Scotus* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *num.* 4. Quod ad quæſtionem de nomine ſpectat. Loquendo autem ut Multi,

108. *Depoſitio alia abſoluta, alia reſpectiva.* Depoſitionem diſtinguimus in Abſolutam, quæ fit ſine ordine & intentione Degradationis actualis ſeu realis: & Reſpectivam, quæ fit cum tali ordine & intentione. Et hæc ſemper eſt totalis, coinciditque cum Degradatione verbali; quæ proinde eſt ſpecies Depoſitionis in genere. *Abſoluta alia totalis, alia partialis.* Abſoluta autem Depoſitio aliqua eſt Totalis, aliqua Partialis. Eaque diſtinguitur à Suſpenſione, quòd nullatenus ſit Cenſura aut pœna medicinalis, tollat etiam titulum v.g. Officii aut Beneficii; *In quo differat à ſuſpenſione.* Suſpenſio autem etiam perpetua tollat tantùm fructus, quouſque reus ſimul privetur titulo; ideoque is abſque nova collatione titulum retinet, ſi in Suſpenſione diſpenſetur. Inſuper reddit inhabilem ad omnia, ſi ſit depoſitus totaliter & in genere; aut ſaltem ad illud à quo eſt depoſitus, ſi tantùm ab illo fuerit depoſitus. Difficilior quoque eſt diſpenſatio, quàm in Suſpenſione, etiam perpetuâ. Depoſitio verbalis abſoluta poteſt tolli ab Epiſcopo: realis verò Degradatio ſubjacet diſpoſitioni ſolius Pontificis, ſi juſta fuerit: ſi autem injuſtè quis fuerit degradatus, reſtitutio in priſtinum gradum competit Epiſcopo, cujus eſt ſententiam quam tulit emendare; ſaltem cum aſſiſtentia illorum, quorum aſſiſtentiâ Degradationis ſententiam tulerat; quod tamen in rigore non eſſe neceſſarium Varii notant.

109. *Effectus Degradationis, præſertim realis.* Degradatio nulla privat charactere v.g. Sacerdotii, ſed ſolo uſu, idque in perpetuùm & velut irremiſſibiliter. Quare validè exerceret ea quæ merè Ordinis ſunt. Præterea Degradatio realis tollit privilegium fori & Canonis, ſic ut Degradatus conveniatur etiam criminaliter apud Judicem ſæcularem, & citra incurſum excommunicationis *can. Si quis ſuadente* percutiatur. Denique Degradatio realis fit cum majori ſolemnitate: degradandus enim realiter indutus ſacris veſtibus ac inſignibus ad ſuum officium ſpectantibus, habens in manibus librum, vas vel aliud inſtrumentum ſpectans ad ſuum Ordinem, adducitur ad præſentiam Epiſcopi, à quo ei auferuntur omnia ordine retrogrado, quo ea in ſua ordinatione acceperat: tunc ei caput raditur, ut nullum coronæ veſtigium appareat. Vide c. *Degradatio cit.* quod etiam in Degradatione Clerici conſtituti in ſacris requirit aſſiſtentiam plurium Epiſcoporum, ſed eatenus mitigatum eſt per *Tridentinum ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *de Reform.* Unde quoque colligitur, ſicut & ex c. *Veritatis*, *de Dolo & contumacia* Degradationem realem tantùm poſſe fieri circa præſentem, verbalem autem etiam poſſe fieri in abſentem & contumacem. Dum autem Epiſcopus degradatum tradit Curiæ ſæculari, declarans id Judice ſæculari præſente, debet pro eo intercedere, ut non moriatur: etſi Judex eum punire poſſit pœnâ per leges ejuſmodi criminoſis impoſitâ.

Degradationem verbalem meretur adulterium, concubinatus poſt admonitionem perſeverans, ſimonia notoria, inceſtus, ſtuprum, perjurium, homicidium &c. Degradationem verò realem meretur crimen hæreſis, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, ſodomia ſæpiùs repetita & ſimilia, quæ judicis arbitrio tali pœnâ digna ſunt.

QUÆSTIO VII.

De Irregularitate.

§. I.

Quid & Quotuplex ſit Irregularitas?

IRREGULARITAS eſt impedimentum Canonicum, primariò & directè impediens ſuſceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum, & conſequenter uſum receptorum. Unde eſt quædam inhabilitas Jure Eccleſiaſtico introducta; adeòque inhabilitas mulierum & non baptizatorum ex ipſa inſtitutione divina Sacramenti Ordinis proveniens non eſt vera Irregularitas. 110. *Quid ſit Irregularitas.* Pontifex quoque, qui non tenetur vi coactivâ ſuarum legum, nequit eſſe irregularis juxta Doctores communiter. *Non poteſt eſſe in Pontifice.* Præterea Irregularitas non neceſſariò ſupponit delictum, nec infligitur per modum medicinæ, ſicut cenſura, ſed ob reverentiam divini miniſterii: *Nec ſupponit ſemper delictum.* neque etiam infligitur ab homine, ſicut ſæpè infligitur Cenſura, ſed juxta receptam ſententiam tantùm à Jure; intellige Pontificio & ſcripto, ſive contento in Bullis Pontificum aut Decretis Conciliorum Generalium, ſive in Corpore vulgato Juris Canonici, ex c. *Is qui*, *De Sent. excommun. in* 6. quàmvis verba in ſe ſpectata non ſatis clarè videantur convincere intentum. *Neque infligitur ab homine, ſed tantùm à Iure Pontificio.* Ex quo ulteriùs fit nullum Epiſcopum aut Prælatum Pontifice inferiorem

Ut proinde nequeat ferri ab Epiſcopis.

poſſe in ſuis decretis infligere Irregularitatem. Quod etiam confirmat ſatis Eccleſiæ praxis.

111. *Formulæ quibus ſtatui ſolet Irregularitas.*

Jura porrò ſtatuentia Irregularitatem ſolent uti variis formulis v.g. *Numquam ordinetur, ad clericatum non promoveatur, non aſpiret ad Ordines, non fiat vel non poſſit fieri Clericus, ad ſacros Ordines aſpirare non audeat, non poteſt eſſe ex numero Sacerdotali, non poſſunt ſecundùm Canones Sacerdotii jura ei concedi, ſit irregularis &c.* Primariò verò intendunt prohibere Ordinum receptionem; ut patet ex formulis præfatis, & c. *Si quis, De laicis & ſeqq. diſt.* 34. & alibi. Conſequenter tamen impedit etiam uſum Ordinum ſuſceptorum; ideoque peccat irregularis faciendo ea quæ requirunt uſum alicujus Ordinis, ſeu quæ fieri non poſſunt, niſi ab ordinato. Quæ verò non requirunt uſum Ordinis, licitè exercere poteſt, v.g. ſuſcipere alia Sacramenta, immo etiam obire officia Ordinum minorum, utpote quæ etiam laici ſolemniter obire poſſunt.

Primariò ipſa arcet à ſuſceptione, ſecundariò à miniſterio Ordinum.

Sub quibus hic comprehenditur communiter Tonſura Clericalis.

Sub Eccleſiaſticis Ordinibus juxta receptam & à *Rota* deciſam ſententiam comprehenditur hîc etiam prima Tonſura; quæ licèt juxta Theologos non ſit ſtrictè Ordo, tamen in Jure Canonico intelligitur nomine Ordinis, arg. c. *Cùm contingat, De ætate, qualitate & ordine &c.* Unde irregularis prohibetur fieri Eccleſiaſticus, etiam per aſſumptionem primæ tonſuræ.

112. *Effectus Irregularitatis.*

Hinc patet effectum Irregularitatis eſſe inhabilitatem ad ſuſceptionem Ordinum & ad eorum executionem ſeu exercitium. Intellige, quando irregularitas eſt totalis & abſolutè fertur: alioquin irregularitas partialis non ab omni Ordine ſuſcipiendo aut ſaltem exercendo excludit; ut patet in Sacerdote, qui inculpabiliter perdidit pollicem, cui munia etiam ſacerdotalia licent exceptâ celebratione. Sæpè etiam aliàs in Jure infligitur irregularitas impediens à ſuſceptione Ordinum, non autem ab executione jam ſuſceptorum: quod ex tenore verborum & circumſtantiis eſt colligendum.

113. *Irregularis eſt inhabilis ad beneficia, ſic tamē ut collatio non videatur ipſo facto irrita;*

Prædicto effectui plerique Doctores annumerant inhabilitatem ad obtinendum beneficium, docentes collationem factam irregulari eſſe ipſo facto irritam. Varii nihilominus valde probabiliter hoc negant, eò quòd oppoſitum nullo Jure ſufficienter probetur: nam Jura, quæ adferri ſolent, vel non agunt de Irregularitate, vel explicari poſſunt de licitò, quòd videlicet irregulari ſine diſpenſatione beneficium illicitè conferatur, & collatio ſit irritanda. Prout explicari poteſt c. 2. *de Clericis pugnantib. in duello.* Accedit, quòd Irregularitati tribuendi non ſint effectus in Jure haud ſatis clarè expreſſi. Ita varii Recentiores, & probabile etiam reputat *Suarez d. 40. ſect. 2. n. 35.*

Quidquid autem ſit de beneficio obtinendo, ſatìs conſtat irregularem propter ſupervenientem irregularitatem ipſo facto non privari beneficio jam obtento. Et colligitur ex variis Capitulis Juris requirentibus officium Judicis ad beneficiorum privationem, c. *Clericis, Ne Clerici vel Monachi*, c. *Fraternitati, De Clerico excommunicato*, & aliis. Nec aliquid circa hoc innovavit *Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* decernens, ut homicida voluntarius *omni Ordine, beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat*; intellige accommodando verba juxta ipſarum rerum naturam, ut ſcilicet carentia Ordinis ſeu Irregularitas incurratur ipſo jure, privatio verò beneficii acquiſiti incurratur per ſententiam.

Multò minùs ipſo facto privatur beneficiis jam obtētis.

114. *Unde retinere poteſt, immo & obtinere juriſdictionem Eccleſiaſticam,*

Hinc ſequitur Irregularem non eſſe incapacem juriſdictionis Eccleſiaſticæ retinendæ; immo etiam obtinendæ, ſive ſit ſermo de ordinaria, ſive de delegata; cùm ipſo jure non excidat beneficiis obtētis, nec fiat incapax ea recipiendi. Retentâ tamen vulgatâ ſententiâ de inhabilitate irregularis ad obtinendum beneficium, conſequenter erit inhabilis ad obtinendam juriſdictionem ordinariam, utpotè regulariter annexam beneficio ſeu officio Eccleſiaſtico. Delegatæ nihilominus juriſdictionis ad quævis munia, exercitium Ordinis non requirentia, eſſet capax; cùm talis inhabilitas nullo jure decernatur.

115. *Actus quoque juriſdictionis non exigentes exercitium Ordinis exercere, Et validè abſolvere; Idq; probabiliter etſi ſit denuntiatus.*

Sequitur ulteriùs Irregularem poſſe etiam licitè exercere actus juriſdictionis, qui non requirunt exercitium Ordinis, v.g. delegare alteri facultatem abſolvendi. An autem ipſemet validè poſſit abſolvere ſacramentaliter, dubitari poſſet. Verùm ſatis certum eſt quòd ſic, ſi ſaltem non ſit nominatim denuntiatus. Quòd ſi autem ſit denuntiatus, majus dubium eſt. Nihilominus etiam tunc probabiliter validè abſolvit, juxta *Suarez d. 40. ſect. 2. num. 45.* & alios; eò quòd Irregularitas nullo jure irritet actus juriſdictionis, uti nec aufert ipſam juriſdictionem. Aliundè tamen poſſet confeſſio eſſe invalida, defectu ſcilicet diſpoſitionis pœnitentis, ſi ſcienter ab irregulari denuntiato (cui communicare nequit in actibus ſeu functionibus ei vetitis) petat abſolutionem, quæ eſt functio irregulari prohibita.

116. *Irregularitas ex delicto ſupponit culpam mortalem.*

Irregularitas eſt duplex, ex delicto videlicet, & ſine delicto. Quæ contrahitur ex delicto, præſupponit culpam gravem; adeòque non contrahitur, dum actus à gravi culpa formali eſt excuſatus. Plures etiam volunt excuſare ignorantiam invincibilem Canonis ſeu legis Eccleſiaſticæ:

Digitized by Google

cleſiaſticæ: immo Nonnulli cenſent excuſare etiam ſolius pœnæ ſeu Irregularitatis ignorantiam. De quo actum eſt *diſput. 5. qu. 4.*

117. An autem in dubio incurſæ Irregularitatis, ſi facto diligenti examine dubium maneat, debeat quis cenſeri irregularis, gravis eſt quæſtio. Ad quam omiſſis variis dicendi modis, breviter Reſp. Neg. ſive ſit dubium juris, ſive facti; id eſt, ſive dubitetur, an facto alicui ſit de jure annexa irregularitas; ſive dubitetur, an factum ſit commiſſum, cui irregularitas noſcitur de jure eſſe annexa. Ratio eſt: tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: tum quia nuſquam in Jure expreſſum eſt, in ejuſmodi dubio judicandum eſſe pro Irregularitate; hæc autem non incurritur niſi in caſibus à jure expreſſis.

In dubio non eſt quis cenſendus irregularis.

118. Excipe caſum homicidii, quando videlicet quis ſcit ſe alium verberaſſe, qui paulò pòſt mortuus eſt, & manet dubius, an ex ipſius læſione ſit mortuus; tunc enim ille ſe debet gerere pro irregulari: quia hoc videtur expreſsè definiri c. *Ad audientiam*, & c. *Significaſti, de Homicidio.* Quo caſu conſtat, tam de homicidio, quàm de delicto, ſcilicet peccaminosâ verberatione, & ſolùm dubitatur, an iſte effectus ex tali delicto cauſatus fuerit. Iſte tamen ſolùm habendus eſt irregularis quoad effectum abſtinendi à celebratione, quærendique diſpenſationem, non autem quoad privationem beneficiorum aliaſve pœnas irregularibus impoſitas, juxta *Panormitanum, Suarez, Molina, Sanchez* & alios.

Excipitur caſus homicidii.

119. Petes, An procurans aborſum cenſendus ſit irregularis, ſi poſt diligens examen dubium perſeveret, an fetus fuerit animatus? Reſp. cum *Præpoſito qu. 5. dub. 8.* & aliis contra plurimos Doctores Negativè: nam jura quæ ſtatuunt in dubio homicidii aliquem cenſendum eſſe irregularem, agunt de caſu quo conſtat homicidium eſſe commiſſum, ſed dubitatur, an talis fecerit: hìc autem dubitatur, an homicidium ſit commiſſum, eò quòd ignoretur, an ſubjectum fuerit homicidii capax. Idem dicẽdum videtur juxta *Præpoſitum ſup.* quando non ſupponitur aliquis eſſe occiſus, & dubitatur quis occiderit, ſed tantùm dubitatur, an aliquis verè occiſus ſit.

Quid cenſendum de caſu procurati aborsûs in dubio animationis fetûs.

120. Hinc etiam cùm Jus ſtatuens præſumendam irregularitatem in dubio facti, loquatur de homicidio prohibito, non eſt extendendum ad dubium homicidii juſti, v.g. in bello commiſſi; neque etiam ad dubium mutilationis: cùm verſemur in odioſis, & præſertim in Irregularitate, quæ non incurritur niſi in caſibus à Jure expreſſis. Ita contra plurimos alios *Diana p. 3. Tract. 5. Reſolut. 72.* Qui ibidem addit jura hæc intelligenda eſſe de dubio vero & proprio, quando ſcilicet intellectus in neutram partem ſe poteſt determinare; adeò ut ſi probabiliter opinetur quis ſe non commiſiſſe homicidium, minimè cenſendus ſit irregularis.

Item quid de caſu dubiæ mutilationis.

Delicta ex quibus contrahitur Irregularitas, ſunt, iteratio Baptiſmi, indebita ſuſceptio vel uſus Ordinis, homicidium illicitè patratum, & quædam alia. Defectus culpâ carentes, qui Irregularitatem inducunt, partim ſunt animi, partim corporis, partim natalium, partim lenitatis &c. De quibus in ſpeciali plura reſtant dicenda.

Cauſa ex quibus contrahitur Irregularitas.

§. II.

De Irregularitate contractâ ob illicitam ſuſceptionem Sacramentorum.

PRIMÒ is qui rebaptizatur eſt ratione delicti irregularis, etiam quoad executionem Ordinis ſuſcepti, c. *Qui in qualibet 1. qu. 7.* & c. *Afros diſt. 98.* aliiſque juribus. Idque etſi delictum non ſit publicum, ut contra Nonnullos ſatis patet ex Canonibus citatis, in quibus nulla publicitas requiritur. Ex communiori quoque ſententia (quam tradit *Navarrus*, *Suarez* & alii) ignorantia inculpabilis excuſat: cùm ſit pœnalis hæc irregularitas. c. *Qui in qualibet ætate*, intelligitur de ætate capaci doli. c. *Qui bis 217. de Conſecrat. d. 4.* eſt deſumptum ex *Pœnitentiali Theodori*, qui fuit particularis Epiſcopus, ſcilicet Cantuarienſis. Quod ad rebaptizantem eique miniſtrantem attinet, ſtatuitur c. *Ex litterarum, de Apoſtatis, quòd ad ſuperiores Ordines promoveri, ſi publicum eſt, non valebit.* Ubi etſi fiat mentio ſolius Acolythi, qui miniſterium rebaptizationi præſtiterat, & de quo ſolo Pontifex fuerat interrogatus, formaliter tamen decernitur, Irregularitatem incurri propter miniſterium præſtitum rebaptizationi. Nec Pontifex tam reſpicit materiale quod proponebatur, qualitatem ſcilicet Acolythi, quæ ad Irregularitatem minimè pertinebat, quàm ſpeciem facti, quæ in ipſo rebaptizante perfectiùs cernitur. 121.

Rebaptizatus eſt irregularis.

Idem eſt de rebaptizante quoad promotionem ad altiores Ordines

Requiritur tamen ut delictum ſit publicum juxta *Panormitanum*, *Silveſtrum*, *Coninck* & varios Recentiores. Eſtque probabile ſatis ob relata *nu. præced.* verba c. *Ex litterarum.* Communis tamen & juxta *Caſtro Palao d. 6. de Cenſuris puncto 16. n. 3.* in praxi conſulenda Sententia (quam tenet *Scotus*, *Hoſtienſis*, *Avila*, *Henriquez* & alii) non requirit publicitatem; prout non requirunt jura agentia de rebaptizatis. Ad c. *Ex litterarum* dici poſſet ibi ſi crimen ſit occultũ permitti promotionem ad Ordines, ſubintelligẽdo ex diſpenſatione Epiſcopi: cùm ſi publicum ſit, nullatenus ea ſit conce- 122.

Si delictum ſit publicum.

Immo etſi occultum, juxta receptam ſententiam.

concedenda. Non incurritur autem impedimentum ſolùm quoad executionem Ordinum jam ſuſceptorum, ut ex *cap. cit.* colligitur.

Varii caſus excipiũtur. Præterea rebaptizans aut miniſtrans non fit irregularis, ſi deſit culpa, ſi baptizans fictè agat, ſi ſub conditione (nam de actu abſolutò & perfecto in ſuo genere ſunt pœnæ explicandæ) idque probabiliter etſi temerè, juxta *Navarrum, Suarez, Bonacina, Coninck* & alios paſſim, tametſi contrà ſentiat *Sotus, Corduba* & alii, eò quòd conditio appoſita tunc habeatur pro non adjecta. Quibus adſtipulatur *Catechiſmus Romanus Tract. de Baptiſmo cap. de Effectibus Baptiſmi.* Reſponderi equidem poteſt, conditionem eſſe habendam pro adjecta in præſenti materia, in qua nil agitur ultra intentionem agentis. Demùm non fit irregularis ſi tantùm repetantur ſolemnitates. Fit tamen irregularis, ſi abſolutè & ſeriò rebaptizet, quantùm eſt in ſe, etiamſi ex metu. Solus denique Pontifex diſpenſat cum rebaptizante & miniſtrante, niſi ingrediatur Religionem; quo caſu in favorem Religionis etiam diſpenſat Epiſcopus, c. *Ex litterarum cit.*

Circa iterationem aliorum Sacramentorum initerabilium jura nil ſtatuunt. Reconfirmanti vel reordinanti, ſimiliter reconfirmato vel reordinato non reperitur inflicta in jure irregularitas: adeòque non eſt aſſerenda cum *Scoto 4.d.7.q.5.* communiter recepto, contra *Navarrum.* Argumenta autem à ſimili in materia pœnali & odioſâ, præſertim Irregularitatis, vim non habent.

123. *Baptizatus ſuâ culpâ ab Hæreticis vitandis eſt irregularis.* Secundò qui baptizatur ab Hæreticis (intellige, nominatim denuntiatis, poſt moderationẽ Concilii Conſtantienſis, juxta *Præpoſitum q.5.dub.4.*) etiam occultè, fit irregularis, tam quoad executionem quàm ſuſceptionem Ordinum c. *Qui in qualibet 1.q.7.* Cùm autem hæc irregularitas imponatur ob peccatum, ab ea incurrenda excuſat ignorantia & neceſſitas; adeòque infans ab Hæretico baptizatus non eſt irregularis.

Similiter Baptizatus in ægritudine. Tertiò baptizatus in ægritudine fit irregularis c. 1.*diſt.57.* *quia* (ut ibi dicitur) *fides illius non voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt.* Et ſubditur: *niſi fortè poſtea ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* Quibus caſibus diſpenſat Epiſcopus. Immo cùm videatur imponi ob peccatum, videtur non incurri, ſi in baptiſmi dilatione peccatum non intervenerit.

124. *Item furtivè ſuſcipiẽs Ordinem,* Quartò qui furtivè ſuſcipit Ordinem fit irregularis ſaltem quoad ſuſceptionem aliorum Ordinum, c. 1. *De eo qui furtivè Ordinem ſuſcepit.* Furtivè autem ſuſcipit juxta *Gloſſam*, qui citra conſcientiam ſui Epiſcopi & ſine examinatione promovetur.

Aut durãte matrimonio ſacros Ordines præſumens ſuſcipere. Quintò fit etiam irregularis, qui durante matrimonio, etiam non conſummato, præſumit ſacros Ordines ſuſcipere extra caſus à jure conceſſos. Patet ex *Extrav. Antiqua* Joannis XXII. *De voto.* Ubi etiam dicitur talem non impediri tantùm à ſuſceptione Ordinum ſuperiorum, ſed etiam ſoluto matrimonio ab executione ſuſcepti. Multi adferunt alias irregularitates contractas per malam ſuſceptionem Sacramentorum, ſed eas non ſatìs probant. Unde non irregularitatem, ſed ſuſpenſionem incurrunt promoti ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii, vel per ſaltum, vel extra tempora, vel ſine titulo &c.

§. III.

De Irregularitate contractâ ob indebitum uſum Ordinum.

CLERICUS non ordinatus præſumens ſolemniter baptizare, aut aliquod divinũ officium ſolemniter & ex officio exercere (quod tunc fit, quando actus ita exerceri nequit ab eo qui proportionato Ordine caret) fit irregularis quoad Ordinum ſuſceptionem, non autem quoad exercitium ſuſceptorum, ex c. 1. *de Clerico non ordinato.* Unde non Sacerdos ſolemniter baptizans, fit irregularis; excepto caſu, quo id facit Diaconus, exiſtente juſtâ causâ ſeu neceſſitate, & cum debita licentia Sacerdotis. Similiter Diaconus fit irregularis, ſi aquam aut ſponſos benedicat; immo ſi munus Hebdomadarii in Choro exerceat juxta *Bonacina d.7.qu.3.pu.6.n.7.* Idem eſt de aliis divinis officiis Sacerdoti propriis. 125. *Clericus ſolemniter baptizans aut divinum Officium exercens, ſi careat Ordine requiſito fit irregularis.*

Nomine autem divinorum Officiorum juxta cõmuniſſimam Doctorum Sententiam intelligitur etiam c. *cit.* collatio Sacramentorum, quorum miniſterium eſt Sacerdotibus proprium: ſicut ſæpè aliàs in jure nomine divinorum Officiorum intelliguntur Sacramenta. Et cõſequenter Diaconus præſumens ſacramentaliter abſolvere, conferre Extremam Unctionem &c. fieret irregularis; non tamen Sacerdos hæc agens circa non ſubditos, utpote non exercens actum Ordinis quem non habet, ſed juriſdictionis. Nihilominus etſi non ſit facilè à tam communi Sententia recedendum, tamen cùm in Jure divina Officia ſæpè condiſtinguantur contra Sacramenta, ut c. *Reſponſo, de Sent. Excomm.* c. *Alma mater eod. tit. in 6.* & in *Tridentino ſeſſ. 21. c. 4. de Reform.* Immo illo ipſo *capite 1. ſup. cit.* Baptiſmus (qui eſt Sacramentum) condiſtinguatur contra divinum Officium; videri poſſet in rigore loquendo hæc irregularitas non ſatis in Jure expreſſa; adeòque non admittitur à *Sylveſtro V. Confeſſor 1.* in principio, etſi dubitativè loquatur. Specialiter autem *cap. 2. de Clerico non ordinato*, infligitur irregularitas præſu- 126. *Nomine divinorum Officiorum, hic etiam ſacramenta intelligi eſt communis ſententia.* *Quæ etſi non facilè deſerenda, non videtur ſatis clarè fundata in Iure.*

præſumenti celebrare miſſam ſine ſacerdotali Ordine, cum ſuſpenſione ab exercitio Ordinis digniſſimi, quem habet, per biennium vel triennium.

127. *An hæ irregularitates ſolos concernant Clericos.* Quia verò Titulus præfatis Capitibus præfixus expreſsè agit de Clericis, putat *Angelus, Sayrus, Bonacina* & alii, iſtas irregularitates tantùm incurri à Clericis. Alii tamen cōmuniùs (inter quos *Navarrus, Sotus, Suarez, Avila*) docent eas incurri etiam à laicis; eò quòd ſaltem *cap.1.* loquatur ſine ulla reſtrictione, ipſumque ſcriptum fuerit ante Titulum, qui proinde ipſum Textum reſtringere nequit. Porrò idcirco præfixus fuit ſub præfata reſtrictione, quòd Clerici hâc in parte ſæpiùs delinquant. Altera equidem ſententia eſt probabilis, præſertim ſi quod *c. 1. cit.* dicitur, *abjiciatur de Eccleſia*, intelligamus cum *Panormitano* & aliis de Suſpenſione aut Depoſitione ferendæ ſententiæ (Alii intelligunt de Excommunicatione) Clericis utique propriâ. Sicut & *cap.* 2. apertè de Clericis agitur.

128. *Ab iis excuſat ignorātia etiam craſſa, & quædam alia.* Cùm autem jura requirant præſumptionem ſeu temeritatem, excuſat ab hujuſmodi irregularitate ignorantia, etiam craſſa; & à fortiori bona fides (quâ v. g. quis credit ſe Ordinem requiſitum habere, vel poſſe id facere) aut neceſſitas, quæ actum à culpa excuſant. Præterea requiritur, ut actus fiat ſeriò, nec poſſit à laico ſic exerceri. Unde non fit irregularis, qui carens minoribus Ordinibus actus eorumdem etiam ſolemniter exercet; immo nec qui Epiſtolam ſine manipulo & dalmaticâ cum ſuperpelliceo; vel etiam juxta *Navarrum, Coninck* & alios cum dalmatica, ſed ſine manipulo canit: hæc enim fieri poſſunt etiam à non ordinatis. *Qui poſſit non Subdiaconus canere Epiſtolam.* Idem Nonnulli docent de cantante Evangelium ſine ſtola (quod tamen negat *Præpoſitus* & alii) quaſi tunc non canatur ſolemniter vi Ordinis ſacri & officii.

129. *Violās cenſuram exercitio Ordinis ſacri fit irregularis.* Violans Cenſuram (exceptâ Excommunicatione minori) per exercitium Ordinis ſacri incurrit irregularitatem (ut ex variis juribus patet) & quidem multiplicem, pro multiplicitate Cenſurarum, ſive ejuſdem, ſive diverſæ rationis, quæ infringuntur. Propter exercitium tamen Minorum Ordinum (quorum functiones etiam laicis competere poſſunt) non incurritur Irregularitas juxta Recentiores communiùs; neque ſi exerceatur ſacer actus eo modo, quo poteſt exerceri ſine Ordine, ut inquit *Suarez diſp.42. ſect.5. n.1.* & *Præpoſitus q.5. dub.6.* neque ſi propriè exerceatur Ordo ſacer, ſed cenſura tantùm violetur materialiter ratione ignorantiæ vel neceſſitatis.

§. IV.

De Irregularitate orta ex hæreſi aut infamia.

Hæretici ſunt irregulares juxta communiſſimam ſententiam; quæ colligitur ex c. *Saluberrimum 1. q. 7.* & ex c. *Quicumque §. Hæretici, de Hæreticis in 6.* ubì dicitur: *Hæretici autem, credentes, receptatores, & fautores eorum, ipſorumq́; filii uſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium publicum admittantur.* Ordo autem eſt officium publicum. 130. *Hæretici ſunt irregulares.*

Ad hanc Irregularitatem incurrendam requiritur hæreſis aliquo modo externa; at juxta plurimos non requiritur publica. Quamvis hoc poſtremum valde probabiliter neget *Saa, Sayrus, Tannerus* & alii plures; Ratio eſt, quòd textus Irregularitatem inducentes exigant aut ſupponant notoreitatem criminis: cùm non ad ipſos Hæreticos, ſed ad Eccleſiæ Paſtores ſermonem dirigant, vetando, ne hi tales ad Ordines admittant. Et quidem c. *Saluberrimum*, quod eſt præcipuum, & fortè unicum ad probandam hanc Irregularitatem, loquitur de publicis Hæreticis, & publicâ fidei profeſſione (quæ fit in ſcriptis) poſt converſionem faciendâ. Similiter c. *Quicumque* prohibetur, ne Hæretici eorumque fautores ad officia publica admittantur; quòd utique delicti notoreitatem præſupponit. Denique c. *Ad abolendam 9. de Hæreticis* (ubì agitur de pœna Depoſitionis) eſt ſimiliter ſermo de publico Hæretico: *Quicumque manifeſtè fuerint in hæreſi deprehenſi, ſi Clericus eſt &c.* 131. *Ad quod requiritur probabiliter hæreſis publica.*

Addo ex c. *Quicumque* non ſatìs probari irregularitatem; ſolùm enim decernuntur Hæretici eorumve fautores, & deſcendentes non admitti ad beneficia Eccleſiaſtica aut officia publica. Nomine autem hoc, præſertim in odioſis, non debet intelligi Ordo, ſed officium juriſdictionis, v.g. Magiſtratus, Prætoriatus &c. Prout de facto intelligit *Gloſſa* arg. ſimilis textûs c. *Felicis recordationis §. Quòd ſi quis, De Pœnis in 6.* Immo c. *Statutum 15. De Hæreticis in 6.* ubì Bonifacius VIII. reſtringit Ordinationem Alexandri IV. c. *Quicumque*, rubrica præfixa habet: *Sunt inhabiles ad beneficium Eccleſiaſticum vel officium ſeculare.* Aliàs ſanè (ut poſt *Gaſparem Hurtado* advertit *Caſtro Palao d. 6. pu. 19. §. 1. num. 5.*) publicum officium ordinatè præmiſiſſet Pontifex beneficio; cùm Ordo ſive officium ſupponatur beneficio. Ex quo ulteriùs ſequeretur filios Hæreticorum non ſubjici Irregularitati. Quod 132. *Immo ex c. Quicumque non videtur ſatis probari irregularitas Hæreticorum.* *Aut prolium eorumdem.*

Quod docent *Toletus* & *Sayrus* apud *Caſtro Palao ſup.* §.2.*n*.1. Sed contrarium cum communi Sententia ſupponendo, adhuc

133. *Suppoſito tamen vulgato intellectu Capitis, quædã ſunt circa illud notanda.*

Circa prædicta verba c. *Quicumque* Notandum, per fautores & receptatores Hereticorum intelligi eos, qui favent Hæreticis formaliter ſumptis ſeu quà tales ſunt. Et dum ibidem decernuntur irregulares eorum filii uſque ad ſecũdam generationem, intelligendum eſt de filiis per lineam paternam, ut declaravit Bonifacius VIII. c. *Statutum* 15. *eod. tit. in* 6. reſtringens quoad filios per lineam maternam ad primum gradum. Unde cujus avus maternus fuiſſet hæreticus, non contraheret hanc irregularitatem. Declarat quoque ibidem Pontifex eam non contrahi ab iis quorum parentes ante mortem ſunt Eccleſiæ reconciliati. Eſt etiam probabile verba Capitis intelligi de filiis natis poſt hæreſim parentum: tum quia eo caſu non ſunt formaliter filii Hæreticorum, ſed potiùs Catholicorum, ex quibus quà talibus concepti & nati ſunt: tum quia ante nati non videntur per Eccleſiam privari jure quæſito, ac perdere ſuam habilitatem ad Ordines ſuſcipiendos, propter ſuperveniens peccatum parentum. Ita *Navarrus, Sanchez, Bonacina* & plures alii contra *Suarez*, *Covarruvias* & alios. Denique requiritur ut parentes notoriè in hæreſi decedant, ſic ut propter illam reputentur infames. Ideoque in locis, in quibus Hæretici paſſim ſunt Catholicis permixti, filii Hæreticorum non contrahunt irregularitatem; utpote quæ in filios derivatur ob parentum infamiam ex hæreſi contractam, juxta *Henriquez, Saa, Sanchez, Bonacina*, quos citat & ſequitur *Caſtro Palao ſup. n.* 7.

Clericus ab hæreſi converſus poteſt ex diſpenſatione Epiſcopi in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare.

Notandum II. Clericum hæreticũ poſtquam reverſus fuerit ad Eccleſiam, poſſe in Ordine priùs ſuſcepto miniſtrare, ſaltem ex diſpenſatione Epiſcopi, ut colligi videtur ex c. *Salubeirimum* 1. *q*. 7. Immo fortè nullâ opus tunc eſſe diſpenſatione, Canone velut admittẽte hanc explicationem, ait *Præpoſitus q.* 5. *dub.* 7. Quod tamen alii omnino rejiciunt; cùm is ſupponatur verè irregularis, adeòque indigens diſpenſatione. Et colligitur ex c. *Saluberrimum*, ubi dicitur eos debere pro beneficio habere, ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare poſſint. Et de Sacerdotibus ac Diaconis qui idolis thurificaverant idem expreſsè deciditur c. *Presbyteros d.* 50. *ex Concilio Ancyrano*.

134. *Neophyti qui ſint, & quomodo à Sacerdotio arcendi.*

Notandum III. Neophytos (quo nomine intelliguntur ex lege Judaicâ, Mahumeticâ vel Ethnicâ nuper converſi ad fidem Chriſtianam in adulta ætate) communiter dici irregulares ex *diſt*. 48. *c*. 1. ubi vetantur promoveri ad Ordines Epiſcopatûs & Sacerdotii, donec ſcilicet poſt baptiſmum ſufficienter probarint Eccleſiæ ſuos mores & fidem. Quod dictat planè ipſa ratio naturalis. Quàmvis autem determinatio temporis relinquatur Epiſcopo quoad ſibi ſubjectos, qui attentâ conditione perſonæ poſſet illud prolongare vel coarctare, non tamen ultra decennium, quo tranſacto non cenſetur deinceps Neophytus, ut tradit *Bonacina* & alii paſſim, adeòque diſpenſatione non indiget.

Crimina inducentia infamiam Juris inducunt irregularitatem c. *Infames* 6. *q*. 1. Dupliciter autem inducitur infamia Juris. Primò per ſententiã Judicis infamiam inurentis. Secundò per commiſſionem criminis, cui infamia jure Canonico vel civili eſt annexa. Ejuſmodi crimina ferè ſunt, adulterium, inceſtus, raptus virginum, ſodomia, veneficium, duellum, ſacrilegium, ſimonia, hæreſis, favor illius, crimen læſæ Majeſtatis, horribilis inſecutio Cardinalium, quæ duo ultima etiam reddunt filios jure infames, & plura alia recenſita *cap. cit.* aliiſque juribus decreta. Cùm tamen crimen occultum non pariat infamiam, non incurritur hæc irregularitas, niſi crimina ſint publica, ut notant Doctores, & clarè habetur c. *Final. de Tempor. Ord.* Hæc autem irregularitas (ut colligitur ex c. *Infames cit.*) ſolùm impedit aſcenſum ad altiores Ordines, non verò miniſterium in jam ſuſceptis, intellige ratione infamiæ; aliundè enim crimen ipſum ex jure ſpeciali poſſet impedire etiam miniſterium in Ordinibus ſuſceptis. 135. *Infamia juris inducit irregularitatem* *Impedientem à ſuſceptione altiorum Ordinum.*

Quantùm ad infamiam facti, iſta juxta Varios inducit irregularitatem. Verùm potiùs juxta alios juris naturæ, quàm juris poſitivi impedimentum iſta inducit, quo vetatur, ne Epiſcopi aſſumant improbos, & malæ vitæ homines, non ſine ſcandalo Fidelium & aliorum, ad gradum Ordinum; quouſq; malam notam purgaverint. Quod regulariter fit per triennii converſationem. Idem videtur fieri per ingreſſum arctæ Religionis. Quocirca nullâ hîc opus eſt diſpenſatione propriè loquendo: quali opus eſt ad abolendam juris infamiam, ſeu irregularitatem ex ea ortam; utpote quæ eſt effectus jure poſitivo inductus. Deque hac infamia agitur c. *At ſi Clerici, de Judiciis*, ortâ ſcilicet per ſententiam Judicis. In eaque quoad miniſterium in Ordine ſuſcepto diſpenſat Epiſcopus, ut tradit *Abbas, Molina* & alii. Et colligitur ex *c. cit.* Quoad aſcenſum autem ad Ordines altiores ſolus Pontifex. Qui tamen id non faciet ante purgatam ſeu abolitam juris infamiam. Quam quidem à Clerico abolere poteſt; uti & irrogatam Laico per Judicem Eccleſiaſticum. Princeps autem ſæcularis abolet à ſuis ſubditis infamiã Jure civili indictam. 136. *Infamia facti non tam inducit impedimentum juris poſitivi quàm naturalis, ut varii advertunt. Qualiter tollatur infamia, & irregularitas inde orta.*

Denique ſunt infames à dignitatibus & officiis tum Eccleſiaſticis tum civilibus obtinendis excluſi, ut Jure quoque civili ſtatutum eſt, & expreſſum *Reg.* 87. *Juris in* 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* *Infames excluduntur ab officiis.*

Quod

Quod communiter ſic intelligitur,ut proviſio eis facta ſit prorſus irrita.Validam tamen eſſe in foro conſcientiæ,donec reſcindatur cenſet *Garcias* cum aliis.Et rectè ſaltem quoad infamiam facti. Infamia quoque facti non privat ipſo jure dignitatibus obtentis: eſto autem ſic privet juris infamia, attamen requiritur ſententia declaratoria.

§. V.

De Irregularitate contractâ ex homicidio voluntario aut mutilatione.

137. *Quid intelligatur nomine voluntarii homicidii aut mutilationis.*

NOMINE homicidii voluntarii intelligitur, non omne quod eſt peccaminoſum etiam mortaliter, ſed quod eſt volitum, vel in ſe directè, vel in cauſa ita propinquâ, ut ſit moraliter impoſſibile talem cauſam velle,& non velle mortem;v.g. ſi quis alteri venenum propinet,vel tali loco vulneret, ex quo moraliter certò debeat mors ſequi, licèt eam expreſsè non intendat.Idem eſt cum proportione de voluntaria mutilatione.Ejuſmodi autem mutilatio vel homicidium dumtaxat dicitur propriè mutilatio vel homicidium, ac de eo intelliguntur Canones infligentes pœnas homicidio (idem eſt de mutilatione) voluntario, vel ſimpliciter poſito.Idemque dumtaxat excipitur, quando conceditur facultas diſpenſandi in irregularitate ex homicidio, niſi ſit voluntarium. Immo varii Doctores ſolum illud cenſent homicidium voluntarium in jure,quod fit ex propoſito expreſſo occidendi ſic ut cenſeant reputandum eſſe caſuale, ſi in rixa inopinatâ aliquis occidatur. Hoc notato

138. *Baptizatus voluntariè alterum etiam non baptizatum occidens eſt abſolutè irregularis.*

Is qui voluntariè alterum occidit incurrit irregularitatem; ſi id faciat poſt ſuſceptum baptiſmum c. *Si quis viduam diſt.* 50. quantumvis is qui occiditur non eſſet baptizatus.Adeò ut talis homicida nequeat promoveri ad ſacros Ordines, *Trid.ſeſſ.*14. *c.7.de Reform.*immo nequidem ad Clericatum c. *Si quis viduam cit.* neque etiam in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, c. *Significaſti* 18. *de Homicidio.&* c. *Fin.de Temporib. Ord.* Ad hanc autem irregularitatem incurrendam ſufficit procurare abortum fetus animati; cùm tunc verè committatur homicidium: ſecùs ſi procuretur abortus fetûs nondum animati. Patet ex c. *Sicut ex litterarum de Homicidio.* Quid autem dicendum ſit, ſi dubitetur an fetus fuerit animatus,vide dicta *hâc quæſt.n.*119. Conformiter autem *Suarez* & alii exiſtimant abſciſſionem membri aridi non inducere irregularitatem; cùm non cenſeatur mutilatio membri humani.Quemadmodum etiam qui mutilaret cadaver,non fieret irregularis. Multi tamen quoad membrum aridum contradicunt, ut *Panormitanus*, *Covarruvias*, *Navarrus*, *Bonacina* & alii. Et conſonat illud *Auguſtini l.4.de Bapt.contra Donatiſt. c.4. Si cujus manus eſſet arida, verum quidem eſſet membrum &c.*

Vtì & voluntariè procurans abortũ fetus animati:

139. *Similiter mandans & conſulens effectu ſecuto.*

Præterea mandans vel conſulens homicidium, effectu reipsâ ſecuto fit irregularis c. *Si quis viduam* & c. *Significaſti cit.* Dummodo occidens operetur vi mandati vel conſilii alterius. De quo ſi dubitetur, adhuc incurritur irregularitas juxta c. *Significaſti cit.* & conformiter ad dicta *nn.* 118. Idem eſt de quoquo modo cooperantibus c. *Significaſti*, & c. *Sicut dignum §. Illi etiam, de Homicidio.* Unde quando plures communi conſilio aliquem aggrediuntur, omnes fiunt irregulares,etſi unicus occidat: quia omnes præbent aliquem moralem influxum, vel tacitè ſe animando, vel impediendo alterum, ne ſe defendat. Secùs eſt de eo,qui alicui inflixit vulnus non letale, quem poſtea alii ſupervenientes occidunt, ut habetur c.*Significaſti.* Immo ſi inflixerit vulnus letale, ſi ſupervenientes occidant eâ ratione (v. g. tormento bellico) ut prius vulnus nihil juverit ad mortem accelerandam,non incurrit irregularitatem. Quòd ſi citra commune conſilium aut conſenſum plures inflixerint alteri vulnera, etſi ſolus ſit irregularis, quem conſtat inflixiſſe vulnus letale; ſi tamen diſcerni nequeat, ex cujus ictu occubuerit, omnes debent ſe gerere tamquam irregulares; utì &, ſi plures vulnera inflixerint, quæ quidem non ſingula, ſed ſimul ſumpta ſunt cauſa ſufficiens mortis. Qui verò alterum præciſè non defendit, non fit irregularis, quantumvis ex charitate defendere obligaretur; immo valde veroſimiliter juxta *Antoninum, Armillam, Prepoſitum* & alios contra *Navarrum, Suarez* & alios paſſim, etſi ex officio ſeu juſtitiâ: eò quòd ſit tantùm cauſa negativa, jura autem loqui videantur de poſitiva cooperatione. Denique ratum habens homicidium ſuo nomine perpetratum non fit irregularis,etſi Nonnulli contradicant: quia nullo id textu præſcribitur; nec talis verè eſt cauſa concurrens ad homicidium, utpote jam præteritum.

Quid cenſendũ, dum res multorum conſilio vel opere peragitur.

An conſendus ſit irregularis, qui nõ defendit cùm debet,

Aut qui ratum habet factum ſuo nomine.

140. *Voluntariè mutilans eſt jure irregularis, Idem eſt de mandante, De conſulente idem dicitur, citrà expreſſum Iuris textum.*

Quantùm ad voluntariè mutilantem, certum eſt apud Doctores, quòd fiat irregularis, & colligitur ex *Clem. Si furioſus, de Homicidio*; idque etſi tantùm mandet, ſecuto effectu, c. *Fin. de Homicidio.* Idem ſupponunt Doctores de cõſulente aut aliter cooperante ad mutilationem: à quorum communi ſententia difficile eſt recedere: quàmvis quoad hoc non reperiatur textus expreſſus, qui juxta ipſorummet Doctorum receptam Sententiam in irregularitate adſtruenda eſt neceſſarius.

141. Petes,quid requiratur ad mutilationem? Reſp.cum Doctoribus communiter requiri abſciſſionem alicujus membri: vel juxta

Mutilatio exigit abſciſſionem membri, ſaltem æquivalenter, fieri.

Suarez, *Coninck* & alios, ſaltem ut illud reddatur mortuum ſeu aridum; nam videtur etiam hoc agens ſubſtantialiter mutilare. Hoc tamen multi negant. Saltem non ſufficit, quòd deformetur, vulneretur, vel reddatur ineptum functionibus ſacris, v.g. quòd abſque evulſione oculi aliquis excæcetur: tametſi irregularis fiat, qui ſic ineptus redditur. Per membrum autem in ordine ad hanc Irregularitatem incurrendam

Nomine membri quid intelligatur.

Nonnulli intelligunt omnem partem corporis, quæ ſpecialem aliquem cum membro principali habet cooperationem, ut digitus, auricula. Sed probabiliùs Alii intelligunt eam partem corporis, quæ per ſe habet aliquod diſtinctum officium in corpore, ſeu eſt velut integrū inſtrumentum proximum alicujus actionis, ut oculus, manus, pes, lingua &c. oculus ſcilicet ad videndum, manus ad palpandum, pes ad ambulandum, lingua ad loquēdum &c. adeòque digiti ſeu articuli, qui inſerviunt manui vel pedi propriè membra non ſunt, ſed partes membri. Aliàs ſanè difficillimum foret determinare, quid ſit membrum: nam quâ ratione quis diceret notionem membri competere digito, dici poſſet competere etiam articulo ſeu parti digiti; quam tamen amputans à nemine dicitur irregularis. Eſtque hoc ipſum juri conformius, quia c. *Presbyterum. de Clerico ægrotante*, is, cui duo digiti cum medietate palmæ fuerant abſciſſi, dicitur ſolùm debilitatus, & habere membrum deformatum, non autem mutilatus; prout tamen is, qui manum amiſerat, dicitur mutilatus c. *Expoſuiſti*, *De corpore vitiatis*. Et Apoſtolus 1. *ad Rom.* 12. dicit quòd, *Omnia membra non eumdem actum habent*; prout ſcilicet à nobis fuit dictum de oculo, pede &c.

142\. *Membrum aut membri ſui partem abſcindens, aut ſe caſtrari permittens, citra neceſſitatem, fit irregularis.*

Irregularis præterea eſt, qui ſponte ſe caſtrat, aut aliquod membrum vel partem membri v.g. partem digiti abſcindit, aut permittit ſe caſtrari: ſecùs ſi ex neceſſitate, à natura, vel morbi depellendi causâ hæc paſſus ſit. Ita habetur c. *Si quis abſcidit & ſeqq. diſt.* 55. & c. *Ex parte* 3. *&* 5. *de Corpore vitiatis*. Impedit hæc Irregularitas tam executionem quàm ſuſceptionem Ordinum c. *Si quis à medicis diſt.* 55. & c. *Si quis pro ægritudine.*

§. VI.

De Irregularitate orta ex homicidio aut mutilatione caſuali.

143\. *Homicidiū caſuale involūtarium aut venialiter voluntarium non inducit irregularitatem.*

HOMICIDIUM caſuale (idem eſt de mutilatione) contingit dupliciter. Primò omnino involuntariè, ſic ut nullo modo potuerit aut debuerit prævideri, & hoc modo nullam inducit irregularitatem. Patet ex c. *Dilectus*, & pluribus aliis *de Homicidio*. Et *Clem. Si furioſus eod. tit.* Immo licèt ſit aliqua culpa, ſi tamen non ſit mortalis, non incurritur irregularitas, ut videtur colligi ex c. *Quæſitum, de Pœnit. & remiſſ.* cùm enim infligatur per modum pœnæ & quidem gravis, prærequiritur peccatum mortale externum.

Secundò aliquo modo voluntariè, ita ut quamquam nec in ſe nec in cauſa ſit intentum, tamen ſufficiens diligentia ad illud præcavendum, quæ potuit & debuit adhiberi, non ſit adhibita. Et hujuſmodi homicidium inducit irregularitatem c. *Preſbyterum* & aliis, *de Homicidio*. Idem eſt de ejuſmodi mutilatione, ut colligitur ex *Clem. Si furioſus*, & c. *Fin. de Homicidio in* 6. Ex quo Capite etiam habetur, incurri irregularitatem ab eo, qui mandat aliquem verberari, etſi addat ut nō occidatur aut mutiletur, ſi mandatarius fines mandati excedēs occidat aut mutilet: *cùm* (ut ibi additur) *in mādando culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.* Unde loquitur de eo qui eſt reus homicidii. De conſulente idem cōmuniter docent Doctores. Sed quoad cōſulentem aut aliter cooperantes homicidio caſuali; non ſatis probatur ex jure. Prout etiam ex jure non probatur (quod communiter aſſeritur) irregularem fieri mandantem (idem eſt de conſulente) ſi occidatur ipſe mandatarius, & mandans id non ſufficienter præcaverit; ut rectè inter alios notavit *Præpoſitus q.* 5. *dub.* 10. Etſi in praxi recedere à communi ſententia ſit difficile. 144. *At eam inducit, ſi ſit ſufficienter voluntarium.* *Idem eſt, de mutilatione.* *Item de mandante.* *De conſulente quoque id docet communis ſententia: Etſi hoc non ſatis in jure ſit expreſſum.*

Circa miniſtrantes infirmis obſervandum, quòd non habeant Irregularitatis periculum vertendo infirmum de lecto in lectum, de latere in latus, porrigendo cibum & potum &c. ſi ſervent cautelam communiter à prudentibus adhiberi ſolitam. Eſſent tamen irregulares, ſi culpabiliter & notabiliter per ſimiles actiones mortem accelerarent. Regulariter equidem bonâ fide procedunt: adeòque ſicut in conſcientia non ſunt rei caſualis homicidii, aut mortis per actionem mortaliter culpabilem acceleratæ, ſic nec ſunt irregulares. Adde ex mutatione ſitûs ad infirmo v.g. miniſtrandum cibum, vel ut commodiùs quieſcat, eſto aliqualiter mors acceleraretur, non eſſe faciendum ſcrupulum ex eo, quòd nec acceleratio ſoleat eſſe notabilis, nec infirmus eam cùm tanto ſuo incommodo præcavere, ut notat *Avila* cum aliis. 145. *Notabile pro iis qui miniſtrant infirmis.*

Magna verò controverſia eſt, an incurrat Irregularitatem ille ex cujus actione illicita alius occiditur, ſed adhibuit ſufficientem diligentiam ne occideretur. Aliqui univerſim affirmant. Qui refutantur: nam alioquin is cui prohibitum eſſet pulſare campanas, vel aſcendere gradus, fieret irregularis, ſi ipſe aut malleus campanæ omnino fortuitò cadens aliquem occideret. Quod apparet non ſatis credibile. Alii tunc ſaltem, quando opus ei erat ſpecialiter prohibitum ob periculum homicidii. Ita *Sanchez* 146. *Dans operam rei illicitæ an contrahat irregularitatem homicidii caſualis.*

Reſolvitur, quòd non. chez *l.9. de Matrim.diſp.32.nu.25.* & alii. Sed probabiliùs univerſim negatur, eò quòd talis in ratione homicidii, ob quod imponitur Irregularitas, nullam habeat culpam. Ita *Caſtro, Henriquez, Prapoſitus q. 5. dub.10.* & alii Recentiores. Excepto fortè uno caſu, de quo infrà *nu.* 163.

147. *Reſpõdetur ad jura in contrarium.* Dices: Pontifex interdum in jure allegat pro ratione, ob quam non ſit in caſu ei propoſito incurſa irregularitas, quòd occidens daret operam rei licitæ & diligentia ſeu cautela ſufficiens ſit adhibita, ut c. *Dilectus de Homicidio.* Reſp. iſtam rationem quidem ſufficere, quæ etiam in caſu propoſito ſubſiſtebat; non velle tamen Pontificem, quòd illâ quoad priorem partem deficiente fuiſſet irregularitas incurſa, ſed ab hoc ipſum præſcindere. Quemadmodum c. *Ex litteris 15. de Homicid.* allegat Pontifex pro ratione: *Si rem neceſſariam agebat & utilem, & in loco per quem aliquem tranſire non crederet* &c. cùm tamen conſtet non requiri hæc omnia, ſed ſaltem ſufficere, ut res ſit licita, & cautela ſufficiens adhibita.

Notabile. Adverte tamen, ſi opus foret adeò periculoſum ac mortis inductivum, ut rarò hic effectus abſit, idque operantem non lateat, indubiè is effectu ſecuto foret irregularis, ſive ſit clericus ſive laicus: cùm effectus ſit tunc in cauſa voluntarius. Et hoc ſenſu intellecta ſecunda Sententia veritatem habet. At talia non ſunt, quæ plerumque allegantur: aliàs forent æquè prohibita Laicis (cùm tamen de Clericis ſpecialiter id velint) idque jure naturæ. Ad *cap. Tua nos, de Homicid.* reſpondebimus infrà §. 10. *n.* 163.

§. VII.

De Irregularitate ex homicidio aut mutilatione in defenſionem ſui aut rerum ſuarum.

148. *Juſtè & ſervato moderamine occidens invaſorem non fit irregularis.* OCCIDENS invaſorem vitæ ſuæ aut illum mutilans non fit irregularis, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Patet ex *Clem. Si furioſus, de Homicid.* & inſinuatur c. *Significaſti eod. tit.* Idem eſt de occidente alium, qui inferre ſatagit mutilationem aut grave vulnus, quod aliter evitare nequit. Idem quoque eſt juxta *Suarez, Prapoſitum* & alios; de occidente vel mutilante invaſorem rerum ſuarum, vel quotieſcumque occiſio aut mutilatio eſt licita per modum juſtæ defenſionis. Ratio eſt, quòd in tali caſu non ſit culpa in occidente, ut ſuppono ex *Tract. de Juſt. & Jure*: irregularitas autem homicidii extra bellum & judicium ſit impoſita in pœnam.

Secùs ſi moderamen notabiliter excedatur. Dixi, *ſervato moderamine inculpatæ tutelæ*: ſi enim illud excedatur uſque ad culpam mortalem incurritur irregularitas homicidii vel mutilationis caſualis. Unde ſi occidas, cùm ſatis te poſſis defendere mutilando aut debilitando, irregularis es. Idem eſt juxta communem ſententiam, ſi invaſionem fugâ, ſaltem non notabiliter ignominioſâ (prout nõ eſt Clericis vel Religioſis) declinare poſſis citra periculum.

§. VIII.

QUI in bello offenſivo juſto aliquem occidit vel mutilat eſt irregularis. Patet ex c. *Petitio, de Homicidio.* c. *Clericum,* & c. *De his clericis diſt.* 50. Idem cenſent Doctores de eo, qui in tali bello hortatur in particulari ad aliquem occidendum. Secùs eſt de iis, qui alios ſolum ad pugnam excitant, etſi excitent ad occidendum in genere. Unde Clerici in caſtris exiſtentes non incurrunt irregularitatem, quando excitant milites etiam in actuali conflictu, ut fortiter ſe gerant, ut pugnent &c. idque colligunt Doctores ex diverſis juribus 23. *qu.* 8. Similiter Princeps indicens bellum juſtum, ejus Conſiliarii, præbentes arma vel annonam militibus, non fiunt irregulares: cùm de his ex Jure nil conſtet, ſed tantùm de iis qui propriâ manu occidunt vel mutilant, aut ſaltem in particulari hortantur ad aliquem occidendum. Dico, *occidunt vel mutilant*: quia non eſt credibile, quod Aliqui cenſent, etiam alios fieri irregulares, ſi quis in eo bello occidatur, cùm hoc non exprimatur in Jure. 149. *Occidens vel mutilãs in juſto bello offenſivo eſt irregularis. Quid de hortante ad pugnam.*

DICO etiam, *in bello offenſivo*: quia Clericus occidens aut mutilans in bello defenſivo ad ſalutem Reipublicæ neceſſario non fit irregularis: ſi enim citra irregularitatem quis occidat ſe invadentem; quantò magis quando bonum Reipublicæ hoc requirit? Deinde ad hoc jure naturæ obligatur, ſecùs quàm in defenſione ſuæ vitæ privatæ: durum autem videtur, privatum fieri irregularem ob actum, ad quem jure naturæ obligatur. Ita communiùs Doctores. *Secùs eſt de bello defenſivo.*

Petes, An cenſendus ſit irregularis, qui tantùm dubitat, an in bello juſto aliquem occiderit, etiam tunc, quando ſic dubitat, ut nequidè poſſit formare probabile judicium ſe aliquem occidiſſe? Reſpondet *Avila*, & poſt eum *Prapoſitus q.5.dub.12.* probabiliter negativè; eò quòd ſtrictè & rigorosè loquendo tunc videatur deeſſe conditio poſita c. *Petitio, de Homicid.* ibi: *Si de interfectione cujuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordet.* 150.

In bello offenſivo injuſto non tantùm occidens, mutilans aut mandans fit irregularis, ſed etiam conſulens, animans, præbens arma vel annonam, aut aliquo modo cooperans: quia verè influit in homicidium aut mutilationem. Inſuper Plurimi putant omnes militantes in quocumque bello injuſto fieri irregulares, ſi in eo fiant 151. *In bello offenſivo injuſto occidens, mutilans vel cooperãs eſt irregularis.*

fiant homicidia aut mutilationes. Sed hoc non ſatis conſtat ex Jure, quamdiu non ſunt cauſa homicidii aut mutilationis.

Immo probabile putat *Præpoſitus dub.* 12. ſi bellū aggreſſivum ſit non ſolùm juſtum, ſed etiam neceſſarium ad bonum Reipublicæ, occidentes, etiamſi ſint Religioſi non incurrere Irregularitatem; eò quòd nemo privatus videatur eam incurrere propter actum ad quem jure naturæ tenetur. Aliud fortè videri poſſet de Judice & miniſtris juſtitiæ, qui obligantur reos interficere, & tamen fiunt irregulares: nam hi voluntariè iſtam obligationem ſubierunt, talia munia ſuſcipiendo: ſecùs eſt in caſu propoſito. Alioquin idem eſſet, ſi voluntaria eis ſit militiæ pugnæque aſſumptio, ſeu voluntaria ſit (prout ordinariè eſt) pugnandi neceſſitas. De cetero illicitum eſſe Clericis citra veniam Pontificis militare in bello aggreſſivo, etiam juſto, ſatis colligitur ex c. *Petitio, de Homic.* & c. *Ex multa* §. *fin. de Voto.* & aliis. Vide *Molina Tract.* 2. *diſput.* 108.

152. *Clericus ex venia Pontificis pugnans, ſi occidat vel mutilet, non fit irregularis.*

Sed quid ſi in bello extra neceſſitatem pugnet Clericus ex venia Pontificis, fietne irregularis? Fiet (inquiunt Aliqui) utì & laici, quibus licitum eſt pugnare de per ſe in bello. Sed alii paſſim probabiliùs negant, cum *Covarruvias, Navarro, Bonacina, Suarez* & pluribus, quos citat & ſequitur *Caſtro Palao diſp.* 16. *pu.* 14. §. 5. *num.* 7. & cum *Præpoſito quæſt* 5. *dub* 12. nam cùm diſpenſatur cum aliquo, cui ratione ſtatûs pugnare in bello prohibetur, diſpenſari cenſetur, ut poſſit abſque metu impedimenti in exercitio functionum ſui ſtatûs incurrendi. Secùs ſi ſolùm fuiſſet ei conceſſa venia aſſiſtendi: vi enim hujus conceſſionis non poſſet Clericus per ſeipſum pugnare, adeòque occidendo vel mutilando fieret irregularis.

§. IX.

De Irregularitate contractâ defectu lenitatis in judiciaria occiſione vel mutilatione.

153. *Iudex ſecutâ morte vel mutilatione fit irregularis,*

JUDEX condemnans aliquem ad mortem aut mutilationem (idem eſt de aſſeſſore, qui complet perſonam judicis) effectu ſecuto fit irregularis. Eſt evidentiſſimum ex praxi Eccleſiæ, auctoritate Pontificum & Canonum ſatis firmatâ. Quamdiu tamen mors vel mutilatio de facto non infertur, Judex non fit irregularis: utì nequidem is, qui mandat occiſionem injuſtam, effectu non ſecuto. Idem eſt, etſi ſequatur aliud nocumentum, v.g. vulneratio, flagellatio, emiſſio ſanguinis &c. ut habet communis Sententia.

Secùs, ſi ſola flagellatio, vulneratio &c. ſequatur.

154. *Poteſt citra metum irregularitatis Princeps etiam Eccleſiaſticus per leges pœnā mortis ſtatuere, Iudices etiam in facto ſpeciali delegare, at non ſententiam ferre.*

Adverte hanc Irregularitatem non incurri à Principe civili aut Eccleſiaſtico, qui fert leges ſtatuentes certis criminibus pœnam mortis: nec qui ſtatuit Judices, aut alicui in genere, vel etiam in facto particulari committit cognitionem & judicium criminis capitalis: ſecùs, ſi committeret ſolam executionem ſententiæ latæ; hoc enim eſſet directè mandare occiſionem. Nec ab eo, qui in genere hortatur judices ad faciendam juſtitiam, etſi ſciat mortem aliquorum ſecuturam. Patet ex c. *Prælatis, de Homic. in* 6. & c. *Epiſcopus, ne Clerici vel Monachi in* 6. ibi: *Si Homicidio .... in ſua juriſdictione commiſſo ..... alii injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens juſtitiâ debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet, quatenus alius contra malefactorem ad pœnam ſanguinis proceſſerit juſtitiâ mediante; nam licèt Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen, cùm juriſdictionem obtinent temporalem, debent & poſſunt metu irregularitatis ceſſante aliis delegare.* Neque etiam incurrit Irregularitatem Judex Eccleſiaſticus tradens reum Judici ſæculari: debet tamen pro eo intercedere, ut citra periculum mortis circa eum ſententia moderetur, c. *Novimus, de Verborum Significat.* non tam ut mortem impediat (quod ſæpè ſcit licitè fieri non poſſe) quàm ut oſtendat ſe eam ex ſua parte non quærere. Ita *Coninck diſput.* 18. *dub.* 10. *num.* 91. & alii. Inquiſitoribus verò hæreticæ pravitatis, quibus non eſt prohibita ſententia, ſed executio tantùm mortis ſeu mutilationis, ex Conſtitutione Pauli IV. non eſt hæc interceſſio neceſſaria. Unde poſſunt apud Judices ſæculares, ſi negligentes fuerint, inſtare pro executione ſententiæ.

Poteſt quoque Iudex Eccleſiaſticus reum tradere brachio ſæculari, ſub certa proteſtatione.

155. *Irregularitatem ſimiliter incurrunt ceteri juſtitiæ miniſtri effectu ſecuto.*

Eamdem Irregularitatē incurrunt morte aut mutilatione ſecutâ, qui cooperati ſunt ſententiæ aut ejus executioni. Ita cōmuniter Doctores ex c. *Aliquantos diſt.* 51. Et praxi Eccleſiæ. Tales autem ſunt Accuſator vel Denuntiator. Secundò Advocatus accuſatoris. Tertiò Teſtis. Quartò Notarius, Scriba, Recipiens depoſitiones teſtium, Legens, Signans &c. non tamen eorum famuli tranſcribentes ſententiam. Quintò Tortor, Satellites & alii miniſtri juſtitiæ, qui erigunt ſcalas, tradunt gladios, extruunt focos quo vivi comburantur: non tamen qui vendunt ligna, enſes, funes &c. etſi ſciant inde aliquos afficiendos ſupplicio: quia eorum concurſus eſt nimis remotus. Sextò communis præſertim antiquiorum Sententia tradit Conſultorem incurrere irregularitatem, ſi conſilium præbeat Judici, quo Judex moveatur ad proferendam ſententiam in cauſa ſanguinis. Verùm ſi conſilium privatim ſeu non juridicè expoſtuletur, & Judex

An idem cenſendum ſit de conſultore.

dex tamquam quælibet alia perſona de juſtitia informetur, non videtur eſſe locus Irregularitati, inhærendo probabiliſſimæ Sententiæ, quam docet *Vaſquez*, *Turrianus* & plures Recentiores, ſcilicet Irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri à perſonis privatis, ſed à ſolis illis, qui ſpectant ad judicium, & miniſtris juſtitiæ, ut judice ejuſque aſſeſſore, accuſatore & ceteris; non autem ab aliis qui ſunt extra judicium: eò quòd non inveniatur pro his irregularitas inflicta in Canonibus, qui tantùm agunt de perſonis prioris generis.

156. *Accuſare poteſt civiliter etiam Clericus in cauſa propriâ ſeu quaſi propriâ citra metum irregularitatis;*

Circa Accuſatorem nota, Clericum accuſantem aliquem ratione damni ſibi in honore, famâ, rebus temporalibus illati non fieri irregularem, ſi proteſtetur, quòd non intendat pœnam ſanguinis, ſed damnum ſibi reſarciri vel ſibi provideri: ne detur materia perverſis liberiùs infeſtandi bona vel perſonas præſertim Clericorum, c. *Prælatis, de Homicid. in 6.* Idem multi probabiliter cenſent de eo qui tradit judici eum qui ſibi nocuit, & de accuſante eum qui nocuit propinquis v. g. patri, fratri aut domeſticis accuſantis; quorum cauſa cenſetur etiam ipſius accuſantis. Quod *Caſtro Palao d. 6. de Cenſuris pu.* 14. §. 2. *num.* 6. alios referens extendit ad bona conſanguineorum intrà quartum gradum; item ad bona ſeu cauſas ſubditorum; denique ad bona propriæ Eccleſiæ. Si verò inſtitueretur accuſatio ſeu denuntiatio in cauſa aliena, non vitaretur irregularitas, tametſi proteſtatio præmittatur, ut tradit communis ſententia arg. c. *Prælatis cit.* ubi ceteris intactis favor præmiſſus tantùm in cauſa propria conceditur.

157. *Neceſſariò tamen præmittenda eſt ſaltem ſententia certa proteſtatio.*

Proteſtationem explicitam eſſe neceſſariam non eſt dubium, ait *Suarez diſp.* 47. *ſect.* 2. eò quòd Jus (inquit) eam expreſsè requirat ad vitandam irregularitatem. Proteſtatio autem debet eſſe ſeria exteriùs, eſto (quod eſt contra Varios) interiùs, ſive licitè, ſive illicitè, deſideretur ſententia ſanguinis; hæc enim ſaltem non ſequitur vi illius deſiderii, per externam proteſtationem impediti, cùm interna non curet Eccleſia, multò minùs criminale forum. Proteſtatio hæc eſt etiam probabiliùs neceſſaria laicis ad vitandam irregularitatem in ſimili caſu accuſantibus. Sufficitque eam fieri ante ſententiam, etſi cōſultiſſimè jungatur accuſationi. Si omiſſa ſit, non equidem irregularitas incurritur, quò uſque effectus reipsâ ſequatur. Huic denique proteſtationi ſolùm locus eſt in actione civili, non autem in criminali: ſi enim criminaliter quis accuſet vel denuntiet, hoc ipſo proteſtatur ſe punitionem quærere juſtam, adeòque proteſtationem ſuam facto contrario deſtruit. Idque verum eſt, etſi petat vindictam citra ſanguinem: nam hâc poſtulatâ neceſſario Judex punit juxta qualitatem delicti, adeòque punitionis ad tui inſtantiam factæ cauſa cenſeberis, non obſtanti proteſtatione facto contrariâ. Dicta verò de accuſante etiam habent locum in clamante, detinente ſeu comprehendente damnificatorem.

Circa Teſtem nota, Aliquos docere eum non fieri irregularem, quando obligatur vel jure naturæ, vel juſto judicis præcepto, vel adigitur gravi metu ad ferendum teſtimonium. Ita probabiliter *Coninck*, *Bonacina* & alii. Quàmvis res videatur incerta; cùm plerique contradicant.

158. *Quid poſſit Confeſſarius vel conſulens etiam ſuppoſitâ communi ſententiâ quòd in ipſum utì miniſtros juſtitiæ cadat irregularitas.*

Circa Conſulentem nota, quòd etiam ſuppoſitâ vulgatâ Sententiâ de contractione Irregularitatis, poſſet citra ejuſdem periculum, ſi conſulatur, reſpondere in communi, crimen eſſe dignum morte, dum non advertit ulli in particulari imminere mortis periculum. Quòd ſi conſulatur de caſu in particulari, ſuadent Doctores, ut conſilium petentem remittat ad Juriſperitos. Putant tamen Aliqui, quòd in genere poſſit dicere, homicidas eſſe occidendos ſecundùm leges, vel dicere rogātibus, quòd videant, quid leges ſtatuant. De hoc & pluribus aliis caſibus vide *Bonacina diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pu.* 1. ubi *num.* 6. ex aliis communiter docet, rogatum, an quis teneatur denuntiare vel accuſare in materia ſanguinis, aut an ſit melius, vel an liceat, poſſe citra metum irregularitatis in genere aperire jus, & docere veritatem, ſine inductione ad accuſandum vel denuntiandum, etſi alter ex ejus reſponſo arripiat occaſionem id faciendi. Quòd ſi Judex nolit reum, prout debet, ad mortem condemnare, debet Confeſſarius ei explicare in genere, quid ſit licitum, aut quid illicitum in tali materia, illumque cogere, ut vel officium dimittat, vel paratum ſe exhibeat ad id, ad quod jure vel officio tenetur, non determinatè monendo, ut hunc in particulari occidat. Ita *Suarez diſput.* 47. *ſect.* 1. *n.* 8. & alii.

159. *Quid poſſit juxta ſolidam multorum Recentiorum Sententiam.*

Verùm cùm hujuſmodi verba generalia in iſtis circumſtantiis, & præſertim in actu Confeſſionis æquivaleant conſilio vel mandato occidendi hunc reum; cur nequeat, immo non debeat Confeſſarius pœnitentem id docere, & ad id faciendum hortari, etiam dicendo ſe nolle illum abſolvere, niſi firmiter proponat reum punire, utì ſecundùm jura tenetur? Neque enim credibile eſt Eccleſiam infligere Irregularitatem Confeſſario obeunti munus ſuum juxta ejuſdem obligationem. Deinde in hoc non procedit, ſicut publicus juſtitiæ miniſter: de quo tantùm jura loquuntur. Unde conſequenter Confeſſarius qui pœnitentem juridicè interroga-

tum

tium hortatur ad confitendam in judicio veritatem, quam confiteri obligatur, non fit irregularis, etiamſi reus idcirco ſit morte puniendus. Ita tradunt multi Recentiores.

Varii præterea caſus reſolvũtur.

160. Denique Confeſſarius aut alius privatus non incurrit Irregularitatem, qui impetrat ut reus non ducatur ante ædes paternas, etſi inde propter viam breviorem contingat mortem accelerari: nec etiam qui plectendo morte acerbiori impetrat leviorem, ſed celeriorem: ſic enim potiùs eſt abundantia lenitatis, quàm defectus. Ita *Conirck*, & *Præpoſitus.* Nec ſi Confeſſarius carnifici roganti reſpondeat: Functus ſum meo officio, nemo te impedit. Immo inhærendo ſententiæ præallegatæ *Vaſquez*, *Turriani* & aliorum, abſolutè nullus privatus fit irregularis, ſive ſimpliciter conſulat ut capiatur via brevior, ſive acceleret executionem, dicendo, Hora eſt tarda, populus nimis detinetur, ſuppone caput ad accipiendum ictum; vel tortori: Tempus eſt, feci quod meum eſt, fac quod tuum eſt. Et ſanè alii dicendi modi in circumſtantiis idem ſignificant. Nec privatis ob iſta ullibi legitur inflicta Irregularitas. Multò certius eſt Clericos aſſiſtentes executioni ſententiæ non fieri irregulares, quàmvis eis prohibeatur aſſiſtere c. *Sententiam*, *Ne Clerici vel Monachi.* Quæ tamen prohibitio leviter obligat ob parvitatem materiæ juxta *Suarez diſput.* 47. *ſect.* 4. *num.* 10. immo per contrariam conſuetudinem eſt abrogata juxta *Bonacina ſup. num.* 16. & alios quos allegat.

An Clericis licitum ſit intereſſe executioni ſententiæ mortis.

Differentia notanda inter Clericos & laicos quoad præſentem materiam.

161. Pro fine notanda eſt differentia inter Clericos & laicos immiſcentes ſe in pœna ſanguinis, quòd Irregularitas, quæ incurritur à laicis, ſit, & dicatur ex defectu lenitatis; cùm ipſi in hoc non peccent: quæ verò à Clericis incurritur, ſit inſuper ex delicto; cùm hoc ſit ipſis prohibitum c. *Sententiam cit.* & c. *Clericis*, *Ne Clerici vel Monachi*: in ſacris quidem conſtitutis ſub mortali; in minoribus autem (niſi fortè ſint beneficiati) ſub veniali tantùm. Etiamſi autem interdum ex ignorantia Juris aut inadvertentiâ excuſarentur à peccato, adhuc tamen fierent irregulares defectu lenitatis ſicut laici: hic enim titulus utriſque communis ſufficit.

§. X.

De Irregularitate oriundâ ex Chirurgiæ exercitio.

LAICIS & Clericis minorum Ordinum licita eſt ſimpliciter Chirurgia, etiam cum inciſione vel abſciſſione faciendâ ſecundùm regulas artis, idque abſque ullo periculo Irregularitatis juxta communem & certam Doctorum Sententiam. 162.

Chirurgia licita eſt laicis & Clericis minorum Ordinum; Immo & conſtitutis in Sacris; at his citra inciſionem & aduſtionem, niſi neceſſitas excuſet. Hi morte ſecutâ ſunt irregulares, uti forent laici, ratione negligentiæ &c.

Clericis verò, qui in Sacris conſtituti ſunt, licita quidem eſt, tamen citra aduſtionem & inciſionem, prohibitam in c. *Sententiam*, *Ne Clerici vel Monachi*: niſi ſit neceſſitas, v. g. tempore peſtis aliis idoneis deficientibus &c. Nullo tamen Jure ſecùs agentibus infligitur Irregularitas, morte non ſecutâ. Quòd ſi hæc ſequeretur, erunt ſaltem eatenus irregulares, quatenus v. g. ratione negligentiæ aut imperitiæ rei forent homicidii caſualis; uti ſi Clericus in Sacris non conſtitutus vel laicus in ſimili caſu officium ſuum imperitè aut negligenter exercuiſſet.

Immo videtur c. *Tua nos.* 19. *De Homicid.* Religioſus Chirurgiam exercens decidi irregularis, ſi ex ea mors ſequatur, etiamſi peritus ſit & diligens, & causâ pietatis ſe immiſcuerit. Ideoque *Caſtro Palao diſt.* 6. §. 4. *num.* 8. à dictis *ſup. nu.* 146. de non incurſione Irregularitatis homicidii caſualis, niſi cauſa fuerit culpabilis in ratione homicidii, excipit unicum caſum, in quo non obſtante adhibitione cujuſvis cautelæ Clericus in Sacris fit irregularis morte vel mutilatione proveniente ex officio Chirurgiæ, cum decente, ac inhibito ob periculum mortis, ſolitum annecti, à quo convenit hujuſmodi Clericos alienos eſſe. Idemque videtur habere recepta Sententia. *Præpoſitus* tamen *queſt.* 5. *dub.* 10. *num.* 26. ne hanc quidem exceptionem admittit; cenſens ex c. *Tua nos* potiùs colligi Monachum non fuiſſe irregularem; nam (ut ibidem dicitur) *ſi peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemq; ſtuduit quam debuit diligentiam adhibere, non eſt ex eo quòd per culpam mulieris contra conſilium ejus ſe vento exponentis accidit adeò reprobandus, quòd non poſt ſatisfactionem condignam* (quæ ad cautelam propter aliqualem fortè culpam conſultò adhibetur, vel ſanè propter certum delictum in exercitio Chirurgiæ cum inciſione commiſſum meritò præſcribitur) *cum eo miſericorditer agi poſſit, ut divina valeat celebrare. Alioquin* (ſi videlicet ratione imperitiæ vel negligētiæ culpa interveniſſet reſpectu mortis mulieris) *interdicenda eſt ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore*; 163.

An etiam ſecluſâ omni culpâ reſpectu mortis caſu ſecuta.

ſcilicet

ſcilicet ratione irregularitatis, quæ tunc fuiſſet incurſa ex culpa homicidii caſualis. Aut certè ſignificatur etiam hâc culpâ ſecluſâ potuiſſe in rigore ſuſpendi ab Ordine ob delictum in exercitio Chirurgiæ commiſſum. Hanc porrò explicationem (quæ non adeò diſplicet) judicio doctorũ committo. Solùm adverte c. *Tua nos* agi de Monacho in Sacris conſtituto: ceteris enim nullo jure inhibetur chirurgia cum inciſione. Quod etiam praxis ſatìs oſtendit.

164. *Non eſt eis inhibita inciſionis præſcriptio.* Non videtur tamen Clerico medico in Sacris conſtituto prohiberi præſcriptio inciſionis, ſed inciſio ipſa; quod etiam docet ſenſus & praxis communis. Similiter non inhibetur Clerico cuilibet inciſioni aſſiſtere, etiam adjuvando v.g. tibiam tenendo, dum alter abſcindit: Jus enim ſolum prohibet, ne Clericus ſecet per ſeipſum. *An etiam ſectio venæ.* An autem nomine inciſionis intelligatur ſectio venæ, dubium eſt. Probabile eſt, quòd non, eò quòd hæc non ſit propria Chirurgis, ſed communis Tonſoribus.

§. XI.

De Irregularitate proveniente ex defectu corporis vel animi.

165. *Corpore vitiati ſunt irregulares.* Corpore vitiatos eſſe irregulares patet ex c. *Illiteratos, diſt.* 36. qui videlicet non poſſunt abſolutè obire Ordinis miniſterium, vel non ſine aliorum horrore, ut colligitur ex c. *Preſbyterum, De Clerico ægrotante.* Unde irregularis eſt, cui brachium vel manus deeſt, aut reddita eſt manca. Item qui caret digitis dextræ manûs, quibus formatur ſignum crucis. Item ſi deficiat pollex, aut viſus: immo ſi careat altero oculo, ſcilicet organo ſeu membro ipſo, juxta c. *Si Evangelica diſt.* 55. Non tamen eſt irregularis, ſi utrumque habens oculum, in altero ſolùm careat viſu. Quando tamen in ſiniſtro, qui dicitur Canonis, caret viſu, cenſetur communiter à Doctoribus irregularis. Quod ut verum ſit, limitandum eſt, ſi abſque notabili deformitate ſeu indecentia Canonem legere nequeat: aliàs enim cur foret irregularis? Ita *Navarrus, Suarez, Bonacina* & alii. Præterea qui caret naſo, vel auriculis (niſi hunc defectum aptè poſſit tegere v.g. capillis) eſt irregularis. Idem colligi ſolet ex *Canone* 77. Apoſtolorum de planè ſurdo. Si tamen Sacerdoti ſurditas ſuperveniat poterit celebrare, eò quod *can. cit.* tantùm prohibeatur ad Ordinem promoveri, & non ſit ſimpliciter neceſſarium (ut inquit *Suarez diſp.* 51. *ſect.* 2. *num.* 13.) ut Sacerdos audiat miniſtrum reſpondentem, ſed ſufficiat, quòd ſit moraliter certus illum reſpondere. Immo *Henriquez l.* 14. *c.* 8. *num.* 3. & *Præpoſitus dub.* 14. ſimpliciter aſſerunt ſurdum non eſſe irregularem.

De Hermaphrodito conſtat, quòd ſit irregularis, ſi in eo prævaleat ſexus femineus; immo videtur incapax jure divino recipiendi characterem Ordinis: cùm tunc abſolutè femina, & non vir ſit reputandus. Idem plures cenſent, etſi æquè participet ſexum virilem & femineum, eò quòd non videatur tunc abſolutè poſſe vir reputari. Si autem ſexus virilis prævaleat, adhuc eſt irregularis juxta communem Sententiam, ratione monſtroſitatis cujuſdam parientis indecentiam. Contrarium tamen cenſet *Toletus*, quando defectus non foret notus: Immo (addit *Gaſpar Hurtado*) etiamſi notus foret, utpote non cauſans deformitatem; ſicut irregularis non eſt Eunuchus à natura, vel habens in pede ſex digitos. 166. *Quid cenſendum de Hermaphrodito.*

Quod ad Æthyopem ſpectat, non eſt is cenſendus irregularis. Similiter nec gibboſus, niſi ſubſit notabilis deformitas juxta dicta in principio Paragraphi. Circa hos verò, utì & circa Strabones ſeu luſcos, blæſos, balbos, lippos, nanos, & ſimiles, ſtatur judicio Epiſcopi quoad deformitatem & impedimentum; cùm hæc non conſiſtant in indiviſibili. Juxta plurimos tamen Doctores penes Superiores Regularium exemptorum eſt judicium de defectibus corporis, utì & animi, ſubditorum ſuorum: etſi arbitrium eorum Epiſcopus Ordinans interdum poſſet rejicere ſeu non admittere, ut *Suarez* & alii advertunt. 167. *Judicium de notabilitate vitii ac deformitatis penes quem ſit.*

Impedimentum porrò hoc Ordinationem antecedens illam quidem abſolutè impedit; idque juxta *Navarrum, Bonacina* & alios paſſim contra Nonnullos, in tantùm, ut nequidem ad alios Ordines v. g. Diaconatum aut Subdiaconatum ſic impeditus promoveatur, quantùmvis defectus corporis tantùm obſtaret exercitio Sacerdotii: eò quòd taliter defectuoſus ſimpliciter ſit irregularis: quòdque ceteri Ordines ad Sacerdotium referantur; à quo proinde excluſus, à ceteris quoque excludi cenſendus ſit. Defectus tamen Ordinationi ſuperveniens ſolùm impedit Ordinis uſum, ad quem quis redditur ineptus, c. *Preſbyterum, De Clerico ægrotante.* Unde Sacerdos carens manu vel digitis poteſt confeſſiones audire, Evangelium canere &c. Qualiter autem poſſint Prælati Regularium diſpenſare cum ſubditis corpore vitiatis videri poteſt apud *Rodriguez, Portel* & alios. 168. *Vitium antecedẽs impedit ordinationem: ſuperveniẽs impedit eum uſum ſuſcepti, cui factus eſt inidoneus.*

Inſuper morbus ſeu infirmitas inducens notabilem deformitatem, ſic ut eâ infectus ſine ſcandalo aut abominatione populi vel periculo nõ poſſit Ordinem exercere, inducit irregularitatem, quamdiu ſic perſeve- 169. *Quis morbus ſeu infirmitas, inducat irregularitatem,*

ṭat, arg. c. *Tua nos, De clerico ægrotante.* Talis eſt lepra, c. *cit.* Quod varii Doctores intelligunt de lepra notabiliter deformi, juxta aſſertum generale ſtatim poſitum. Idemque eſt de morbo gallico, multâ ſcabie &c. cum ſimili limitatione. *Præpoſitus* verò *q.5. dub.* 4. ſimpliciter aſſerit leproſum quidem ad Ordines promoveri non poſſe, promotum tamen, ſi non ſit nimia deformitas poſſe privatim celebrare. Irregularitatem ſimiliter inducit paralyſis & apoplexia, ut colligitur ex c. *Conſultationibus eod. tit.* Idem eſt de Epilepſia ſeu morbo caduco c. *In tuis litteris,* & c. *Nuper 7. q. 2.* Et quidem ante Ordinationem tali morbo ſubjectus, nullo modo eſt ordinandus, c. *Maritum* & c. *Communiter diſt.* 33. poteſt tamen poſt plenam curationem in ſuſceptis ante morbum Ordinibus miniſtrare, etiam celebrando, ut colligitur ex c. *In tuis litteris cit.* conſultò tamen cum aſſiſtentia Sacerdotis. Medicorum autem eſt, uti de morbo (cujus nonnulla ſigna ponuntur c. *Nuper cit.*) ſic & de perfecta curatione judicium ferre: in quo prudenter ſe fundet Epiſcopus aut Superior Regularium exemptorum. Quòd ſi infirmus non fuerit perfectè liberatus, rarò tamen eo morbo corripiatur, v. g. ſemel in menſe, abſque notabili corporis agitatione, ſpumatione aut clamore, poteſt celebrare præſente Sacerdote jejuno, ejus ſacrificium perfecturo, ſi fortè Canone incepto vi morbi irruentis impediatur progredi. Non ſunt tamen irregulares, qui levem mentis alienationem aut vertiginem vel deliquium animi patiuntur; etſi cauti eſſe debeant, ut, quando periculum ſentiunt aut verentur, ſacrificium ſaltem non ſine ſocio celebrent. Vide *Suarez diſp.* 51. *ſect.* 1.

Ubi ſpecialiter de Epilepſia ſeu morbo caduco,

170\. *Energumeni & amentes ſunt irregulares.*

Inſuper vexati à diabolo, ut arreptitii & energumeni, ſunt irregulares, c. *Maritum, c. Communiter,* & c. *Clericis diſt.* 33. Idem eſt de furioſis & amentibus, c. *Maritum* cit. Et quidem ſi ſemel hæc paſſi ſint, non poſſunt ad Ordines promoveri, nequidem ex diſpenſatione Epiſcopi: ſi tamen promoti ſint, poſſunt in ſuſceptis miniſtrare, ſi (quod ſaltem adeſſe convenit) judicio Epiſcopi vel Prælati Regularium reſpectivè ad ſuos ſubditos ſint ſufficienter liberati. Prædicta tamen intelligenda ſunt de amentia, quæ eſt per modum habitûs, & habet propriam ac permanentem cauſam, fundatam in naturali complexione aut organorum læſione (quæ rarò præſumitur plenè ſanari abſque periculo reincidendi) non autem de illa quæ oritur ex aliqua febri vel morbo aut qualitate tranſeunte, quâ ceſſante ceſſat amentia; adeòque impedimentum & irregularitas.

171\. Huc etiam reduci poteſt defectus libertatis. Qualis eſt in ſervis ſeu mancipiis, qui inſcio domino ſeu ante manumiſſionem ordinari non poſſunt; ut patet ex *Tit. De ſervis non ordinandis.* Item in obligatis ad rationem reddendam adminiſtrationis à Republica acceptæ. Quales ſunt Theſaurarii, procuratores, executores, &c. De quibus c. *unic. De obligatis ad ratiocinia.* *Item ſervi non manumiſſi, & obligati ad ratiocinia.*

Ad defectus corporis etiam reduci poteſt carentia ætatis ad Ordines à jure requiſitæ, juxta receptam ſententiam faciens irregularem, quamdiu defectus durat. Verùm indebitè ſuſcipiens ante ætatem ſuſpéditur quidem ab executione Ordinis ſuſcepti ratione præſumptionis ſuæ, cenſuramq; ſuſpenſionis violans fit irregularis, ut patet ex Extrav. Pii II. *Ex Sacrorum.* Excuſat tamen ignorantia etiam craſſa, & à fortiori bona fides. Qui verò citra incurſionem hujus cenſuræ fuiſſet ex ſimplicitate ordinatus ante ætaté, adhuc quidem non poteſt Ordinem exequi uſque ad obtentam ætatem ex c. *Vel non eſt* 14. *De tempor. Ordin.* Poſtea tamen poteſt exequi citra diſpenſationem vel abſolutionem aliquam. An verò hoc impedimentum ex natura ſua temporale, quod culpam non ſupponit, & *c. cit.* vocatur non Irregularitas, ſed Suſpenſio (non tamen quæ cenſura ſit vel pœna ſuſpenſi) cenſenda ſit Irregularitas, videri poteſt quæſtio de nomine. *Addi quoque ſolent carentes debitâ ætate.*

§. XII.

De Irregularitate pro-veniente ex defectu natalium.

Illegitimi dicuntur, ſeu defectum habere natalium, qui orti ſunt non ex legitimo matrimonio, ſaltem bonâ fide putato, nec per ſubſequens legitimati, ſed potiùs ex fornicatione vel ſtupro &c. Hi jure Canonico ſunt irregulares, etſi defectus ſit occultus, c. *Ut filii, De filiis Preſbyterorum,* & c. 1. *eod. tit. in* 6. idque in deteſtationem delicti à parentibus commiſſi, & ob periculum incontinentiæ in prole, ac denique ob honorem Statûs clericalis, quem vitioſa origo dehoneſtat. 172. *Illegitimi ſunt irregulares.*

Excipiuntur c. *Ut filii* cit. qui fiunt Religioſi, quatenus ii poſt profeſſionem ad Ordines promoveri poſſunt; non tamen ad prælaturam. Quàmvis etiam in ordine ad hanc diſpenſare poſſit Generalis aut Provincialis in Capitulo Generali aut Provinciali reſpectivè, aut in Capitulo intermedio, & non aliàs, juxta tenorem Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit *Circumſpecta*; ad quam ſe referunt *Statuta generalia Franciſcanorum c.* 7. §. 2. quæ conformiter loquuntur. Immo *Baſſeus V. Irregularitas* 3. *n.* 7. cenſet virtute Confirmationum Apoſtolicarum, quæ circa privilegia Regularium adhuc poſtea emanarunt, idque ex certa ſcientia 173. *Habilitantur ex jure communi per profeſſionem quoad Sacros Ordines, non quoad prælaturas. Quoad hæc quinam diſpenſent.*

ſcientia & de plenitudine poteſtatis (ut à Clemente VIII. & Paulo V. pro Ordine Minorum) poſſe Prælatos Regularium ſine præfata reſtrictione uti privilegiis habilitandi illegitimos ad dignitates & officia; prout antea ſine tali reſtrictione conceſſerant varii Pontifices, notanter Eugenius IV. Sixtus IV. & Paulus III. teſte *Rodriguez To.1. qq. Reg. q.13. art. 6. & 11.* Immo ipſe Gregorius XIV. *Conſtitut. 17.* in Bullario magno facultatem illimitatam ſeu non reſtrictam conceſſit Generali Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis, Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Provincialibus dictæ Congregationis & illorum Vicariis. Et quod amplius eſt, refert *Portel V. Illegitimus n. 9.* Eugenium IV. conceſſiſſe Conventui S. Georgii in Allega Ordinis ſeu Congregationis S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia, ut admiſſus inter illos ad profeſſionem, ſi habet defectum natalium, ſit ipſo facto diſpenſatus, non ſolùm ad Ordines, ſed etiam ad quælibet Officia regularia. Quod privilegium ſi verum, ſanè magnum eſt.

174. *Illegitimus legitimatur per ſubſequens matrimonium,*

Advertendum I. Illegitimum per ſubſequens matrimonium legitimari, ſi dum ſuſcipiebatur, inter parentes nullum erat impedimentum dirimens c. *Tanta, Qui filii ſint legitimi.* Quod etiam verum eſt, etſi poſt conceptionem aut nativitatem impedimentum ſuperveniat, v. g. pater ducat aliam in uxorem: hâc enim mortuâ, per matrimonium cum priori, ſcilicet matre illegitimi, is legitimabitur: nam matrimonium ſubſequens quaſi retrotrahitur uſque ad tempus conceptionis ex benignitate juris in ordine ad hunc effectum, qui etiam locum habet in ſucceſſione ſeu hereditatibus, & officiis tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis. *Etiã quoad ſucceſſiones & officia temporalia.* Quòd ſi tempore conceptionis ſuberat impedimentum dirimens, ſed illud ante nativitatem prolis auferatur, putat *Sanchez l. 8. de matrim. diſp. 7. n.19.* cum aliis, prolem adhuc legitimari per ſubſequens matrimonium: eò quòd ex juris diſpoſitione ſatis eſſe videatur, ſive filii ſint concepti, ſive nati tempore habili. Quamvis quoad hoc contradicat *Garcias, Suarez,* & quidam alii. Filii porrò ex parentibus habilibus ſuſcepti, ideoque per ſubſequens matrimonium de jure legitimati dicuntur naturales; geniti autem ex parentibus inhabilibus dicuntur ſpurii. *Quantumvis matrimoniũ ſubſequens non conſummetur.* Legitimantur autem, etiamſi matrimonium poſtea contrahatur tantùm & nõ conſummetur; aut etſi contrahatur in mortis articulo, dummodo in ſtatu, quo validè cõtrahi poſſit. Et conſequenter legitimantur etiam filii horum filiorum, etſi fortè defunctorum tempore quo contrahitur matrimonium. *Qui favor etiam extenditur ad proles illegitimi.* Eſtque id verum, juxta *Silveſtrum, Saa, Azorium, Pontium,* quos citat & ſequitur *Averſa q. 22. de matrim. ſect. 2.* contra *Covarruvias, Molina* & alios, etiamſi matrimonium poſtea contractum (dummodo bonâ fide utriuſque vel ſaltem unius) ratione occulti impedimenti ſit invalidum: eò quòd jura hanc vim videantur tribuere matrimonio etiam putativo & bonâ fide contracto; ſicut filios poſt tale matrimonium ſuſceptos reputant eſſe legitimos. Pro quo

Advertendum II. Matrimonium etiam putativum, id eſt, bonâ fide contractum & reputatum validum, cùm tamen ratione occulti impedimenti ſit verè nullum, adhuc efficere filios legitimos, etiamſi poſtea nullitas innoteſcat; ut expreſsè deciditur c. *Cùm inter,* & c. *Ex tenore, Qui filii ſint legitimi.* Non requiritur tamen bona fides in utroque parente, ut Nonnulli voluerunt, ſed ſufficit illam interceſſiſſe ex parte alterutrius, ut ſatis colligitur ex c. *Ex tenore.* Requiritur tamen, ut matrimonium ſit initum in facie Eccleſiæ, & juxta veriorem Opinionem, præmiſſis proclamationibus; aliàs enim proles eſt illegitima, ex c. *Cùm inhibitio §. Si quis,* juncto *§. praced. De clandeſtina deſponſatione.* Niſi in ipſis proclamationibus fuiſſet debitè diſpenſatum. 175. *Geniti ex matrimonio bonâ fide (ſaltem unius) putato valido cenſentur jure Canonico legitimi, etiam nullitate poſtea detectâ.* *Dummodo fuerit initum in facie Eccleſiæ, etiam præmiſſis proclamationibus.*

Requiritur etiam, ut bona fides perſeveraverit uſque ad conceptionem prolis: nam proles poſt notitiam impedimenti conceptæ forent illegitimæ c. *Ex tenore cit.* In dubio autem de mala fide non debet ſe filius gerere tamquam irregularem. Sicut etiam quando aliàs dubitatur, an aliquis ſit legitimus, reputandus eſt talis, ſaltem quoad Ordines & beneficia. *Et bona fides perſeveraverit uſque ad prolium conceptionem reſpectivè.*

Hinc *Menochius, Rodriguez, Sayrus, Barboſa* & plures alii contra *Covarruvias* & alios docent filios expoſititios non debere reputari irregulares vel illegitimos, quantùm ad Ordines & beneficia, nec indigere diſpenſatione Epiſcopi: quia etſi matrimonium ſit quid facti, adeòque non ſupponendum, ſed probandum: coïtus tamen illicitus eſt etiam quid facti, ideòque præſumendum potiùs eſt factum honeſtum, quàm turpe: & conſequenter ſupponuntur expoſiti ex matrimonio nati, etſi frequentiùs exponantur illegitimi: præſumptio enim apta excludere delictum debet hîc præferri, præſertim in re favorabili. Accedit, quòd hi infantes, etſi ſervi fuerint, efficiantur liberi, & liberti fiant ingenui, c. 1. *De infantibus & languidis,* quia nimirum jura intendunt iis veluti humano prorſus ſubſidio deſtitutis favere quoad fieri poteſt: favore ergo legitimorum, qui non rarò inter illos ſunt, expoſiti videlicet ob incuriam vel paupertatem parentum, omnes ſimiliter reputantur legitimi. Accedit denique, quòd dubius natalium defectus nullo jure expreſſo 176. *Quid cenſendum de Expoſititiis.*

preſſo (quod foret neceſſarium) irregularitatem inducat. Securius tamen eſt, accedere diſpenſationem: quæ in hujuſmodi caſu dubio ex Epikia cenſetur ſubjecta poteſtati Epiſcopi juxta *Suarez*, *Bonacina* & alios.

177. *Irregularitas hæc tollitur per abſolutam legitimationem.*

Irregularitas oriunda ex defectu natalium tollitur primò per abſolutam legitimationem Pontificis: qui ſolus legitimare poteſt ad effectus jure Canonico inductos, adeòque ab ipſo Pontifice dependentes. Idque de facto præſtat, dum in diſpenſationibus matrimonialibus more ſolito apponit, ſe diſpenſare ſimul in ordine ad legitimandam prolem antea ſuſceptam. Tamen juxta receptiſſimam ſententiam Pontifex extra loca ſibi temporaliter ſubjecta directè legitimare non poteſt ad bona & officia temporalia, ſi videlicet proles ſuſcepta erat à parentibus inhabilibus abſque ullo prætextu vel formâ matrimonii ſubſecuti, vel quando matrimonium erat irritum ob impedimentum dirimens jure naturæ. Immo id Quidam docent de caſu quo diſpenſat in matrimonii irriti radice, nempe quando fuit irritum ratione impedimenti jure Pontificio inducti, non poſſe ſcilicet Pontificem ad effectus temporales legitimare filios ante matrimonii diſpenſationem natos. Sed alii magìs communiter cenſent Pontificem id poſſe, ſic retrotrahendo diſpenſationem, ut valeat, ac ſi data fuiſſet ab initio, atque ita matrimonium fuiſſet validum. Ita *Abbas*, *Sylveſter*, *Angelus*, *Sayrus*, *Sanchez*, *Poncius* & alii. Atque ita *Rota Romana* aliique judices paſſim decîdunt, teſte *Averſa ſup.* Cur enim non æquè id poſſit Pontifex, ac quando matrimonium ſubſequitur ſimplicem fornicationem? cùm impedimentum dirimens procedat à voluntate & lege Pontificis: qui proinde poteſt auferre effectus legales inde derivatos, ſicut potuiſſet antecedenter auferre ipſum impedimentum. Quandonam autem cenſeatur Pontifex hoc modo in radice matrimonii diſpenſare, ex formulis ſeu clauſulis litterarum eſt colligendum. Princeps verò ſæcularis legitimare ſimpliciter poteſt quoad effectus civiles, non tamen quoad effectus juris Canonici. Quare legitimatus à Principe tantùm non poſſet ſuſcipere Ordines, juxta Doctores communiter.

Quis illam dare poſſit.

178. *Tollitur præterea per diſpenſationem,*

Secundò aufertur hæc Irregularitas diſpenſatione. Quæ differt à legitimatione, quòd hæc ſit quædam habilitatio perſonæ illiuſque ad primævam naturam reſtitutio: diſpenſatio autem reſpiciat effectus manēte inhabilitate radicali perſonæ. Ideoque legitimatio eſt latè, diſpenſatio verò ſtrictè interpretanda. Quocirca diſpēſationis verba ſunt attendenda, nec ad alios effectus, quàm expreſſos aut tacitè contentos, eſt extendenda. Competit autem hæc diſpenſatio ſoli Pontifici univerſaliter. Epiſcopus autem poteſt quidem diſpenſare ad Ordines minores & beneficium ſimplex, c. 1. *De filiis Preſbyt. in 6.* non tamen ad dignitates, beneficia curata, Ordines ſacros, aut beneficia Ordinem ſacrum exigentia. An autem ſi res ſit occulta, poſſit ſimpliciter diſpenſare Epiſcopus, ſicut in aliis caſibus occultis ex delicto provenientibus, vi *Tridentini ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* Quidam dubitant. Affirmat *Avila*, & probabile cenſet *Coninck*, *Præpoſitus* & *Layman*: eò quòd communiter hic defectus ſupponat delictum parentum, quod Eccleſia voluit punire, adeòque facultas *Tridentini* videtur eò extendi.

Quæ differentia inter illam & legitimationem,

Penes quos ſit poteſtas diſpenſandi.

Oppoſitum nihilominus cum communi Sententia eſt tenendum; quod inter alios tradit *Suarez diſp 50. ſect. 5. n. 5.* priorem Sententiam reputans improbabilem: eò quòd facultas à *Tridentino* conceſſa non ſe extendat, niſi ad irregularitates provenientes ex delicto perſonæ diſpenſandæ, non autem ad irregularitates provenientes ex defectu vel indecentia, etſi ſimul fundamentum habeant in alieno delicto, quod ſecundariò ſeu minùs principaliter Eccleſia ſimul intendat punire; uti fit in præſenti. Atque ita in praxi ſervatur. Plures nihilominus cenſent poſſe diſpenſare Epiſcopum cum illegitimo, ut miniſtret in Ordinibus ſuſceptis bonâ fide; immo juxta *Layman l. 1. Summa Tract. 5. part. 5. c. 5. n. 2.* fortaſſe etſi malâ fide, arg. c. *Niſi cùm pridem* 10. ℣. *Perſona verò irregularitas, De Renunciat.*

Advertendum denique illegitimum ſine diſpenſatione ordinatum, etſi impediatur ab executione Ordinum (quam Canones præcipuè intendunt prohibere, indictâ irregularitate ob indecentiam in miniſterio ipſo talium perſonarum relucentem) nullam tamen miniſtrando in jam ſuſceptis denuò incurrere irregularitatem; utpote nullibi ſtatutam. Sicut neque ſtatuta eſt ſervis & corpore vitiatis, ſi in Ordinibus abſque diſpenſatione ſuſceptis miniſtrent: non enim ob irregularitatis violationem contrahitur irregularitas. 179.

Illegitimus indebitè ordinatus etſi nequeat in Ordinibus miniſtrare, novam tamen miniſtrando non incurrit irregularitatem.

§. XIII.

De Irregularitate proveniente ex bigamia.

Triplex eſt bigamia, Vera, Interpretativa & Similitudinaria; & quælibet inducit Irregularitatem, non tantùm quoad executionem, ſed etiā quoad ſuſceptionem Ordinum (ut patet ex diverſis juribus) etiam minorum, ut colligitur ex *Trid. ſeſſ.* 180.

Triplex bigamia inducit irregularitatem.

23. c.

13. *c.*17. Inductum autem eſt hoc impedimentnm, tum quia bigamia eſt ſignum incontinentiæ, quæ Clericos ſummè dedecet: tum quia bigami matrimonium non poteſt ſignificare matrimonium Chriſti cum Eccleſia, ſcilicet unius cum una.

181. *Bigamia vera quãdo cenſeatur.*

Bigamia vera eſt, quando quis validè contraxit cum duabus & conſummavit. Dico *cõſummavit*: quia hoc ſecundùm Doctores eſt neceſſarium, prout etiam ſatis colligitur ex c. *Debitum, De bigamis.* Unde juxta probabiliorem Sententiam requiritur copula perfecta cum immiſſione ſeminis intrà vas: ſine qua matrimonium non cenſetur conſummatum. Immo non deſunt, qui ſeminationem quoque feminæ neceſſariam putant generationi, adeòque conſummationi matrimonii.

Irregularitas hujus bigamia procedit ex Traditione Apoſtolica.

Irregularitas huic bigamiæ annexa procedit ex Apoſtolica Traditione; ut patet ex Apoſtolo 1. *ad Timoth.* 3. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Et infrà: *Diaconi ſint unius uxoris viri.* Intellige, non quòd oporteat Epiſcopos aut Diaconos eſſe uxoratos, cùm multò aptiores ſint, qui uxore carent, ad munia iſta obeunda; ſed quòd defunctâ priori uxore non duxerint ſecundam, modum in re uxoria conſtituentes. Quo ſenſu *cap.*5. Apoſtolus dicit: *Vidua deligatur, quæ fuerit unius viri uxor*, id eſt, non fuerit ſecundò nupta. Idipſum varii Pontifices ſtatuerunt, & approbat communis Patrum conſenſus.

182. *Bigamia interpretativa qua cenſeatur. Contrahitur ducendo viduam vel ab alio corruptam, ſecutâ cõſummatione.*

Bigamia interpretativa eſt, quæ contrahitur ab eo qui quâdam fictione juris cenſetur habuiſſe duas uxores, etſi verè illas non habuerit. Quod contingit primò, ſi quis validè, & cum ſubſequente copula ducat viduam, quæ priùs matrimonium conſummaverat c. *Si quis viduam d.*50. Et c. *Debitum, De bigamis.* Secundò ſi quis ducat ab alio interventu perfectæ copulæ corruptam, & cum ea conſummet c. *Curandum,* & c. *Præcipimus d.*34. Quia ſic contrahens non ſignificat perfectè unionem Chriſti cum Eccleſia; cùm Chriſtus unicam & virginem ſibi copulaverit. Secùs eſt, ſi vidua non fuerit à priori marito cognita, c. *Debitum cit.* vel juxta probabiliorem ac, teſte *Farinacio*, deciſam à Congregatione Cardinalium Sententiam, ſi matrimonium cum ea contractum ſit invalidum: nam ex unico matrimonio eoque nullo contrahi nequit irregularitas. Vel denique ſi contrahat quis matrimonium cum priùs à ſe corruptâ, juxta communem ſententiam, cui ſatis favet c. *Debitum cit.* Et ratio eſt, quòd tunc maneat ſignificatio Sacramenti, cùm caro non ſit diviſa in plures: cenſeturque talis fictione quadam juris contraxiſſe cum virgine, quatenus ipſa non fuit corrupta ab extraneo.

Secùs ſi vidua à priori marito non ſit cognita.

Vel ducat corruptam à ſe.

Tertiò contingit hæc bigamia per acceſſum ad propriam uxorem poſt adulterium ab illa commiſſum, c. *Si cujus,* & c. *Si laici d.* 34. Talis enim cenſetur maritus corruptæ, & perinde ac ſi cum corrupta contraxiſſet eſt judicandus. Eſtque juxta communem Doctorum Sententiam id verum, etſi maritus cognoſcat uxorem adulteram ignoranter: quia hæc irregularitas non oritur ex vitio, ſed ex defectu ſignificationis, quem pati poteſt ignorans. Nonnulli tamen aſſerunt talem non repelli ab executione Ordinum ſuſceptorum: immo Nõnulli probabile putant talem non incurrere irregularitatem. Nonnulli etiam requirunt, quòd adulterium ſit notorium, vel ſaltem in judicio probabile, Arg. c. *Si cujus cit.* Communis tamen Sententia eſt in contrarium. Juxta quam etiam irregularis eſt, qui ignoranter ducit corruptam, quam à principio putabat virginem, ſi matrimonium conſummet. 183.

Bigamus quoque cenſetur accedens ad propriam uxorem poſt adulterium ejuſdem.

Quartò denique hanc Irregularitatem, & interpretativam bigamiam incurrit, qui poſt contractum & conſummatum matrimonium uxore defunctâ ſacris initiatus, cum ſecunda de facto, etſi invalidè, contrahit, copulâ ſecutâ, c. *Nuper, De bigamis.* Item conſtitutus in ſacris, qui cum vidua, etſi invalidè, contraxit, eamque cognovit, bigamiæ pœnam incurrit, c. *A nobis eod. tit.* Quam irregularitatem Varii extendunt ad laicos bis contrahentes, ſed cum altera vel cum utraque invalidè, aut ſemel cum vidua invalidè. Sed nullo id jure expreſſum eſt: Canones verò citati loquuntur de Conſtitutis in Sacris. Quàmvis ob receptas vulgò Sententias expediat diſpenſationem adhiberi ad cautelam. 184.

Irregularitatem etiã hanc incurrit, qui defunctâ uxore ſacris initiatus copulatur ſecunda, etſi invalidè. Vel qui in ſacris exiſtẽs copulatur vidua.

Bigamia Similitudinaria eſt, quæ contrahitur ex attentatione & conſummatione matrimonii, etſi invalidi, etiam cum virgine, poſt votum ſolemne caſtitatis factum in Religione approbata. Colligitnr ex c. *Quotquot* 27. *q.*1. quod deſumptum eſt ex *Concilio Ancyrano*, hac in parte ab Eccleſia recepto, & c. *Monacho* (quod deſumptum eſt ex *Concilio Aurelianenſi*) *eâd. cauſâ & quæſt.* Tales enim ſimiles aliquo modo ſunt contrahentibus duplex matrimonium, quatenus poſt ſpirituale matrimoninm cum Chriſto initum ab eo recedentes carnale matrimonium tentant. 185.

Bigamia ſimilitudinaria quid ſit & quando contrahatur.

An verò hæc Irregularitas ſit etiam extendenda ad Clericos ſæculares in Sacris conſtitutos, dubitatur. Et videtur quòd non: cùm jura odioſa, & præſertim irregularitates non ſint extendendæ. Deinde de iis per jura poſteriora ſpecialiter ordinatur, quòd ſint irregulares, quando contrahunt ſecundas nuptias, vel cum vidua c. *Nuper*, & c. *A nobis cit.* Atque ita hos Clericos irregulares non eſſe docet *Abbas, Tannerus* & plures alii. Nihilominus etſi 186.

An hæc extendatur ad Clericos ſæculares.

nus etſi irregulares non ſint irregularitate ortâ ex bigamia, interpretativâ aut ſimilitudinariâ, aliundè tamen irregulares fieri ratione delicti docet *Navarrus*, *Suarez*, *Sanchez*, *Barboſa*, *Bonacina* & alii paſſim. Et colligitur ſatis ex c.1. & 2. *Qui Clerici vel voventes*, ubì agitur ſimpliciter de matrimonio, non factâ mentione, quòd fuerit ſecundum, vel cum vidua.

187. *Viri carnem ſuam dividentes cum variis fornicariè non ſunt irregulares.*

Advertendum nullam in Jure impoſitam eſſe irregularitatem viris, qui præter uxorem cognoſcunt alias animo fornicario: vel qui extra matrimonium conſtituti cum pluribus fornicantur, aut plures habent concubinas. Immo Sacerdotem qui plures habuit concubinas, ex eo non eſſe bigamum vel irregularem, expreſsè deciditur c. *Quia circa. De bigamis.* Congruentia porrò, cur potiùs jure ſtatuta ſit bigamia & conſequens irregularitas ex corruptione ſeu diviſione uxoris, quàm ex diviſione & corruptione viri cum aliis extra matrimoniū, plerumque aſſignari ſolet, quòd hæc irregularitas fundetur in defectu contracto in Sacramento matrimonii; in quo actus contrahentis ſeu conſenſus non cadit ſuper ſe ipſum, ſed ſuper alterum conjugem, ideoque defectus in Sacramento ſpectatur ex parte mulieris ad quam terminatur conſenſus, & ex parte cujus deficit myſtica ſignificatio Sacramenti. Unde pari ratione ſeu congruentia corruptio viri non irregularis faceret feminam irregularem, ſi hæc foret capax.

Quis diſpenſet in bigamia.

In irregularitate Bigamiæ veræ vel interpretativæ diſpenſat ſolus Pontifex: quàmvis probabiliter poſſit Epiſcopus diſpenſare in interpretativa, quæ oritur ex proprio delicto, ſi ſit occultum, vi conceſſionis *Tridentini*. Immo juxta Nonnullos (quod tamen paſſim non admittitur) etſi orta ſit ex delicto alieno.

Poteſt etiam juxta Plurimos diſpenſare cum bigamis veris ad Ordines minores & ſimplex beneficium. Quod tamen negat *Bonacina*, *Garcias*, & plures alii. Et refertur ad idem Declaratio Cardinalium. Bigamia autem ſimilitudinaria cadit ſimpliciter ſub poteſtatem Epiſcopi juxta *Sanchez* & alios; & à fortiori quando delictum ex quo ipſa oritur eſt occultum, ob *Tridentinum ſeſſ.24.c.6. De Reform.*

§. XIV.

Qualiter tollatur Irregularitas?

188. *Irregularitas an vel qualiter tollatur per Baptiſmum.*

PRIMÒ dici ſolet Irregularitatem ex proprio delicto contractam tolli per Baptiſmum. Propriè tamen loquendo nulla per ipſum irregularitas tollitur, ſicut ante illum nulla incurritur. Si qua verò imponatur ob defectum non culpabilem, qui per baptiſmum non tollitur nec impeditur, v.g. ob bigamiam, lepram, aliudve corporis vitium, conſtat tales manere aut poſt baptiſmum fieri irregulares. Si autem propter crimen, vel etiam ob quodcumque homicidium, ſive licitum ſive illicitum, infligatur, tales ob ejuſmodi facta ante baptiſmum non ſunt irregulares; cùm irregularitas iſta imponatur propter commiſſa poſt baptiſmum.

Quando ceſſet ſine diſpenſatione.

Secundò Irregularitas poſita ob merum aliquem defectum lapſu temporis ceſſantem, v.g. ætatis, ſcientiæ, morbi, tollitur his acquiſitis.

Tertiò Irregularitas orta ex defectu natalium tollitur per profeſſionem Religionis quoad Ordines ſacros tantùm; & abſolutè per ſubſequens matrimonium aliamve legitimationem. 189.

Tolli poteſt omnis per diſpenſationem Pontificis.

Quartò & præcipuè tolli poteſt Irregularitas per diſpenſationem. Quam in omni propriè dictâ irregularitate, utpote juris Eccleſiaſtici, dare poteſt Pontifex. Qui ſi aliquando abrogaret legem ſtatuentem irregularitatem, v. g. illegitimorum, cenſerentur eo ipſo ſublatæ omnes iſtius ſpeciei irregularitates, etiam contractæ, v.g. ab illegitimis jam natis. Quod probabiliùs verum eſt, etiam quoad contractas ex delicto, modò ſimpliciter & abſolutè fiat abrogatio legis: quemadmodum tollitur reſervatio à caſu commiſſo ante abrogationem legis caſum reſervantis.

In quibus caſibus diſpenſent Epiſcopi.

Præterea Epiſcopi diſpenſare poſſunt in caſibus, in quibus id ipſis conceditur à Jure vel conſuetudine: ſeclusâ enim tali conceſſione nihil poſſunt, ut habet communis Sententia apud *Suarez diſp.41. ſect.2.n.3.* De quibus majori ex parte egimus explicando ſingulos Irregularitatis modos.

Signanter ex Conceſſione Concilii Tridentini.

Solùm hîc ſpecialiter eſt notanda Conceſſio *Concilii Tridentini de Reform. ſeſſ.* 24. c. 6. ubì concedit, ut Epiſcopus tam per ſe quàm per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum diſpenſare poſſit *in Irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus: exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario* (quâ exceptione non contineri mutilationem voluntariam, patet ex proprietate verborum, ampliandorum in materia favorabili, & ex Declaratione Cardinalium) *& exceptis aliis deductis ad forum contentioſum.* Ob quam ultimam particulam alicui videri poſſet ex mente *Tridentini* delicta cenſeri occulta quantùm ad præſentem effectum, quàm diu non ſunt deducta ad forum contentioſum. Alioquin etiam hîc occulta ſunt cenſenda propriè, quæ etſi poſſint per teſtes probari, tamen non ſunt notoria, ſive per confeſſionem judicialem, ſive per judicis ſententiam, ſive per facti evidentiam aut publi- 190.

publicam famam notam majori parti communitatis. Dicitur autem delictum deduci ad forum contentioſum, quando de eo eſt inſtituta accuſatio, & delatio parti intimata, immo juxta varios non niſi quando lis eſt conteſtata, & reus necdum ſe purgavit in judicio, nec definitivè fuit liberatus, aut ab inſtantia. Quando verò ſe purgavit vel abſolutus fuit defectu probationum, perinde eſt, ac ſi non fuiſſet deductum ad forum contentioſum, adeòque poterit cum tali Epiſcopus diſpenſare. Idem tenet *Avila, Henriquez, Reginaldus, Sanchez*, quos citat & ſequitur *Baſſæus V. Irregularitas XI. n. 5.* ſi judicium ſit finitum, punito reo: eò quòd finis exceptionis per *Tridentinum* factæ fuerit, ſervare auctoritatem Judici de delicto illo cognoſcenti; qui finis tunc ceſſat: utì & ceſſat ſcandalum per punitionem delicti humiliter toleratam, per quam delictum purgatur, & Reipublicæ ſatisfit. Hoc tamen negat *Garcias, Gutierrez*, quos citat & ſequitur *Caſtro Palao d. 6. pu. 7. n. 13.* eò quòd *Tridentinum* ſolùm det facultatem ſuper occultis; qualia tunc non ſunt.

191. *An hæc cõpetat ſolis Epiſcopis privativè ad quoſvis alios.*

An autem facultas hæc *Tridentini* competat ſolis Epiſcopis privativè ad alios Epiſcopali juriſdictione gaudentes, v. g. Capitulum Sede vacante, Generales & Provinciales Regularium, &c. controverſum eſt. Multis id affirmantibus, & Declarationem Cardinalium allegantibus: Plurimis aliis id negantibus. De quo quidquid ſit, Pius V. Bullâ 13. *in Bullario Rodriguez* hanc facultatem *Tridentini* expreſsè conceſſit Generali & Provincialibus Ordinis Prædicatorum (& per communicationem ſimilibus Prælatis aliorum Ordinum mendicantium) immo & Prælatis Conventualibus; ſed cum addita generaliter particulâ, *per ſe ipſos.*

Eam extendit Pius V. ad Prælatos Mendicantium.

192. *Quænam præterea illi poſſint ex jure vel ſpecialibus privilegiis.*

Præterea poſſunt Prælati Regularium cum ſuis ſubditis diſpenſare in Irregularitatibus, in quibus Epiſcopi de jure diſpenſare poſſunt cum ſuis. Inſuper ex ſpecialibus privilegiis poſſunt cum ſubditis diſpenſare in omni ferè irregularitate, exceptâ illâ quæ orta eſt ex homicidio voluntario, bigamiâ & mutilatione; prout Generalibus & Provincialibus conceſſit Sixtus IV. apud *Rodriguez To. 1. qq. Reg. q. 24. a. 13.* Idem Sixtus IV. hoc ipſum conceſſit Prælatis Conventualibus Ordinis Prædicatorum, in *Compendio privil. Mendic. V. Diſpenſatio n. 13.* Extat & alia Conceſſio Martini V. in *Compendio ſup. n. 24.* (quæ tamen eſt vivæ vocis Oraculum, ut ibidem notatur) quâ datur facultas etiam Prælatis Conventualibus in foro conſcientiæ diſpenſandi cum ſubditis in quavis irregularitate. Excipitur tamen homicidium notorium, & membrorùm truncatio notoria; adeòque ne hæc quidem, ſi ſint occulta. Nec urgens adeò fundamentum habet, quod cum Nonnullis exiſtimat *Baſſæus V. Abbas num. 8. §. 3.* bigamiam veram & interpretativam debuiſſe ſpecialiter exprimi, ut cenſeretur conceſſa.

Denique Paulus III. *Bullâ 3. in Bullario Rodriguez*, concedit Generali, Abbatibus ac Prioribus & Præſidentibus Ordinis & Cõgregationis S. Benedicti Valliſoleti plenam & liberam facultatem ſingulis annis primâ die lunæ Quadrageſimæ cum ſubditis diſpenſandi ſuper quibuſvis irregularitatibus per eos quâvis occaſione vel causâ contractis.

His adde ex *Compendio Societatis V. Diſpenſatio §. 6.* per privilegium Monachorum S. Hieronymi in Hiſpania quemlibet Monachorum poſſe ſemel in vita diſpenſari in foro conſcientiæ à Confeſſario per Superiorem deputato ſuper Irregularitate quâcumque occaſione contractâ.

193. *An vel quid poſſint circa pœnitentes ſuos Confeſſarii Mendicantium.*

Quod ad Confeſſarios Regulares attinet, non videntur hi quidquam ſolere circa pœnitentes ſæculares attentare quoad diſpenſandum cum eis in Irregularitate. Quàmvis *Bruno Chaſſaing de Privil. Regular. Tract. 5. cap. 4. prop. 1.* exiſtimet id non excedere ipſorum poteſtatem attentis privilegiis. Omiſſis autem iis, quæ indefinitè loquuntur de Sententiis, Cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis (quæ allegat *Chaſſaing*) refert *Baſſæus V. Irregularitas XI. n. 10.* Sixtum IV. conceſſiſſe Minimis poteſtatem diſpenſandi ſuper quacumque Irregularitate Ordinario reſervatâ. Quod etiã conceſſum fuiſſe pro ſæcularibus advertit *Corduba, Crouſers* & alii, ut refert *Baſſæus ſup.* Præterea *Sayrus l. 7. c. 13. n. 14.* fatetur privilegium diſpenſandi in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus Minimis eſſe conceſſum, etiam pro externis, & refert *Henriquez l. 14. c. 9. §. 3. litt. V.* docentem privilegium hoc ita Romæ practicari. Denique refert *Baſſæus ſup.* Gregorium XIII. conceſſiſſe, ſed (quod notandum) vivæ vocis oraculo, Patribus Societatis Jeſu, poteſtatem rehabilitandi ab omni genere Irregularitatis, præter eam quæ eſt ex homicidio, mutilatione, bigamiâ ac defectu natalium.

Solicitè tamen à diſpenſaturis in Irregularitate obſervandum eſt, ut adſit cauſa legitima: cùm diſpẽſatio hujuſmodi ſit quædam exemptio à lege communi; quandoquidem Irregularitas vim habeat perpetuæ cujuſdam prohibitionis, vel pro tali tempore & ſtatu. Unde etiam non propriè dicitur tolli per verbum denotãs abſolutionem, ſaltem quæ ſine delicto contracta eſt. Quàmvis juxta *Sayrum & Filliucium* ſic tolli poſſet contracta ex delicto, modò diſpenſans intenderit ſub ea forma diſpenſare.

Etſi

194. *Qua forma diſpenſationis in irregularitate.*

Etſi verò nulla ſit forma verborum determinatè in Jure præſcripta pro diſpenſatione in Irregularitate; congruè tamen hæc aut ſimilis adhibetur: *Diſpenſo tecum ſuper Irregularitate* (vel *irregularitatibus* ſi ſunt plures) *in quam* (vel *in quas) ob talem cauſam* (vel *tales cauſas*, eas exprimendo) *incurriſti, & habilem reddo Suſceptioni & Executioni Ordinum & Officiorum tuorum, in nomine Patris &c.*

In dubio poteſt dari diſpenſatio ad cautelam dicendo: *Diſpenſo tecum in Irregularitate, ſi fortè incurriſti ob talem vel talem cauſam.* Quòd ſi non exprimatur ſpecies irregularitatis ſeu delicti, obſtrictus pluribus à nulla liberaretur. Niſi quis generaliter diſpenſaretur in omni irregularitate per verba ſufficienter expreſſiva cōceſſionis. Prout certis anni diebus Prælati Regularium ſubditos ſuos ad cautelam abſolvunt, ſeu cum eis in omni quâ poſſunt irregularitate diſpenſant, dicendo: *Diſpenſo vobiſcum in omni Irregularitate, ſi quam cōtraxiſtis.* Semper autem advertat Sacerdos, ut tenorem mandati ſeu facultatis ad amuſſim ſequatur, nec terminos illius ullo modo excedat.



TRACTA-

TRACTATUS IV.

DE GRATIA, IUSTIFICATIONE ET MERITO.

PRÆFATIO.

TRactatus hic unus è capitalibus eſt Theologiæ Chriſtianæ, ſive materiæ dignitatem, ſive utilitatem, ſive difficultates in eo occurrentes ſpectemus. Nam quod ad materiam circa quam attinet, ipſa eſt vita ſupernaturalis animæ noſtræ. Quemadmodum enim vita corporalis ſeu naturalis hominis conſiſtit in anima corpori unitâ, debitiſq; potentiis ac organis inſtructâ ad expeditè operandum, v.g. oculis ad videndum, auribus ad audiendum, cerebro ad imaginandum, intellectu ad intelligendum, voluntate ad appetendum &c. ſic vita animæ ſpiritualis ſeu ſupernaturalis, Deus eſt, per gratiam ceteraq; dona ſupernaturalia nobis inexiſtens, quibus mediantibus operatur in nobis & per nos operationes vitales proportionatas; quæ nimirum vitam iſtam conſervent & perficiant, atque ad illam quæ uſque in finem bene operantibus promiſſa eſt perducant. Quam quidem ſpiritualem vitam in gradu excellenti inſpiratam Adæ, idem peccato ſuo amiſit, & nos in illo; qui proinde mortui & damnati antequam nati, per ſecundum Adam Chriſtum reſtaurari debuimus in vitam ſpiritualem. Hoc autem fit mediante Gratiâ per Chriſti merita nobis adhuc inimicis conceſſâ; quâ primò ad Juſtificationem diſponimur, quâ deinde gratis juſtificamur, quâ denique juſtificati in juſtitia accepta bene vivendo creſcimus uſque in perfectum æternitatis diem.

Ex quo elucet pariter hujus Tractatûs utilitas. Quid enim utilius, quàm ſcire, quid ſit vivere, & per quid vivere, immo

ſemper vivere præſtetur? Unde Bernardus Serm.1. de SS. Petro & Paulo *hanc Scientiam ab Apoſtolis edoctam meritò magni facit, dicens:* Docuerunt me vivere. Putas parva res eſt, ſcire vivere? Magnum aliquid, immo maximum eſt.

Non ſola tamen ſcientia ſpeculativa, ſed potiſſimùm ordinata ad praxim & experientiam dulcedinis divinæ gratiæ eſt expetenda. Ut rectè dixerit Auctor libelli de Imitatione Chriſti lib.1.c.1. Opto magìs ſentire compunctionem, quàm ſcire ejus definitionem. *Meritò enim timendum eſt, ne qui interdum magnis animis de Gratia diſputant, longiùs à gratia alieni ſint, dum illam magìs ſcire quàm ſentire ſoliciti, contentioſâ ex proprio ſenſu ſcribendi aut aſſerendi libidine, ipſam gratiam in ſemetipſis ſuffocant. Ut in Hæreticis tam antiquis quàm recentioribus manifeſtum eſt, qui contra ſanam Eccleſiæ doctrinam de Gratia diſputantes, in varia errorum præcipitia ſunt collapſi, dum* Pelagianis *Gratiam nimiùm deprimentibus, in aliud extremum alii declinantes liberum arbitrium ſuſtulerunt; ubi tamen fides Catholica partes ſuas & quidem principales gratiæ Chriſti tribuens, partes quoque ſuas libero concedit arbitrio, ſe cum gratia liberè diſponenti ad juſtitiam, & poſt hanc acceptam liberè & meritoriè operanti. Eſtq; & fuit hæc materia in Eccleſia Dei uſque ad hæc tempora, etiam inter Catholicos, tam acriter agitata, ut oportuerit Sedem Apoſtolicam modum imponere per diverſa decreta ſtrictiſſimè cavendo, ne quis deinceps citra ejuſdem ſanctæ Sedis expreſſum aſſenſum de controverſis inter Doctores Catholicos quæſtionibus, concernentibus auxilia divinæ gratiæ, ſeu earum concordiam cum libero arbitrio, quocumque prætextu aliquos tractatus aut ſcripta in lucem edat. Ex quibus etiam ſufficienter colligi poteſt materiæ ipſius difficultas. Nos mandatis ſanctæ Sedis juſtiſſimis parere cupientes, illas dumtaxat in præſenti delicata materia quæſtiones tractabimus, quæ contra Hæreticos, aut independenter à præfatis controverſiis etiam inter Doctores Catholicos in Scholis atque etiam libris editis hactenus citra offenſam aut contradictionem diſputari conſueverunt. Ante omnia tamen operæ pretium apparet, ut aliquid de hæreſibus circa Chriſti gratiam exortis, ac de auctoritate* B. Auguſtini *præcipui poſt S. Paulum Gratiæ aſſertoris nonnulla prælibemus.*

§. I.

De Hæreſi Pelagiana.

1. *Pelagii patria & qualitates.*

PElagius natione Brito, ſive (ut indicat *Hieronymus in Præfatione lib. 3. Commentariorum in Jeremiam*) Scotus, vel ut Alii volunt, Hibernus; profeſſione monachus, ingenio acutus, eloquio facundus, in concionibus vehemens, moribus ſpecietenus ſaltem religioſus, quouſque rectam fidem tenuit, aut ſe tenere ſimulavit, ſic ut pro viro in virtutibus Chriſtianis eximiè provecto haberetur: *Ruffinum* habuit Magiſtrum ſive hæreſis ſuæ præcurſorem, quem *Grunnium* appellat *Hieronymus*. Ab eodem *Ruffino* peccatum originale didicit negare *Cæleſtius Pelagii* collega, ut ipſe publicè in judicio Epiſcopali Carthaginenſi profeſſus eſt.

2. *Exordia hæreſis Pelagianæ.*

Pelagius porrò hæreſim ſuam cœpit ſpargere in Oriente circa annum 415. juxta *Bellarminum*, vel circa annum 413. juxta alios; deinde etiam in Occidentem adjutoribus *Cæleſtio*, & *Juliano* Epiſcopo virus ſuum uſque in Britanniam patriam ſuam diffudit. Dudum tamen antea malè ſentire cœperat, hæreſimque ſuam ſubdolè ſpargere. Unde Anno 411. (ut refert *Baronius*) cùm nondum auctoris nomine Pelagiana hæreſis vulgaretur, ſed ejus prava dogmata quæſtionum velamentis ſpargerentur, clanculariis agendi modis metu damnationis adhibitis, *S. Hieronymus* à Cteſiphonte rogatus dogma *Pelagii* reſcriptâ ad Cteſiphontem Epiſtolâ refellit, tacitis nominibus *Pelagii* & *Cæleſtii*. Poſtea tribus adhuc libris Dialogorum errorem Pelagianũ inſectatus eſt, rem agens fictis nominibus Attici, qui perſonam Catholici, & Critobuli, qui perſonam Hæretici refert; quo pariter & minùs læderet adverſarium (cujus vita adhuc prædicabatur à multis) & anſam daret reſipiſcendi. Porrò Dialogos etiam hos ante *Concilium Dioſpolitanum* Anno 415. celebratum eſſe conſcriptos, ex multis capitibus fit validè veroſimile, inquit & probat *Janſenius lib. 1. de Hæreſi Pelagiana Edit. Lovan. col. 19.* Etſi ſui oblitus *lib. 2. de Statu nat. lapſæ cap. 2.* ſine alia probatione aſſerat Dialogos Attici & Critobuli eſſe ſcriptos poſt præfatum Concilium.

Pelagium necdum cõdemnatum ſcriptis confutavit S. Hieronymus tacito Pelagii nomine,

Vti & S. Auguſtin.

Ob ſimilem rationem *B. Auguſtinus* in principio noluit Auctores novitatũ harum nominatim inſectari, ut videre eſt in *Epiſt. 89. ad Hilarium* poſtea Arelatenſem Epiſcopum, & in *Libris De peccat. meritis & remiſſione ad Marcellinum*; qui jam ante Dialogos *Hieronymi* prodierant, ut ipſe teſtatur *lib. 3. Dialogorum in fine.*

3. *Pelagius in Synodo Palæſtina accuſatus palinodiam fictè canens, abſolvitur.*

Accuſatus itaque tandem *Pelagius* anno 415. à duobus Epiſcopis Gallicanis *in Synodo Dioſpolitana*, objectis eidem XII. articulis, fraudulentè ad illos quaſi Catholicus reſpondit, ſuaſque hæreſes ſubdolè damnãs & fidem Catholicam profitens, à Synodo abſolvitur. Unde quia doló Synodum decepit, *Hieronymus Ep. 79. ad Alipium & Auguſt.* appellavit *miſerabilem Synodum*; cujus etiam acta de purgatione *Pelagii Innocentius I.* noluit confirmare. Rurſus autẽ damnantur ejus errores in *Conciliis Africanis* Anno 416. habitis, *Milevitano* ſcilicet (cui *Auguſtinus* interfuit) & *Carthaginenſi*, ac Romæ ab *Innocentio I.* Apud quem conqueſtus, fidei ſuæ confeſſionem eidem mittit: quam *Innocentio* interim defuncto accepit Succeſſor ejus *Zoſimus*, qui ambiguis verbis *Pelagii* in primis illuſus, fraude poſtea detectâ & perlatis ad ipſum alterius *Concilii Carthaginenſis* anno 418. celebrati decretis eumdem *Pelagium* damnat ſemel; & iterum cum *Cæleſtio*.

Sed à Conciliis Africanis & Romanis Pontificibus pertinax Hæreſiarcha damnatur.

4. *Acta contra Cæleſtium.*

Cæleſtius Pelagii Aſſecla primarius (à quo *Pelagiani* etiam *Cæleſtiani* dicti fuerunt) vir acerrimi ingenii, jam dudum ante celebratam *Synodum Dioſpolitanam* cœperat hæreſim *Pelagii* ſeminare in Africa: nam anno 412. deſuper accuſatus fuit à Paulino Diacono Carthagine in Epiſcopali judicio, & ibidem cum erroribus ei objectis condemnatus. Cùm ipſe *Pelagius* adhuc anno ſequenti ſub ſanctitatis pallio latere ſatageret, ſcribens epiſtolam congratulatoriam ad Demetriadem novam Chriſti Sponſam; quæ Epiſtola etſi erroribus reſperſa, à ſimplicioribus vel *Hieronymi* vel *Auguſtini* credita interdum fuit. *Cæleſtius* autem excommunicatus & Carthagine pulſus Siciliam petit, eamque ſuis erroribus inficit. Præterea Romam veniens reſciſſionem actorum contra ſe in Africa querelis apud *Zoſimum* Papam expoſitis obtinere conatur, ſimulationem catholiciſmi fraudulenter adhibens: attamen fraude detectâ ab eodem *Zoſimo* damnatur. Dein cõſecutum eſt Honorii Imperatoris reſcriptum adverſùs eoſdem Hæreſiarchas ipſorumq; ſectatores, quo exilii pœnam iis omnibus irrogavit. Cùm autem nihilominus in Africa aliqui ſive latenter ſive palam morarentur, novo Edicto imperatorio jubentur ſtrictiſſimè à quovis conſcio deferri, & delati pelli, etiam amiſſione Epiſcopatuum, interdictâ pertinacibus in perpetuùm communione. Cùm autem *Cæleſtius* adhuc Romam ſe recipere auſus eſſet, per aliud edictũ Conſtantii excedere compellitur. Quem deinde Britanniam ſeu Hiberniam (quæ olim Scotia major dicta putatur) natale ſolum cum *Pelagio* repetiiſſe Nonnulli conjectãt. Quam quidem Inſulam ab his aut eorum-

dem diſcipulis depravatam fuiſſe, colligitur ex *Proſpero in Chronico.*

Porrò *Concilio apud Carthaginem habito* (Anno ſcilicet 418.) 217. *Epiſcoporum ad Pontificem Zoſimum Decreta perlata* ſunt: *quibus probatis* (ait *Proſper in Chronico,* alibi ſtatuens numerum Epiſcoporum 214.) *per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

5. Sed cùm ubique locorum contra illos anathema inclamaretur, qui in errore obſtinatiùs perſtitere, non habentes quid jam detecti facerent, æquè ad calumnias concinnandas ſtylum exacuerunt. Præſtititq; id in primis *Julianus*, Epiſcopus Capuanus (ut tradit *Gennadius* contemporaneus; ſed *Proſper* vocat Atelenenſem, ſive à patria, ſive quòd poſtea Sedem mutaverit) natus patre Memorio, Epiſcopo, ut apparet, etiam Capuano; qui, uti & pater, *Auguſtino* priùs fuit amiciſſimus. Is adhuc juvenis Sede auctus nobili, faſtu tumidus, litterarumque ſæculariũ inflatus ſuperbiâ, loquaciſſimus, erumpẽs in maledicta, SS.^mum ſenem *Auguſtinum* cœpit exagitare, primumque ſcripſit quatuor libros mendaciis refertos, cõtra duos Sancti Libros de Nuptiis & Concupiſcẽtia ſcriptos ad Valerium comitem poſt damnationem *Pelagii*. Quas cùm Vir ſanctus aliis ſex contra *Julianum* inſcriptis refutaſſet, rursùs cõtra hos hæreticâ arrogantiâ ſcripſit *Julianus* octo alios libros. Quos iterũ *B. Auguſtinus* ſub mortem refellere cœpit: ſed opus hactenus imperfectum videbatur remanſiſſe, ut proinde *Beda in Collectaneis ſuper Epiſtolas Pauli* ex eo fragmenta quædam citans, illud intituler nomine *Operis imperfecti contra Julianum.* Quo etiam nomine primi duo libri prodierunt Anno 1616. poſtquam tot annis velut perditi delituerant. Idem nomen hactenus retinuit, niſi quòd à pauciſſimis annis prodire cœperit perfectum, erutum ſcilicet ex vetuſtis quibuſdam M.S. Exemplaribus in quibuſdam Bibliothecis repertis. Idem Sanctus contra duas *Juliani* Epiſtolas mendaciis refertas ſcripſit libros quatuor inſcriptos, Contra duas Epiſtolas Pelagianorum.

Juliani cõditiones,

Scripta calumnioſa ejus contra S. Auguſtinum, qui illa refutavit.

6. *Julianus* verò ob hæreſim Epiſcopatu privatus, & Italiâ pulſus cum aliis æquè expulſis ſuæ ſectæ Epiſcopis, ad *Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanũ* ſe recepit, qui ejus patrocinium ſuſcipiens ſcribit ad *Cæleſtinum Papam*; ſed fruſtrà. Unde & ipſe *Neſtorius* hæreſi propriâ (cui nomen dedit, & quæ *Pelagianæ* quidam ſurculus eſt) infectus, ad *Concilium Epheſinum* cum *Juliano* profectus, ibidem damnatus eſt ſimul cum hæreſi Pelagiana, Patribus Concilii admittentibus Decreta Eccleſiæ Romanæ contra hanc edita, quæ *Cæleſtinus Papa* Synodo tranſmiſerat. Ubi tamen nefario auſu quidam Epiſcopi, partim *Neſtoriani*, partim à ſuis Sedibus depoſiti, partim *Pelagiani*, contra acta *Synodi Epheſinæ* inſurrexerunt, & inter alia Hæreſim *Pelagii* jam ſæpiùs damnatam reſtituerunt, edito impio Canone, quo negabatur peccatum originale. Dum autem amiſſi Epiſcopatûs intemperans cupido *Julianum* exagitaret, idem multimodâ arte fallendi correctionis ſpem præferens, molitus fuit ſub Xiſto III. in communionem Eccleſiæ irrepere: verùm detectis ejus inſidiis repulſus eſt. Quẽ rurſum ab hujus ſucceſſore Leone Papa coercitum fuiſſe tradit ex *Proſpero Baronius ad Annum* 439. *in fine*. Tandem verò Ludimagiſter effectus miſerè & ingloriè obiiſſe dicitur in Præfatione præfixa Operi perfecto contra *Julianum*.

Pulſus Epiſcopatu confert ſe ad Neſtorium,

Et cum eodem rurſum hæreſis Pelagiana à Synodo Generali Epheſina damnatur.

Sedem Epiſcopalem per fallaciam fruſtrà recuperare ſatagẽs miſerè tandem periit.

Hæreſis porrò Pelagiana in hoc conſiſtebat, quòd traderet homini ad ſervanda Dei præcepta, & ad ſalutem conſequendum, Dei gratiam neceſſariam non eſſe, ſed innatas liberi arbitrii vires ſufficere, ſuppoſitâ legis prædicatione atque notitiâ; & conſequenter electos ſeu prædeſtinatos eſſe homines ad regnum cælorum propter opera liberi arbitrii abſque neceſſario gratiæ adjutorio. 7.

Hæreſis Pelagiana in quo conſiſtat,

Et quidem in primo hujus Hæreſis ſtatu *Pelagius* omni gratiæ mentione excluſâ adſtruebat ſufficere naturam hominis ad omnia opera virtutum exercenda, omnia mandata implenda, paſſiones omnes vincendas atque etiam vivendum ſine omni peccato, ac denique ad felicitatem conſequendam.

Sed cùm ob hoc malè inciperet audire *Pelagius* apud Catholicos, cœpit adhibere ſubdolè nomen Gratiæ, per hoc intelligendo liberum arbitrium cum ſibi ſcilicet innatis facultatibus conſultandi, inquirendi, & cum propenſione naturali ad bonum atque averſione à malo ſumptum; utpote gratis à Deo cum creatione collatum. Et hanc gratiam aſſerebat eſſe neceſſariam & ſufficientem ad omnia prædicta.

Quid nomine gratiæ intellexerit Pelagius.

Verùm pulſatus adhuc Fidelium objurgationibus, addidit alterum genus gratiæ, nempe legem atque doctrinam, & exemplum Chriſti quibus inſtruimur de futura gloria & pœna, & mediis eò perveniendi. Neceſſariam verò addebat nobis eſſe remiſſionem peccatorum, quia ea quæ à nobis in præterito malè facta ſunt, infecta facere non valemus: cavendis autem futuris vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis, ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem. Remiſſionem autem peccatorum cenſebat dari ex meritis operum naturalium. Quod quomodo conſiſtat cum hoc, quòd ipſam diceret eſſe gratiam, variant Doctores. Et ſunt, qui admittunt ipſum (quod Hæreticis vulgare eſt) admiſiſſe diverſo præſertim tempore contradictoria. Certè Dei gratiam ſecundùm merita noſtra dari, eſt unus ex articulis *Pelagio in Synodo Dioſpolitana* objectis, 8.

Remiſſionem peccatorum neceſſariam fatebatur,

Dandam ex merito Operum naturæ.

ctis, & ab eodem ne damnaretur damnatis. Inter quos etiam poſtremus eſt, quòd venia non detur ſecundùm miſericordiam, ſed ſecundùm debitum.

9. *An Pelagius tandē agnoverit internum gratiæ auxilium controvertitur,*

An autem *Pelagius* tandem agnoverit internum veræ gratiæ auxilium præter liberum arbitriū & legem atque doctrinam, eò quòd viſus fuerit admittere adjutorium conſiſtens in apertione oculorum cordis, in ineffabili illuminatione, revelatione & ſucceſſione ſtupentis voluntatis, dubitant Auctores. Et quidem *Smiſing*, *Suarez* & paſſim alii cenſent ipſum admiſiſſe ſolam doctrinam exteriùs propoſitam, per quam Deus nos objectivè illuminat & voluntatem ſuccendit; quantumvis verbis magnificis virus ſuum *Pelagius* tegere conatus fuerit. Saltem ſatis conſtat ipſum verè non admiſiſſe neceſſitatem interioris auxilii ipſius voluntatis; & ad ſummum admiſiſſe ejus utilitatem, ut colligitur ex *Auguſtino Hæreſi* 88.

Similiter an agnoverit concurſum generalem & immediatū Cauſæ primæ,

Similiter controverſum eſt inter Doctores, an *Pelagius* admiſerit concurſum generalem Dei cum cauſis ſecūdis. Quàmvis enim ipſum admiſiſſe hunc concurſum pro certò ſupponat *Janſenius*, & tamquam probabiliùs tradat *Smiſing Tract.* 3. *de Deo Uno d.* 6. *n.* 304. *Alvarez* & alii: Non deſunt tamen graves conjecturæ in contrarium, ſignanter ex *Hieronymo in Epiſt. ad Cteſiphontem*, & *Dialog.* 1. *contra Pelagianos.* Unde ita de *Pelagio* cenſet *Bellarminus* & plures Recentiores: *Suarez* verò de *Pelagii* ſententia quoad hoc punctum manet dubius.

Denique an admiſerit gratiā ſanctificantem & habitus infuſos.

Denique de gratia ſanctificante & habitibus infuſis, etſi non fuerit tam particularis cōntroverſia cum *Pelagio*, ſed de gratia actuali; dubitant tamen Scholaſtici, an *Pelagius* illos admiſerit; eò quòd conſtet ipſum nullos admiſiſſe actus ſupernaturales, quorum gratiâ dantur habitus; quòdque infantes nuper natos (qui utique non habēt gratiam habitualem, etiam ex mente *Pelagii*) dixerit in eo ſtatu eſſe, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quare *Pelagium* non admiſiſſe habitus infuſos cenſet *Smiſing ſup. num.* 285. Quàmvis alii contrarium exiſtiment, & Nonnulli gratiam ſanctificantem ab habitu charitatis diſtinguentes, putent *Pelagium* quidem non admiſiſſe habitus infuſos virtutum, bene tamen gratiam ſanctificantem; per quam proinde & non tantùm per extrinſecam condonationem fieret peccatorum remiſſio. Non eſt tamen quòd dubitetur de *Pelagio*, quin agnoverit ſupernaturalem beatitudinem alterius vitæ.

10. *An Caleſtius & Julianus agnoverint neceſſitatem auxilii interni volūtatis, ad opera, non quidem incipienda, ſed perficienda.*

Poſtremus Pelagianiſmi ſtatus eſt, in quo Diſcipuli *Pelagii* videri poſſent admiſiſſe neceſſitatem auxilii etiam interni voluntatis ad perficiendum opera pietatis, nō tamen ad incipiendum, ſed quòd voluntas inciperet propriâ virtute per boni cupiditatem, indeque gratiam mereretur. Et quidem *Alvarez* cenſet *Caleſtium* admiſiſſe neceſſitatem auxilii ſufficientis; non tamen efficacis, *Julianum* verò agnoviſſe neceſſitatem auxilii adjuvantis, non tamen prævenientis & excitantis. Alii autem cēſent ipſos admiſiſſe gratiam voluntatis, non tamquam ſimpliciter neceſſariam, ſed ad faciliùs perfectionem obtinendam. *Suarez* tamen & poſt ipſum *Smiſing* cenſet, nec *Pelagium*, nec ejus Diſcipulos *Caleſtium* & *Julianum* umquam verè & ex animo mutaſſe primam ſuam de Gratia ſententiam, quâ omnem veram gratiam negabant: ſed ſubinde verbis ſolùm gratiæ Encomia protuliſſe, ut invidiam declinarent & incautos deciperent. Quod ipſum variis locis apertè monet *Auguſtinus*. Qui proinde in libro de Hæreſibus (qui eſt inter poſtrema ſcripta *Auguſtini*, ipſis quoque libris Retractationum poſterior; ut patet ex *Epiſtola præliminari ad Quod vult Deum*, & ex eo quòd in libris Retractationum de ipſo nō fiat mentio: adeòque etiam poſterior eſt libris iſtis, ex quibus in oppoſitum depromi ſolent teſtimonia) perſiſtens in recapitulando ſtatu hæreſis Pelagianæ, nullam facit mentionem neceſſitatis gratiæ ab eis admiſſæ, niſi ſolius legis & doctrinæ ſive gratiæ ſpectantis ad intellectum ac remiſſionis peccatorum. *Hi* (inquit) *Dei gratiæ..... in tātùm inimici ſunt, ut ſine hac poſſe hominem credant facere omnia divina mandata.... Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorū hactenus ceſſit, ... dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere gratiam*; adeòque *etiamſi difficiliùs tamē poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa. Illam verò gratiam Dei ſine qua nihil poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm ipſo adjuvante per legem atque doctrinam, ut diſcamus quæ facere & quæ ſperare debeamus &c.*

Præter hunc de Gratia errorem, plures alios *Pelagius* habuit, ad gratiæ divinæ depreſſionem tendentes. *Præter illa enim, quæ* 11.

Plures alii Errores Pelagii recenſentur.

quomodo potuit, auſus eſt qualicumque ratione defendere, objecta quædam ſunt in Synodo Palæſtina Dioſpoli ſeu Liddæ celebratâ, *quæ niſi remotâ omni tergiverſatione anathematizaſſet* (quod ſubdolè fecit) *ipſe anathematizatus eſſet*, inquit *Aug. Epiſt.* 106. *poſt med.* ubì refert duodecim articulos ibidem objectos & à *Pelagio* retractatos. 1. *Quòd Adam ſive peccaret ſive non peccaret, moriturus eſſet.* 2. *Quòd peccatum ejus ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.* 3. *Quòd infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 4. *Quòd neque per mortem vel per prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat.* 5. *Quòd infantes*

etiamſi non baptizentur, habeant vitam æternam. 6. Quòd divites baptizati, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputetur illis, nec habere poſſint regnum Dei. 7. Quòd gratia Dei atque adjutorium non detur ad ſingulos actus, ſed ſit in libero arbitrio, vel in lege atque doctrina. 8. Quòd Dei gratia ſecundùm merita noſtra detur. 9. Quòd filii Dei non poſſint vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti. 10. Quòd non ſit liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque facere aliquid vel non facere. 11. Quòd victoria noſtra non ex Dei adjutorio ſit; ſed ex libero arbitrio. 12. Quòd pœnitentibus venia non detur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordiâ.

Plura deſervientia ad notitiam hæreſis Pelagianæ vide apud *Suarez in Prolegomeno 5. de Gratia, Smiſing Tract. 3. de Deo Uno diſp. 6. n. 284. & ſeqq.* & alios.

§. II.

De Hæreſi Semipelagiana.

12. *Semipelagianiſmi exordium & error.* DEVICTIS *Pelagianis*, bellum *Auguſtino* jam ſeni movere cœperunt viri quidam alioquin præclari, præſertim in Gallia, qui *Maſſilienſes, Semipelagiani, Reliquiæ Pelagianorum* dici ſolent. Quos tamen non fuiſſe habitos pro Hæreticis, nec tales fuiſſe, ſive ab Eccleſia non defeciſſe, utpote cujus doctrinæ ſcienter & pertinaciter non contradicebant, ex *Proſpero* colligit *Smiſing ſup. num.* 307. Hi in omnibus ferè à *Pelagio* recedebant, aſſerentes neceſſitatem veræ gratiæ; uti & omnes naſci in peccato originali, nec ſine ejus remiſſione poſſe conſequi vitam æternam &c. in hoc tamen *Pelagii* dogma imitantes, quòd initium ſalutis ſtatuerent in libero arbitrio, adeòque gratiam in merito naturæ, ſaltem congruo. In quo exiſtimabant ſe adhærere communi doctrinæ Patrum, qui ante *Auguſtinum* fuerant. Eum proinde debitum modum exceſſiſſe querebantur; quaſi videlicet à libero arbitrio ſuis viribus incipiente, & non à Deo, qui ſalvat & gratiam donat, deſumi deberet fidei boniquе profectûs ac ſalutis initium, adeòque radicalis diſcretio ſalvandorum à non ſalvandis. Et quia *Auguſtinus* objecerat frequenter *Pelagio* exemplum parvulorum, quòd in his, utpote meriti incapacibus, admittenda eſſet electio gratuita; parvulorum cauſam ad exemplum majorum *Semipelagiani* non patiebantur adferri, dicentes eam etiam ipſum *Auguſtinum* eatenus attigiſſe, ut incertum eſſe voluerit, ac potiùs de eorum pœnis maluerit dubitare, ut refert *Hilarius Arelatenſis in Epiſtola præfixa libro de Prædeſtin. Sanctorum.* Quidam etiam in parvulis meritum ſuæ electionis aſſignabant, dicentes, tales perdi taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad adultam ſervarentur ætatem, Scientia divina præviderit, ut refert *Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum præfixâ libro de Prædeſt. Sanctorum.* Ideo ſimiliter aliquas nationes non percepiſſe gratiam prædicationis Evangelii, quòd prænoſcerentur non eſſe crediture, ſi eis fuiſſet Evangelium prædicatum, ut refert *Hilarius ſup.* Neque negari gratiam, ſi præcedere dicatur voluntas, quæ tantùm medicum quærat. Quòd autem dicitur Deum unicuique partiri menſuram fidei, ſic intelligendum eſſe, ut adjuvetur qui cœperat velle, non ut etiam adjuvetur ut velit; adeòque humanam voluntatem ſibi divinam parere opem quærendo, pulſando, credendo &c. non autem gratiam prævenientem ſibi humanam ſubjicere voluntatem etiam in omnis boni initio. Allegant & alia, quæ in ſcriptis *Auguſtini* duriora aut minùs vera eis videbantur. Quæ omnia videri poſſunt in Epiſtolis citatis. *Auguſtinus* verò exaratis duobus libris, ſcilicet de prædeſtinatione Sanctorum & bono perſeverantiæ reſpondet, partim oſtendens mentem ſuam non eſſe bene ab obtrectantibus intellectam, partim exponens & confirmans quæ ipſi nimis durè aut minùs verè ſcripta cenſebant.

Neque tamen vel ſic tumultus ceſſarunt. 13. *Mortuo S. Auguſtino acriùs inſtauratur.* Nam non ſolùm ii, qui *Auguſtino* vivente hoc certamen in Gallia aggreſſi fuerant, eo mortuo illud acriùs inſtaurarunt, quindecim ſcribentes objectiones ſeu capitula contra *Auguſtini* ſcripta in *Pelagianos*; ſed & *Vincentius* quidam (non ille Lirinenſis, laudatiſſimus Scriptor contra hæreſes; qui in *Opuſculo de profanis vocum novitatibus cap.* 34. valde in *Pelagii* errorem invehitur, & *cap. ult.* laudat Epiſtolam *S. Cæleſtini* ad Epiſcopos Galliæ contra *Pelagium* & *Pelagianorum Reliquias*) rem privatim agens, ſexdecim propoſuit *Objectiones*, dictas *Vincentianas*; & *Camillus* ac *Theodorus* Presbyteri Genuenſes decem dubia objecere, ac denique *Caſſianus*, aliquando diaconus & auditor *Chryſoſtomi*, & poſtea in Gallia apud Maſſilienſes Presbyter ob ſcriptas per illum Collationes Patrum vocatus *Collator* à *Proſpero lib. contra Collatorem*, aliqua contra *Auguſtini* doctrinam intulerunt, ſcilicet circa initium fidei & ſalutis: cùm tamen hi omnes profiterentur ſe *Pelagii* errores non fovere, ſed in eos potiùs declamantes ut Catholici verſarentur inter Catholicos.

14. *Sed contra inſurgunt SS. Hilarius & Proſper.* Ceterùm contra hos omnes pro *S. Auguſtino* viriliter ſteterunt *Hilarius* (cujus quidem ſcripta ea de re perierunt) & *Proſper*, cujus ſcripta adhuc ſuperſunt. Sed & Romam petentes apud *Cæleſtinum Papam* tantum

tum egerunt, ut is patrocinio *Auguſtini* ſuſcepto litteras dederit ad Epiſcopos Galliæ, quibus calumniatores *Auguſtini* redarguit, & Capitula quædam juxta regulam fidei Apoſtolicæ contra Pelagium ejuſque fautores firmiter credenda proponit. Quorum ſumma hæc eſt, quòd in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem (id eſt, expeditam facultatem bene agendi Adamo coævam) & innocentiam perdiderint; & nemo ex hac ruina poſſit conſurgere, niſi per Dei gratiam erectus. Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus, ſed participatione ejus qui ſolus eſt bonus. Quòd nemo etiam baptizatus poſſit ſuperare diaboli inſidias & carnis concupiſcentias, niſi, per quotidianum adjutorium Dei, perſeverantiam bonæ converſationis acceperit. Quòd nemo niſi per Chriſtum libero bene utatur arbitrio. Quòd omnia Sanctorum merita ſint dona Dei. Quòd omnis ſancta cogitatio & motus piæ voluntatis ex Deo ſit. Quòd gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur; idque non tantùm quatenus per Chriſtum nobis aperitur & revelatur intelligentia mandatorum, ſed etiam quatenus nobis præſtatur, ut quod faciendum cognovimus, facere valeamus, ſic ut per gratiam non tantùm faciliùs poſſimus implere divina mandata, ſed ut ſine illa ſimpliciter id non valeamus. Quòd omnium bonorum affectuum atque operum, quibus ab initio fidei attenditur, Deus ſit auctor, & ipſius gratia præveniat omnia hominis merita, ac per illum fiat, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere: quo tamen auxilio & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, ſed liberetur, ut de tenebroſo ſit lucidum, de pravo rectum, & de languido ſanum.

Ac præſertim S. Cæleſtinus Papa.

Capitula ab ipſo definita ſummariè recenſentur.

15\. *Evaſionem quorùndam Semipelagianorum præcludit S. Proſper.*

Sed neque adhuc quievit quorumdam contentio, volentium laudationem *Auguſtini* contentam in Epiſtola *Cæleſtini*, pertinere ad priores ejus libros contra Pelagianam hæreſim ſcriptos, non ad poſteriores de Correptione & Gratia, de Prædeſtinatione Sanctorum & Bono perſeverantiæ, quibus maximè offendebantur. Quos refutat *Proſper contra Collatorem cap.* 43. eò quòd *in omnibus operibus idem doctrinæ ſpiritus, eadem prædicationis forma præceſſit*, quæ in poſterioribus magìs magiſque roboratur, & variis modis contra diverſas quotidiè inventas Hæreticorum tergiverſationes explicata eſt. *Ideo Apoſtolica Sedes quod à præcognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat; & quod judicio jungit, laude non dividit*, ait *Proſper*.

16\. *Gelaſius Papa Pelagium ejuſq; Reliquias inſectatur.*

Gelaſius quoque *Pelagium* & reliquias ejus iterum damnavit, veramque doctrinam de gratia confirmavit, Opuſcula *Fauſti* Regienſis Epiſcopi ſtatuens inter apocrypha, & commendans opuſcula *Auguſtini*, *Hieronymi*, & *Proſperi*, ut patet ex *Concilio Romano* celebrato ſub *Gelaſio*, & refertur *Can. Sancta Romana diſt.* 15. Audienſque *Semipelagianos* tum alibi occultè ſpargere ſua dogmata; tum in Dalmatia & Piceno vigere Pelagianiſmum, ſcripſit eruditas epiſtolas & quoddam opuſculum.

Poſt Gelaſium Horſmiſdas Papa.

Rurſum poſtea *Hormiſdas* Papa reſcribens Poſſeſſori Epiſcopo Africano, occaſione quæſtionis in Africa exortæ de doctrina liberi arbitrii & gratiæ Dei contentâ in ſcriptis ejuſdem *Fauſti* Regienſis Epiſcopi, inter cetera inculcavit, illa tantùm admitti ſcripta debere, quæ recipit examen Catholicæ fidei, & cum Doctrina Eccleſiæ ac Patrum Synodorumque præceptis conſentiunt; alludens ad cenſuram præmiſſam *Gelaſii* ac Romanæ Synodi de ſcriptis *Fauſti*. Quæ etiam egregiè confutarunt viri ſancti, *Avitus, Fulgentius*, & *Cæſarius Arelatenſis*.

17\. *Poſt hunc Felix Papa IV.*

Denique *Felix IV.* ejuſdem *S. Cæſarii* ſcriptis permotus, non ſolùm hæc ipſa probavit, ſed etiam per ſuam Epiſtolam roboravit, & ubique vulganda curavit; quæ tamen hodie non extant. Sub eodem quoque *Cæſario* conditi ſunt famoſi illi Canones *Concilii Arauſicani II.* quos tota Eccleſia pro regula fidei recipit, quique omnes ferè ad unum ſunt ſententiæ & verba *S. Auguſtini* ex ipſius ſcriptis diverſis deſumpta. De quibus ita præfatur Concilium: *Unde nobis ſecundùm auctoritatẽ & admonitionem Sedis Apoſtolicæ, juſtum & rationabile viſum eſt, ut pauca Capitula, ab Apoſtolica nobis Sede tranſmiſſa ...... ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere debere- mus.* Quibus tandem ſecta hæc radicitùs extirpata videtur; contra quam proinde ſuccedentes Pontifices & Patres pugnare deſtiterũt. Summa verò Canonum 25. præfati Concilii hæc ferè eſt, quòd per peccatum Adæ totus homo, id eſt ſecundùm corpus & animam, ſit in deterius commutatus, quòdque non ſoli Adæ, ſed & propagini nocuerit. Quòd gratia non conferatur ad invocationem humanam, ſed noſtram præveniat voluntatem, ut purgari velimus; uſque ad ipſum fidei initium, quod per inſpirationem divinam nobis inſit. Quòd per naturæ vigorem nil cogitare aut eligere poſſimus, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur. Quòd adjutoriũ Dei etiam baptizatis & ſanctis pro perſeverantia ſemper ſit implorandum. Quòd arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poſſit liberari. Quòd natura humana in primæva integritate condita nullo modo ſe ipſam ſervare poſſet Creatore ſuo non adjuvante. Quòd multa in homine bona fiant, quæ non facit homo; nulla verò faciat homo bona, quæ

Sub quo editi Canones Concilii Arauſicani II.

Summarium potiſſimorum Canonum ejuſdem Concilii.

non Deus præſtet, ut faciat homo. Quòd nemo habeat de ſuo niſi mendacium & peccatum: Si quis autem habeat veritatem atque juſtitiam, eſſe à Deo. Quòd peccantes ſuam non Dei voluntatem faciant. Quòd donum Dei ſit, diligere Deum ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt. Tandemque concludit: *Hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſuiipſius inſpirat, ut & Baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. Unde maniſeſtiſſimè credendum, quòd & illius Latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zacchæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.*

18. Ex quibus ſatis clarum eſt, quid contra *Pelagianos* & *Semipelagianos* Eccleſia Catholica doceat: cujus utique ſenſus ex Pontificum & Conciliorum decretis conſtare debet; uti etiam damnati ab eadem errores. Ut proinde non ſit Doctoribus Catholicis de Pelagianiſmo aut Semipelagianiſmo metuendum, dum tradunt receptas communiter in Catholicis Academiis Doctrinas, quantumvis criticus Aliquis notam erroris eis impingere præſumat. In quo exceſſit, qui communes in Eccleſia & apud alios certas Sententias de hæreſi Pelagiana aut Semipelagiana ſuſpectas facit, ſcilicet de libertate indifferentiæ ad peccandum requiſita, gratiâ ſufficienti naturæ lapſæ, auxilio præveniente quod non neceſſitet, poſſibilitate præceptorum, generali voluntate Dei ſalvandi omnes &c. Quæ ſunt dogmata etiam ante tempora *Auguſtini* apud Catholicos receptiſſima. Quorum proinde contrarium etiam *Auguſtinus* non tradidit; qui utique non nova, ſed vetera ſemper tradita, contra Novantes *Pelagianos* defendit. Ideoque *Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad quoſdam Gall. Epiſcopos cap* 1. rectè dixit: *Deſerat inceſſere novitas* Pelagiana *vetuſtatem.* Et *Auguſt. lib.* 4. *contra duos Epiſt. Pelag. cap.* 8. *Sciant à nobis rectam & antiquitus fundatam Catholicam fidem, adversùs recentem Pelagianorum Hæreticorum præſumptionẽ perniciemq́; defendi.* Qui etiã ex antiquioribus Patribus ſua contra *Pelagianos* ſenſa confirmat: ſic ut etiam de Patribus Orthodoxis, qui ante *Auguſtinum* floruerunt, id indubitanter exiſtimandum ſit, quòd verã & Auguſtinianam de Gratia Doctrinã, quam poſtmodum Eccleſia declaravit, tenuerint; etſi de Gratia parciùs fuerint locuti, prout occaſio hæreſum tunc occurrentium, vel inſtructio neceſſaria plebis alias materias magìs tractari & enucleatiùs explicari poſcebat. Ob quod meritò ſcripſit *Vincentius Lirinenſis lib. adverſùs profanas omnium hæreſum Novationes: Quis umquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum, neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum ejus Cæleſtium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adſtrictum?* Et generatim antè præmiſit: *Quis umquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſia Catholica univerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreverit.*

§. III.

De Hæreſi Prædeſtinatorum ſeu Prædeſtinatianorum, Calviniſtarum &c.

POST *Pelagium* Scriptis potiſſimùm *Auguſtini* debellatum, ex ejuſdem ſcri- 19. *Explicatur Error Prædeſtinatorũ.*
ptis malè intellectis exortus eſt error quorumdam dicentium, quòd totum ſalutis negotium gratiæ & gratuitæ electioni, ac nullâ ratione libero ſit tribuendum arbitrio; tota item ratio perditionis aliquorum ſubtractioni gratiæ & reprobationi divinæ: ita ut nec electi ſalutem ſuam liberè operentur, nec reprobi ſuam perditionem, ſed quâdam neceſſitate fatali ad ſuum quiſque finem trahatur. Unde & *Prædeſtinati* ſunt appellati. Quorum erroribus detento poſtea *Lucido* quodam magni nominis Præsbytero, ad eum in fidem Catholicam revocandum *Fauſtus Regienſis* epiſtolam ſcripſit unà cum anathematiſmis; quam ut verè catholicam probavit *Concilium Arelatenſe*, in quo ipſe *Lucidus* reſipiſcens eidem ſubſcripſit. Ita refert *Baronius ad annum* 490. & *Epitome Spondani ad annum* 520. *Zephyrinus Binius*, *Smiſing* & Scriptores Catholici paſſim. Et hinc conſequenter hi *Prædeſtinatiani* dicebant Chriſtum non veniſſe ut omnes ſalvaret, nec paſſum eſſe pro omnibus, ſed pro iis ſolùm, qui ejus paſſionis ſalvantur myſterio; quodque Deus non velit omnes ſalvos fieri, ſed ſolùm electos. De quo fusè tractat *Dechamps lib.* 1. *diſput.* 7. *cap.* 6. & 7. Et *lib.* 2. *diſput.* 7. *cap.* 1.

Quòd autem *Fauſti* opuſcula de Gratia 20.
& libero

Occurritur quorumdam objectioni. & libero arbitrio, deque præſcientia & prædeſtinatione, veluti erroribus *Semipelagianorum* infecta, non ſint probanda, id non obſtat approbationi præfatæ Epiſtolæ. *Neque* enim (ut utar verbis *Joannis Malderi* Epiſcopi Antuerpienſis *in Antiſynodicis cap.* 1.) *noſtra hic refert, qualis aliquando fuerit iſte Fauſtus: nitimur non auctoritate ipſius, ſed Concilii Arelatenſis, quod magno conſenſu illam Fauſti Epiſtolam ſuam fecit. Non ergo auctorem, non alia ejus ſcripta &c. Sed Epiſtolam probo.* Injurioſum porrò nimis eſt Epiſcopis ſanctitate & doctrinâ celebribus, qui ei Concilio interfuerunt, dicere illud fuiſſe conventum *Semipelagianorum* vel Antiſtitum à *Semipelagiano* deceptorum. Ut proinde ipſe *Uſſerius Calviniſta* apud *Dechamps ſup.* ingenuè fateatur, non decere *in tot doctrinâ & pietate præſtantes viros ita injurioſos nos eſſe, ut unius verſipellis vulpeculæ (eo enim nomine, nec injuriâ Fauſtum notavit Baronius) auctoritate freti, reliquiarum Pelagianæ hæreſeos patronos eos fuiſſe credamus.* Nihilominus ut auctoritatem Commentario ſuo de Gratia & libero arbitrio *Fauſtus* conciliaret, eidem Epiſtolam ſuam ad *Lucidum*, & alteram *Lucidi* ad alium Epiſcoporum conventum Lugdunenſem ſcriptam affixit. Quin & Epiſtolæ nuncupatoriæ præfati operis ad Leontium verba ambigua inſeruit, quibus (ut ait Magiſter S. Palatii in cenſura, quæ jam eſt opuſculo præfixa) mendaciter innuere videtur illud à *Concilio Arelatenſi* & *Lugdunenſi* approbatum fuiſſe. Vide *Dechamps ſup. Baronium ad annum* 490. & alios. Solùm apparet differentia apud *Binium* in nominibus Epiſcoporum, qui ſubſcripſere *Concilii Arelatenſis* actis (quorum primus Cæſarius, deinde plerique qui leguntur *Concilio Arauſicano* ſubſcripſiſſe) & qui ſubſcripſere Epiſtolæ *Fauſti* ad *Lucidum*; quorum primus eſt Auxianus, ut pronum ſit ſuſpicari non eſſe unum & idem Concilium, quod veluti unicum confunditur. Quod hiſtoricis diſcutiendum relinquo.

Errores *Prædeſtinatorum* poſt tot ſæcula recenter ab inferis reſuſcitarunt *Calvinus* & alii ſectarii ſuperioris ſæculi. Contra quos in 1. Parte actum eſt, atque etiam pro occurrentia quæſtionum adhuc agetur.

21. *De Bajo.* De Opinionibus *Michaelis Baii*, quas Sedes Apoſtolica ſæpiùs proſcripſit, ipſeque *Baius*, utì vir bonus & Catholicus, retractavit, non eſt quòd multa narremus: cùm ex Bullis Pontificum, quæ ſunt ad manum, & iis quæ ſparſim in Theologia traduntur ſatis pateat, quinam ſint articuli ſub ejus nomine damnati; quos longum foret ſigillatim recenſere.

22. *De Janſenio.* Demum noſtris diebus *Cornelius Janſenius* Epiſcopus Iprenſis vir alioqui præclarus varias reſuſcitavit propoſitiones *Baii* in ſuo Opere intitulato *Auguſtinus*; quod ob hoc, & quia ſcriptum citra ſpecialem aſſenſum S. Sedis, ab eâdem prohibitum fuit, ſcilicet ab *Urbano VIII.* Cui ſuccedens *Innocentius X.* Bulla, *Cum occaſione,* quinque ex eodem opere excerptas propoſitiones tamquam hæreticas declaravit & damnavit. Quarum prima eſt: *Aliqua præcepta Dei hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Secunda: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.* Tertia: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* Quinta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Quæ poſtrema damnata eſt tamquam hæretica intellecta hoc ſenſu, quòd Chriſtus pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum ſanguinem fuderit. Addit verò Pontifex ſe per hoc non intendere probare ceteras doctrinas in ſupradicto libro contentas. Cùm verò Nonnulli referrentur aſſerere, prædictas propoſitiones in eodem Opere non contineri (quod tamen in Bulla præfata apertè Pontifex aſſerit) aut certè non in ſenſu *Janſenii*, ſed *Calvini* ſimiliumve Sectariorum damnari, S. Sedes per aliam Bullam declaravit, eas non ſolùm contineri, ſed & damnari in ſenſu ab Auctore intento, quantùm ſcilicet ſenſum præ ſe ferunt verba in libro expreſſa, attento contextu & circumſtantiis. Et ſic tandem turbæ mirabiles & diuturnæ ceſſarunt in Belgio, omnibus verè Catholicis utrimque nudæ veritatis declarationem expetentibus, adeòque Apoſtolicis definitionibus ſeſe ſubmittentibus. Quod qui ex animo non feciſſent (quod abſit) neſcio, quomodo Catholici ſint. Deo autem gratias, qui dedit Eccleſiæ & ſemper dabit victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; cujus eſt ſponſa immaculata, non habens maculam neque rugam ullius Erroris, cui denique Chriſtus providet omni ætate de fidelibus miniſtris avitæ fidei conſervatoribus.

§. IV.

§. IV.

De Auctoritate S. Auguſtini.

23. *Auguſtini maxima auctoritas, quâ & Hæretici gloriantur.*

MAxima eſt,& ſemper fuit à temporibus *Auguſtini* ejuſdem in Eccleſia Dei auctoritas;ut evidenter liquet omnium Doctorum Catholicorum, immo etiam Hæreticorum ſcripta inſpicienti. Non enim eſt,quin *Auguſtinum* dogmati ſuo faventem cupiat.Et in hoc Hæretici potiſſimùm gloriantur, quòd habeant in *Auguſtini* ſcriptis,ubi caput ſuum reclinent. Nec mirum: cùm enim novitas omnis ſynceris fidelibus ſit ſuſpecta, ac in ſe infirma, callidè ſibi de vetuſtate tantique Doctoris auctoritate patrocinium aut ſtabilimentum quærit. Hinc W*iclef*, *Lutherus*, *Calvinus* & alii mirum quantopere glorientur *Auguſtino*, eumque ſuum eſſe jactitent; ac in intimos abſconditæ illius doctrinæ receſſus ex jugi ejuſdem evolutione penetraſſe ſe prædicent. Non modicâ ſanè tanti Doctoris injuriâ: è quo nimirum obſcuriorum fortè verborum hinc inde lacinias à contextu avulſas contra ſenſum ejuſdem alibi apertè expreſſum lectori proponunt.

Sed hi abuſivè.

Quod tamen eò tolerabilius videri poteſt, quòd hi ipſi atrociori ſcelere verbis etiam Prophetarum & Apoſtolorum ipſiuſque adeò Chriſti Domini in Scriptura expreſſis & ad ſuam perfidiam detortis abutantur: adeò ut nulla ſit hæreſis, quin in verbis Scripturæ malè intellectis latibulum quærat, ut rectè declarat *Vincentius Lirinenſis lib. adversùs hæreſes c.35.*

24. Quantæ porrò apud veteres Patres atque etiam Pontifices æſtimationis fuerit *B. Auguſtinus*, manifeſtum eſt ex miris, quibus ipſius ingenium, eloquentiam & doctrinam proſequuntur, elogiis: quæ hiſce temporibus ſæpè reimpreſſa in cunctorum quaſi manibus verſata ſunt. Ex his pauciſſima hîc dabo ſpecimina.

Varia Auguſtini Elogia à SS. Patribus ſcripta.

De *Auguſtino* itaque *Hieronymus Ep. ad eundem*, quæ eſt 25. inter *Auguſtini* Epiſtolas: *Macte virtute, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur, atque ſuſpiciunt; & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur.* Et *lib. de Scriptoribus Eccleſ.* ait: *Auguſtinus Epiſcopus volans per montium cacumina velut aquila &c. Paulinus Ep.31.* apud *Aug.* poſt varia in laudem ejus præclarè dicta ſubdit: *Os enim tuum fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni meritò dixerim. Voluſianus Ep.* quæ eſt 2. apud *Aug.* ait: *Utcumque abſque detrimento cultus divini in aliis Sacerdotibus toleratur inſcitia; at cùm ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt quidquid contigerit ignorari. Poſſidius in Ep. ad Macedon.* ſic ſcribit: *Auguſtinus Pater Patrum, Doctor Doctorum, par Angelis in fervore, par Prophetis in abſconditorum myſteriorum revelatione, par Apoſtolis in prædicatione, imago divinitatis, abyſſus ſapientiæ.* Alii eum vocant præcipuum Eccleſiæ Doctorem, alii comparant ipſum Soli, ceteros minoribus ſideribus: alii aliis eximiis præconiis, ipſum exornant, ſignanter *Proſper*, *Fulgentius*, *Gregorius*, *Beda &c.*

25. *Quantum auctoritatis Auguſtino acceſſerit ex Pontificibus ac Conciliis.*

Præterea doctrinæ Auguſtinianæ teſtimonium perhibent,magnumq; auctoritatis robur conciliant dicta & decreta Pontificum & Conciliorum.

Signanter Ex Epiſtola Cæleſtini Papæ.

Nam *Cæleſtinus Papa Ep. ad Epiſcopos Galliæ c.2.* de eo ſcribit: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra ſemper communione habuimus, nec umquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper Præceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi ſenſerunt &c.* Atque in eadem Epiſtola novem articulos per omnia doctrinæ *S. Auguſtini* conſonantes, atque ex hactenus per Apoſtolicæ Sedis Antiſtites definitis ſive probatis decerptos & contra Pelagianam hæreſim determinatos omnibus Apoſtolicâ auctoritate tamquam fidei regulam proponit. Deinde *Concilii Milevitani*, quod ſancta Sedes probavit, dux ingenium & lingua fuit *Auguſtinus*, qui & Canones fidei compilavit. Canones quoq; *Concilii Arauſicani II.* ſunt ex doctrina *S. Auguſtini* deſumpti.

Ex dictis Hormiſdæ.

Hormiſdas papa Ep.70. ad Poſſeſſorem Epiſcopū *de arbitrio libero & gratia Dei, quod Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, licèt in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum* (ſcilicet de *prædeſt. SS.* & *bono perſeverantiæ*) *poſſit cognoſci, tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.* Quorum nomine intelligit vel capitula contenta in Epiſtola præfata *S. Cæleſtini*, vel capitula excerpta ex *Auguſtino* & probata in *Concilio Arauſicano*; ſi tamen hoc ſit celebratum ſub *Leone I.* (ut multi volunt) & non potiùs ſub *Felice IV.* qui mediante *Ioanne I. Hormiſdæ* ſucceſſit. Quod poſtremum hodie eruditiores paſſim cenſent, & probat *Franciſcus Longus in Summa Conciliorum*, ubi de *Concilio Arauſicano II.*

Ioannis II.

Poſt *Hormiſdam Ioannes II. Ep.3. ad quoſdam Senatores* ait: *S. Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundùm præceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.*

V. Synodi.

His accedit illud *V. Synodi generalis Collat.3. Sequimur per omnia & Sanctos Patres..., Auguſtinum &c. Et ſuſcipimus omnia, quæ de recta fide & condemnatione Hæreticorum expoſuerunt.*

Et Gelaſii in Synodo Romana.

Denique *Gelaſius* Papa cum *Concilio Romano* approbavit Opuſcula *S. Auguſtini*; ut refertur *can. Sancta Romana d.15.*

Ex his autem fortaſsè inferat, omnia 26.

ſcripta

An hinc ſequatur omnia dicta S. Auguſtini ſaltem contra Pelagianos eſſe regulam fidei.

ſcripta *B. Auguſtini*, ſaltem de Gratia contra *Pelagianos* eſſe canonizata ab Eccleſia; à cujus proinde mente ne vel latum unguèm liceat Catholico deviare. Quod eatenus arrideret hæreticis recentioribus, quatenus hi Eccleſiam Romanam, Scholaſticos ipſumque *Concilium Tridentinum* inſimulant Pelagianiſmi, quaſi à veteris Eccleſiæ & ab *Auguſtini* ſemitis deviaverint.

Huic Illationi innixus *Cornelius Janſenius* olim Epiſcopus Iprenſis docuit varias aſſertiones à communi Catholicorum Theologorum doctrina exorbitantes, & à Sede Apoſtolica reprobatas, indubitanter exiſtimans fuiſſe traditas à *B. Auguſtino*, adeòque toties ab eadem Sede Apoſtolicâ doctrinam Auguſtinianam approbante probatas, & conſequenter non eſſe in ſenſu *Auguſtini* (quem ſe aſſecutum eſſe putabat) à poſterioribus Pontificibus reprobatas, neque reprobari potuiſſe.

27. *Oſtenditur quòd non.*

Verùm hæc Illatio nullatenus eſt admittenda; nec fuit à Catholicis Doctoribus contra *Calvinum* ſimilesq; Sectarios decertantibus admiſſa: quantumvis *B. Auguſtinus* nulla in parte eorumdem erroribus verè faveret; uti nec ſanè intellectus ſingularibus *Janſenii* doctrinis favet. Unde ab omnibus probatum fuit, quod ſcripſit *Bellarminus in Præfat. Librorum de Gratia & lib. arb. Etiamſi B. Auguſtinus Calvino faveret tamen neminē tam iniquum judicem eſſe oporteret, qui unum hominem quàmvis doctiſſimum omnium ſæculorum Patribus & Doctoribus totiq; Eccleſiæ, atque adeò orbis terræ conſenſui anteferret.* Et (ut plurimos alios omittam) *Guilielmus Eſtius* tantus *Auguſtini* Sectator 1. *Diſtinct.* 41. §. 14. poſt ſolutas *Auguſtini* auctoritates quæ ſuæ opinioni de gratia & prædeſtinatione Angelorum adverſari videbantur, ſubdit: *Quod ſi nihilominus adhuc contendat aliquis Auguſtini verba quæ objecta ſunt, huc inflecti non poſſe, putetq; eum revera eſſe alterius ſententiæ, tum reſpondebimus ea quæ de adjutorio primi hominis & Angelorum obſcuriùs, & ut videtur extra Scripturæ auctoritatem ab illo diſputata ſunt, ad hoc ut ex ea cōparatione gratia noſtra per Chriſtū reparationis magis emineret, non debere præjudicare doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipſumq; S. Thomā in hujuſmodi rebus exactiſſimum Doctorem expreſſior reperitur &c.*

Idemque apparet fuiſſe ſenſus ipſius *Auguſtini lib. De bono perſev. c.* 21. ibi ait: *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem.* Quod quidē opus Retractationum non perduxit ad finem: cùm neque Epiſtolas neque homilias recenſuerit. Idem *Ep.* 19. *ad Hieronimum* ſolis Scripturarum libris canonicis hunc honorē deferendum eſſe tradit, ut in nullo Auctores earum erraverint. Similia in aliis paſſim operibus inculcat. Ut proinde contra mentem ipſius appareat, quòd omnia ejus dicta quaſi verba Scripturæ accipiantur & gloſſentur. Magìs autem, quòd etiam ſingulæ probationes velut efficaces & irrefragabiles haberi debeant: quæ prærogativa ne quidem Conciliis generalibus aut epiſtolis decretalibus Pontificum tribuitur.

28. *Quid igitur verè ſtatuendum ſit de auctoritate B. Auguſtini.*

Quare dicendum eſt *B. Auguſtinum* præcellere quidem reliquos Patres & Doctores auctoritate, præcipuè in materia de Gratia; in qua ſpectante & animante Eccleſiâ tot annis contra *Pelagianos* pugnavit & vicit, variis etiam illius ſententiis in Canones fidei redactis: non cōſtare tamen, quòd in aliis ſit infallibilis auctoritatis, quàm in iis, quæ Eccleſia definiendo ſpécialiter fecit ſua. Neque enim ipſa excerpendo pauciora quædam capitula, cenſetur reliqua omnia probaſſe, ſed potiùs indeciſa & in ſuo proprio gradu reliquiſſe.

Explicatur mens Caleſtini Papæ.

Unde *Caleſtinus Papa Ep. cit. in fine* capitulorum ibi expreſſorū definitioni ſubjungit: *Profundiores verò difficilioreſq; partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Ad hæc ipſa quoque capitula, aut etiam expreſſa in *Concilio Arauſicano*, ſi fuerit celebratum tempore Leonis I. reſpicit *Hormiſdas Papa ſup.* rectè etiam ſe referens ad libros *Auguſtini* de prædeſt. SS. & bono perſev. veluti conformes iiſdem capitulis. Prout etiam hodie Pontifex in epiſtola ſpeciali facilè remitteret aliquos pro inſtructione in certa fidei materia ad Scripta *D. Thomæ, D. Bonaventuræ* aut alterius Scriptoris Orthodoxi eamdem materiam catholicè tractantis.

Item Hormiſda.

29. *Nec non Ioannis II.*

Quæ verò adferuntur ex Epiſtola *Ioannis II.* & obiter ab eo dicta ſunt, nihil amplius probāt, quàm dictum ſit. Ibi enim agit contra ſectatores *Neſtorii*, & adducit varia teſtimonia *B. Auguſtini*, ſed nullum ex ſcriptis contra *Pelagianos*. Vel igitur ſolùm vult Romanam Eccleſiam ſequi doctrinam *Auguſtini*, uti aliorū Patrum Orthodoxorum, juxta approbationem *V. Synodi* & *Gelaſii* Papæ. Vel ſi agat de doctrina *Auguſtini* contra *Pelagium* in materia de Gratia adeòque auctoritatem illius, quam ex ſtatutis Pontificum in iſta materia habet, adducat ad conciliandam ſeu arguendam auctoritatem ejuſdem etiam in aliis materiis; conſtat ſtatuta ſeu decreta Pontificum definitivè aliquid ſtatuentium non omnia omnino

omnino S.Doctoris ſcripta contra *Pelagianos* concernere.

At denique V Synodi ac Gelaſii. Denique dictum *V.Synodi*, uti & decretum *Gelaſii* Papæ pariformiter reſpicit alios Patres Orthodoxos. Ait enim *V.Synodus: Sequimur per omnia & Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum &c. & ſuſcipimus omnia &c. Gelaſius* verò cum *Concilio Romano* ait, poſtquam primas quatuor Synodos generales probaverat: *Sed & ſi qua ſunt Concilia à Sanctis Patribus hactenus inſtituta, poſt horum quatuor auctoritatem & cuſtodienda, & recipienda decernimus & mandamus. Item opuſcula B.Cypriani.* Deinde ſubdit opuſcula *Nazianzeni, Baſilii, Athanaſii, Chryſoſtomi, Theophili, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini &c.*

30. *Quid conferat Eccleſiaſtica approbatio Scriptorum SS.Patrum.* Accedit, quòd ſit præter morem Eccleſiæ tot & tam vaſta alicujus Patris aut Scriptoris volumina ſic probare, ut probatio afficiat ſingula contenta, ea faciens Canonem ſeu regulam fidei. Ad hoc enim deberent ſingula in particulari accuratè fuiſſe diſcuſſa, prout diſcutiuntur accuratè & minutatim ſingula, quæ in Conciliis proponuntur Eccleſiæ tamquam regula fidei: adeòque res iſta poſtularet ſolemne examen longiſſimi temporis. Unde generalis approbatio operum facit, partim quòd lectio eorum permittatur & commendetur fidelibus, partim quòd judicentur utilia ad doctrinam fidei & morum, & ob hoc laudentur, partim quòd inde accipiant quamdam auctoritatem, ideoque dicta hujuſmodi Patrum faciant probationem; partim denique quòd Auctor eorum commendetur tamquam catholicè ſentiens, nolens dogmatizare expreſsè & ſcienter aliquem errorem. Alioquin cùm Eccleſia probaverit ſcripta diverſiſſimorum Patrum, non ſemper invicem conſentientium, ſequeretur Eccleſiam ſimul aſſerere contradictoria, poſito ſcilicet quòd per hoc cenſeatur probare ſingula in iis ſcriptis contenta. Sequeretur etiam Eccleſiam cum *Auguſtino* dubitante (qui ſanè de nonnullis tunc nondum declaratis, nunc autem declaratis dubitavit) dubitare.

Seclusis itaque iis, quæ Eccleſia ſpecialiter determinavit ex Scriptis *B. Auguſtini*, cetera non habent auctoritatem infallibilem, etſi maximam poſt Scripta canonica. Quam in tãtùm exaggerat *Smiſing. Tr. 3. de Deo Uno d.6. num.* 384. ut niſi evidens ratio aut Eccleſiæ ſenſus obſtet, deciſio *Auguſtini* in materia contra *Pelagianos* diſputata, aliorum Doctorum auctoritati ſit præferenda, faciatque Theologicam certitudinem vel probabilitatem, prout certò, vel probabiliter conſtat de mente *Auguſtini*. Quo ſanè ampliùs nemo ad ſobrietatem ſapiens tribuere eidem poteſt. Unde ſi hinc conſtaret de mente *Auguſtini*, & inde appareret contraria mens Eccleſiæ ſive communiter aliorum Patrum, indubiè hæc eſſet præferenda. Similiter non eſt trahendum quod docet Eccleſia, ad menten *Auguſtini*; ſed potiùs mens *Auguſtini* flectenda eſt ad mentem Eccleſiæ. Immo gratìs admiſsâ infallibilitate dictorum *Auguſtini* in materia de Gratia, adhuc non rectè proceſſiſſet *Janſenius* in variis ab ipſo aſſertis; quæ longè clariùs repugnabant ſive *Tridentino*, ſive Pontificiæ damnationi articulorum *Baii*, quam ipſe vel ullus oſtendere poſſet illa eſſe verè ſenſa ipſius *Auguſtini*. Ut proinde ſic potiùs à poſteriori arguendum fuiſſet: Conſtat hanc vel illam aſſertionem eſſe ab Eccleſia reprobatam; ergo cenſendum eſt, illam non eſſe juxta genuinam mentem *S. Auguſtini*; cujus utique doctrinam contra *Pelagianos* Eccleſia per cenſuras ſuas non tanget. Quæ non eo fine adducta ſunt, ut Æſtimationi Sanctiſſimi *Auguſtini* (quem medullitùs veneror & amo) aut alicujus Scriptoris Orthodoxi vel minimùm detrahatur (Deus ſcit) ſed ut quoniam honor Sanctorum judicium diligit, in judicio & æquitate ſtatuatur quod ſtatuendum eſt. Et hîc Prolegomenorum de Gratia ſit finis. Ad ipſam proinde Tractatûs materiam properemus. 31. *Concluſio præſentis difficultatis.*

DISP. U

DISPUTATIO PRIMA.

De Gratia in Communi, ejuſq; Diviſionibus.

QUÆSTIO I.

Quid & Quotuplex ſit Gratia?

1. *Gratia ſignificat beneficium gratuitum,*

OMISSIS variis acceptionibus, Gratia juxta uſitatiorem Scripturæ phraſim, ac Sanctorum Patrum & Theologorum loquendi modum, ſignificat beneficiũ quod gratìs & ſine debito datur. Quam Gratiæ rationem urget Apoſtolus *ad Rom.* 11. *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.* Et alibi. Et *S. Auguſtinus* paſſim contra *Pelagianos.*

Latè loquendo etiã ipſum donum creationis;

Juxta hanc acceptionem poteſt etiam donum creationis & conſervationis largè dici gratia, ut notat *S. Auguſtinus Epiſt.* 95. Quo ſenſu VI. Synodus *Act.* 11. dixit Angelos eſſe immortales, *non naturâ, ſed gratiâ*; id eſt, non naturæ neceſſitate, quâ Deus, ſed per gratuitum creationis & conſervationis beneficium: potuiſſent enim non creari, aut etiam non conſervari.

Quæ tamẽ acceptio non eſt hujus loci.

Sed hæc gratia, quæ tota naturalis eſt, non eſt illa, de qua Patres cum *Pelagio* contendebant: neque is illam negabat, ſed cùm initio omnem divinæ gratiæ neceſſitatem excluderet, ſubdolè poſtmodum ſuam hæreſim retractans, gratiam ad obſervantiam mandatorum. & conſecutionem juſtitiæ neceſſariam aſſerebat, hoc nomine intelligens donum creationis, ſeu liberum arbitrium nobis gratuitò ſive abſque meritis collatum; ut frequenter declarat, & reprehendit *S. Auguſtinus*, ſignanter *Epiſt. cit.*

2. *In quo ſumitur pro dono gratuito naturæ divinitùs ſupperaddito*

Verùm non ita ſumitur Gratia in Propheticis, Evangelicis, Apoſtoliciſque litteris, ſed pro ea quâ vocamur, Juſtificamur, glorificamur, ut ait *Auguſtinus ſup.* quæ proinde debet eſſe donum gratuitum naturæ ſuperadditum, & ſpecialiter conceſſum ex ſupernaturali providentia Dei.

Non tam ad ſalutem aliorum, uti gratiæ gratis datæ,

Hæc tamen acceptio eſt adhuc limitanda: nam Gratia ſic etiam convenit gratiis gratìs datis, id eſt, donis quæ Deus quibuſdam diſtribuit principaliter in ſalutem aliorum; ut ſunt donum prophetiæ, donum linguarum, & alia enumerata ab Apoſtolo 1. *ad Cor.* 12. quæ tamen eatenus non ſunt gratia de qua hîc agitur. Quàmvis enim hujuſmodi gratiæ ſervire quoque interdum poſſint ſaluti eorum quibus conferuntur, & plerumque ſaluti eorum de facto deſerviant, qui nimirum donis iſtis ſanctè ac meritoriè utuntur, prout Apoſtoli aliique Sancti uſi ſunt: per ſe tamen ſeu principaliter reſpiciunt ſalutem aliorum ac ad illam divinitùs ordinantur; aut certè ex natura ſua non magìs reſpiciunt ſalutem propriam quàm alienam: ſecùs quàm gratia gratum faciens, de qua hîc.

Solùm eſt obſervandum, quòd nomine Gratiæ gratìs datæ Nonnulli, ſignanter *Seraphicus Doctor* paſſim, non tantùm intelligant gratias enumeratas ab Apoſtolo ſuprà, ſed dum verſantur in præſenti materia eos per gratiam gratìs datã intelligere gratiam actualem, quæ indubiè gratìs datur, & à nobis cenſetur membrum dividens gratiam gratum facientem: quo nomine iſti intelligunt gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, quæ indubiè propriiſſimè & formaliſſimè eſt gratum faciens. Quod notandum fuit ad vocum æquivocationem, ſeu inde natam oriri deceptionem, cavendam.

3. *Quàm ad ſalutem propriam.* *Et hæc dicitur gratum faciens.*

Gratia itaque, de qua hîc agitur, ſolùm complectitur beneficia, quæ ad ſalutem propriam cujuſque Deus largitur, & ſolent vocari gratia gratum faciens: quia videlicet vel formaliter faciunt hominem ſanctum, aut ſanctificationem integrant, ut gratia ſanctificans & reliqui habitus in juſtificatione infuſi; vel hominem ad hoc diſponunt, & quaſi efficienter perducunt, uti gratiæ actuales.

Quæ deſcribitur.

Gratia hoc modo ſumpta deſcribi poteſt, Donum quoddam divinum indebitum & naturæ rationali ſuperadditum, ad hoc ut bene & ſalutariter vivat ac perveniat ad finem ſupernaturalem. Dixi, *indebitum*, quod poteſt intelligi dupliciter. Primò enim indebitum cenſetur aliquid, quando non requiritur ad naturale complementum, nec etiam illud quis eſt meritus, atque ita gratia Angelorum & primi hominis erat quoque donum indebitum. Secundò & ſpecialiùs quando præterea quis eſt poſitivè demeritus, adeòque indignus beneficio conferendo. Et hoc modo gratia Chriſti, quæ confertur homini lapſo, eſt beneficium indebitum, adeòque potiori quâdam ratione gratia.

4. *Multiplex naturæ humanæ ſtatus declaratur.*

Ad hujus rei. totiuſque materiæ dilucidationem deſerviet notitia multiplicis Statûs, qui homini partim competit, partim competere potuiſſet. Primus eſt ſtatus naturæ nudæ ſeu puræ, in quo homo foret conditus abſque peccato quidem, ſed etiam abſq; gratia & donis ſupernaturalibus, cum ſolis potentiis & inſtrumentis neceſſariis. Et hic quidem Status de facto non extitit; etſi indubiè fuerit poſſibilis juxta Theologos unanimiter contra *Michaelem Baium*, cujus ſententiam propſcripſit Sedes Apoſtolica. Fuiſſetque in hoc ſtatu lucta inter carnem & ſpiritum, qualis eſt modò. Congruentiſ-

ſimè tamen Deus ſi non creaſſet nos ad beatitudinem ſupernaturalem, inſtruxiſſet naturam noſtram donis & perfectionibus congruis in ſuo ordine, ſublato fomite cum recta ſubordinatione partis inferioris ad rationem, & rationis ad Deum tamquam finem naturalem. Qui ſtatus vocatur à pluribus Doctoribus ſtatus naturæ integræ: ab aliis ſimpliciter ſtatus puræ naturæ.

Secundus eſt Status innocentiæ, ſeu naturæ inſtitutæ, in quo homo fuit primùm à Deo conditus in gratia ſanctificante & juſtitia originali in ordine ad finem ſupernaturalem. Qui ſtatus ab aliis quoque dicitur naturæ integræ conformiter ad phraſim *Arauſicani can.* 19. dicentis naturam humanam eſſe conditam in integritate.

Tertius eſt ſtatus naturæ lapſæ, qui eſt humani generis, poſtquam in Adamo excidit ab innocentia, & ſpoliatum fuit omnibus gratuitis donis, & præterea infectum fuit peccato originali.

Quartus eſt naturæ per Chriſtum reparatæ, qui competit homini, quando per gratiam Chriſti à peccatis purgatus reſtituitur in ſtatum gratiæ & ſanctitatis. Et huic ſtatui, uti & præcedenti propria eſt gratia Chriſti, quâ peccator vocatur, & juſtificatur, ſicque diſponitur ad quintum ſtatum, qui eſt naturæ glorificatæ; quem in altera vita expectamus.

5. *Gratia alia habitualis,* Gratia gratum faciens dividitur in habitualem & actualem. Gratia habitualis generatim loquendo complectitur tam gratiam formaliter ſanctificantem (quæ juxta nos eſt Charitas infuſa) quàm reliquas virtutes Theologicas, & ſi qui ſint alii habitus, qui juſtificationem integrent, ut juxta *Quid hæc complectatur.* Pleroſque extra Scholam *Scoti* ſunt virtutes morales infuſæ, & præterea juxta Plures Dona Spiritûs ſancti. Strictè autem loquendo gratia habitualis ordinariè ſumitur pro forma ſanctificante, vocaturque ab *Auguſtino* gratia remiſſionis peccatorum. Quæ quidem ſine dubio eſt veriſſima gratia, & gratuitò homini confertur. *Pelagius* quidem peccatorum remiſſionem etiam aſſerebat neceſſariam, quia mala in præterito jam facta infecta facere non valemus, ut refert *Auguſt. Epiſt.* 94. ipſam tamen putabat procedere ex meritis & viribus arbitrii; adeòque veram gratiam remiſſionis peccatorum tollebat. Ipſum quoque augmentum gratiæ ſanctificantis, quod per bona opera de condigno meremur, pertinet ad rationem gratiæ gratum facientis: quia gratis nobis donatum eſt, ut eſſemus ad merendum idonei; & ſic radicaliter eſt ſupra debitum naturæ & perſonæ cui confertur: ſicut idcirco Apoſtolus ipſam vitam æternam appellat quoque gratiam, quia ſcilicet principium merendi ex gratia nobis confertur. Verùm de gratia habituali agetur ex profeſſo *diſp.* 4.

Gratia actualis eſt auxilium tranſiens, quo homo prævenitur ſive adjuvatur ad bene operandum & ad reſiſtendum tentationibus. Conſiſtit in quibuſdam animi motibus divinitùs immiſſis ex ſpeciali intentione divinæ providentiæ ſupernaturalis. Ad eam ſpectat tum pia cogitatio intellectûs, tum pius aliquis motus indeliberatus voluntatis, puta timoris, ſpei, delectationis &c. Unde Concilia & Patres conſtituunt hæc auxilia in vocatione, inſpiratione, illuminatione, cogitatu, viſo, immutatione affectûs, corroboratione, timore, delectatione, quibus voluntas ad bonum allicitur. Quemadmodum per varios motus concupiſcentiæ voluntas allicitur & excitatur ad malum. Unde non ſolùm actus judicii, ſed etiam vivida ſæpè apprehenſio, uti ad bonum non parum conducit, ſic etiam inter dona gratiæ eſt computanda, ſive ipſa ad motum voluntatis ſufficiat abſque judicio, ſive non. Prædictæ autem gratiæ actuales vocantur internæ, de quibus & potiſſimùm de gratia voluntatis, præcipua fuit *Auguſtino* & Patribus cum *Pelagio* controverſia, quamque Concilia contra eumdem ſtatuerunt eſſe neceſſariam. Hanc autem gratiam ſeu motionem voluntatis *S. Auguſtinus* diverſis in locis diverſimodè appellat. Aliquando enim vocat Spiritum charitatis, inſpirationem charitatis, vel dilectionis, vel amoris divini, aliquando bonam concupiſcentiam, cupiditatem boni, aliquando condelectationem, ſuavitatem, jucunditatem, voluptatem, denique frequenter illam vocat delectationem juſtitiæ.

6. *Alia actualis.* *In quo hæc conſiſtat.*

Præterea eſt quædam gratia, quæ ſolet vocari externa, ad quam revocantur Sacramenta, Incarnatio, Evangelii externa prædicatio, objecta circa quæ verſantur pii motus interiores animi, ipſaque providentia Dei vel decretum, unde emanant auxilia quæ nobis conferuntur. Quorum varia licèt in ſe permanentia, quia tamen quaſi tranſitoriè homini conferuntur mediante gratiâ actuali, poſſunt reduci ad gratiam per modum actûs. Ad gratiam externam etiam ſpectat illa quæ dici ſolet externæ protectionis, & diſtinguitur contra gratiam internæ inſpirationis: eſtque remotio extrinſeca impedimentorum ad bene operandum, & occaſionum ad malè operandum. Utriuſque meminit *Auguſtin. l.* 50. *Homiliarum Homil.* 23. dicens: *Adulter non fuiſti.... Hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit, ut ſuaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus defuit, & ut deeſſet ego feci.* Deinde de auxilio internæ inſpirationis mox ſubdit: *Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non*

7. *Ad hanc etiam ſpectant gratia externa.*

ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admiſiſti.

QUÆSTIO II.

De Gratia operante & cooperante: item de præveniente, concomitante & ſubſequente.

8. *Gratia actualis dividitur in operantem & cooperantem.*

GRATIA actualis primò dividitur in operantem & cooperantem. Diviſio deſumpta eſt ex *Auguſtino* (etſi expresſè non meminerit terminorum gratiæ operantis & cooperantis) qui *lib. de Gratia & libero arbit. c.17* ait: *Cooperando in nobis perficit quod operando incipit. Quoniam ipſe ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et rurſum: *Ut ergo velimus ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Porrò membra hujus diviſionis variè à Variis explicantur. Sed meliùs & conformiter ad mentem *S. Auguſtini* per gratiam operantem intelligitur illa, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, id eſt, ſine noſtro conſenſu libero, ſeu ſine nobis moraliter cooperantibus: ut ſunt ſanctæ cogitationes, & neceſſarii motus voluntatis, quos Deus nobis inſpirat: nam (ut ait *Auguſt. l.1. ad Simplicianum qu.2. paulò ante finem*) *cùm nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu noſtro, & induſtriâ*; quia ſcilicet ſine libertate noſtra. Quâ phraſi etiam utitur Apoſtolus *ad Rom. 7.* ubi agens de motibus non liberis ait: *Jam non ego operor illud*, ſcilicet liberè, *ſed quod habitat in me peccatum*, ſeu fomes concupiſcentiæ. Sic denique verificari poteſt, quod ex *Auguſtino* tradit *Concilium Arauſicanum Can.20. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo*, ſcilicet liberè. Quamvis & alio ſenſu id verum ſit, quia ſcilicet à Deo fiunt in homine dona infuſa ſine coefficientia hominis. Quædam etiam in eo fiunt, quæ ipſe non facit, ſcilicet meritoriè.

9. *Dividitur quoque in prævenientem, concomitantem & ſubſequentem.*

Aliter dividitur Gratia actualis in prævenientem ſeu excitantem, concomitantem & ſubſequentem. Gratia præveniens eſt, quæ liberum voluntatis conſenſum antevertit, & ad illum excitat. Coincidit re ipsâ cum gratia operante, prout hanc nos explicavimus. Gratia concomitans eſt eadem cum cooperante, quæ ſcilicet conſenſum liberum voluntatis concomitatur eiq; cooperatur. Unde etiam vocari poteſt gratia adjuvans. Gratia ſubſequens dupliciter explicari poteſt. Primò, ut ſit illa quæ ſubſequitur juſtificationem, ut juſtum in juſtitia confirmet; etſi eadem ſimul præveniens ſit reſpectu actûs boni ad quem excitat, vel concomitans reſpectu actûs ad quem adjuvat. Sic *Aug. lib. De natura & Gratia c.31.* ait: *Prævenit ut ſanemur, & ſubſequetur ut etiam ſanati vegetemur &c.* Et *Fulgentius l.1. ad Monimum c.11. Prævenit impium, ut fiat juſtus; ſubſequitur juſtum ne fiat impius &c.* Secundò ut illa dicatur gratia ſubſequens, quæ ſubſequitur liberum voluntatis conſenſum, eumque fovet & confirmat. Unde ſupponit ipſa gratiam prævenientem & concomitantem, licèt ipſa quoque poſſit eſſe præveniens aut concomitans reſpectu alterius actûs. Conformiter ad hunc ſenſum de gratia ſubſequenti loquitur *Auguſt. Enchirid. c.32. Legitur in ſacris eloquiis, & miſericordia ejus præveniet me, & miſericordia ejus ſubſequetur me. Nolentem prævenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit*; quatenus videlicet voluntatem in bono propoſito confirmat, & ad effectum perducit.

Petes, An gratia operans ſeu præveniens efficiatur à ſolo Deo animâ ſe habente merè paſſivè, an vero phyſicè coefficiatur ab ipſa anima? Reſp. coeffici phyſicè ab ipſa anima. Ita Doctores communiter contra *Vega*: nam cùm iſta gratia conſiſtat in vitali motu mentis noſtræ, neceſſariò debet mens ipſa ad illum concurrere. Atque eſto de abſoluta potentia non repugnaret, quòd Deus ſe ſolo illum infunderet; nulla tamē eſt neceſſitas eò confugiendi. Producit autem potentia motum gratiæ, non quidem ſe ſolâ cum concurſu generali cauſæ primæ; potentia enim naturalis cum concurſu generali proportionato ſpectat ad donum creationis & conſervationis; adeóque non ſufficit ad motum gratiæ, ſed ipſa ſimul cum concurſu ſpeciali Dei determinantis animam ad hos motus producendos. Ita *Tannerus* & plures alii. Notant tamen Nonnulli Recentiores poſſe frequenter ad producendos motus gratiæ concurrere habitus infuſos, dum ſcilicet ipſi motus ſunt in ſubſtantia ſupernaturales, & ipſa potentia eſt prædita prædictis habitibus. Equidem non omnes motus gratiæ prævenientis videntur eſſe ſupernaturales in ſubſtantia; præſertim qui excitant ad actus in ſubſtantia naturales: immo multi probabiliter teſte *Suarez l.3. de Auxiliis c.4. num.12.* exiſtimant omnes gratias prævenientes eſſe tantùm ſupernaturales in modo, juxta quos proinde non conducerent habitus infuſi ad illarum productionem. 10. *Gratia præveniens non efficitur à ſolo Deo.*

Petes II. In quo conſiſtat ratio auxilii adjuvantis? *Molina*, *Leſſius diſput. de Gratia efficaci c.15. n.3. Wiggers q.111. a.2. n.16.* & alii exiſtimant eamdem gratiam in entitate, quatenus voluntatis conſenſum prævenit dici prævenientem; quatenus autem eumdem quoque phyſicè efficit, dici adjuvantem, quæ ad voluntatis conſenſum concurrat inſtar impetûs cujuſdam ſpiritualis citò fluentis ſeu tranſeuntis. Sed rectiùs *Soto*, *Vega* & alii docent gratiam prævenientem adjuvare quidem volun- 11. *Illam varii cēſent eamdem in entitate cum gratia phyſicè adjuvante.*

Sed rectiùs diſtinguitur.

voluntatem ad conſenſum præſtandum moraliter velut ſuadendo, incitando&c. non tamen phyſicè: eò quòd ipſa ſecundùm omnes ſit ſolùm pius quidam motus animi: præſertim voluntatis, & quidem ordinatiè ſaltem ſimplex complacentia indeliberata, longè minoris perfectionis, quàm ſit actus ad quem excitat: ergo non habet vim phyſicè illum efficiendi, præſertim cùm generaliter unus actus voluntatis non efficiat phyſicè alterum. Nec obſtat *Trident. ſeſſ. 6. c. 5.* dicens hominem ad converſionem diſponi per excitantem & adjuvantem gratiam conſentiendo eidem gratiæ. Nam ſenſus eſt, conſentiendo utrique gratiæ, etſi excitanti aſſentiatur moraliter tamquam perſuadenti, adjuvanti autem aſſentiatur phyſicè tamquam coefficienti. Ut interim omittam gratiam excitantem rectè etiam vocari adjuvantem, quia juvat moraliter.

In quo tandem conſiſtat ratio auxilii adjuvantis.

Itaque ad opus bonum ſive ad conſenſum voluntatis gratiâ præventæ præter potentiam naturalem & concurſum cauſæ primæ eidem neceſſariæ (quæ duo per ſe non pertinent ad gratiam, ſed ad naturam) requiritur principium ſpeciale adjuvans. Et quidem ſi opus ipſum ſit tantùm ſupernaturale in modo, ſufficit concurſus ſpecialis Dei in modo ſimiliter ſupernaturalis. Si autem opus ipſum ſit ſupernaturale in ſubſtantia, requiritur concurſus ſpecialis Dei ſimiliter ſupernaturalis, quo Deus applicando omnipotentiam ſuam & ſupplendo defectum cauſæ creatæ coefficiat ipſum opus tamquam cauſa particularis; quando videlicet anima non eſt prædita principio intrinſeco actuum ſupernaturalium, ſcilicet habitibus infuſis. Quando enim hi ſupponuntur, non requiritur gratia phyſicè adjuvans diſtincta ab ipſis habitibus, & concurſu Dei habitibus proportionato: niſi actus fortè aliquando excederent vires, intenſionemque habituum: tunc enim quoque admittendam eſſe gratiam adjuvantem diſtinctam ab habitibus infuſis cenſet *Wiggers ſup. num.* 14. & ſaltem tunc utiliſſimam eſſe non eſt dubitandum.

12\. *Concurſus cauſæ primæ reſpondens potētiæ habitibus infuſis inſtructæ ſpectat ad ordinem gratiæ.*

Dubitant autem Nonnulli, an concurſus Dei tamquam cauſæ primæ, quatenus eſt debitus principio ſupernaturali, v. g. habitui infuſo, pertineat quoque ad ordinem gratiæ: Reſp. Aff. quia præſtatur à Deo tamquam gratiæ auctore. Quòd enim ſit connaturaliter debitus ipſi principio ſupernaturali ex gratia collato, non tollit ab ipſo rationem gratiæ, ſed dicitur à Theologis gratia pro gratia. Ita *Sotus, Vega, Suarez* & alii contra Nonnullos, quos tamen alii in concordiam revocare ſtudent.

QUÆSTIO III.

De Gratia efficaci & ſufficienti.

HANC Gratiæ diviſionem conſtanter omnes Doctores Catholici velut indubitatam probant. In qua diviſum eſt Gratia præveniens: etſi Quidam illud ſtatuant gratiam adjuvantem, qui ſcilicet hanc à præveniente non diſtinguunt. 13. *Gratia actualis dividitur in efficacem & ſufficiētem.*

Quid gratia efficax.

Gratia efficax eſt, quæ reipſa obtinet ſuum effectum, ſeu cui de facto quis aſſentitur ſive cooperatur.

Quid gratia ſufficiēs.

Alia proximè, alia eſt remotè ſufficiens.

Gratia ſufficiens ſive inefficax eſt, quæ quidem ſufficienter hominem excitat ad opus bonum internum ſive externum, ut illud exercere poſſit Deo adjuvante, quod tamen de facto non exercet. Tunc autem eſt proximè ſufficiens, quando ex parte gratiæ nulla virtus deeſt ad opus ipſum exercendum. At remotè ſufficiens eſt, quando non poteſt quidem homo ſine novis aut majoribus viribus opus facere, per illam tamen poteſt præſtare aliquid, quo comparet vires ulteriores ad opus neceſſarias. Pro quo

14\. *Nulla datur inſufficiens.*

Nota gratiam quamlibet non ſemper ſufficere ſe ſolâ ad opus ultimatè intentum ad quod præparat; ſufficere tamen ſemper ad aliquod opus aut affectum bonum, aut ſaltem deliberatam complacentiam eliciendam. Aliàs potiùs ad legem vel doctrinam, quàm ad propriè dictam gratiam eſſet rejicienda: nam *Spiritus ſanctus operatur intrinſecùs, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecùs*, ut ait *S. Aug.* 15. *de Civit. cap. 6.* Unde non datur gratia Chriſti, quæ ſit inſufficiens. Si autem voluntas oblatâ gratiâ rectè utatur, Deus illam juvabit ampliùs uſque ad opus ad quod ab initio gratia illam præparabat: non enim miſeretur Deus & primò deſerit. Si verò gratiam voluntas neglexerit, ſubinde quidem Deus ampliùs eam excitare pergit; ſubinde tamen quoque hominem juſto judicio derelinquit.

15\. *Solam gratiam efficacem ac neceſſitantem admittunt Hæretici.*

Hanc nihilominus Gratiæ diviſionem rejicit *Calvinus l. 2. Inſtit. cap. 3.* §. 10. aliique Hæretici recentiores exiſtimantes omnem veram gratiam Chriſti, ſeu medicinalem, & quæ propria eſt naturæ lapſæ, eſſe efficacem; ſic ut ſublatâ arbitrii creati indifferentiâ illud efficaciter & neceſſariò rapiat ad conſenſum: illam verò gratiam, quæ ſit in manu creati arbitrii, ut illam etiam poſtquam data fuerit, rejiciat aut ſequatur pro libitu, eſſe gratiam ſanitatis ſeu naturæ integræ. Quibus hac in parte adhæſit *Janſenius*, & Quidam illius ſequaces. Quapropter duo ſunt hîc oſtendenda. Primum, quòd dentur in ſtatu na-

turæ

turæ lapſæ adjutoria gratiæ ſufficientis, quæ de facto non obtineant effectum, ſed ab humano arbitrio reſpuuntur. Secundum, quòd gratia efficax relinquat indifferentiam creati arbitrii, quòd illam poſſit amplecti, vel reſpuere, ſi velit.

16. *Dari equidem gratiā ſolùm ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ eſt de fide ex definitione Eccleſiæ.*

Primum eſt clariſſimè de fide ex *Trident. ſeſſ. 6. c. 11. & 13.* ubi expreſſiſſimè docet omnes juſtos habere auxilia ad obſervantiam mandatorum Dei & ad perſeverandum in juſtitia: quæ cùm in multis non ſint efficacia, conſtat in iis tantùm eſſe ſufficientia. Eadem eſt doctrina *Concilii Arauſicani can. ult.* Denique *Innocentius X. in Bulla contra Janſenium* damnat tamquam hæreticum, quòd ulli juſto deſint vires gratiæ (utique ſufficientis: conſtat enim plurimis deeſſe gratiam efficacem) ad hoc, ut poſſit implere divina præcepta. Ibidem quoque damnat velut hæreticam hanc propoſitionem: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.*

17. *Idem apertè conſtat ex Scriptura.*

Idem probatur ex Scriptura *Proverb. 1. Vocavi & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret &c. Iſaia 5. Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas? Oſea 13. Perditio tua Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum. Act. 7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis &c. 2. ad Corinth. 8. Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et alibi ſæpè. Quæ exprobrationes ſeu exhortationes manifeſtè ſupponunt vocationem internam ſufficientem ad annuendum, irrigationem ſufficientem ad proferendas uvas operum ſalutis, auxilium ſufficiens ad non perditionem, & ad Spiritui ſancto non reſiſtendum, fieri poſſe ut vera gratia à Chriſto danda in vacuum recipiatur: adeòque ſtare penes hominem, quòd renuat, quòd labruſcas proferat, quòd animam ſuam perdat, quòd gratiæ reſiſtat, eamque faciat in vacuum recipi, id eſt, infructuosè & ſine effectu.

Confirmatur I. Quia ſi Judæis à S. Stephano increpatis non inſpirabantur à Spiritu ſancto inſpirationes bonæ ac deſideria; quî ergo reſiſtebant Spiritui ſancto? Si verò inſpirabantur & reſiſtere non poterant, cur adeò increpantur? Datur ergo gratia Spiritûs ſancti cui reſiſtatur. Nec dicas cum *Calvino* & aſſeclis ejus illos non habuiſſe gratiam internam, ſed eatenus reſtitiſſe Spiritui ſancto, quatenus ejus doctrinæ foris inſonanti & in Scripturis loquenti reſtiterunt: nam ex hoc ſolo, niſi cor tangatur, Spiritus ſanctus in audiente nihil operatur; ubi autem nihil operatur, ei nec reſiſtitur nec obeditur. Deinde loquitur de reſiſtentia ex duritie cordis oriundâ; hæc autem durities circa ea primariè verſatur, quibus ipſum cor movetur & afficitur; cujuſmodi ſunt internæ vocationes Spiritûs ſancti.

Confirmatur II. Quia ſi gratia, de qua Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 8. loquitur, ſit talis, ut neceſſariò ſit operans & cum effectu, fruſtrà hortaretur, ne recipiatur in vacuum. Quòd ſi verò gratia, de qua loquitur, foret talis, ut ob defectum motionis cæleſtis determinantis recipi non poſſet à voluntate ad præbendum aſſenſum, adhuc vanè hortaretur, ne talis recipiatur à nobis in vacuum.

18. *Idem quoque patet ex S. Auguſtino.*

Probatur præterea ex Patribus. *Auguſtinus lib. 83. qq. quæſt. 68.* inter alia, ait: *Qui vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit*; ſufficienter igitur vocatus erat, ut propterea imputetur in culpam, quòd non venerit. Et *lib. 2. De peccat. merit. cap. 17. Cùm voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* Reſpuunt igitur internam gratiam ſufficientem ad non peccandum. Et *l. 3. De libero arbitr. cap. 19.* ſtatuit peccatum adulti in hoc, quòd gratiam Dei repudiet: *Cùm (inquit) ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras; ſed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis; ſed quòd volentem ſanare contemnis: iſta tua propria peccata ſunt.* Eadem habet *lib. de nat. & gratia c. 67.* Loquitur autem de gratia interna, quâ ſcilicet credimus, ſperamus, diligimus, conamur, deprecamur, ut patet. Neque etiam ſatisfaceret querelæ murmurantium, ſi de ſolo externo adjutorio loqueretur, & non etiam de interno, utique neceſſario ad ſuperandam difficultatem peccandi; de qua ibi eſt ſermo.

Inſuper *Auguſtin. Serm. 17. de Verb. Apoſtol. cap. 4.* ait: *Decertant in te duæ delectationes*, gratiæ videlicet & concupiſcentiæ; non ſemper autem vincit gratia, non ſemper etiam concupiſcentia: datur ergo gratia interdum non victrix, adeòque tantùm ſufficiens. Porrò gratiam non ſemper vincere patet ex *Auguſtino lib. 1. De peccat. merit. c. 39. Habet peccator concupiſcentiam cum qua pugnet, eamq; adjuvante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe nolue-*

noluerit; ſuperandus è contrà, ſi gratiam in vacuum recipiat, ſi reprobus eſſe voluerit, quando ſcilicet *cor eorum* (loquitur de impiis *Auguſt. init. præfat. in Pſalm.* 124.) *congelaſcit adverſùs Deum, & fit durum adverſùs imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat.* Qui proinde *erit teſtis in judicio Dei & dicet: Ego dulcia ſuper omnia veni. Tu ergo quid proferas vide, & quid tibi paretur attendas: profers frumentum, horreum ſpera: profers ſpinas, ignem ſpera*, ait idem *Aug. in Pſalm.* 63.

19. *Et aliis Patribus.*

His conſonat *Proſper lib.* 1. *de Vocat. Gent. c.* 9. dicens: *Magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellit aut negligit. Hieronymus in Pſalm.* 140. *O infeliciſſimum humanum genus! qui peccata excuſamus dicentes: Victus ſum à natura; cùm in poteſtate noſtra ſit, & peccare, & Domino adjuvante non peccare. Cyrillus lib.* 1. *in Joann. cap.* 11. in illud: *Mundus eum non cognovit* ait: *Non verbum Dei & aeternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet. Illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura &c.*

Ac Doctoribus Catholicis,

Patribus conſonant Doctores Scholaſtici, non ſolùm quotquot contra Hæreticos recentiores ſcripſerunt, qui uno ore hanc Doctrinam velut indubitatam tradunt: ſed etiam antiquiores, ſignanter *Scotus* 1. *diſtinct.* 46. *q. un. num.* 3. ubi explicans voluntatem Dei generalem ſalvandi omnes, expreſſiſſimè adſtruit *adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem*; quæ tamen in pleriſque, ſcilicet non ſalvandis, effectu carent. Et *D. Bonaventura.* 2. *diſt.* 28. *in Expoſ. textûs dub.* 3. & *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. & *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* & *ad* 1. & alibi Similiter *D. Thomas, Richardus de Media-villa*, & ante omnes *Alexander Alenſis.*

20. *Et ratione Theologicâ.*

Accedit ratio Theologica, quam contra *Calvinum* adducit *Bellarminus lib.* 1. *De grat. & libero arbit. c.* 11. quia ſi nulla ſit gratia niſi efficax, nulla erit gratia, cui ulla ex parte umquam reſiſtatur; ac per hoc unuſquiſque nihil umquam minus aget, quàm id ſit ad quod eum divina gratia movet. At certè Sancti omnes ſeipſos negligentiæ & ignaviæ accuſare ſolent, ac ſe non cooperatos eſſe gratiæ, ut par erat, cum gemitu confitentur. Quod proinde de ſe ipſo confitetur etiam *Auguſtinus* 6. *Confeſſ. cap.* 11. & *lib.* 8. *c.* 5. Ideoque Seraphicus ille Patriarcha *Franciſcus Tom.* 3. *Opuſc. Apophthegmate* 19. confitetur, quòd *ſi Deus maximo peccatori illam gratiam feciſſet quàm ſibi, is multò meliùs eâ uſus fuiſſet, ſanctiorq; evaſiſſet.* Unde præclarè *B. Laur. Juſtinianus lib. De ſpirit. animæ Reſurrect. in princip.* ait: *Quamvis ad inſinuandum, hominem poſſe Deo reſiſtere, multis divinorum eloquiorum valeat Auctoritatibus comprobari; id tamen unuſquiſque ſufficienter experitur in ſe. Quis, oro tantâ ſanctitate eſt præditus, ut ſæpiſſimè aſpirationi non renitatur internæ, aut torpore victus, aut propriâ affectione ſeductus? O quantis clamoribus introrſus, quantiſve exhortationibus ſacris excitatur peccator, antequam de morte ſeu ſomno delictorum evigilet!*

Inſpirationes divinas ſæpè negligi communis eſt gemitus ſanctorum.

Confirmatur quoque eâ ratione, quâ infrà probatur poſſibilitas mandatorum Dei: ad quæ implenda cùm deſit plurimis gratia efficax, conſtat non deeſſe gratiam ad id tantùm ſufficientem.

21. *Evaſio Adverſariorum præcluditur.*

Frigida porrò, torta, immo illuſoria eſt evaſio Adverſariorum dicentium veram Chriſti gratiam ſemper eſſe victricem, quatenus ſemper obtinet effectum ad quem deſtinatur, adeòque ſi non conſenſum perfectum; ſaltem imperfectum, quem etiam neceſſariò efficit. Quæ inſuper refutatur; tum quia experientia docet interdum gratias actuales, pios ſcilicet & indeliberatos animi motus, ſine alio ſubſequenti conſenſu evaneſcere: tum quia alioquin non rectè diceretur hominem reſiſtere gratiæ, ab ea diſſentire, vel in vacuum illam recipere: non enim reſiſtit, qui cedit quouſque impellitur; non diſſentit, qui conſenſum exhibet, etſi imperfectum, ſi is ſolùm exigebatur; non recipit in vacuum, qui per gratiam efficit, quod Deus intendebat. Tum quia delectatio concupiſcentiæ (quam in malo comparant Adverſarii cæleſti delectationi gratiæ) non ſemper elicit conſenſum, ne quidem imperfectum, quando ſcilicet vincit delectatio gratiæ, juxta *Trid. ſeſſ.* 5. *can.* 5. & ipſum *Auguſtinum l.* 6. *contra Jul. c.* 23. Alioquin ſanè juſtus in omni bono opere, etiam in quo vincit gratia rebellem concupiſcentiam, ſaltem venialiter peccaret; quod juxta *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 11. repugnat Orthodoxæ fidei. Itaque pariter dum vincit concupiſcentia, delectatio adjuncta gratiæ, quæ vincitur, non neceſſariò elicit conſenſum imperfectum. Tum denique quia conſtat gratiam divinitùs deſtinari ut ſufficiat ad vitationem peccati ſeu impletionem legis, ad juſtitiam, ad perſeverantiam & ſalutem, & tamen effectum non poni.

22. *Peſſimè gratia ſufficiens dicitur monſtrum gratiæ.*

Immeritò autem à Nonnullis gratia merè ſufficiens appellata fuit monſtrum potiùs gratiæ quàm medicina; utpote quâ abſente homo non peccaret; quâ præſente infallibiliter peccat. Nam pariter gratia data primis parentibus & angelis peccantibus dicenda fuiſſet monſtrum gratiæ ob ſimilem rationem. Vera itaque & medicinalis eſt hujuſmodi gratia quantùm eſt de ſe, eique ſimilis in

aliis

aliis habet adjunctam curationem: ut proinde dici potiùs debuiſſet monſtrum peſſimæ voluntatis, cujus defectu oritur non curatio; eoque ſuppoſito conſequens infallibilitas peccandi.

23. *Epitheta quædam ſpecialia tribuens Auguſtinus gratiæ loquitur de congrua ſeu efficaci.*

Dum verò *Auguſtinus* interdum ſignificat gratiam infallibiliter habere ſuum effectum ut *lib. de Prædeſtinat. Sanctorum c. 8.* dicens: *Abſit, ut quiſquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit.* & alibi de eadem dicit: *Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur &c. Infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent &c.* Tunc (inquam) loquitur *S. Doctor* de ſola gratia efficaci ſeu congruâ. Quam à ſufficienti ſeu non congruâ diſtinguens *lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2.* dicit: *Illi electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quàmvis vocati.* Et Paulò pòſt: *Etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodò eis vocari aptum eſt ut ſequantur.* Seu (ut paulò pòſt ſubdit) *quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Ubì manifeſtè loquitur etiam de interna vocatione, & quidem diſcernente inter electos & non electos, ut patet ex contextu, & *l. 2. Retract. c. 1.* Adde in oppoſitis locis *Auguſtini* nequidem contineri omnem gratiam quam Adverſarii fatentur efficacem: non enim illa continetur, quæ imperfectum dumtaxat conſenſum exprimit; cùm hæc non faciat, ut homo bonum invictiſſimè velit, & deſerere invictiſſimè nolit, neque cordis duritiam auferat, neque ad Chriſtum perducat.

24. *Gratia Chriſti etiam efficax non tollit indifferentiam creati arbitrii juxta fidem Catholicâ.*

Secundum, quòd ſcilicet gratia Chriſti efficax relinquat indifferentiam creati arbitrii, eſt ſimiliter fide certiſſimum, ex definitione *Tridentini* & *Innocentii X.* eſtque fusè oſtenſum, dum *Tractat. 2. diſput. 2. quæſt. 1.* ex profeſſo oſtendimus dari & requiri in homine lapſo libertatem indifferentiæ ad bene & malè agendum. Quibus hîc adde illud *Auguſtini lib. De ſpiritu & litt. c. 34. Attendat & videat, non ideò tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus: ſive extrinſecùs per evangelicas exhortationes .... ſive intrinſecùs, ubì nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergò modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat (neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat) profectò & ipſum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Adde & illud *Hieronymi in c. 49. Iſaiæ* dicentis: *Dei vocare eſt, & noſtrum credere: nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibilis* (id eſt impotens) *Deus eſt, ſed potentiam ſuam,* ſeu gratiam, *noſtro arbitrio derelinquit, ut juſtè voluntas præmium conſequatur.*

Juxta hanc verò Catholicam doctrinam ſatis ſalvantur ea, quæ juxta phraſim Scripturæ vel *Auguſtini* attribuuntur dono gratiæ Chriſti. Nam in primis non homo ſeipſum, ſed Deus ſeu Dei gratia illum diſcernit, quatenus illis quos ab æterno diſcrevit, etiam præparavit gratiam congruam, quæ in tempore infallibiliter ſit operatura juſtitiam & ſalutem. Item quòd non valentis hominis, ſed miſerentis ſit Dei: quia non eſt in poteſtate hominis, quòd Deus illum ita congruè vocet, ſed eſt miſericordiæ & voluntatis Dei, qui poteſt facere, ut homo, etſi non velit, fiat volens. Item quòd gratia efficax det ipſum velle & operari, idque infallibiliter & indeclinabiliter, ſic ut à nullo corde duro reſpuatur: quia nemo tam durus eſt, quin Deus ſciat & poſſit tali proportione & menſurâ gratiæ eum prævenire & juvare, ut infallibiliter emolliatur, & tamen liberè: idque de facto facit in electis. Quod quidem infinitæ potentiæ opus eſt, ut ſcilicet hominum liberæ voluntates poſſint ad bonum quod Deo placuerit, infallibiliter flecti, & tamen liberè: atque ita Deus omnipotentiam ſuam parcendo maximè & miſerando manifeſtat. Qua in re, quomodocumque ulteriùs libertas cum gratia concilietur (de quo ſunt diſſentientes Catholicorum Opiniones: quarum diſcuſſioni nolo me ſcriptis publicis immiſcere ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, quæ juſtè & rationabiliter decrevit, ne citra ſpecialem ejuſdem licentiam ulla de hac re ſcripta edantur) tandem recurrendum eſt cum *B. Auguſtino* ad illud Apoſtoli *ad Rom. 11. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* cur ſcilicet hunc vocet ut vocantem ſequatur, alterum non ita; cùm tamen & iſtum ſic vocare potuiſſet, ut infallibiliter vocantem ſequeretur, utpote habens omnipotentiſſimam voluntatem inclinandi voluntates hominum & Angelorum ad quod libet.

25. *Juxta quam ſalvantur ea quæ à Scriptura vel Auguſtino attribuuntur gratiæ.*

Quæ autem ex *B. Auguſtino* objici poſſent, & fusè ac ſæpè objiciuntur & inculcantur à *Janſenio*, longiorem poſtularent Tractatum, quàm brevitas à nobis intenta permittat. Eorum autem ſolutioni ex profeſſo incumbit *Stephanus Dechamps lib. 3. contra Janſenium diſput. 3.* per plurima

26. *Conſimilia habet Auguſtinus & alii de Angelis & homine integro, quæ de lapſo.*

plurima capita, oſtendens in primis ex ipſo *Auguſtino* 12. *de Civit. c.* 9. etiam in Angelis Deum à principio fuiſſe operatum bonam voluntatem ſeu caſtum amorem. Quod etiam de primo homine tradit 14. *de Civit. cap.* 11. & *lib. De corrept. & gratiâ cap.* 11. & expreſſiſſimè *l.* 8. *de Gen. ad litt. c.* 10. 11. & 12. ubi allegat ad hoc varias Scripturas, quæ tamen de homine lapſo loquuntur. Oſtendit præterea ex *Gelaſio* Papa homini integro neceſſariam fuiſſe orationem ad obtinendam perſeverantiam, & ex *Fulgentio l.* 2. *ad Traſimundum cap.* 2. perſeverantiam Angelorum fuiſſe ſpeciale Dei donum. Quod etiam ſignificat ipſe *Auguſt.* 12. *de Civit. cap.* 9. de Angelis dicens: *Iſtis malâ voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt.* Quod amplius adjutorium non poteſt explicari cum Adverſariis de aliquo pertinente ad ipſam beatitudinem: nam (ut rectè *Eſtius* 1. *d.* 41. §. 13.) ſic ſenſus redderetur ineptus, ſcilicet Angelis collatam eſſe beatitudinem, quâ ad beatitudinem pervenirent. Deinde diſputat ibi *Auguſtinus* de cauſa efficiente bonæ, melioris & perſeverantis voluntatis, quam cauſam concludit eſſe Deum: neque opponit caſum dæmonis beatitudini ſtantium, ſed perſeverantiæ, quâ ad beatitudinem pervenerunt, ut illorum caſus voluntati, horum perſeverantia Deo tribuatur.

27. *Diſcrimen inter hominem integrũ & lapſum.* Poſt hæc fusè oſtendit idem *Dechamps* diſcrimen inter gratiam hominis integri & hominis lapſi in hoc conſiſtere, quòd prior non indiguerit ſpeciali motione actuali voluntatis ad bene operandum & perſeverandum, præterquam ad primam volitionem bonam: ſecùs autem fit in homine lapſo. Quòd tamen etiam homo integer indiguerit actuali gratiâ ſeu illuminatione intellectûs, patet: nam certè *voluntatem non allicit, niſi aliquod viſum* (id eſt alicujus rei cognitio) *quòd autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in hominis poteſtate: ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt,* inquit *Auguſtinus lib.* 3. *De libero arbitr. c. ult.* Et (ut idem ait *lib. De ſpirit. & litt. c.* 34.) *Nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem.*

Ex quo idem Auctor colligit, cur ſpecialiter dicantur Angeli boni ſtetiſſe per liberum arbitrium, inſtructum videlicet donis gratuitis ſeu virtutibus ab initio infuſis (quod etiam ſic ſumptum naturalis poſſibilitas ab *Auguſtino* vocari ſolet) quia videlicet neceſſaria eis non fuit ſpecialis motio voluntatis, quâ debet vitiata natura potenter impelli, ut velit, ut operetur, ut perſeveret. Ob quod de hominibus lapſis ſpecialiter *Auguſt. lib. De corrept. & gratia cap.* 14. ait, quòd *Deus corda teneat, corda moveat.* Et *Serm.* 120. *de Diverſis c.* 15. juſtum alloquitur: *Manens in te Chriſtus arripit inſtrumentum tuum, linguam tuam velut gladium ſuum, utens corde tuo & voce tuâ tamquam poſſeſſor.* Et *Conc.* 1. *in Pſalm.* 34. Deum alloquitur: *Apprehendis animam meam, & debellas inimicos meos.* Et mox ſubdit: *Et quid eſt anima noſtra, quàmvis ſplendida* (cum jaculo ſeu frameâ illam comparat) *quàmvis producta, quàmvis acuta, quàmvis luce ſapientiæ & corruſcationis vibrata? Quid eſt ipſa anima noſtra, aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat, & pugnet de illa?* Hinc etiam *Proſper in Epiſt. ad Demetriadem* ſub finem ait: *Implet Spiritus ſanctus organum ſuum, & tamquam fila Chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum.* Quæ non ſuberant in natura integra vel angelis, quos Deus cum adjutorio habituali & cognitionis dimiſit libero ipſorum arbitrio; inſtar peritiſſimi pictoris, qui filii ſanam & vegetam manum non tenet nec movet in pingendo, uti alterius habentis manum infirmam & debilem. Quâ ratione etiam intelligitur quod *D. Bonaventura* & alii Scholaſtici dixerunt hominem integrum non indiguiſſe novâ gratiâ ad reſiſtendum cuivis tentationi, & conſequenter ad poſſe perſeverare. Quàmvis iis qui de facto perſeverarunt verè id fuerit ſpeciale donum, ſaltem quòd gratiâ congruâ intellectûs ſint præventi, & à caſu divinitùs protecti. 28. *Cur Angeli dicantur ſtetiſſe per liberum arbitrium.*

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

De Neceſſitate Gratiæ.

QUÆSTIO I.

An poſſit homo ſine Gratia cognoſcere aliquod verum?

1. *Poteſt homo lapſus multas veritates, etiam practicas artificiales viribus naturæ cognoſcere;*

DICO I. Poteſt homo lapſus viribus ſuis cum generali concurſu pertinente ad donum creationis cognoſcere multas veritates ſpeculativas naturales, & inter has Deum eſſe & unum eſſe, item multas veritates practicas artificiales aut ſpectantes ad naturæ neceſſitatem: non tamen omnes ſine ſpeciali gratia ſeu directione Dei. Eſt communis. Prima pars patet: quia lumen rationis non eſt extinctum per peccatum: adeòque ſufficit ad multas veritates naturales percipiendas, præſertim quæ ſenſu patent. Nec ullum eſt apparens fundamentum, ob quod requireretur donum gratiæ ſpecialis. Singulariter autem ex Scriptura *Sap.* 13. *Rom.* 1. & ex Patribus conſtat Deum ex creaturis naturaliter cognoſci; adeò ut *Tertullianus Apologetici cap.* 17. dicat *non poſſe Deum ignorari*; & *Damaſcenus l.* 1. *de Fide c.* 1. dicat: *Nemo eſt mortalium, cui non hoc, ab eo naturaliter inſitum ſit, ut Deum eſſe perſpectum habeat.* Rationes quibus exiſtentia unius Dei probari ſolet, allegantur in Prima Parte. Nec obſtat illud *Auguſtini lib.* 10. *Confeſſ. c.* 5. *Quod de me ſcio, te mihi lucente ſcio.* Nam loquitur de Deo lucente nobis per lumen rationis innatum, quod ab ipſo eſt. Dum autem *c.* 6. ait cælum & terram ſurdis loqui, niſi Deus altiùs miſereatur; intellige de ſurdis quantùm ad obaudiendum legi Dei, eumque amandum & glorificandum ſicut oportet.

2. *Non tamen omnes, ſine ſpeciali illuſtratione Dei.*

Secunda pars patet: quia veritates iſtæ ſunt innumeræ, & ex iſtis plurimæ valde difficiles, vita quoque brevis, lumen intellectûs poſt peccatum eſt etiam exiguum & valdè impeditum, adeò ut plurima naturæ arcana non poſſimus penetrare, ſed frequenter dubii hæreamus, vel cum formidine probabiliter opinemur: ergo neceſſaria eſt ſpecialis Dei illuſtratio ſeu directio ad verum cognoſcendum & errores præcavendos. Ipſaque experientia docet, quàm turpiter ingenioſiſſimi quique Philoſophi circa multas veritates naturales hallucinati fuerint. Eſtque credibile illos, qui in ſcientiis naturalibus excelluerunt, ſpeciali directione Dei adjutos fuiſſe. Unde *Eccle.* 1. dicitur: *Cunctæ res difficiles: non poteſt eas homo explicare ſermone. Et Sap.* 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.*

3. *Utrùm hæc dicenda ſit gratia Chriſti.*

An verò iſta ſpecialis directio Dei ſit dicenda gratia Chriſti, diſputatur. Et videtur quòd non: quia etſi ſit beneficium ſuperadditum dono creationis, non tamen pertinet aut dirigitur ad ſalutem, nec conceditur ex ſpeciali fine providentiæ ſupernaturalis. Si tamen in ordine ad talem finem ex Chriſti meritis daretur (utì aliquando fieri poteſt, immo juxta Varios ſemper fit) eſſet quoque ſpecialis gratia Chriſti.

4. *Poteſt quoque homo ſine auxilio gratiæ ſcire multas veritates practicas morales.*

DICO II. Poteſt homo lapſus ſine auxilio gratiæ cognoſcere generalia principia morum, & ex iis aliquas cognitiones practicas deducere, dictantes in particulari, quid hîc & nunc agendum ſit. Eſt communis. Patet: quia in tali cognitione frequenter nulla eſt difficultas, adeò ut potiùs difficile ſit mentem ab ejuſmodi cognitione avertere; v. g. quòd Deus ſit colendus, Parentes honorandi, extremè indigenti ſit ſuccurrendum &c. ex quibus facile eſt inferre dictamen particulare practicum. Confirmatur: quia poteſt quis viribus ſuis formare dictamen conſcientiæ de bonitate & malitia alicujus actionis; conſcientia autem verſatur circa particularia. Deinde ad omne peccatum ſupponitur notitia malitiæ actionis (quæ eſt veritas practica particularis) nec tamen ad omne peccatum præſupponitur auxilium gratiæ. Unde etiam Gentiles Idololatræ, & homines impiiſſimi habent verum teſtimonium ſuæ conſcientiæ de malitia ſuorum operum.

5. *Scriptura & Concilia aſſerentia nos nil poſſe ex nobis boni cogitare loquuntur de cogitatione conducente ad ſalutem,*

Dices: Scriptura generaliter aſſerit nos ſine gratia Dei nil boni poſſe cogitare, 2. *Corinth.* 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.* Et *Mileuitanum Cap.* 4. ait: *Donum Dei eſt, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Et *Arauſicanum Can.* 9. *Divini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia tenemus.* Reſp. Scripturam & Concilia loqui de cogitatione conducente ad beatitudinem obtinendum; ſeu (ut loquitur *Arauſicanum Can.* 7. ſe ipſum explicans) quæ *ad ſalutem pertinet vitæ æternæ.* Ita Apoſtolum explicat *Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap.* 2.

6.

DICO III. non poteſt homo lapſus ſine peculiari gratiæ illuſtratione omnia agibi-

agibilia etiam in particulari cognoſcere quin ſæpè erret. Eſt communis Doctorum. Patet ex ſcriptura *Eccle.*1. & *Sap.*9. ſuprà cit. Item ex multitudine errorum etiam in moralibus, in quos perſpicaciſſimi quoque Gentilium lapſi ſunt, ut teſtantur *Clemens Alexandrinus*, *Juſtinus*, *Lactantius*, *Auguſtinus* pluribus locis. Præterea idem confirmat vulnus ignorantiæ per peccatum incurſæ, quæ nos facit cæcutire in rebus propriis agendis, præſertim moralibus; in quibus non ſolùm eſt difficultas ex parte intellectûs, ſed etiam ex parte vitiati affectûs (qualis enim quiſque eſt talis ei finis videtur, ut ait *Philoſophus*) & ex parte variarum circumſtantiarum, ex quibus pendet bonitas vel malitia agendorum, præſertim in particulari. Denique idem docet experientia: quilibet enim, quantumvis prudens, in rebus agendis ſæpè fallitur, ſæpè hæſitat, plerumque tantùm probabiliter & cum formidine de oppoſito judicat. Immo gratia, quæ præſervet intellectum ab omni errore, eſt adeò extraordinaria, ut non ſoleat puris hominibus concedi.

Non omnia tamen agibilia in particulari citra errorem poteſt quis ſcire ſine gratia ſpeciali:

7\. *Simile auxilium fuiſſet neceſſarium in ſtatu puræ naturæ.*

Adverte, quòd etiam in Statu puræ naturæ neceſſarium fuiſſet ſpeciale auxilium illuſtrationis ſeu directionis Dei, ad hoc ut homo in cognitione rerum naturalium vel moralium ſuperaſſet ſeu præcaviſſet errores: quia impedimenta habuiſſet eadem vel ſimilia, uti modò. Illud tamen auxilium fuiſſet merè naturale, dandum ex ſpeciali providentia naturali Dei. Nunc autem ſufficit quidem auxilium ejuſdem rationis quantùm ad ſubſtantiam; quod tamen eſt ſupernaturale in modo, & vera gratia Chriſti, utpotè conceſſum ex meritis Chriſti & ſpeciali providentiâ ſupernaturali.

QVÆSTIO II.

An poſſit homo ſine auxilio Gratiæ cognoſcere myſteria ſupernaturalia Fidei?

8\. *Ad credendum ſicut oportet requiri gratiã externam etiam Pelagius conceſſit.*

NON eſt dubium, quin prærequiratur divina revelatio, nec non exterior myſteriorum propoſitio, ad hoc ut alicui innoteſcere poſſint myſteria fidei ſufficienter ad credendum: niſi per ſingulare privilegium mediante intellectuali ſeu interiori locutione Deus per ſe ipſum aliquem edoceat. Hæc porrò revelatio, ipſaque exterior prædicatio non eſt exiguum beneficium gratiæ, ſed externæ: qualem *Pelagius* non negavit, qui præter revelationem requirebat, ut myſteria convenienter proponantur, ſic ut credibile fiat Deum illa revelaſſe; ne alioquin inſipienter præbeatur aſſenſus.

9\. *Vltra quam requiri ſpecialem gratiam internam fides docet*

DICO I. Myſteriis fidei ſufficienter propoſitis non poteſt homo credere fide divinâ & infallibili, ſicut oportet ad conſequendam juſtificationem & ſalutem, ſine inſpiratione & adjutorio gratiæ ſpecialis Dei. Eſt de fide contra *Pelagium*.

Fundata in Scripturis,

Probatur I. ex Scriptura, *Joann.* 6. *Nemo poteſt venire ad me*, ſcilicet credendo, *niſi Pater*, *qui miſit me*, *traxerit eum*, ſcilicet donando, ut credat; ut indicant verba ſequentia: *Propterea dixi vobis*, *quia nemo poteſt venire ad me*, *niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Quæ Chriſtus expreſsè allegat, ut oſtendat non ſufficere externam Evangelii prædicationem, ſed requiri præterea, ut crediturus audiat interiùs per illuſtrationem gratiæ. Quare ſubdit: *Omnis qui audivit à Patre meo*, *& didicit*, *venit ad me.* Ideoque deficiente gratiâ non ſequitur auditus internus fidei; ut colligitur ex *Joann.* 12. ubi allegatâ Judæorum excæcatione ac induratione, de iiſdem dicitur: *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis*, *non credebant in eum.* Inſuper 1. *ad Corinth.* 12. dicitur: *Nemo poteſt dicere* (ſcilicet confitendo) *Dominus Jeſus*, *niſi in Spiritu ſancto.* Et 2. *ad Corinth.* 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis*, *quaſi ex nobis.* *Ad Epheſ.* 2. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem*; *& hoc non ex vobis*: *Dei enim donum eſt.* *Ad Philipp.* 1. *Vobis donatum eſt*, *non ſolùm ut in eum credatis &c.* Ipſum igitur credere eſt quoque divinitùs donatum.

10\. *Stabilita in Conciliis & Patribus.*

Probatur II. ex Conciliis, *Arauſicano* 2. *Can.* 5. 6. & 7. *Trident. ſeſſ.* 6. *can.* 3. ubi damnantur, qui viribus naturæ attribuunt, credere, ac Evangelicæ prædicationi conſentire, ſicut oportet ad juſtificationem ſeu ſalutem; ſed aſſeritur neceſſaria Spiritus ſancti inſpiratio & gratiæ adjutorium. Accedunt antiqui Patres, præſertim *Auguſtinus lib. De prædeſtin. Sanctorum*, ubi per totum ex profeſſo probat fidem eſſe Donum Dei, & *c.*3. retractat ſuum errorem, in quo aliquando ante Epiſcopatum fuerat, exiſtimans in *Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos* eſſe noſtrum quod credimus, & non gratiæ Dei. Quem errorem per plura capita refutat, oſtendens fidem tam quoad initium, quàm quoad incrementum eſſe Dei donum. Quod idem facit aliis locis. Præclarè *Iſidorus l.* 3. *ſentent. cap.* 10. ait: *Doctrina ſine adjuvante gratia*, *quamvis infundatur auribus ad cor numquam deſcendit*: *foris quidem perſtrepit*, *ſed interiùs nihil proficit.* *Tunc autem Dei ſermo infuſus auribus ad cordis ultima pervenit*, quando

quando Dei gratia mentem interiùs, ut intelligat, tangit.

11. *Et ratione Theologicâ.*

Probatur III. ratione Theologicâ: quia actus ſolius naturæ viribus elicitus non poteſt eſſe ad juſtificationem, & conſequenter ad beatitudinem (quarum utraque tota ſupernaturalis eſt) proportionata & conveniens diſpoſitio; qualis tamen eſt actus fidei divinæ. Deinde ad tantam fidei firmitatem ac infallibilitatem, quanta ei convenit, & divinam Auctoritatem decet, improportionata eſt intellectus noſtri imbecillitas, niſi foveatur altiori lumine, quo rebus revelatis inhæreat dignè Deo. Denique actus fidei divinæ eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, ut patebit ex dicendis *quæſt.* 4. ergo ad illum vires naturæ ſunt improportionatæ.

12. *Idemq; eſt de initio fidei, & pio credulitatis affectu.*

Dico II. Etiam initium fidei, ipſeque pius credulitatis affectus, non poteſt elici viribus naturæ ſine auxilio gratiæ. Eſt contra *Semipelagianos*, qui aliter *Maſſilienſes*, item *Reliquiæ Pelagianorum* vocantur. Hi initium ſalutis ponebant, non in gratia præveniente, ſed in viribus naturæ, quaſi hæc inciperet, ac deinde per gratiam Dei juvaretur. Ita communiter error eorum explicatur à Theologis, quàmvis aliter illum explicaverit *Janſenius Iprenſis*, cujus eſt hæc propoſitio: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Sed hanc propoſitionem tamquam falſam & hæreticam damnavit *Innocentius X.* Quare inſiſtendum eſt communi explicationi.

Probatur Concluſio ex *Arauſicano* 2. *Can.* 5. *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei ipſum credulitatis affectum, non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus ſancti, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur, Beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet &c.*

Explicatur Concilium Arauſicanum.

Ubi per augmentum fidei intelligit Concilium fidem perfectam ſeu in gradu quodam perfectionis, in quo etiam *Semipelagiani* eam adſcribebant gratiæ. Per initium fidei intelligit fidem initialem, quam Nonnulli dicunt eſſe ipſam vocationem ad fidem, vi cujus elicitur pius credulitatis affectus: alii verò illam confundunt cum ipſo affectu credulitatis. Rectiùs tamen dicitur per initium fidei intelligi ipſum primum & ſupernaturalem fidei actum, per affectum autem credulitatis intelligi, uti ſonat, affectum efficacem voluntatis. Quos duos actus inſtar unius ſcilicet imperantis & imperati junxit Concilium, definiens, quòd ſit *per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentis voluntatem noſtram* (En opus voluntatis) *ab infidelitate ad fidem.* En opus intellectûs. Fidem porrò ipſam ſtatuiſſe *Semipelagianos* in libero arbitrio eſt manifeſtius ex *Auguſtino lib. de Prædeſtin. Sanct.* contra illos ſcripto, quàm ut neceſſe ſit id operosè probare: cùm jugiter utatur *Auguſtinus* contra illos verbis Scripturæ, quibus adſtruitur, quòd fides ſit donum Dei, *Ad Philipp.* 1. *Ad Epheſ.* 2. (quod etiam facit *Arauſicanum can. cit.*) immo *lib. cit. cap.* 2. diſputationem ita incipit: *Priùs itaque fidem quâ Chriſtiani ſumus, donum Dei eſſe, debemus oſtendere &c. Sed nunc eis reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia ..... ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipſam fidem ſed incrementum ejus ex Deo, tamquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis.*

Idem *Arauſicanum can.* 6. definit: *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem divinitùs ut credamus, velimus vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti?* Et, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum.*

Colligitur etiam ex Scripturis allegatis in Canonibus citatis & aliis, in quibus exprimitur nos nihil ex nobis poſſe, quòd ad ſalutem conducat, ad quam tamen conducit plurimùm fidei initium, ipſeque efficax affectus credendi, utpote ſalutis initium, & complectens ſeu inferens ipſum fidei actum. Conſtat etiam ex *Auguſtino* qui *lib. De prædeſt. Sanctorum* totus eſt in oſtendendo, quòd initium ſalutis non ſit ex nobis, ſed ex gratia Dei.

Dices: Scriptura docet Deum expectare nos, ut miſereatur noſtri *Iſaiæ.* 30. 13.
dare gratiam petentibus, *Lucæ* 11. noſque illum clamando prævenire *Pſalm.* 118. Reſp. Scripturam ita loqui, ut ſignificet liberum arbitrium, ſed gratiâ præventum, debere concurrere in negotio ſalutis & ſe ad juſtitiam recipiendam præparare. Sic explicat *Trident. ſeſſ. 6. cap. 5.* dicens: *In ſacris litteris, cùm dicitur: Convertimini ad me & convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur: cùm reſpondemus, converte nos Domine ad te & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confitemur*; ideoque à præveniente gratiâ juſtificationis exordium in adultis eſſe ſumendum, ibidem docet. Eodem modo explicat Scripturas *S. Auguſtinus* variis locis, quibus etiam oſtendit ea quæ Scriptura uno loco requirit fieri ab homine, aliis locis attribui divinæ gratiæ. Uti enim uno loco dicitur, nos Deum prævenire,

Quare, & quo ſenſu Scriptura doceat nos Deum prævenire per liberum arbitrium.

nire, ſic *Pſal.* 58. dicitur: *Miſericordia ejus præveniet me.* Et ſicut *Pſal.* 80. dicitur: *Dilata os tuum, & implebo illud*; ita *Pſal.* 50. habetur: *Domine labia mea aperies*: & ſicut *Zacharia* 1. dicitur: *Convertimini ad me, & convertar ad vos*; ita *Pſ.* 84. habetur: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Itaque præventi divinâ gratiâ prævenimus Deum ad gratiam ulteriorem impetrandam, noſque diſponendum ad juſtitiam. Quod denique allegatur ex Apoſtolo *ad Rom.* 7. *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio*; non eſt ad propoſitum; ſenſus enim eſt: Velle non concupiſcere eſt mihi in promptu, ac in mea facultate ſecundùm mentem ſanatam per gratiam; perficiendi autem quod volo bonum facultatem in me non invenio, ut ſcilicet caream motibus concupiſcentiæ: *non enim* (ſubdit) *quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago*, ſcilicet involuntariè & per fomitem.

14. *Aſſenſus fidei humanæ præſtitus myſteriis fidei non ſuperat vires naturæ.*

Dico III. Poteſt tamen homo viribus naturæ aſſentiri veritatibus Fidei ſufficienter propoſitis fide humanâ ſeu opinativâ. Eſt communior Doctorum, & inſinuatur ab *Arauſicano* & *Tridentino*, quando tam ſignanter addunt, *ſicut oportet* ad ſalutem ſcilicet ſeu juſtificationem, dum negant poſſe hominem ſine gratia credere; inſinuando quòd poſſit credere aliquo modo inferiori. Ratio eſt: quia fidei veritates bene propoſitæ habent magnam credibilitatem: adeòque non eſt, cur intellectus per ſuas vires nequeat eis fide aliquâ imperfectâ aſſentiri; uti vi ſuâ credere poteſt iis, quæ homines fide digni atteſtantur. Sic Hæretici fide acquiſitâ credunt multis fidei myſteriis, idque ſine gratia: uti ſine illa credunt pariter ſuis erroribus. Confirmatur: quia ſi Hæretici vel *Mahumetani* aſſentiantur ſuis erroribus tamquam divinitùs traditis; cur non poſſet quis viribus ſuis imperfectè aſſentiri myſteriis veris, quæ tamquam longè credibiliora proponuntur? Ex quo patet conſequenter poſſe voluntatem viribus ſuis elicere affectum efficacem credendi ejuſmodi fide imperfectâ: in tali enim affectu non eſt major difficultas, quàm in ipſa fide.

QUÆSTIO III.

An poſſit homo ſine gratia velle & facere bonum morale?

15. *Poſſunt opera moraliter bona fieri ſine gratia ſanctificante.*

Dico I. Poteſt homo lapſus facere aliqua opera moraliter bona, tum ſine gratia ſanctificante, tum etiam ſine fide, immo & ſine ſpeciali auxilio gratiæ actualis.

Prima pars eſt contra *Joannem Hus*, qui docuit omnia opera impiorum eſſe peccata. Sed *Trident. ſeſſ.* 6. *can.* 7. expreſsè definit non omnia quæ ante juſtificationem fiunt, eſſe peccata. Et clarè id patet ex actibus diſpoſitivis ad juſtificationem; qui utique non ſunt peccaminoſi, ſed Deo grati, immo & ſalutares, ac à Deo præcepti. Ratio eſt: quia abſentia juſtificationis non facit, quin equidem opera fidei, ſpei, religionis &c. ſint conſona rectæ rationi. Eſtque planè ridiculum, quòd omnia opera inficiantur à ſtatu peccati, aut Deo idcirco diſpliceant: cùm etiam homines ſæpè probent opera ſuorum inimicorum: quidni ergo ſimiliter Deus opera peccatoris alioquin conſona rationi? Confirmatur: quia alioquin peccaret is, qui peccatorem ad ſe convertendum induceret; immo ipſe Spiritus ſanctus malè ageret ad hoc incitando, utpote ad actus peccaminoſos, juxta errorem *Joannis Hus*.

Dices, *Proverb.* 15. dicitur: *Victima impiorum abominabiles Domino. Iſaiæ* 1. *Incenſum abominatio eſt mihi.* Reſp. Scripturam priori loco ſignificare idem quod *Eccleſiaſtici* 34. ubi dicitur: *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Nimirum quia ſacrificium quod tendit ad reconciliationem, & ſolùm valet ex opere operantis (excipe Sacrificium novæ legis) ſi offeratur ab impio, qui non curat peccata deſerere, non eſt aptum ad placandum Deum; ſed ipſum potiùs ad iracundiam provocare cenſetur, dum ipſe offerens ſuâ malâ vitâ pugnat cum ipſa ſua actione. Poſteriori loco vel agit de tempore Legis novæ (de quo loquitur *cap.* 66. dicens: *Qui immolat bovem, quaſi qui interficit virum*) vel potiùs ſignificat Propheta Deum abominari ſacrificia Judaica, illaque non curare, quæ populus ille gravis iniquitate offerebat magno numero, & ſuperfluitate, ex nimia in iiſdem confidentiâ; cùm tamen non curaret peccata deſerere, veramque charitatem, juſtitiam & miſericordiam exercere. Ut patet ex contextu. 16. *Quo ſenſu victimas & incenſum impiorum Deus dicatur abominari.*

Solent etiam allegari quædam loca *Auguſtini* in contrarium. Attamen is vel ſolùm vult opus non factum ex charitate eſſe malum ſeu non bonum, intelligendo id de charitate latè dictâ, quam vocat interdum amorem vel cupiditatem boni: vel vult non eſſe ſine charitate opus bonum meritoriè, de condigno videlicet. Alioquin *lib. de ſpir. & litt. c.* 27. & alibi admittit etiam in infidelibus aliqua bona opera. Et timorem gehennæ, qui non eſt ex charitate, dicit eſſe bonum & utilem *in Pſalm.* 127. & alibi.

Secunda pars eſt contra *Baium*, qui aſſerebat 17.

Ad bene operandum moraliter non requiritur fides. aſſerebat omnia opera Infidelium eſſe peccata, cujus Sententiam reprobavit Sedes Apoſtolica. Probatur: quia infidelis poteſt facere opera miſericordiæ, juſtitiæ & ſimilia ex motivo honeſtatis moralis; cùm nihil obſtet. Porrò iſtis operibus nihil deeſt ad bonitatem. Niſi quis cum *Gregorio Ariminenſi* objiciat defectum relationis in Deum. Sed hæc nō eſt præcepta. Deinde poſſet id prçceptū ignorari. Confirmatur: quia alioquin infideli manenti tali ſuadendū eſſet, ut abſtineat ab operibus ex genere honeſtis, ſaltē quādo non ſunt in præcepto v.g. à gratuita eleēmoſyna, libero amore proximi &c. nam omittendo non peccaret, ſed faciendo.

Nec contrariatur his *S. Aug. l. 4. contra Julian. c.3.* ubi videtur aſſerere, quòd omnia opera infidelium ſint peccata. Nam ſolùm vult docere quòd nulla ſint bona meritoriè: deinde quòd ordinariè ſint vitioſa ex fine: ut patet ſatis ex cōtextu & exemplis quæ allegat, & ex aliis locis ejuſdem, ubi patenter aſſerit oppoſitum, ſignanter *lib. De ſpirit. & litt. c.27.*

18. *Poſſe quædam opera moraliter bona fieri ſine auxilio gratiæ, colligitur ex Scriptura.* Tertia pars eſt *D. Bonav. 2. d 28. art. 2. quæſt.3.* & communis aliorum. Et colligitur ex Apoſtolo *ad Rom.2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Quod etſi *Auguſtinus*, & quidam alii explicent de Gentibus per gratiam fidei ſanatis; tamen Patres Græci paſſim intelligunt de Gentibus necdum converſis. Hæ itaque naturaliter, id eſt, naturæ inſtinctu ac viribus faciunt aliqua quæ legis ſunt.

Nec obſtat, quòd *Proſper* & *Fulgentius* interpretationem Apoſtoli de Gentibus incredulis arguāt quaſi Pelagianam: loquuntur enim de interpretatione, qualem ſtatuebat *Pelagius*, ſecundùm quam Gentes iſtæ poſſent viribus naturæ facere omnia quæ legis ſunt, & ſic adimplere totam legem, ut eſſent de iis, de quibus Apoſtolus ibidem dixerat: *Factores legis juſtificabuntur.* Unde Sedes Apoſtolica damnavit hanc propoſitionem *Baii: Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom.2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Ex Auguſtino. Accedit auctoritas *Auguſtini l. De ſpiritu & littera c.28.* ubi ait: *Non uſque adeo in anima humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſint homines facere aliqua legis vel ſapere.* Favet etiam *Proſper* & *Fulgentius*, & & clariùs Græci Patres.

19. *Ex Bullâ Pii V.* Accedit etiam quòd Sedes Apoſtolica damnaverit hanc propoſitionem: *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, id eſt, quod ex ſolis viribus naturæ ortum ducit, agnoſcit.* Reſponderi tamen cum Nonnullis poſſet, damnari tantùm immoderatam cenſuram doctrinæ oppoſitæ. De quo quidquid ſit; alia propoſitio damnata propter doctrinam (cùm non adhibeat cenſuram) ſic habet: *Liberum arbitrium ſine adjutorio gratiæ Dei non niſi ad peccandum valet.* Neque reſponderi poteſt illam ideo damnari, quòd liberum arbitrium valeat ſaltem ad opera indifferentia ſine adjutorio gratiæ: nam in primis ſi poſſit hujuſmodi opera ex nulla parte vitiata facere, poterit quoque ferri in objectum moraliter honeſtum, ſi proponatur, & ſecludere omnem malam circumſtantiam. Deinde certum eſt Pontifices in condemnatione iſtius articuli non attendiſſe ad opera in individuo indifferentia; qualia Plurimi non admittunt, neque admittebat ipſe *Baius*, qui ideo præcisè aſſerebat arbitrium ex ſe non valere niſi ad peccandum, quia cenſebat ex ſe non valere ad aliquid boni agendum. Immo ipſa opera, quæ nos moraliter bona vocamus, ipſe cenſebat peccaminoſa; ideoque Philoſophorum virtutes dicebat eſſe vitia. Quod ipſum quoque Sedes Apoſtolica reprobavit.

Probatur ratione: quia ad operandum aliquod bonum morale nihil deeſt ex parte intellectûs, qui viribus ſuis poteſt cognoſcere multa objecta honeſta etiam in particulari: neque etiam ex parte voluntatis, quæ in quibuſdam objectis bonis nullam aut exiguam difficultatem à proſecutione retardantem invenit; quando præſertim nō urget tentatio. Immo opus honeſtum quādoque ſimul eſt ad vitæ cōmoditatem utile, aut etiam conſonum ſenſualitati, v. g. reddere debitum conjugale. Confirmatur: quia natura non eſt totaliter extincta, nec omni inclinatione ad honeſtatem priuata; quare abſente tentatione, non ſemper erit difficile in illam ferri: ſicut infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, etſi non perfectè moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ, ut ait *D. Thomas q.109. art.2.* *Ex ratione.*

Hac in re ſingularem viam ingreſſus eſt *Vaſquez d.190. per 18. capita.* qui (etſi mentem ſuam adhuc reliquerit dubiam) fusè conatur probare ad omne opus moraliter bonum requiri ſpeciale auxilium gratiæ Chriſti, quia videlicet requiritur cogitatio congrua procedens ex connaturali motione objecti, unde ulteriùs moveatur voluntas ad bonum morale amplectendum, vel malum vitandum; quæ quidem etſi in ſe ſit naturalis, tamen datur ob meritum Chriſti, & facit ipſum opus juxta *Vaſquez* conducere ad vitam æternam per modum alicujus meriti. Verùm ejuſmodi gratiam non negaverunt *Pelagiani*. Patres etiam & Concilia per gratiam Chriſti intelligunt ſpecialem intellectûs & voluntatis motionem Dei influxu cauſatam ultra connaturalem activitatem hujuſmodi potentiarum & objectorum datam ex meritis Chriſti in ordine ad ſalutem. Vide *Smiſing Tract.3. d.6. num.* 365. & 20. *Singularis hæc in re opinio Vaſquez.*

365. *& ſeqq.* Quàmvis autem iſta cogitatio congrua poſſit eſſe effectus prædeſtinationis: hoc tamen competit etiam naturali ingenio & variis naturæ beneficiis; immo etiam cogitationi non congruæ ſed tantùm ſufficienti, quæ ſcilicet voluntatem de facto non excitat, eodem modo competere poteſt, eſſe ex meritis Chriſti & effectum prædeſtinationis aut communis providentiæ ſupernaturalis, & tamen de ſola cogitatione congruâ *Vaſquez* aſſerit, quòd ſit gratia Chriſti.

21. *Quo ſenſu Auctoritates tradant nos nil poſſe ſine Deo.*

Objicitur I. Scriptura & Concilia ac Patres docent, nos nihil ſine Deo poſſe, ſive nil boni poſſe facere ſine gratiæ adjutorio: ideoque illud ad ſingulos actus dari docet *Synodus Palæſtina*. Reſp. in primis nos nihil poſſe boni etiam naturalis facere ſine Deo ſaltem tamquam auctore naturæ nos adjuvante (cujus immediatum concurſum negaſſe *Pelagium* cenſet *Bellarminus* & plures alii; tamen negat *Smiſing ſupra num.* 300. *& ſeqq.*) adeòque non ſine liberali beneficio Creatoris. Maximè tamen loquuntur Auctoritates de auxilio divinæ gratiæ; ſed tunc etiam ſolùm loquuntur de operibus meritoriis ſive ad veram pietatem conducentibus: ut patet, tum ex ſubjecta materia, in qua agitur contra *Pelagium*, cum quo de iſtis erat quæſtio: tum quia frequenter ſimilis limitatio adeſt in ipſis Auctoritatibus, adeòque dum non additur, eſt ſubintelligenda.

22. Objicitur II. *Arauſicanum II. Can.* 22. ait: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum.* Et *Auguſt. Epiſt.*106. *Quod ſi ita eſt* (ſcilicet ut liberum arbitrium aliquantùm ad non peccandum valeret) *nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur.* Et *lib. De ſpirit. & litt. cap.* 3. *Neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.* Reſp. *Arauſicanum* velle, quòd ſolum peccatum & mendacium habeat homo de ſuo, quia videlicet hoc ſolum eſt opus hominis deficientis, & non Dei: quidquid autem boni habet, eſt à Deo, ſive tamquam auctore naturæ, ſive tamquam auctore gratiæ, prout ipſa opera fuerint. Secundò intelligi poteſt ex ſubjecta materia loqui tantùm de operibus conducentibus ad juſtitiam aut ſalutem, vel ab ea retrahentibus: in iſto autem operum genere liberum arbitrium de ſe tantùm valet ad opera retrahentia à ſalute. Concilium namque ſolùm intendit à viribus arbitrii removere quidquid habet rationem principii aut meriti juſtificationis & ſalutis: adeòque ad inſtitutum illius non pertinebat agere de operibus moraliter bonis; utì nec de indifferentibus (qualia in individuo dari ipſe *Vaſquez* admittit) quæ tamen ſtrictè loquendo non ſunt mendacium vel peccatum.

Explicatur dictum Arauſicani: Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum.

Hoc ipſum vult *Auguſt. l. de ſpirit. & litt. cap.* 3. ubì ex propoſito docet quòd liberum arbitrium ſine gratia Dei non valeat aliquid, *ſive ut ex malo convertatur in bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat, ſive ut ad bonum ſempiternum perveniat*; utì loquitur *Epiſt.*47. Addi poteſt, idcirco *Arauſicanum* & *Auguſtinum* ſic loqui, ut voluntas ſine gratia non valeat niſi ad peccandum; quia hoc totum ut plurimùm eſt peccatum: idque uſitato loquendi modo, quo parum pro nihilo reputatur. Quomodo ſimilis locutio *Auguſtini* de operibus infidelium velut peccaminoſis explicari ex parte ſolet. 23.

Explicatur dictum Auguſtini: Nec liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet.

Ad priorem locum *Auguſtini* Reſp. ipſum velle, quòd ſi liberum arbitrium aliquantulum valeat, non ad hoc vel illud peccatum vitandum, ſed ſimpliciter ad non peccandum, & omnia divina præcepta implenda (prout *Pelagius* ibi ab *Auguſtino* reprehenſus cenſebat voluntatem per ſe valere, etſi cum aliqua difficultate, ideoque gratiam ſolùm dari ad faciliùs poſſe) nullus reſervetur locus gratiæ, ſcilicet quoad neceſſitatem illius ad implendam legem Dei. Ita Wiggers *q.*109. *art.* 2. Quòd verò *Auguſtinus* eâdem *Epiſt.* 106. *circa initium* dicit, quòd ſine gratia *nihil pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipſa voluntate habere poſſimus*, manifeſtum eſt intelligi de iis quæ conducunt ad ſalutem, quæ phraſi *Auguſtini* nomine pietatis & juſtitiæ cenſentur. Porrò hujuſmodi explicationes per ſe quidem fundatæ, ſunt ob hoc quoque neceſſariæ, ne cogamur *B. Auguſtino* Doctori præcipuo adſcribere doctrinam ab Eccleſia proſcriptam in *Baio*.

Explicatur aliud ejuſdem dictum ſimile.

Objicitur III. Oramus Deum pro omni opere moraliter bono, eique gratias agimus: oratio autem & gratiarum actio ſunt ſigna gratiæ. Reſp. regulariter nos orare Deum pro illis operibus Chriſtianè adeòque meritoriè exercendis. Deinde eſto oraremus pro ipſis operibus naturalibus; ad hæc tamen eſt utilis & plerumque neceſſaria gratia, ſive internæ corroborationis, ſive ſaltem externæ protectionis. Deinde petimus etiam à Deo beneficia ordinis naturæ, v.g. pluviam & ſerenitatem. Quàmvis autem hæc à Chriſtiano ſint petenda in ordine ad finem ſupernaturalem (utì quævis alia) eò quòd miſericorditer ad illum iam ſimus deſtinati; equidem poſcenda à Deo fuiſſent, etiamſi ad illum finem non fuiſſemus ordinati. Simili modo pro iiſdem operibus ſunt agendæ gratiæ, tum quia ordinariè adjuvante gratiâ fiunt: tum quia ſaltem eſt Dei beneficium, quòd nulla tentatio nos à bono opere averterit: tum quia etiam pro donis naturæ ſunt agendæ gratiæ, v.g. quòd Deus nos creaverit &c. cùm enim ſint gratuita beneficia, conſequenter ſunt materia gratiarum actionis. Itaque oratio & gratiarum actio ſunt ſigna alicujus gratiæ, non 24.

Quare orandum ſit pro operibus moraliter bonis.

tamen

tamen ſemper ſunt ſpecialis & ſtrictæ, ſed ſubinde ſolùm gratuiti alicujus beneficii. Oratio autem hominis Chriſtiani ut ſic eſt clariſſima gratiæ Chriſti teſtificatio; utpote tendens ad obtinendum aliquid ſalutare, quod ſi eſſet in hominis omnimoda poteſtate, non neceſſariò poſtularetur à Deo, veluti donum gratuitum. Dum itaque orandi neceſſitatem facto aut verbo profitemur, pariter profitemur non à nobis, ſed à Patre luminum procedere omne datum optimum & donum ſalutare.

25\. *Extra ſtatum gratiæ diu perſeverans ordinariè non cavebit ſibi à novo mortali.*

DICO II. Homo carens fide & gratiâ habituali non diu ſervabit bonum morale, ſeu legem naturæ, quin contra eam denuò mortaliter peccet. Ita *D. Thomas* & alii ferè communiter. Concluſio non debet ſic intelligi, quaſi fidei aut gratiæ habitus ex natura rei ſit neceſſarius ad conſtanter implendam legem naturæ: hæc enim impleri poteſt per actus in ſubſtantia naturales, qui poſſunt etiam competere peccatori aut fide carenti, cum adjutorio gratiæ; cum quo proinde poſſet quovis tempore & contra quaſvis tentationes legem naturæ implere. Nihilominùs ſic videtur conſtitutum, ut ſi per gratiam ſanctificantem peccator citiùs non ſanetur, non ſit diu perſeveraturus in obſervantia totius legis, quin in aliquod novum peccatum ſit lapſurus, Deo ſubtrahente auxilia efficacia.

Suadetur auctoritatibus,

Colligi poteſt ex *Thren.* 1. *Peccatum peccavit Jeruſalem propterea inſtabilis facta eſt*, ſcilicet in bono perſeveranter tenendo. Accedit vulgatum iſtud: *Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit*; cujus rationem aptè declarat *S. Gregorius Homil.* 11. *in Ezechielem.* Allegari etiam ſolent quædam auctoritates ex *Concilio Milevitano* & *Auguſtino*: quæ tamen non probant intentum. Immo nec auctoritates à nobis allegatæ efficaciter probant ita lege ſtabili fieri, quin aliquando præſervet Deus longo tempore peccatorem à novo mortali; eſto plerumque (ut experientia confirmat) non præſervet: dici enim poſſet, illis non aliud ſignificari, quàm pronum eſſe, ut ex peccato ſequatur inſtabilitas in bono, & inclinatio ad novum peccatum. Quare ex auctoritate nil certi habetur. Stat tamen pro Concluſione *D. Thomas* & Theologi paſſim.

Sed inefficaciter.

26\. *Suadetur congruentiâ,*

Ratio quoque convincens allegari nequit. Poteſt tamen aſſignari congruentia, ſcilicet quòd amicis & filiis Dei magis ſit debita (ut ſic loquar) divina protectio ab inſidiis dæmonum aliiſque obſtaculis, & gratia Dei; quæ proinde regulariter & frequenter detur juſtis ad vitanda longo tempore peccata mortalia, non autem peccatoribus Dei inimicis & ab eo extraneis. Idque adhuc magis, ſi necdum ſint fideles, ſaltem quantùm ad actum, fideique ipſius confeſſionem: cùm alieni à fide longè ampliùs ſint à gratia Chriſti extranei. Non poteſt tamen ſtatui determinatum tempus, quo peccator in malo ſtatu perſeverans à novo mortali præſervetur. *Suarez l.* 1. *De gratia cap.* 27. *num.* 30. dicit fideles poſſe mediocri tempore per auxilia gratiæ ſine novo peccato conſervari, adeòque non teneri illico pœnitere. Regulariter etiam non ſolet hoc titulo moveri ſpecialis ſcrupulus pœnitentibus, qui annuum præceptum confeſſionis implent; ſive quia tempus iſtud non cenſetur longum quantùm ad præſens propoſitum; ſive quia periculum recidivi ſatis explicatur in ipſis peccatis de novo commiſſis; ſive quia periculum illud non repræſentatur tamquam propinquum, aut de re & caſu particulari, ſed poteſt homo in ſingulis occaſionibus putare ſe non relapſurum. Adde periculum nõ eſſe verè certum, prout non eſt certa Concluſio. Et fortaſſe in nonnullis ſaltem exceptionem patitur, ex ſpeciali benevolentia Dei.

27\. *Nequit homo lapſus ſine ſpeciali gratiâ conſtanter ſervare univerſam legem naturæ.*

DICO III. Non poteſt homo in natura corrupta ſine ſpeciali gratiæ auxilio velle & facere totum bonum naturæ ſeu ſervare univerſam legem naturæ longo tempore, ſic ut interea contra illam aliquando non peccet mortaliter: neque etiam poteſt ſolis naturæ viribus ulli tentationi gravi reſiſtere. Ita communiter Theologi. Ratio primæ partis eſt: quia ſi non poſſit intellectus ſolis ſuis viribus cognoſcere omne verum morale, quin in multis erret; multò minùs poterit voluntas ſine auxilio ſpeciali omne bonum morale, alioquin naturæ proportionatum, operari; utpote quæ eſt infirmior & multiformiùs impedita. Impedimenta autem recenſeri ſolent hæc, tentatio dæmonis, objecta ſenſibilia, concupiſcentia carnis, corruptio corporis (quæ non ſinit hominem ſemper invigilare) ignorantia & inconſideratio. Quibus frequenter accedunt pravæ conſuetudines, exempla & conſilia aliorum; ſemperque comitatur innata quædam inſtabilitas. Hinc confirmatur: quia amiſsâ per peccatum juſtitiâ originali, dæmonique conceſsâ in nos maximâ poteſtate, tanta nobis eſt colluctatio adversùs tentationes externas & internas, ut omni pænè horâ indigeamus divinâ gratiâ nos interiùs illuminante & ſpecialiter corroborante ad reſiſtendum; adeòque ad non peccandum contra legem naturæ, in cujus materia potiſſimæ tentationes occurrunt. Exiſtimat tamen *Suarez l.* 1. *De gratia cap.* 26. *num.* 11. ſi homo per longum tempus Deo protegente nec mediocres pateretur tentationes non fore inconveniens aſſerere, quòd tunc poſſet vitare mortalia ſine ſpeciali gratia, eò quòd impotentia oriatur ex tentationibus,

bus, adeòque mirum non ſit ablatâ causâ effectum auferri. Addit tamen illam hypotheſim ſupponere ſingularem, ſeu extraordinariam gratiæ protectionem, ſine qua nequit homo diu tentationibus carere; adeòque illam peccatorum fugam non fore ſine gratiæ Dei protectione, quam donum perſeverantiæ etiam includit.

28. *Neque etiã gravi tentationi reſiſtere.* Secunda pars Concluſionis colligitur ex Scriptura *Pſal.17. In te eripiar à tentatione. Pſal.29. Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ad Rom.7.& 8. Ad Epheſ.6.* & alibi. Quibus locis Deo adſcribitur victoria tentationum, & reſiſtentia contra illas. Similiter *Concilium Palæſtinum, Innocentius I. Epiſt. ad Concilium Carthaginenſe*, quæ eſt 91. apud *Auguſtinum*, & *Epiſt. ad Concilium Milevitanum*, quæ eſt 93. apud eumdem *Auguſtinum*, *Cæleſtinus Epiſt. ad Epiſcopos Galliarum*, *Trid. ſeſſ.6.c.13.* victoriam tentationum adſcribunt gratiæ Dei, ſic ut ſine illa victores eſſe non poſſimus. Quod etiam facit *Auguſtinus* ſæpè, uti & *Proſper*, item *Chryſoſtomus Homil. 24. in 1. ad Cor.* Quæ ſaltem intelligenda ſunt de gravi tentatione, quæ ſcilicet attentâ vehementiâ & duratione animum notabiliter concutit. Quod enim ad levem & exiguam tentationem, quæ moraliter non eſt tentatio, attinet, ea non facit opus morale ſuperare vires naturæ, ſicut non facit illud notabiliter difficilius. Ita *D. Bonav. 2.d.28. art.2.q.2. Vega* & alii communiter contra Nonnullos.

Nec ſatisfit Auctoritatibus citatis dicendo, eas loqui de victoria peccati meritoria, eò quòd teſte *D. Thoma 2.d.28. art.2. ad 6.* & *D. Bonav. ſup. art.1.q.2.* & *d.24.p.1. art.1.q.2.* aliud ſit peccato reſiſtere, quod fieri poteſt ſine gratia, aliud peccatum vincere, quod fit per opus meritorium. Cui conſonat *Auguſt. l.21. De Civit. c.16.* dicens: *Tunc victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur.* Non, inquam, ſatisfit: quia ſic adſcribunt victoriam divinæ gratiæ, ut ſine ea neceſſe vincamur ſeu peccemus, juxta *Innocentium I. Epiſt.91. cit.* ſic item dicunt nos indigere divinâ gratiâ, ne alioqui diaboli laqueis irretiti occumbamus, juxta eumdem Pontificem *Epiſt.93. cit.*

Neque etiam ſic explicari poſſunt, ut velint tentationes non poſſe vinci ut plurimùm, eſto poſſemus uni aut alteri etiam gravi reſiſtere: ſi enim ſint intelligendæ ut plurimùm, id ſaltem verificari debet in gravioribus ſeu diuturnioribus. Sicque communiter intellectæ ſunt à Theologis; qui proinde doctrinam hanc paſſim tradunt tamquam indubitatam: etſi *Suarez* & nonnulli alii propter ſimiles evaſiones, exiſtiment non eſſe adhuc de fide. Cujus oppoſitum etiam tribuitur *Ruardo* & nonnullis aliis Doctoribus Catholicis.

29. *Impoſſibilitas iſtaeſt, moralis fundata in impedimentis naturæ corruptæ.* Ratio eſt deſumenda cum *Vega*, *Suarez*, *Bellarmino* & aliis, ex morali impoſſibilitate fundatâ in impedimentis naturæ corruptæ ſuprà allegatis, ex quibus tanta naſcitur difficultas, ut contra eam numquam ſit operatura voluntas, niſi adjuvetur per gratiam; quâ difficultas minuatur, & moralis impoſſibilitas tollatur. Hæc porrò gratia debet eſſe interna, corroborans potiſſimùm voluntatem. Externa namque gratia divinæ protectionis facit quidem, ut lapſuris materia tentationum frequenter ſubtrahatur, non autem ut gravis tentatio, quæ jam exiſtere & perſeverare ſupponitur, ſuperetur: per hoc enim quòd tentatio ſubtrahitur, propriè non vincitur, utpote quæ non eſt. Non debet tamen hæc gratia eſſe ſupernaturalis in ſubſtantia: cùm poſſit tentationi reſiſti per actum naturalem moraliter honeſtum; adeòque ſufficit gratia ſupernaturalis in modo. Quàmvis dum tentatio vincitur per actum ſupernaturalem (utì plerumque fit à piis & fidelibus) gratia ſaltem cooperans ſeu adjuvans ſit in ſubſtantia ſupernaturalis.

Objicitur I. Nulla tentatio in materia legis naturalis aufert libertatem arbitrii; ergo quâcumque tentatione poſitâ poteſt voluntas reſiſtere. Reſp. non auferri quidem phyſicam libertatem, aut potentiam phyſicam reſiſtendi, cùm nihil intrinſecum voluntatem phyſicè determinet: auferri tamen libertatem ſive potentiam moralem, ſi gratia ſecludatur, quia ſcilicet valdè difficulter poteſt voluntas reſiſtere, & numquam reſiſtet; quæ ab aliis vocatur impoſſibilitas conſequens. Ea nihilominus eſt miſericordia & bonitas Dei, ut nemini deſit gratiæ adjutorium, quatenus ſic jugum ullius ſuave ſit & onus leve. De quo *diſp. ſeq.* 30. *Secluſâ proinde gratiâ adhuc manet phyſica poteſtas non peccandi.*

Objicitur II. Gentiles & Barbari ſæpè patienter ſuſtinent, immo ſibi inferunt mortem ob vanam gloriam vel aliud humanum motivum: ergo ſimiles difficultates & tentationes poterit ſuperare homo viribus ſuis amore virtutis. Reſp. Neg. Conſ. quia humana motiva ex ipſis tentationibus oriuntur, ſicque proponuntur vivaciùs, & movent efficaciùs voluntatem, cooperante diabolo: at verò motivum virtutis ſecluſâ gratiâ conſideratur tenuiter, ſic ut contra vehementes tentationes, ac ſenſualitatis impetus non ſufficiat. Simili modo prædominante cupiditate mundi avarus plurimas difficultates ſuperat, quas non poſſet ſine gratia ſuperare amore virtutis: proprium enim & ſenſibile commodum naturam corruptam fortiùs trahit, quàm ea quæ ad æternas ſpectat rationes: hæc enim non fiunt menti ſuavia ſine delectatione cæleſti, illa verò ſunt dulcia naturæ corruptæ; quæ dũ ſuâ cupiditate rapitur, tantò eſt ad quæcumque perferẽda durior, quantò major eſt ipſa mundi cupiditas, quæ (ut ait *Auguſtinus l. De Patientia* 31. *Cur minùs ſufficiant vires noſtræ ad difficultates ſuperandas ex amore honeſti, quàm ex mundana cupiditate.*

tientia cap. 17.) initium habet ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo conſuetudinis. Itaque ad difficilia perferenda hoc in impiis præſtat mundana delectatio ſeu cupiditas, quod in virtuoſis præſtat delectatio cæleſtis ſeu gratia Dei. Unde *Arauſicanum can. 17.* ait: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit.* Vide *Auguſt. ſup.* & *c. 14.*

32. Objicitur III. Ut quis non cedat tentationi circa præcepta negativa v. g. non furtum facies, ſufficit purè omittere actum oppoſitum: ad puram autem omiſſionem non requiritur gratia. Reſp. puram omiſſionem urgente tentatione eſſe moraliter ſaltem impoſſibilem: cùm valdè multum ſit, ſi homo vel abſtineat elicitis fortibus propoſitis. Unde qui tunc tentaret ſe habere negativè; exponeret ſe manifeſto conſenſûs periculo, adeòque peccaret. Eſto tamen, detur caſus iſte, qui in objectione proponitur; dico adhuc requiri gratiam ad omittendum liberè, id eſt, ad abſtinendum ab actu poſitivo contrario; quem indubiè homo tentationi ſuccumbendo eliceret, ſi per gratiam excitantem voluntas ab eo eliciendo non impediretur.

Gratia cur neceſſaria contra tentationes in præceptis negativis.

QUÆSTIO IV.

An ſine auxilio gratiæ poſſit homo velle bonum ſupernaturale, ſcilicet ſperare, & diligere Deum etiam ſuper omnia?

33. NOTA dilectionem Dei, aliam eſſe concupiſcentiæ, quâ deſideramus ſeu concupiſcimus Deum nobis, quia videlicet nobis conveniens eſt; quod fit per actum ſpei: aliam benevolentiæ ſeu amicitiæ, quâ bene volumus Deo, ſive ei afficimur, quia in ſe bonus eſt; quod fit per actum charitatis, qui propriè nomen dilectionis ſibi vendicat. Utraque autem, vel eſt tantùm quædam velleitas aut amor inefficax, vel eſt efficax.

Dilectio alia concupiſcentiæ, alia amicitiæ.

Alia inefficax, alia efficax,

Rurſum efficax vel eſt ſolùm talis reſpectu alicujus effectûs, vel eſt efficax quoad omnia, ſive amor Dei ſuper omnia. Denique utraque dilectio, vel eſt ſicut oportet ad juſtificationem & ſalutē, vel non. Quàmvis autem Doctores quæſtionē potiſſimùm inſtituant de dilectione amicitiæ, eadem tamen cum proportione habet locum in dilectione concupiſcentiæ ſive actu ſpei.

Idq́; vel quoad omnia, vel reſpectu certi effectûs. Denique alia eſt ſicut oportet ad ſalutem, alia non.

34. DICO I. Non poteſt homo viribus naturæ diligere Deum ſicut oportet ad juſtificationem & ſalutem. Eſt de fide ex *Milevitano cap. 4.* & *Arauſicano can. 25.* & *Trid. ſeſſ. 6. can. 3.* ubi inquit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia concedatur, anathema ſit.* Ex quo canone idem patet de actu ſpei. Uti etiam ex *Arauſicano can. 6.* & *7.* quatenus definit, nos nihil poſſe cogitare aut velle ſicut oportet, vel quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ ſine gratia. Ratio Theologica eſt: quia alioquin poſſet homo ſe ipſum viribus ſuis diſponere ad juſtificationem; quod eſt etiam contra fidem.

Dilectio Dei ſicut oportet ad ſalutem ſuperat vires naturæ:

Deinde probatur: quia actus fidei, ſpei, & dilectionis, ſi ſint ſicut oportet ad juſtificationem ſeu ſalutem, ſunt in entitate ſua ſupernaturales: ergo illis eliciendis non ſufficiunt vires naturæ. Antecedens docent Theologi communiter, præſertim hoc tempore, contra Paucos, qui exiſtimarunt tantùm eſſe ſupernaturales actus iſtos quoad modum (quem diverſimodè, ſed infundatè conati ſunt explicare) & ſolùm requiri gratiam, ſeu principium altioris ordinis, ut eliciantur cum tali modo. Probatur: quia certum eſt in juſtificatione infundi habitus fidei, ſpei & charitatis ſupernaturales; ad quos homo per actus fidei, ſpei & dilectionis diſponitur; ergo hi actus ſunt quoque in ſubſtantia ſupernaturales: tum quia diſpoſitio debet proportionari formæ: tum quia ſtatui ſupernaturali, ad quem elevamur, debentur operationes ſupernaturales; ut & fini ſeu beatitudini, quam meremur: tum quia habitus iſti infunduntur, ut ſint principia actuum ſibi correſpondentium, v.g. habitus charitatis, ut per ipſum diligatur Deus &c. Confirmatur: quia idem charitatis habitus in patria producet fruitionē Dei ſupernaturalem: ergo in via producit amorem ſupernaturalem. Deinde ſic verificatur commune dictum, quòd habitus iſti dentur ad ſimpliciter poſſe. Denique aliàs diſpoſitio proxima ad juſtificationem non ſuperaret phyſicas vires naturæ.

Immo eſt in ſubſtantia ſupernaturalis. Idemq́; eſt de actu fidei & ſpei.

Unde dum in Conciliis dicitur, nos non poſſe credere, ſperare vel diligere, ſicut oportet, nullatenus ſignificatur actus illos quoad ſubſtantiam poſſe viribus noſtris elici, & ſolùm ſuperare vires quoad modum, ſed ſignificatur natura ſublimis ipſorum actuum, ratione cujus requiritur principium vires naturæ ſuperans: ſic ut conſequenter ſit diſtinctio ſpecifica inter iſtos actus, & alios qui ad ſalutem non pertinent, ſeu qui ſunt naturales. 35.

Solet autem à multis in contrarium citari *Scotus*; quaſi docuerit omnes actus dilectionis Dei eſſe ejuſdem rationis, adeòque naturales, immo non dari formas intrinſecè & ſuaptè ſupernaturales. Quos meritò reprehendit *Cavellus in Scholio q. 1. Prologi n. 20.* oſtendens ex variis *Scoti* locis, quòd ſtatuerit habitus & actus ſupernaturales: etſi (ut notat *Cavellus in Scholio quodlib. 17. n. 6.*) videatur fuiſſe irreſolutus, an actus fidei infuſæ & acquiſitæ,

Habitus & actus in ſubſtantia ſupernaturales non negat Scotus.

Charitatis infuſæ & acquiſitæ diſtinguantur ſpecie eſſentiali. Quod ſanè ex ratione naturali oſtendi nequit, etſi ex principiis fidei videatur ſatis ſolidè deduci, ut ex præmiſſis conſtat.

36. Dico II. Non ſolùm dilectio Dei ſuper omnia, ſed etiam quævis alia ſupernaturalis non poteſt elici viribus naturæ ſine gratia. Idem eſt de actu ſpei. Concluſio per ſe patet: cùm hoc ipſum involvat actûs ſupernaturalitas.

Datur dilectio Dei ſupernaturalis, quæ non eſt ſuper omnia.

Sed dubitari poſſet, an præter efficacem Dei dilectionem ſuper omnia dentur alii actus ſupernaturales dilectionis? Reſp. affirmativè: nam homo juſtus frequenter elicit actus amoris Dei hìc & nunc efficaces quantùm ad certum effectum, in quo cupit Deo placitum exhibere obſequium, ſimiliter frequenter elicit ſimplices complacentias: nulla autem eſt ratio, cur ad ſimiles actus mediante fidei directione elicitos nequeat concurrere habitus infuſus charitatis, ita ut conſequenter ſint ſupernaturales. Immo in homine peccatore poſſunt reperiri ejuſmodi affectus, qui cenſendi ſunt procedere ex gratia, & ſpeciali concurſu defectum habitûs ſupplente.

37. *Dividi ſolet amor Dei in amorem illius ut auctoris & finis naturæ: & amorem illius ut auctoris gratiæ ac finis ſupernaturalis.*

Paulò aliter in hac materia loquuntur plures Doctores. Dividunt enim amorem Dei in amorem illius ut auctoris naturæ ac donorum naturalium, ſive finis naturalis, & in amorem ejuſdem ut auctoris gratiæ & gloriæ, ſeu finis ſupernaturalis. Priorem dicunt eſſe naturalem, poſteriorem verò ſupernaturalem.

Hanc diviſionem rejicit Vaſquez.

Sed hanc diviſionem, etſi ſatis communiter receptam, etiam apud antiquos, ut *Alenſem*, *D. Thomam*, & *D. Bonaventuram*, rejicit *Vaſquez d.195.* exiſtimans quęcumque amorem amicitiæ erga Deum eſſe ejuſdem rationis, & ſupernaturalem. Cui ſi objicias propoſitionem 33. *Baii* damnatam, quæ eſt talis: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Item propoſitionem 35. quæ ſic habet: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cũ injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis.* Reſpondet *Vaſquez* ſolùm damnari temerariam cenſuram.

38. *Quid ſit de illa cenſendum.*

Nihilominus indubitatum videtur poſſe dari amórem Dei naturalem, quo Deus amatur ut auctor naturæ: talis enim fuiſſet in ſtatu puræ naturæ. Immo etiam in ſtatu præſenti poteſt quis per cognitionem naturalem ſibi proponere Deum tamquam naturæ conditorem, & ita propoſitum diligere, utique amore naturali; cùm amor ſupernaturalis hîc non eliciatur niſi præeunte directione fidei ſupernaturalis. Certum etiam videtur, quòd dum Deus per fidem propoſitus tamquam auctor gratiæ & gloriæ cum ejuſdem adjutorio amatur, eliciatur amor ordinis ſupernaturalis.

Facilè equidem concederem *Vaſquez*, Deum etiam tamquam auctorem naturæ poſſe diligi amore ſupernaturalis ordinis, dum ſcilicet ita proponitur per fidem: poteſt enim habitus infuſus Charitatis tendere in Deum, quocumque modo diligibilis per fidem proponitur.

Unde ulteriùs exiſtimo, quòd quotieſcumque homo fidelis per fidem ſibi proponit Deum diligendum, ſive tamquam auctorem gratiæ, ſive tamquam auctorem naturæ, eliciat actum ſupernaturalem, ſi non ſtet per gratiam ſeu auxiliũ Dei; quod non eſt credendum: ſicut ii qui admittunt virtutes morales infuſas, cenſent ab homine præſertim juſto regulariter elici actus ſupernaturales in materia virtutum moralium, dum ſcilicet præcedit directio fidei. Denique exiſtimo non repugnare, ut Deus tamquam auctor gratiæ propoſitus ametur actu naturali, ſi videlicet proponatur per cognitionem naturalem v.g. per fidem naturalem, qualis eſt in hæretico: quàmvis ſi proponatur per fidem ſupernaturalem, cenſendum ſit in voluntate conſequi actum proportionatum, divino utique auxilio non deficiente. Confirmatur: quia amor naturalis & ſupernaturalis non debent diſtingui penes objecta, ne quidem formalia (quidquid Nonnulli velint) ſed tantùm penes principia & modum tendendi: adeòque objectum dilectionis ſupernaturalis nõ repugnat amari dilectione inferioris ordinis. 39.

Fideles cenſendi ſunt ordinariò ſaltem elicere actus fidei, ſpei & charitatis ſupernaturales.

Dico III. Affectus inefficax diligendi Deum, qui ſit naturalis, poteſt elici ſine auxilio gratiæ. Idem eſt de ſimili affectu ſpei. Ratio eſt, quia non eſt credibile naturam noſtram ſic eſſe viribus attenuatam, ut ne quidem poſſit aſſurgere in imperfectum erga auctorem ſuum amorem; præſertim in quo non reperitur ſpecialis aliqua difficultas. Affectus ſiquidem ille non excludit efficaciter affectum erga creaturas, etiam peccaminoſum, ſed poteſt rectè cum illo conſiſtere. 40.

Affectus naturalis inefficax dilectionis aut ſpei poteſt elici ſine gratia:

Dico IV. Amor naturalis efficax Dei, non ſuper omnia, ſed quoad certum effectum non adeò difficilem, poteſt elici viribus naturæ. Ratio eſt: quia vires naturæ non ſunt per peccatum omnino extinctæ, ſed uti ſufficiunt ad aliquod opus moraliter bonum, ſic quoque ad præſentem actum amoris non adeò difficilem ſufficere debent.

Immo & efficax quoad certum effectum non adeò difficilem;

Dico V. Amor naturalis Dei, ſive (ut Alii loquuntur) amor Dei tamquam auctoris naturæ, qui ſit efficax & ſuper omnia, non poteſt elici ſine auxilio ſpeciali. Ita Doctores paſſim. Ratio deſumitur ex nimia arduitate talis actûs, qui continet volunta- 41.

Non tamen qui ſit ſuper omnia.

luntatem abſolutam ſervandi omnia mandata, & contemptis omnibus ſæculi cupiditatibus inhærendi Deo; quod ſanè videtur nimis difficile naturæ corruptæ. Unde etiam ſcriptura etſi doceat potuiſſe Deum ex creaturis cognoſci, & à multis fuiſſe cognitum; non tamen inſinuat ab ullo fuiſſe conformiter ut Deum glorificatum & amatum, ſed potiùs inſinuat contrarium.

Niſi fortè ad breve tempus.

Verùm quia non ſatis efficaciter probari poſſe videtur, quin ſaltem ad breve tempus, quo non urget tentatio, elici queat amor naturalis ſuper omnia, qui ſit efficax in affectu (prout in juſtis propoſitum vitandi omnia venialia) etſi non in effectu & ad longum tempus, hinc *Oviedo* & plures alii concluſionem ita limitant.

42. *Dictamen rationis & inclinatio naturæ verſari poteſt circa illud quod naturæ corruptæ vires ſuperat.*

Nec obſtat, quòd ejuſmodi dilectionem naturalis ratio dictet; hæc enim multa dictat, ad quæ implenda vires arbitrii non ſufficiunt. Dictat enim ſimiliter omnia mãdata perſeveranter eſſe ſervanda, potiùs eſſe moriendum, quàm peccandum &c. ad quæ tamen non ſufficit voluntas ſe ſolâ. Quare etiam non obſtat, quòd ejuſmodi dilectio ſit juxta naturæ inclinationẽ, quatenus ſcilicet rationalis eſt: nam in oppoſitum præponderat naturæ corruptio. Sicut etſi vitia ſint contra, virtutes ſecundùm naturam; tamen natura non ſufficit ſine gratia ad omnes virtutes ſectandas, & vitia fugienda.

QUÆSTIO V.

An etiam Iuſti indigeant gratiâ ſpeciali ad ſingulos actus ſupernaturales & perſeverantiam?

43. *Ad opera ſupernaturalia externa requiritur gratia, quatenus hanc exigũt opera interna.*

PRIMA pars quæſtionis intelligitur de actibus ſupernaturalibus internis: opera enim ſupernaturalia externa (qualia cenſentur ſuſceptio & miniſtratio Sacramentorum, item externa profeſſio Catholicæ fidei) eatenus tantùm requirunt gratiam, quatenus eam exigunt interiores actus, qui ſolent vel debent comitari aut præcedere. Porrò ſatis conſtat in homine etiam juſto & habitibus infuſis inſtructo ad ſingulos actus ſupernaturales requiri ſaltem cooperationem Dei. Quæ etſi quâdam ratione ad concurſum generalem pertineat, meritò tamen inter gratias computatur, ut poſt *Ruardum* Varii notarunt: nam ſicut ipſi habitus ſunt naturæ indebiti, uti & eorum operatio; ſic & influxus Dei in eamdem eſt naturæ indebitus, etſi connaturaliter debitus ipſis habitibus ſeu naturæ quatenus per ipſos elevatæ. Immo iſte Dei concurſus, utpote coaleſcens in eamdem actionem & opus ſupernaturale cum influxu habituum, probabiliùs eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, ſicut ipſa operatio habituum, ut cenſet Wiggers *q.*109. *art.*9. De alia proinde gratia actuali, ſcilicet excitante, eſt quæſtio.

Ad hæc ultra habitus infuſos requiritur cooperatio Dei naturæ indebita:

Immo in ſubſtantia ſupernaturalis.

44. *Atque inſuper gratia excitans, etiam ad ſingulos actus.*

DICO I. Homo juſtificatus non poteſt ullum actum ſupernaturalem elicere, ad quem præveniente gratiâ actuali non eſt excitatus. Ita communiùs Doctores contra *Ruardum*, *Bellarminum* l. 6. *De gratia c. ult.* ubi requirit ſaltem gratiam externam ſeu protectionem divinam, quatenus tentationes earumque occaſiones amovet; quorum opinionem non omnino improbabilem cenſet Wiggers *ſup.* & *Malderus ibid. dub.* 2. Quàmvis *Oviedo tract.* 7. *Controv.* 6. *pun.* 7. credat ab hac Concluſione nemini licere recedere.

Probatur ex Conciliis & Patribus.

Probatur ex Conciliis & Patribus, quibus adſtruitur neceſſitas gratiæ ad omnia bona opera; quam gratiam ſæpè vocant inſpirationem. Sic *Arauſicanum Can.* 9. ait: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur.* Et *can.* 20. *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.* Porrò operari ut operemur, præſtare ut faciamus, ſunt Epitheta gratiæ actualis prævenientis. *Cæleſtinus Papa Epiſt. ad Epiſcopos Gall. c.* 8. ait. *Ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium.* Et *c.* 12. *Non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere.* Et infrà: *Agit quippe in nobis* (ſcilicet per inſpirationes præveniendo) *ut quod vult, & velimus & agamus. Nec otioſa in nobis eſſe patitur* (ſcilicet dona in juſtificatione infuſa) *quæ exercenda, non negligenda donavit. Auguſtinus l.* 4. *contra duas Epiſt. Pelagian. c.* 6. *In omnibus quæ quiſque agit ſecundũ Deum, miſericordia ejus prævenit eum.*

Accedit *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 16. dicens. *Cùm Chriſtus Jeſus tamquam caput in membra & tamquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent.* Ubi patenter ultra habitus requirit virtutem ſive influxum alterius auxilii ſemper antecedentis omne opus meritorium. Denique idem inſinuat Eccleſia, dum toties orat pro divinis inſpirationibus, ut gratia Dei nos ſemper præveniat, Deoque per aſpirationem nos præveniente cuncta noſtra oratio & operatio ab eo ſemper incipiat.

45. *Ac ratione Theologicâ.*

Rationem Theologicam duplicem aſſignat *Malderus*. Prima eſt, quòd voluntas nihil agat ſupernaturaliter, niſi præcedat ſancta cogitatio in intellectu; quæ utique eſt à Deo inſpirante juxta *Cæleſtinum ſuprà c.* 9. Secunda, quia nil agit homo ſupernaturaliter ſine gratia efficaci; hæc autem pertinet ad gratiam excitantem. Adde, quòd ſi juſtus poſſet ſine gratia excitante operari bonum ſupernaturale, cum ſolo

adjutorio habituum infuſorum; non ſit ratio, cur peccator, ſive habitibus infuſis carens idem nequeat, habito concurſu ſpeciali Dei extrinſeco, qui in adjuvando ſuppleat defectum habituum: conſtat tamen non niſi excitante Deo per gratiam prævenientem poſſe peccatorem elicere actus ſupernaturales, atque adeò diſpoſitivos ad juſtificationem ſeu reparationem poſt lapſum.

Quo non obſtante rectè dicitur juſtus credere, ſperare & diligere quãdo vult. Itaque inſpiratio quâ juſtus communiter dum vult credit, ſperat vel diligit, initium habet à Spiritu ſancto inhabitante, qui habitus quaſi ſopitos excitat: cùmque homini præſtò ſit, rectè adhuc dicitur ipſe credere, ſperare & diligere quando vult, etiamſi Spiritus ſanctus excitet, ut velit. Et hanc gratiam ſive igniculum excitantem homo ſuâ libertate ſæpè extinguit, ſicque Spiritum ſanctum contriſtare dicitur: & ècontrà per eamdem motionem dicitur ſuſcitare gratiam, quæ in ſe eſt, dum eidem cooperatur. Ita *Malderus ſuprà.*

46. *Quo ſenſu hæc gratia cenſeatur nova, quo non.* Hanc verò gratiam excitantem dicere poſſumus novam, quatenus conſideratur tamquam diſtincta ab habitibus jam infuſis: poſſumus quoque dicere non novam, quatenus habitibus ipſis, ſeu naturæ quatenus per illos elevatæ eſt quodammodo connaturaliter debita. Quâ ratione *Oviedo ſuprà n.* 84. intelligit alios Auctores, qui non requirunt novam gratiam, & ſpecialiter *n.* 88. explicat *Bellarminum. Malderus* quoque veroſimile cenſet paucos ex Catholicis concluſionem quoad rem negare, paulò tamen aliter explicat præfatos Auctores, nempe quòd pleriq; loquantur de gratia nova merè excitante (qualis juxta ipſum non ſemper requiritur: fidei enim actus excitat ad actum ſpei, & hic ad actum Charitatis, & ipſe ad impletionem omnis mandati; etſi non ſint gratia purè excitans juxta eumdem) aut certè de adjuvante voluntatem in ratione principii: quali non ſemper indiget voluntas habitu infuſo inſtructa; cùm ſatis ipſam compleat habitus cum concurſu Dei proportionato. Alii vero etiam in juſtis exigunt ad ſingulos actus ſpecialem gratiã ſeu motionem voluntatis: prout ſanè requiritur in peccatore. Et in hoc diſtinguunt hominem lapſum ab integro, quòd huic ſemel donis inſtructo non fuiſſet neceſſaria deinceps ad ſingulos actus nova gratia vel delectatio indeliberata voluntatis, ſed ſuffeciſſet gratia ſeu illuſtratio intellectûs; quæ proinde, & conſequenter actus ipſe fidei, non ſufficiat in homine lapſo ad actum v. g. ſpei aut dilectionis, ob impedimenta naturæ corruptæ, malam concupiſcentiam boni cupiditate divinitùs voluntati immiſſâ vincendam.

47. Objicitur ab aliis Auctoribus *Cap.* 3. *Concilii Milevitani: Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur, ad ſolam peccatorum remiſſionem valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Ex quo conantur inferre gratiam juſtificantem ſimiliter valere ut efficiantur actus ſupernaturales. Reſp. non loqui Concilium de gratia habituali, præſertim ſolâ, ſed ſaltem ſimul de actuali: idque cõtra *Pelagium*, qui admittebat quidem gratiam remiſſionis peccatorum præteritorum, ſed volebat non dari juſtificatis donum gratiæ quod valeat ad vitanda peccata futura, ad quod dicebat ſufficere vires liberi arbitrii. Unde vult Concilium, quòd per gratiam in qua juſtificamur (quæ comprehendit etiam diſpoſitiones ſive gratias actuales) etiam præſtetur, ut vitemus peccata futura, quia ad hoc videlicet non ſufficiat liberum arbitrium. Quæ expoſitio manifeſtè colligitur ex *cap.* 4. ubi ſub gratia juſtificationis etiam comprehendit revelationem doctrinæ fidei vel externam prædicationem, ſed addit illam non ſufficere, verùm *per eamdem gratiam præſtari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus.* Et quamquam de ſola gratia habituali eſſet ſermo, verificari poſſet ipſam cum ceteris donis infuſis valere ad adjutorium ut eliciantur actus ſupernaturales, ad quos adjuvat per modum principii; etſi in uſu dependeret ab actuali motione Dei, uti illam dependere à nobis probatum eſt. *Oppoſita doctrina nõ favet Concilium Milevitanum.*

48. *Specialius gratiæ auxilium requirit juſtus ad diu vel uſque in finem perſeverandum in juſtitia ſine peccato mortali.* DICO II. Homo juſtificatus non poteſt longo tempore, præſertim uſque in finem vitæ, ſtare in juſtitia, omneque peccatum mortale vitare, ſine ſpeciali auxilio gratiæ divinæ. Eſt certum apud omnes. Et patet ex iiſdem fundamentis, ex quibus *quaſt.* 3. oſtenſum eſt non poſſe hominem lapſum ſine ſpeciali gratia diu ſervare totam legem naturæ, aut vehementem aliquam tentationem vincere: quæ pariter probant præſentem Concluſionem.

Præterea idcirco in ſcriptura monentur juſti ad vigilandum & orandum, ne cadant vel intrent in tentationem: ipſeque Chriſtus ſic orare docuit *Matth.* 6. Similibus quoque orationibus plenus eſt Liber Pſalmorum. Apoſtolus quoque *ad Rom.* 14. ait: *Stabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* & 1. *ad Theſſal.* 3. & 2. *ad Theſſal.* 2. & 3. Chriſto adſcribit confirmationem cordium noſtrorum in ſanctitate.

His accedit *Arauſicanum can.* 10. dicens: *adjutorium Dei etiam ſanctis ſemper eſſe implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Et *can.* 19. dicit *hominem ſine gratia Dei non poſſe cuſtodire ſalutem quam accepit.* Et *Trid. ſeſſ.* 6. *can* 22. ait: *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Præterea *Caleſtinus Papa Epiſt. Gall. c.* 6. dicit neminem renatum *idoneum eſſe ad ſuperan-*

perandas diaboli inſidias, & evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit. Liberius Papa Epiſt. 2. Nihil eſt (inquit) *quod nos diu ſtare faciat, niſi gratia.* Si plura Patrum & Scripturæ Teſtimonia deſideres, adi *Vega l. 12. in Trid. c.21. & 22.* Plures tamen ex prædictis Auctoritatibus potiſſimùm loquuntur de perſeverantia diuturna, quæ eſt uſque in finem. Pro cujus meliori intellectu

49. *Triplex genus perſeverantiæ declaratur.* Nota triplicem poſſe conſiderari perſeverantiam in gratia. Prima eſt per tempus notabile, & uſque ad mortem. Secunda per tempus quidem notabile, non tamen uſque ad mortem. Tertia uſque ad mortem, ſed non per tempus notabile, quia ſcilicet mors non diu poſt juſtificationem ſequitur, & interea ſe non offert ſpecialis difficultas aut tentatio. Perſeverantia primo modo dicitur propriiſſimè talis; ideoque qui tandem deficit, etſi diu ſteterit, non dicitur perſeveraſſe, ſcilicet uſque in finem. Secundus perſeverantiæ modus ſatis quoque exprimitur in variis auctoritatibus, & requirit eamden gratiam quam præcedens, ſcilicet tum internam, tum externæ protectionis: qualis etiam requiritur ad diuturnam obſervantiam legis naturæ: eſtque utrobique idem neceſſitatis fundamentum, ſcilicet rebellio carnis contra ſpiritum (quæ per gratiam ſanctificantem non ſanatur, per quã homo ſanatur ſolùm quantùm ad mentem) & tentationes ac inſidiæ diabolicæ, ceteraque impedimenta naturæ corruptæ. Perſeverantia tamen primi modi requirit præterea ſpecialem gratiam externam, quòd ſcilicet Deus mortem tali tempore ordinet, quo homo in gratia jam infuſâ perſiſtit. Et hæc poſtrema gratia, eaque ſola neceſſariò reperitur in tertio perſeverantiæ modo. Quam ſæpè exaggerat *Auguſtinus*, allegans illud *Sap. 4. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Unde etiam ad parvulos, qui ante adultam ætatem moriuntur (& conſequenter ad adultos mox poſt juſtificationem morientes, antequam aliqua difficultas vel tentatio aut præceptum ſpecialem gratiam exigens occurrat) ſpeciale donum perſeverantiæ eſſe extendendum, patet ex *Aug. l. De bono perſeverantia c.17.*

50. Petes, An ſit eadem neceſſitas gratiæ in natura pura, natura lapſa, & natura integra ſeu qualis erat in ſtatu innocentiæ?

Qualis auxiliorum neceſſitas fuiſſet in natura pura. Reſp. in natura pura eadem ferè fuiſſet neceſſitas, quæ in lapſa: quia fuiſſent ſimilia impedimenta, quantùm ad rebellionem partis inferioris, & ceteras imperfectiones, quæ ſunt in natura corrupta: niſi fortè quòd abfuiſſent inſidiæ ſeu tentationes dæmonum. Equidem auxilium tunc neceſſarium fuiſſet merè naturale: uti finis fuiſſet merè naturalis, ſimiliter media ſive opera præcepta. Quod autem ad naturam integram ſpectat, ea indiguiſſet gratiâ ad implendam legem Theologicam & exercendos actus ſupernaturales: cùm actus iſti vires etiam phyſicas naturæ ſimpliciter excedant ob eorumdem in entitate ſupernaturalitatem. At legem naturalem implere & opera moraliter honeſta exercere ſine difficultate potuiſſet etiam citra ſpeciale auxilium: ſiquidem abfuiſſent impedimenta naturæ corruptæ, in quibus hæc gratiæ neceſſitas fundatur. Quãquam naturæ liberæ ea ſit mutabilitas, quòd ſine ſpeciali auxilio inter plurimos aliqui facilè etiam in iſto ſtatu defeciſſent ab obſervantia honeſtatis moralis; prout in prima tentatione defecit primus homo. Immo in ſingulis neceſſariam fuiſſe gratiam ſpecialem ſaltem externam, ad obſervantiam legis naturæ uſque ad finem vitæ, Nonnulli exiſtimant. *Qualis fuerit in natura inſtituta & integra.*

An verò vel qualis ſit diſtinctio inter hominem integrum & lapſum quoad neceſſitatem & qualitatem divini adjutorii à donis habitualibus diſtincti ad actus ſupernaturales ipſamque perſeverantiam, eſt quæſtio ſatis perplexa, pro cujus ſolutione vix pauca habentur ex doctrinâ revelatâ. Nos quædam huc ſpectantia ex *Stephano Dechamps* allegavimus *d. 1. n. 26. 27. & 28.* Id in genere ſatis conſtat: potentiori nunc hominem indigere auxilio, quo ſcilicet naturæ infirmitas ſanetur & adverſus rebellem concupiſcentiam invincibilis perſiſtat, juxta *Auguſtinum l. de corrept. & grat. c. 11.* Quòd inſuper gratia ſit jam ſpecialiori quâdam ratione talis, utpote beneficium collatum poſitivè indignis & demeritis. Quibus non obſtantibus manet penes liberum arbitrium gratiæ obſequi vel non obſequi, perſeverare vel non perſeverare. 51. *Diſcrimen inter hominem integrum & lapſum.*

Si autem quæratur, cur igitur dici nequeat homo lapſus ſtare ſeu perſeverare per liberum arbitrium? Reſp. id quodam ſenſu catholico ab omnibus dici poſſe & debere: cùm juxta fidem per liberum arbitrium, gratiâ ſcilicet adjutum, mereamur & bona uſque in finem operemur. Neque ſatis efficaciter hactenus oſtenſum eſt *Auguſtinum* uſquam negaſſe hanc formulam loquendi, ſanè, ut præfatum eſt, intellectam. Quare autem de Angelis id ſpecialiter aſſerat *l. de corrept. & gratia c. 11.* dictum eſt *d. 1. n. 28.* 52. *An rectè dicatur homo perſeverare per liberum arbitrium, ſuppoſitâ gratiâ.*

Petes, quid *Auguſtinus ſup. c. 12.* intelligat per adjutorium quo; quod videtur facere proprium homini lapſo, & diſtinguit ab adjutorio ſine quo non, quale habuit homo integer, ſine quo perſeverare non poterat, non tamen quo fieret ut perſeveraret; cùm è contra per adjutorium quo perſeverantia ipſa donetur, cum quo non niſi perſeverantes ſint? Reſp. hanc diſtinctionem eſſe difficilem, cujus hoc uno loco poſt *Pelagianos* jam devictos meminit: à quâ proinde 53. *Quid Auguſtinus intelligat per adjutorium quo perſeverantia.*

inde cardo rei non pendet, quàmvis eam *Calvinus* fruſtrà toties ingeminet ad ſtabiliendam gratiam neceſſitantem. Dupliciter autem explicari poteſt. Primò fortaſſe, ut adjutorium quo ſignificet efficacem motionem ipſius voluntatis: quæ juxta varios in Angelis aut homine integro non fuit neceſſaria, etſi in perſeverantibus fuerit gratia ſpecialis & cõgrua intellectûs ac divinæ protectionis. Secundò, ut per adjutorium quo perſeverantiæ non intelligatur cauſa efficiens perſeverantiæ, ſed formale, ſeu adjutoriũ quo formaliter aliquid fit: ſicut *calidus calore caleſcit, frigidus frigore frigeſcit, velox velocitate velox fit &c.* ut ait *Aug. in Pſ.* 147. Unde *l. de corrept. & grat. c.* 12. adfert pro exemplo adjutorii quo ipſam beatitudinem, quæ *cùm data fuerit continuò fit* homo *beatus. Adjutorium eſt enim .... quo fit propter quod datur &c.* Sic autem intelligendo habuerunt etiam Angeli ſancti adjutorium quo perſeverantiæ ſeu ipſam perſeverantiam; non autem homo integer (de quo ſolo loquitur *Auguſtinus*) quàmvis habuiſſet, ſi perſeveraſſet: adeòque ſic non eſt hoc adjutorium homini lapſo proprium: utpotè quod eſt efficax, ipſam actualem Dei operationem & concurſum, atque adeò effectum ipſum perſeverandi includens, ac proinde formaliter faciens perſeverantem.

DISPUTATIO TERTIA.

De Sufficientia Gratiæ ad Salutem.

QUÆSTIO I.

An omnes Iuſti habeant ſufficiens auxilium ad obſervantiam mandatorum Dei & perſeverantiam?

1. *Omnes juſti habent gratiam quâ poſſunt implere mandata & vitare omnia mortalia:*

DICO I. Omnes juſti poſſunt cum Dei gratia implere mandata Dei, & vitare omnia mortalia. Eſt de fide contra Hæreticos recentiores, qui adeò hoc juſtis denegabant, ut illos in omni opere peccare exiſtimarent. Item contra *Janſenium*, qui exiſtimabat non omnibus gratiam ſufficientem dari, ad præcepta Dei implenda. Unde hæc erat ejus propoſitio: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia; Deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant.* Quam velut temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam declarat, & uti talem damnat *Innocentius X.* in Bulla contra *Janſenium*.

Prout definit Eccleſia.

Idem patet ex *Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Et *c.* 11. ait, *neminem debere temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini juſtificato, ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet: ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt & onus leve.* Similiter *Arauſicanum can. ult.* ait: *Hoc ſecundùm fidem catholicã credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ omnes Baptizati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ubi manifeſtè ſupponitur omnes habentes gratiam Baptiſmi habere vires ſufficientes, ut velint fideliter laborare. Sicut dum *Tridentinum* dicit hominem poſſe diſſentire gratiæ ſi velit, ſupponit hoc ipſum velle eſſe in hominis poteſtate: & ſicut dum apud *Auguſtinum*, & alios ſcriptores legitur Adamum cum Dei adjutorio potuiſſe perſeverare, ſi voluiſſet; omnes intelligunt hoc ipſum velle fuiſſe in poteſtate Adami. Unde expoſitio illorum qui dicerent *Arauſicanum* ſolùm definire, quid homo poſſit ſuppoſito quòd velit fideliter laborare, nõ tamen definire quòd hoc ipſum velle poſſit, meritò videtur Wiggers *q.* 109. *art.* 10. tantùm eſſe cavillatio aliena à mente Concilii; prout etiam rectè probat.

Probatur præterea veritas Catholica ex Scriptura *Eccli.* 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Deuteron.* 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt. Matth.* 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et aliis locis. 2. *Idem tradit Scriptura.*

Specialiter autem contra Hæreticos Scriptura apertè teſtatur aliquos ſaltem fuiſſe perfectos obſervatores mandatorum Dei; ut de Henoch *Gen.* 5. De Noë *Gen.* 6. De Abraham *Gen.* 22. De Job *c.* 1. De David 3. *Reg.* 11. De Zacharia & Elizabeth *Lucæ* 1. Quòd ſi dicant Hæretici Henoch peccaſſe quando ambulavit cum Deo, Noë quando fuit vir juſtus atque perfectus, Abraham quando obedivit voci Dei, Job quando fuit ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo, David quando fuit vir ſecundùm cor Dei, Zacharias & Elizabeth quando inceſſerunt in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela; certè oſtendunt Sectarii eſſe ſe de illorum numero, quibus loquitur *Iſaias c.* 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

Proba-

3. *Et Patres.*

Probatur inſuper ex auctoritatibus Patrum. *Tertullianus l. 2. contra Marcionem* ait: *Non poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate. Chryſoſt. Hom. 8. De pœnitentia: Dominus haud mandat impoſſibilia. Leo Papa ſerm. 16. De paſſione: Juſtè nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio. Hieronymus l. 1. contra Pelagian. Fatemur poſſibilia Deum dediſſe mandata, ne ipſe auctor injuſtitiæ ſit, ſi exigat fieri quod fieri non poteſt.*

Signanter Auguſtin.

Denique idem tradit *Auguſtinus* plurimis locis; ſignanter *l. De fide contra Manich. c. 10. Quis non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Et *l. De nat. & gratia c. 69. Firmiſſimè creditur Deum bonum & juſtum impoſſibilia non potuiſſe præcipere:* & *Tract. 53 in Joan. Audiamus Dominum & præcipientem & opitulantem; & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.* Huc etiam faciunt teſtimonia, quæ probant juſtis adeſſe ſufficiens auxilium ad perſeverandum in juſtitia: quæ ſeq. Concluſ. adferentur.

4. *Et manifeſta ratio.*

Ratio veritatis Catholicæ eſt: quia eſſet tyrannicum, quòd Deus imperaret impotenti obedire, nec tamen ei vires ad obediendum præberet. Immo cùm ſecundùm Adverſarios deficiente gratiâ peccatũ nullo modo poſſit caveri, nec ab eo liberum ſit abſtinere, ſequitur tollendam fore rationem peccati; ut patet ex dictis *Tract. 2. d. 2. q. 1.*

Reſponſio adverſariorum eliditur.

Nec juvat Adverſarios, quòd reſpondent peccato originali eſſe ademptam poteſtatem implendi mandata: hoc enim non juſtificat ipſa mandata; nec ſufficit ad novam culpam; præſertim ſi impotentia per culpam veterem contracta ſincerè fuerit condonata; uti per Baptiſmum condonatur. Si namque herus mancipio, quòd ſuâ culpâ perſonali manus pedeſque fregiſſet, culpam iſtam ex animo condonet, non poteſt poſtea illi imponere, ut currat vel ambulet, & non obtemperantem ſeverè caſtigare. Simili autem modo ſecundùm Adverſarios faceret nobiſcum Deus; immo adhuc pejùs, cùm impotentiam iſtam ſolùm contraxiſſemus per voluntatem alienam. Confirmatur: quia alioquin poterit Deus præcipere cæco nato, ut videat, conjugatis ut ſine libidine proles generent; hominibus lapſis ut non infirmentur vel moriantur; quia etiam omnes hæ impotentiæ oriuntur ex peccato originali. Prout ex eo quoque oritur, quòd indeliberatis concupiſcentiæ motibus, atque ignorantiæ, in materia præſertim juris naturalis, ſimus ſubjecti: nec tamen hi motus aut quæ ignoranter committimus ad culpam propriè dictam deputantur, prout antea ſuis locis oſtenſum eſt, ac de ignorantia invincibili fusè contra *Janſenium* oſtendit *Dechamps lib. 3. d. 5.*

5. *Juſtis non deeſt ſufficiens gratia ad perſeverandum in juſtitia.*

Dico II. Omnes juſti habent auxilium ſufficiens ad perſeverandum in juſtitia uſque ad finem. Eſt certa doctrina apud omnes Theologos contra Hæreticos recentiores, & contra *Janſenium*. Probatur primò ex *Arauſicano can. ult. cit. præcedenti Concluſione*, & ex aliis Auctoritatibus ibidem allegatis: ſi enim juſti poſſunt implere omnia Dei mandata, & vitare omnia mortalia, conſequenter poſſunt perſeverare, quòd non eſt aliud, quàm juſtum non peccare mortaliter.

6. *Quod ſpecialiter probatur ex doctrina Concilii Tridentini.*

Specialiter autem probatur Concluſio ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 14. De Sacramento Unctionis in proœmio*: ubi docet, quòd Chriſtus *auxilia maxima in Sacramentis præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros dum viverent, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint.* Penes Chriſtianos igitur eſt ejuſmodi auxilia obtinere. Deinde idem *Trid. ſeſſ. 6. c. 13.* poſtquam docuerat juſtum citra ſpecialem revelationem non poſſe certum eſſe de munere perſeverantiæ, ſubdit: *tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debẽt. Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonũ, ita perficiet operans velle & perficere.* Ubi manifeſtè docet Concilium Deum non deeſſe in præſtãdo auxilio ſufficienti, niſi ipſi juſti ex ſua parte defuerint. Quare ineptè verba Concilii detorquentur ad gratiã habitualem, quaſi velit Deum non privare nos gratiâ habituali, niſi nos peccemus mortaliter. Contextus enim clamat, quòd Concilium agat de gratia actuali. Aliàs etiam ratio Concilii eſſet ridicula; ſenſus enim foret: Omnes juſti firmiſſimè ſperare debent in Deo, quia Deus ab illis non aufert gratiam habitualem, antequam peccent mortaliter. Hoc enim non juvat ad ſperandam perſeverantiam, niſi ſciatur non defuturum auxilium ad gratiam habitualem peccato non amittendam.

7. *Alter locus Tridentini contra ſiniſtram quorumdam explicationem ſtabilitur.*

Æquè inepta eſt explicatio alterius loci *Tridentini* de gratia habituali, videlicet quod *ſeſſ. 6. c. 11.* dicit: *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi priùs ab eis deſeratur*: ita enim loquitur *Tridentinum*, tum ut oſtendat auxilium divinum (cum quo dixerat præcepta eſſe obſervatu poſſibilia) nemini juſtorum deeſſe: tum ut probet (quod immediatè præmiſerat) juſtos ſobriè, juſtè & piè viventes proficere poſſe per Chriſtum. Idem patet ex eo, quòd ſimiles locutiones *Auguſtini* ſint intelligendæ de gratia actuali; ut clariſſimè ex contextu patet.

Similis locutio Auguſtini & Proſperi, Deus non deſerit niſi priùs deſeratur, *exponenda eſt de gratia actuali.*

Sicut illud quod habet *l. De nat. & gratia c. 26. Ipſe autem Deus cùm ad perfectam ſanitatem, hoc eſt perfectam vitam, juſtitiamq́; perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtèque vivatur.* Et infrà: *Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus.* Et *in pſalm. 145. Non*

enim

enim deſeret opus ſuum (ſcilicet per auxilium, de quo erat ſermo) *ſi ab opere ſuo non deſeratur.* Similes locutiones eodem modo intelligendæ reperiuntur apud *Proſperum Reſponſ. 7. Ad objectiones Vincentianas* & alibi. Ex quibus proinde Patrum ſententiis etiam ſtabilitur Concluſio.

Adducuntur alia loca Auguſtini.

His adde illud *Aug. l. 2. De peccat. merit. & remiſſ. c. 17. Gratia Dei eſt, qua hominũ adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur; in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Et *l. De corrept. & grat. c. 7.* oſtendens non valituram excuſationem illorum, qui poſt Baptiſmum non perſeveraverunt dicentes: *Perſeverantiam non accepi*, rationem dat dicens: *Quoniam poteſt dici: Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles.*

8\. *Ratio Concluſionis deſumitur ex verbis Auguſtini.*

Ratio Concluſionis fundatur in divina benignitate: *Si enim* (ut ait *Auguſtinus* in illud *pſalmi 7. Juſtum adjutorium meum à Domino*) *medicinam exhibet, quâ ſanentur infirmi; quantò magis eam, quâ cuſtodiamur ſani?* immo (ut ibidem notat *Auguſtinus*) auxilium hoc quodammodo pertinet ad juſtitiam, uti illud quod accipit peccator, ad miſericordiam, dicens: *hîc autem juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur.*

Confirmatur ex officio fidelis Samaritani.

Sanè Deus non ageret partes fidelis Samaritani, ſi peccatorem jam à peccatis ſanatum abſque nova cauſa neceſſario adjutorio deſtitueret: ageret enim inſtar illius, qui peregrino, à quo læſus fuerat, omnem offenſam ex animo dimitteret, & poſtquam plagis alligatis in humeros ſublatum & bene ſperare juſſum versùs domum ſuam deportare cœpiſſet, humeros eidem nil minùs cogitanti & neceſſariò caſuro ſine nova offenſa ſubduceret; quin & plagis eumdem exciperet ad vindicandum ejuſmodi neceſſarium caſum.

9\. *Gratia quæ juſtis adeſt non ſemper eſt proximè ſufficiens.*

Dico III. Non omnes tamen juſti habent auxilium proximè & immediatè ſufficiens ad vitandum omnia peccata mortalia & perſeverandum in juſtitia, quaſi nimirum præſens gratia & auxilium abſque aliis viribus ſemper ſufficiat ad tentationes ſuperandas, & opera pietatis exercenda; ſed habent ſufficiens ſaltem remotè & mediatè, quatenus per præſentes vires ſeu gratiam poſſunt orando aut aliquid aliud præſtando impetrare ulteriores vires & gratiam proximè ſufficientem. Hoc nãque ſufficit dictis Conciliorum & Patrum, immo apertè ab iiſdem inſinuatur, dum inculcant neceſſitatem orationis.

Quæ per orationem eſt impetranda.

Sic *Innocentius I. Epiſt. ad Cõcilium Carthaginenſe* dicit non poſſe vinci à nobis tentationes, *niſi magnis precibus gratia Dei in nos implorata deſcendat.* Quod etiam docet *Caleſtinus in Epiſt. ad Gallos c. 6.* Idem ſupponit *Trident. ſeſſ. 6. c. 11. Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quæ verba deſcripſit ex *Aug. l. De nat. & gratia c. 43.* Idem *Aug. l. De grat. & lib. arb. c. 16.* ait: *Quædam jubet quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Similia habet alibi frequenter. Orantibus itaque non deerit in neceſſariis, juxta illud Chriſti *Joan. 15. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Quòd ſi quis ex inadvertentia aut aliàs inculpabiliter orare omiſerit, adhuc credendum eſt Deum ſuâ gratiâ non deeſſe; ne obſervantia præcepti ſit impoſſibilis & lapſus neceſſarius phyſicè vel moraliter. Alioquin experientia docet Directores conſcientiarum, quòd defectu fervidæ ac frequentis orationis multi in peccata relabantur gratiâ congruâ deſtituti, ii præſertim qui in propria carne vel ex pravis habitibus periculum patiuntur; cùm tamen à lapſu cuſtodiantur, dum ſtudio orationis incumbunt.

Dico IV. Non omnes juſti poſſunt dici habere donum ſeu munus perſeverantiæ. 10. Patet ex *Trid. ſeſſ. 6. c. 13. & can. 16.* Hoc namque magnum munus eſt propriũ ſolis prædeſtinatis: per illud enim infallibiliter donatur ipſa perſeverantia, ſic ut cum illo non niſi perſeverantes ſint, qui illud habent, juxta *Auguſtinum De corrept. & grat. c. 12.*

Non omnes juſti habent donum perſeverantiæ.

Unde qui habent poſſibilitatem perſeverandi, etſi poſſint dici habere adjutorium perſeverantiæ, quo ſcilicet perſeverare poſſint; non tamen ipſius perſeverantiæ donum, etiamſi per multum temporis in juſtitia perſeveraverint: nam (ut ait *Aug. l. De bono perſev. c. 1.*) *hanc de qua nunc agimus perſeverantiam nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeveraverit uſque in finem.*

Etſi omnes habeãt poſſibilitatem perſeverandi.

Conſiſtit itaque munus perſeverantiæ in eo, quòd Deus quibus vult donet tam congrua gratiæ præſidia, quibus ipſi muniti noſcuntur infallibiliter permanſuri in gratia habituali ſaltem tempore mortis. Hoc autẽ facit Deus, partim excitando & corroborando mentem electorum, ut nullis difficultatibus aut tentationibus cedant; partim eas amovendo, & peccandi occaſiones præcavendo; partim evocando ex hac vita, quos novit, ſi ſupervivèrent, lapſuros. Ita *Malderus q. 109. art. 10. dub. 2.*

Ex his patet differentia inter donum 11. perſeverantiæ, & donum confirmationis in gratia: prius enim commune eſt omnibus electis, & ad illud ſufficit auxilium finale efficax, etſi in vita quis ſæpè permiſſus fuerit labi: poſterius autem præterea includit quamdam continuationem auxiliorum efficacium per totam vitam. Quare conſiſtit in eo, quòd Deus homini per totum vitæ ſubſequentis decurſum ſubminiſtret talia gratiæ auxilia & talem protectionem externam, cum quibus infallibiliter novit hominem liberè vitaturum omnia mortalia.

Differentia aſſignatur inter donũ perſeverantiæ & donum confirmationis in gratia.

Hoc donum conceſſum eſt B. Virgini. Idem creditur de Joanne Baptiſta (de quo id ex-

Quibus conceſſum

fuerit donum confirmationis in gratia.

id expreſſerunt *Auguſtinus, Gregorius, Beda, Bernardus*) & Jeremiâ ſimiliter ſanctificato in utero. De Apoſtolis quoque cenſent Doctores, quòd à tempore accepti in Penthecoſte Spiritûs ſancti fuerint deinceps in gratia confirmati. Piè quoque creditur, & indicant vitæ Sanctorum, plurimas electas animas per totam vitam nũquam mortaliter peccaſſe. Et multò plures ſunt, quæ etiam poſt vitam aliquamdiu licentioſè tranſactam, à tempore perfectæ converſionis deinceps numquam aut vix ſentiunt fundatos culpæ verè mortalis remorſus. Quod in perſonis religioſis non eſſe rarum docet experientia eorum, qui conſcientias talium dirigunt. Ex quo mirè commendabilis eſt vocatio divina ad ſtatum Religionis bene formatæ.

QUÆSTIO II.

An Iuſti poſſint vitare omnia peccata venialia, & an aliqui per totam vitam omnia vitarint?

12\. *Iuſti per ordinaria auxilia non poſſunt vitare totâ vitâ omnia peccata venialia.*

DICO I. Sine ſpeciali Dei privilegio non poteſt homo juſtificatus per ordinaria gratiæ auxilia in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare. Eſt de fide contra *Pelagianos.* Et ità expreſsè definivit *Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 23. Et *c.* 11. docuerat, *in hac mortali vita quantumvis Sanctos & juſtos in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadere.* Deinde ſubdit: *Juſtorum illa vox eſt & humilis & verax: Dimitte nobis debita noſtra. Quod* (ut ait *Concilium Palæſtinum* ſeu *Dioſpolitanum*) *utique non veraciter, dicerent, ſi eſſent omnino abſque peccato.* Veraciter autem id Sanctos dicere & ſe peccatores fateri, definit quoque *Milevitanum c.* 6. & 8. ubi ait: *Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur debita non habere.* Similiter quod 1. *Joannis* 1. dicitur: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt;* definit *cap.* 6. id oportere dici non tantùm ex humilitate, ſed quia verè ſic eſt; ut colligit Concilium ex verbis quæ Apoſtolus mox ſubjungit: *Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus: qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi ſatis apparet hoc non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter dici. Deinde id colligit ex eo, quòd non dixerit Apoſtolus: *Nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt;* ſed, *Noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et *cap.* 7. refutat aliam reſponſionem *Pelagianorum* dicentium juſtos dum orant pro remiſſione, id facere pro aliis, qui ſunt in populo peccatores: quia Apoſtolus Jacobus juſtus & ſanctus *Epiſt. cap.* 3. aſſerit generaliter: *In multis offendimus omnes.* Et *Eccle.* 7. dicitur: *Non eſt homo, qui non peccet.* Et Daniel ſanctus & juſtus, cùm pluraliter dixiſſet *c.* 9. *Peccavimus, iniquitatem fecimus;* ut monſtraret ſe non tantùm de populi, ſed etiam de propriis peccatis loqui, ſubdit; *Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei.* De hac re vide *Auguſtinum toto libro De Perfectione juſtitiæ*, & *lib. De nat. & grat. cap.* 12. & *lib. De gratia Chriſti cap. penult.* Et *lib. De bono perſever. cap.* 2. teſtatur unum ex tribus quæ Eccleſia defendit adversùs *Pelagianos*, eſſe iſtud, *In quantacumque juſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Quod ipſum quoque experientia quemlibet juſtum ac pium docet.

Ratio Veritatis Catholicæ ſumitur ex humana fragilitate & continuâ impugnatione fomitis & dæmonis, aliiſque naturæ corruptæ impedimentis, & quotidianis, quæ in illa ſunt, occaſionibus ad venialia inducentibus; quas omnes ſemper & ubique præcavere aut repellere, aut iis reſiſtere non ſufficit humana fragilitas, etiam cum ordinariis gratiæ auxiliis, quæ juſtis ſolent conferri. 13.

In quo hæc impoſſibilitas fundetur.

Immo cum iiſdem auxiliis non poſſe communiter juſtos diu evitare omnia venialia etiam perfectè deliberata ob eamdem rationem veroſimilius eſſe cenſet *Malderus quæſt.* 109. *art.* 8. *dub.* 3. citans *Sotum* & *Suarez.* Quàmvis tempore brevi poſſint juſti vitare omnia omnino venialia, ut poſt *Hieronymum* & *Auguſtinum* tradunt Doctores. Quod tempus aliqui (inquit *Malderus ſuprà*) non rectè faciunt tam breve, quaſi prudenter juſtus non poſſit ſperare ſe vel uno die futurum ſine peccato veniali; eò quòd *Proverb.* 24. dicatur: *Septies in die cadet juſtus, & reſurget.* Eſt enim (inquit) veroſimilius ad unum diem aut aliquantò diutiùs poſſe aliquos juſtos, præſertim honeſtis exercitiis occupatos, & in timore Domini vigilantes, citra privilegium eſſe ſine peccato veniali: quàmvis non ad longum tempus; quod quidem pro varietate circumſtantiarum varium eſt, & punctim definiri non poteſt.

Cùm Ordinariis auxiliis videtur juſti communiter nõ poſſe longo tempore vitare omnia venialia perfectè deliberata: at brevi tempore poſſunt vitare omnia omnino.

Longiori tamen tempore poteſt quis abſtinere à venialibus deliberatis quàm ab imperfectè deliberatis, ut per ſe patet. Immo veroſimile eſt S. Joannem Baptiſtam præſertim (quo inter natos mulierum non ſurrexit major) aut etiam S. Joſephum poſt conjugium cum beata Virgine, aut Apoſtolos poſt confirmationem in gratia, numquam peccaſſe venialiter ex perfecta deliberatione, ſed tantùm ex quadam ſubreptione. 14.

Veroſimiliter nonnulli Sancti totâ vitâ aut longo tẽpore vitarunt omnia venialia perfectè deliberata.

Quo ſenſu verificetur illud: Septies in die cadet juſtus &c.

Ad Scripturam allegatam Reſp. veram lectionem omittere ly *in Die*: quod nec in Hebræo nec in Græco haberi, & in Biblia Sixtina omiſſum refert *Felix c. 5. De gratia difficult.* 8. Sicque citatur ab *Auguſt.* 11. *De civit. cap.* 31. ubi verba ſic explicat: *id eſt, Quotieſcumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit*, ſcilicet Sapiens. Atque eſto de peccato intelligatur, ſenſus eſſet: etſi ſæpiùs peccet juſtus, ſive quotieſcumque peccet, facilè reſurgit; ſic ut ly *Septies* ſit idem quod ſæpiùs, aut numerus ſeptenarius ponatur pro univerſitate; prout poni ſolet teſte *Auguſtino ſup.*

15. Dices: Si homo juſtus non poſſit vitare omnia venialia, ergo ea committendo non peccabit: nam nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Reſp. Neg. Seq. quia equidem ſingula ſeorſim & ſecundùm ſe vitare poſſet, ſi diligentiam debitam adhiberet; quam ſingulis vicibus dum peccat, liberè non adhibet, & certum eſt, quòd de facto circa aliqua non adhibebit, ob rationem ſuprà allegatam. Deinde impotentia ſeu impoſſibilitas iſta tantùm eſt moralis, quæ ſtat cum phyſica libertate, & ſufficit ad peccandum venialiter ſaltem. Et quamquàm Deus etiam nil moraliter impoſſibile præcipiat tamquam neceſſarium ad ſalutem; id tamen non debet extendi ad venialia, quæ non ſunt ita ſaluti repugnantia, & quæ non conſequitur onus tam grave, cùm non diſſolvant amicitiam Dei, facilèque obtineant veniam, & homini ad jugem humiliationem, majorem cautelam, ac divini auxilii implorationem deſerviant.

Quomodo juſti peccēt, ſi omnia venialia vitare non poſſint.

16. Petes, An poſſit juſtus cum ordinariis auxiliis citra privilegium ſaltem pœnitere de omnibus venialibus, & habere propoſitum ea vitandi. Reſp. affirm. & patet quotidianâ experientiâ, in illis præſertim, qui perfectioni ſtudent. Ratio eſt: quia poteſt juſtus habere talem diſplicentiam de omni offenſa Dei quà tali, ut ſtante tali diſplicentiâ nequeat adeſſe affectus ullius peccati. Et licèt non poſſit vitare omnia, ſufficit ut proponat ea vitare quantùm poſſibile erit cum auxilio Dei. Deinde poteſt proponere vitare ſingula, ſeu nullum admittere. Adde, non eſſe ita impoſſibile vitare omnia venialia, quaſi iſtud objectum ſit impoſſibile, ſi adſit, & perſeveret propoſitum, ſed ſolùm ideo, quia attentâ noſtrâ fragilitate, tale propoſitum, vel non ponitur, vel non permanet; etſi tale ſit, ut quando exiſtit, excludat omne peccatum. Unde impoſſibilitas hæc non fundatur in propoſiti inefficacia, ſed reducitur ad moralem impoſſibilitatem perſeverandi in tali propoſito: eſtque impoſſibilitas velut conſequens, de re ſcilicet poſſibili quæ numquam fiet.

Iuſti communiter cū ordinariis auxiliis poſſunt pœnitere de omnibus venialibus.

Dico II. Privilegio ſpeciali ſola Beata Virgo vitavit per totam vitam omnia etiam venialia peccata. Quod Beatæ Virgini illud privilegium fuerit conceſſum, tenet Eccleſia, ut expreſsè teſtatur *Trid. ſeſſ. 6. can.* 23. Ipſa ſiquidem fuit *ab omni contagione liberata & corporis & animæ & intellectûs*; ut dicitur in *Epiſtola Sophronii*, quæ refertur in 6. *Synodo act.* 11. & ab eadem approbatur *act.* 13. Ibidem etiam, & in aliis Conciliis Generalibus, in Liturgiis, & Scriptis Patrum, dicitur Sancta & immaculata, cum omnis ſcilicet peccati, præſertim actualis, excluſione. Unde de ea meritò *Auguſtinus lib. De nat. & grat. cap.* 36. ait: *De qua, propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem.* 17.

B. Virgo privilegio ſpeciali vitavit omnia venialia per totam vitam.

Quòd autem privilegium hoc nulli alteri puro homini ſit conceſſum, eſt communis doctrina, immo juxta *Wiggers q.* 109. *art.* 9. circa finem, ita videtur communis ſenſus Eccleſiæ habere: nam à generalibus locutionibus Scripturæ & Conciliorum non poteſt fieri exceptio ſine fundamento ſolido, ex auctoritate præſertim petito; quale nullum datur pro aliquo alio Sancto. Unde hoc privilegium temerariè ad multos Sanctos extenderetur: etſi *Malderus ſupra* non damnet ſentientes ſanctum Joannem Baptiſtam & beatum Joſephum poſt conjugium cum Beata Virgine vitaſſe omnia venialia. Verùm nec pro illis militat aliquod ſolidum fundamentum. Unde ſolius Beatæ Virginis *Aug. ſupra* & Doctores communiter meminerunt: etſi, ut ſuprà dictum eſt, veroſimiliter dicti Sancti vitarint venialia perfectè deliberata. Nec immunitati ſancti Joannis Baptiſtæ ab omni veniali favet illud deſumptum ex Hymno Eccleſiæ: *Antra deſerti teneris ſub annis, civium turmas fugiens petiſti, ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſes.* Nam inde ſolùm habetur, quòd ſtudioſè conatus ſit vitare omnia peccata, etiam ex genere venialia, videlicet ſermones peccaminoſos. 18.

Eaq́ ſola inter puros homines.

QUÆSTIO III.

An peccatores etiam obdurati habeant auxilium ſufficiens ad vitandum novum mortale?

Dico. Omnes peccatores etiam obdurati ſeu excæcati habent auxilium ſaltem remotè ſufficiens ad vitandum novum mortale. Concluſio eſt contra Hæreticos recentiores, & contra *Janſenium.* 19.

Peccatores etiam obdurati habent auxilium ſufficiens ad vitandum

novum peccatum mortale; Et quoad obduratos ſeu excæcatos contra *Gregorium Ariminenſem*, *Abulenſem*, & *Roffenſem*. Sed eam tradunt communiter Doctores ſine exceptione, eſtque juxta Varios Theologicè certa. Immo juxta *Smiſing Tract.* 3. *d.* 6. *num.* 135. & 168. eſt de fide.

Nam etiam his mandata Dei non ſunt impoſſibilia. Probatur ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ *q.* 1. citatis. Quæ generaliter ſignificant obſervantiam mandatorum Dei eſſe in manu hominum. Deinde *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 11. etſi præcipuè agat de juſtificatis, tamen ex *Auguſtino* generalem rationem allegat dicens: *Nam Deus impoſſibilia non jubet &c.* Prout etiam aliæ locutiones *Auguſtini* & aliorum Patrum (quas *q.* 1. *concluſ.* 1. allegavimus) generales ſunt: adeò ut temerariâ & à Patribus ſub anathemate dammatâ voce utantur, qui etiam de peccatoribus dicunt, præcepta Dei illis eſſe impoſſibilia. Quare *Tridentinum* ſpecificans juſtificatos non excluſit ceteros, ſed illos ſpecificare voluerunt Patres Concilii agentes contra Lutheranos ut ſaltem hoc admitterent, ut rectè notavit *Cunerus Petri Epiſcopus Leovvardienſis in Lectionibus Declaratoriis Tridentini ad ſeſſ.* 6. *c.* 11. Quas abſoluto Concilio dictavit in Conventu Fratrum Minorum Leovvardiæ. Ratio quoque aſſignata *q.* 1. *concluſ.* 1. pro juſtis, habet ſimiliter locum in peccatoribus.

20. *Idem adhuc ſpecialiter probatur ex Tridentino,* Specialiter autem de peccatoribus probatur Concluſio ex *Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 9. *De Sacram. Matrimonii*, ubi ſic definit: *Si quis dixerit poſſe omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.* Ubi loquitur etiam de illis, qui à tentationibus ſuperantur, & continentiâ carent, docens eſſe in poteſtate illorum eam habere, quia non deſunt vires gratiæ ad rectè petendum, nec Deus patitur nos tentari ſupra id quod cum gratia poſſumus.

Et Auguſtino, Probatur idem ex *Auguſtino l.* 50. *Homiliarum Hom.* 12. ubi ſic compellat peccatorem: *Cùm per Dei adjutorium in tua poteſtate ſit, utrùm conſentias diabolo; quare non magis Deo quàm illi obtemperare deliberas? ſi enim ſolus Diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes quo excuſari poſſes &c. Rogo ergo vos, quare ſatanas ſeducit ad peccandum, cùm Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire ſatanæ &c? Non enim diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet; nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit: nos diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille conſilium, ſed Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere vel repudiare quod ſuggerit.*

21. *Denique peculiariter* Denique quod ad obduratos ſive excæcatos attinet, probatur ſpecialiter Concluſio ex *Auguſtino in Pſalm.* 6. poſt med. ubi ait: *Dedit eos in reprobum ſenſum: nam ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur: ſed nondum penitus cùm in hac vita eſt. Idq; confirmat: & ideo non dixit* (ſcilicet Pſalmiſta) *extinctus eſt, ſed turbatus eſt ab ira oculus meus.* Et *Cõcione* 2. *in Pſal.* 58. ſub finem, dum probat *omnipotẽti medico nihil eſſe inſanabile*, ſic obduratum alloquitur: *Sed &, ſi nolis curari vulnus tuum, admonet ut cureris, & averſum revocat, & refugientem quodammodò ad ſe redire compellit, in omnibus implet quod dictum eſt: Miſericordia ejus præveniet me.* *idem probatur de obduratis ex eodem Auguſtino & ex Proſpero.* *Proſper* quoque enumeratis variis modis & ſpeciebus generalis gratiæ parciùs atque occultiùs hominum corda pulſante, de obduratis ita loquitur *l.* 2. *De vocat. gent c.* 13. *Quæ beneficia licèt obduratis nihil remedii attulerint, probant averſionem eorum non divinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed propriæ voluntatis.* Unde paulò antè de obdurato Cain dixerat Deum, *quantum ſufficiebat egiſſe, ut ab illo impietatis furore reſipiſceret; ſed malitiam pertinacem inde factam eſſe inexcuſabiliorem, unde debuit eſſe correctior.* Alias auctoritates *Auguſtini* allegabimus in Reſponſionibus ad objectiones.

Dices I. Scriptura de excæcatis Judæis aſſerit eos non potuiſſe credere; quod etiam frequenter aſſerit *Auguſtinus*; qui *l. De nat. & grat. c.* 22. de excæcato addit, *neceſſe eſſe, ut offendat, & cadendo vereatur, vexatuſque non ſurgat.* 22. *Quo ſenſu Judæi excæcati dicantur non potuiſſe credere,* Reſp. ex ipſo *Auguſtino Tract.* 53. *in Joan.* ubi de excæcatis Judæis ait: *Quare autem non poterant* (ſcilicet credere) *ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant.* Et *l. De grat. & lib. arbit. c.* 12. *Gratiam repellebant, & propterea in Chriſtum non credebant.* Unde non deerat ipſis gratia remotè ſufficiens, quâ ſi rectè uſi fuiſſent, obtinere potuiſſent gratiam proximè ſufficientem ad credendum. Alioquin non rectè *Auguſtinus* dixiſſet: *Non poterant credere, quia nolebant*, ſive (ut loquitur *l. De prædeſt. SS. c.* 6.) *quia noluerunt, non crediderunt*; ſed è contrà dicere debuiſſet: *Nolebant credere, quia non poterant.* Utuntur autem auctoritates vocabulo impotentiæ, ob defectum potentiæ proximæ, ſive ob impotentiam in ſenſu compoſito ipſius obſtinationis; prout *Auguſtinus Tract.* 53. *in Joan.* de excæcatis Judæis agens inſinuat his verbis: *Hinc & illi non poterant credere, non quia in melius mutari homines nõ poſſunt, ſed quam diu talia ſapiunt, non poſſunt credere.* *Item excæcati neceſſariò dicantur cadere.* Unde quod dicit, illos neceſſariò offendere & cadere, etiam eſt intelligendum de neceſſitate ſensùs compoſiti, pendentis ex propria libertate, ſuppoſito videlicet quòd gratiam repellant, & oculos aperire nolint: ſicut de homine nolente aperire oculos, & tamen incedente per viã foſſis abruptam, rectè diceretur, neceſſe eſſe ut cadat.

22\. *Objicitur locus difficilis Auguſtini de Pharaone obdurato.*

Dices II. *Auguſtinus in Expoſ. quarumdam propoſitionũ Epiſt. ad Rom. n.*62. de Pharaone obdurato ait: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Ergo juxta *Auguſtinum* defuit Pharaoni gratia ſufficiens ad obtemperandum.

Reſponſio quorumdã improbatur.

Mirantur quidam Viri docti, ſignanter *Eſtius* in Nota marginali M.S. ad hunc locum, quòd cum *Auguſtinus* non retractaverit. Cùm equidem non retractando tacitè probaverit, variè reſpondetur. Nam in primis reſpondent Quidam Pharaonẽ quoque non peccaſſe formaliter non obtemperando. Sed hoc eſt planè alienum à mente *Auguſtini*, qui oppoſitum manifeſtè ſupponit eodem loco, & *Tract.* 53. *in Joan.* monet, ne quis propter excæcationem audeat negare liberum arbitrium aut excuſare peccatum. Immo ipſe Pharao exiſtimabat ſe verè peccaſſe, cùm accedente novâ plagâ diceret *Exod.* 10 *Peccavi in Dominum.* Idem ſupponit Scriptura agens de excæcatis Judæis *Joan.* 15. ubì Chriſtus ait: *Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et *ad Rom.* 1. traditi in reprobum ſenſum graviſſimè reprehenduntur ob facta poſtmodùm patrata, propter quæ etiam morte dignos fuiſſe ibidem aſtruitur.

Vera Reſpõſio.

Quare Reſp. Pharaonem obdurato corde non potuiſſe obtemperare poteſtate proximâ, & in ſenſu compoſito ipſius obdurationis; potuiſſe tamen poteſtate remotâ & in ſenſu diviſo, quatenus poterat obdurationem cordis tollere, ad quod non erat omni gratiâ omnino deſtitutus. Unde *Auguſtinus ſerm.* 88. De tempore ait: *Nam & in tantum non eum Deus irrevocabiliter obduravit, ut poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimitteret, ſed etiam exire compelleret: quod enim decem plagas feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur.* Quod autem dicit *Auguſtinus* hoc illi non fuiſſe imputatum, quòd tunc non obtemperarit, intelligendum eſt de ſpeciali quadam imputatione: quia ſcilicet hoc non imputabatur ei tamquam primum peccatũ & cauſa obdurationis, quia ſcilicet hoc jam de ſupplicio veniebat, ut *Auguſtinus* immediatè præmiſerat; quia nimirum dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate, ut loquitur *Auguſtinus*. Addit *Malderus q.*111. *art.* 3. *dub.*6. quòd non imputabatur hoc Pharaoni, quòd tunc non obtemperabat, formaliter id intelligendo; ſicuti ſi quis dicatur nõ culpari, quòd clauſo oſtio non recipiat amicum, quàmvis non excuſetur à vitio inhoſpitalitatis. Quo non obſtante Pharao ſimiliter non obtemperando tunc formaliter peccabat, utpote obdurationem voluntariè cauſans & continuans.

23\. *Objicitur alius locus difficilis ex l. de corrept. & gratia.*

Dices III. *Auguſt. l. De corrept. & grat. c.*11. ait: *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniã non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt. Quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur non ſecundum debitum.* Ubì *Auguſtinus* apertè ſupponit quibuſdam deeſſe adjutorium ſufficiens. *Reſponſio I.* Reſp. in primis ſuppoſitionem iſtam *Auguſtini* non reſtringi ad ſolos obduratos; cùm tamen ceteris ſaltem non deſit gratia ſufficiens. *Reſpõſio II.* Deinde reſponderi poſſet cum Nonnullis *Auguſtinum* loqui de adjutorio abundanter & proximè ſufficienti. *Rejicitur.* Sed obſtat, quòd loquatur de tali adjutorio, cujus defectu Angelus vel Adam non peccaſſet, qui tamen peccaſſet, etſi tantùm habuiſſet adjutorium remotè ſufficiens, ſcilicet gratiam orandi. *Reſponſio III.* Unde Reſpondeo III. per adjutorium illud intelligi gratiam ſeu charitatem habitualem, in qua Angelus & primus homo fuit creatus, ſine qua non potuiſſet permanere in amore caſto Dei ſimilibuſque actibus quibus perſeverantia illi præcepta continebatur. Nunc autem qui iſto adjutorio carent, in pœnam carent peccati originalis vel actualis: quibus autem datur, id fit ſingulari beneficio gratię, nullatenus ſecundùm debitum; prout aliquo modo fiebat in primo homine, cui habitus ſupernaturales erant congeniti, & ex pacto divino omnibus (ſi Adam ſtetiſſet) in ipſa conceptione debiti.

QUÆSTIO IV.

An Peccatoribus etiam obduratis detur gratia ſufficiens ad pœnitendum de peccatis mortalibus commiſſis?

24\. *Peccatoribus etiam obduratis non deeſt gratia ſufficiens ad pœnitendum de mortalibus.*

DICO: Peccatores adulti, etiam obdurati, habent pro tempore & loco auxilium ſaltem mediatè ſufficiens ad pœnitendum de omnibus mortalibus. Eſt cõtra eoſdem Auctores, quos in principio *præced. quæſt.* allegavimus. Sed eam tenent communiter Doctores cum *D. Thoma q.* 24. *De veritate art.*11. Immo *Smiſing ſup. n.* 168. putat eſſe de fide.

Probatur ex Scriptura.

Probatur ex Scriptura, quæ generaliter omnes invitat ad ſalutem, adeòque ad pœnitentiam, ſine qua nulla ſalus lapſis: & conſequenter ſupponitur non deeſſe gratia, ſine qua ſalutaris pœnitentia eſt etiam phyſicè impoſſibilis. Deinde Scriptura alibi ſpecialiter invitat quoſvis peccatores ad pœnitentiam *Iſaiæ* 31. *Convertimini ſicut in profun-*

profundum (iniquitatum ſcilicet) *receſſeratis. Ezech.33. Convertimini à viis veſtris peſſimis. Nolo mortem impii, ſed ut convertatur &c. Joël. 2. Convertimini ad me &c. Zacharia 1. Convertimini ad me, & convertar ad vos &c. Sap.11. Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Et *c.* 12. *Quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos ſervorum tuorum* (ſcilicet infideles incolas terræ ſanctæ) *& deditos morti, cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia: cum quanta diligentia judicaſti filios tuos? Matth.* 11. *Venite ad me omnes qui laboratis.* 2. *Petr.*3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et ſpecialiter de obduratis *ad Rom.* 2. dicitur: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ.*

25. *Et ex Patribus,* Accedit auctoritas Patrum. *Chryſoſtomus Homil.* 16. *in Epiſt. ad Rom.* ait: *Tulit Deus Pharaonem multâ patientiâ ad pœnitentiam inducere volens: niſi enim hoc voluiſſet, tam diu eum non tuliſſet.* Vide eumdem *Homil. De Lazaro. Gregorius* 17. *Moral. cap.*4. ait: *Quiſquis delinquit & vivit, idcirco hunc divina diſpenſatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compeſcat. Auguſtinus in Pſal.*63. ſub finem, poſtquam aſſeruit peccatores divinæ gratiæ pluviâ perfundi, ideoque exclamaſſet: *Nonne erit pluvia illa teſtis in judicio Dei, & dicet: ego dulcis ſuper omnia veni?* mox ſubdit: *Numquid conſilii corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt locus, non eſt tempus? nonne ſi vis, hodie fit? nonne ſi vis, modò fit? &c.* Et *enarrat. in Pſalm.*102. longè poſt medium: *Quid tam longanimum, quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blaſphematur quotidiè, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam.* Vide eumdem *Conc.* 2. *in Pſalm.* 58. *ſub finem,* & varia teſtimonia, etiam de obduratis loquèntia, quæ allegauimus *quæſt. præced.*

Signanter ex Auguſtino,

Et ex Proſpero, Denique *Proſper lib.* 2. *De vocat. gent. cap.*26. De peccatorum Juſtificatione diſputans, poſt varia præclarè de multiformitate opitulationis divinæ per gratiam dicta, ſubdit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos ſive manifeſtos, omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia: quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratia eſt divina, & voluntatis humanæ.* Vide etiam verba ejuſdem *ex l.2.cap.*13. allegata *quæſt. præced.*

Atque ex praxi Eccleſiæ. Denique præcepta generalia Eccleſiæ lata pro omnibus fidelibus ad annuè confitendum & communicandum manifeſtè indicant omnibus etiam obduratis adeſſe ſufficiens auxilium ad ſalubriter pœnitendum; ideoque tranſgreſſores condemnat peccati mortalis novi, ac graviter in illos animadvertit.

Dixi in Concluſione dari *auxilium ſaltem mediatè ſufficiens*: ſatìs enim conſtat non omnibus peccatoribus etiam fidelibus dari auxilium proximè ſufficiens ad pœnitendum; cùm ne quidem juſti ad opera ſalutis aut perſeverantiæ ſemper habeant auxilium proximè ſufficiens. 26. *Auxilium pœnitendi non ſemper eſt proximè ſufficiens,*

Nec datur omni tempore. Deinde peccatores non habent omni tempore auxilium etiam remotè ſufficiens, v.g. ad orandum: multi enim ſæpè hîc & nunc ſunt iſtius auxilii, utì & pœnitentiæ incapaces, ſive ratione ſomni, ſive ratione ebrietatis, aut alterius defectûs usûs rationis, ſive etiam quia de converſione, aut pœnitentiâ nil penitùs cogitant. Ideoque diximus in Concluſione, *Auxilium mediatè ſufficiens dari omnibus pro loco & tempore,* ſcilicet quia non pro ſemper, ſed aliquando.

Unde etiam poteſt inter peccatum & pœnitendi incapacitatem tam breve ſpatium temporis intercedere, ac interea homo eſſe ita diſtractus ex aliis cauſis, & circumſtantiis (quas Deus non tenetur impedire; utì nec illas quæ mortem improviſam aut privationem usûs rationis adferunt) ut homo non ſit capax inſtinctûs gratiæ, quo ad pœnitendum proximè vel remotè excitetur.

Quod tamen non repugnat dictis de Sufficientia gratiæ: quia homo ſibi imputare debet, quòd in illum articulum incapacitatis (ut ita dicam) inciderit, ratione cujus jam eſt quaſi in termino: ante quem terminum ſi homo in peccatum cecidiſſet, Deus illum aliquando ad pœnitendum incitaſſet, aut certè dediſſet gratiam orandi, vel aliquid præſtandi, quo mediante ulteriora auxilia ad pœnitendum impetraſſet. Quare equidem abſolutè verum manet, quemlibet peccatorem pœnitere poſſe, ſi perfectè ſit rationis compos, & de converſione cogitet; maximè in tempore, quo urget pœnitendi obligatio. Nam tunc maximè præcurrit auxilio, qui inſtat præcepto. Et alioquin defectus pœnitentiæ non eſſet culpabilis aut punibilis. 27. *Quod non repugnat prædictis de ſufficientia gratiæ.*

Dices I. *Eccle.* 7. dicitur: *Conſidera opera* id eſt, judicia *Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.* Reſp. I. cum *Hieronymo* & aliis, quòd nemo poſſit corrigere in operibus Dei defectum naturæ v.g. cæcitatem, gibboſitatem, parvitatem &c. Unde in aliis Tranſlationibus habetur *curvaverit,* ſeu *deflexerit,* loco *deſpexerit.* Reſp. II. intelligendo hunc locum cum aliis de curvitate morum (quæ eſt à Deo permiſſivè ſeu eo modo, quem *Tract. de Deo Uno diſp.* 7. *n.*38. & 39. tradidimus

didimus de excæcatione ſeu obduratione) ſic deſpectum nemo poteſt corrigere, quia videlicet id difficillimum eſt. Quod eodem ſenſu, & in Hebræo iiſdem verbis præmiſſum fuerat *cap.* 1. *Perverſi difficilè corriguntur.* Nempe ob gratiæ parcitatem & voluntatis obſtinatam malitiam, ut proinde in ſenſu compoſito ſit impoſſibile; etſi ſimpliciter poſſibile ſit eos cum præſenti gratia ulteriorem acquirere, ſicque mentem in melius commutare. Moraliter tamen id non fiet, niſi dextera Excelſi potenter ultra humanam induſtriam tangat hujuſmodi corda, uti Mariæ Ægyptiacæ & ſimilium.

28. *Objiciuntur quædam exempla,*

Dices II. *S. Greg.* 4 *Dialog. c.* 38. refert Chriſaorium vidiſſe dæmones illum ad infernum rapturos, & clamaſſe: *Inducias uſque mane*; ſicque inſeliciter mortuum eſſe; & addit: *Pro nobis iſta, non pro ſe viderat, ut ejus viſio nobis proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter exſpectat.* Et *Petrus Cluniacenſis l.* 1. *Miraculorum c.* 25. de quodam ſcelerato Sacerdote narrat eum jam moriturum clamaſſe, ſe jam eſſe judicatum & æternæ pœnæ addictum, nec orationem ſibi ampliùs prodeſſe.

Quæ explicantur.

Reſpondet *Lugo d.* 8. *De pœnit. n.*42. tales ob ſummam animi perturbationem tunc non potuiſſe perfectè attendere ad obligationem pœnitẽdi, nec habuiſſe ullam cogitationem de poſſibilitate converſionis; prout etiam aliqui perfectè ſibi compotes ex deſperatione judicant ſalutem ſibi impoſſibilem. Deinde in priori exemplo peccator ille petebat ſpatium pœnitentiæ, quod Deus non tenebatur dare; etſi non negaſſet gratiam pœnitendi pro tunc, ſi illam poſtulaſſet. Unde viſio iſta ei non profuit, ſed prodeſt nobis, ut ob incertum pœnitentiæ ſpatium illam non procraſtinemus. In poſteriori autem exemplo peccator iſte falsò deſperabat ex inſtinctu dæmonum ei falsò proponentium certam damnationem & ſententiam velut jam latam.

29. *An detur omnibus auxilium ſufficiens ad pœnitendum de omnibus venialibus.*

Pro fine nota Concluſionem agere de pœnitentia peccatorum mortalium, (ſive neceſſariâ ad ſalutem. Quod enim ad pœnitentiam de omnibus venialibus attinet, etſi in ea perfectiores ſe quotidiè exerceant: quia tamen multi ſemper in affectu habituali aliquorum venialium permanent, ſic ut numquam ſentiant aliquem inſtinctum ad deponendum illum affectum, vel ad orandum pro tali inſtinctu, vel ad præſtandum aliquid quo obtineant gratiam pœnitendi de omnibus venialibus; immo de hoc numquam cogitent: ideo *Smiſing de Deo uno Tract.*3.*d.*6.*n.*164. exiſtimat multis negari gratiam etiam remotè ſufficientem ad pœnitendum de omnibus venialibus.

QUÆSTIO V.

An Infidelibus detur auxilium ſufficiens ad Fidem, adeòque ad Juſtificationem & ſalutem?

30. *Ad juſtificationem infideles eatenus habẽt auxilium, quatenus ad fidem.*

QUÆSTIO hæc inſtituitur de Sufficientia gratiæ ad ſuſcipiendam fidem: nam ad pœnitendum de peccatis commiſſis infideles non aliter habent auxilium, quàm quatenus habent illud ad ſuſcipiendam fidem, utpote à qua dependet pœnitentia ſalutaris. Suppoſito etiam, quòd illis non deſit auxilium ſufficiens ad ſuſcipiendam fidem, facilè intelligitur ipſis non deeſſe auxilium ſufficiens ad juſtificationem & ſalutem.

Ad vitandum novum mortale non deeſt illis auxilium.

Quantùm autem attinet evitationem peccatorum novorum, auxilium ad hoc neceſſarium non pendet à fide; adeòque ex generali poſſibilitate mandatorum Dei, & vitandi novum mortale, ſequitur etiam infidelibus auxilium ad hoc neceſſarium non negari.

Ad fidem non datur omnibus auxilium ſufficiens proximè.

Porrò ad Fidem ſuſcipiendam non dari omnibus infidelibus auxilium proximè ſufficiens, experientiâ evidens eſt, inquit *Smiſing de Deo Uno Tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 156. ſunt enim & fuerunt omnibus ſæculis retroactis plurimi infideles, quibus fides non eſt prædicata; quomodo verò audire poſſunt ſine prædicante? aut quomodo credent, niſi audiant? juxta Apoſtolum *ad Rom.* 10. His præmiſſis

31. *Datur omnibus ſaltem remotè ſufficiens pro loco & tempore.*

DICO: Omnibus infidelibus adultis datur pro loco & tempore auxilium ſaltem remotè ſufficiens ad ſuſcipiendam fidem, adeòque ad juſtificationem & ſalutẽ; quo auxilio ſi rectè uterentur, acciperent ulteriora, uſque ad illud quod proximè ad fidem ſuſcipiendam ſufficeret. Eſt communis Doctorum, qui etiam de infidelibus intelligunt commune axioma: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Et expreſsè eamdem docet *D. Thomas lect.* 3. *in c.*10.*ad Rom.* & *in Quæſtionibus Diſputatis quæſt.*14.*De Fide a.*11.*ad* 1. ubì ait: *Si aliquis nutritus in ſilvis vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fugâ mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus per internam inſpirationem revelaret ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium Act.* 10. Quod autem de ſequendo ductu naturalis rationis ait, intellige cum auxilio gratiæ (prout ſeipſum explicat *D. Thomas lect.* 3. *in c.* 10. *ad Roman.*) quæ nimirum in ſubſtantia ſua eſt naturalis.

Et

Et quàmvis infidelis ſic agendo propriè non mereatur etiam de congruo gratiam fidei ſupernaturalis, vel diſpoſitionem ad illam; tamen novum non ponit obicem ſive impedimentum eidem, ob quod impedimentum plurimis infidelibus gratia ſupernaturalis negatur, etſi etiam illud ponentibus ſubinde concedatur juxta inſcrutabile conſilium divinæ voluntatis.

32. *Probatur ex Scriptura.* Probatur Concluſio: quia ſine exceptione dicitur *Joan.* I. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod de lumine gratiæ, quo hominibus datur poteſtas ut filii Dei fiant, intelligi, contextus probat, & ex communi Patrum expoſitione declarat *Janſenius Gandavenſis ibidem*: Et accedit ipſe *Auguſtinus l.*I. *De Gen. contra Manich. c.* 3. ubi de lumine gratiæ ait: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt: quod omnes homines poſſunt ſi velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.*

Præterea illud *Pſalmi* 18. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*; in eumdem Pſalmum ſcribens *Auguſtinus* ſic exponit: *Non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis: & ipſam enim penetravit verbi calor.* Huc etiam ſpectant generales locutiones Scripturæ, quibus omnes homines invitat ad ſalutem; quæ à fide ſumit initium. Similiter illa teſtimonia, in quibus continetur Deum velle omnium ſalutem, omnes redemiſſe, & mortem pro omnibus guſtaſſe: de quibus nonnulla *quæſt. ſeq.*

33. *Et auctoritate Patrum.* Accedunt præterea auctoritates aliorum Patrum, *Ambroſii in illud Pſal.* 118. *Miſericordiâ tuâ Domine plena eſt terra,* ubi docet myſticum ſolem juſtitiæ omnibus veniſſe: *Si quis autem* (inquit) *non credit in Chriſtum generali Beneficio ipſe ſe fraudat: ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat, non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore ejus ſe ipſe fraudavit: ſed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat; quod imprudentis eſt communis à ſe gratiam lucis excludit.* Gratiam intellige interiorem, de qua ſubdit: *Docet autem Deus & illuminat mentes ſingulorum, & claritatem cognitionis infundit, ſi tu aperias oſtia cordis tui, & cæleſtis gratiæ recipias claritatem. Proſper l.* 2. *De vocat.gen.c.*14. *Neque ob hoc* (inquit) *excuſabiles ſunt Nationes* (loquitur de infidelibus) *quia hæc abundantia gratia pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim ſemper eſt* (ut pergit. *Proſper cap.* 15. in principio) *univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſq́ gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Et *c.* 29. *Univerſati hominum (quod abundè probavimus) ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit: ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis &c.* Et *c.*31. *Elaboratum eſt, quantùm Dominus adjuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retrò ſæculis probaretur gratiam Dei hominibus adfuiſſe, providentiâ quidem pari & bonitate generali, ſed multimodo opere diversâque menſurâ: quoniam ſive occultè ſive manifeſtè, ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) ſalvator omnium hominum, maximè fidelium.* Vide eumdem *c.*19. & 25. & 28. Plures alios Patres citat *Smiſing Tract.* 3. *d.* 6. *n.* 159.

34. *Auxilium tamen hoc non datur omni momento.* Dixi in Concluſione, *pro loco & tempore,* quia non omni momento datur auxilium infidelibus etiam remotè ſufficiens ad fidem, ſive quia non omni momento ſunt capaces talis auxilii, ut cum dormiunt, ebrii ſunt, vel alio modo impediti, ſive quia hoc non eſt neceſſe ad ſufficientiam mediorum ſalutis, quantùm eſt ex parte Dei; ad quam ſatis eſt, quòd pro loco & tempore Deus hominem aliquando ſic excitet ad ſalutem, ut ſi tunc velit cum gratia adjuvante cooperari; poſſit vel immediatè fidem ſuſcipere, vel aliquid præſtare per quod obtineat ulteriora auxilia ad credendum: ſi autem id negligat, ſibi debeat imputare, quòd non ſalvetur.

Dices: Gratia Chriſti propria eſt ſolis Chriſtianis & fidelibus juxta *Auguſtinum l.De grat.& lib.arb.c.*13.& alibi. Et *Epiſtolam Synodicam Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exulum.* Reſp.phraſi quidem Auguſtinianâ Gratiam Chriſti vocari illam, quæ fidelibus in Chriſtum credentibus, præſertim prædeſtinatis, competit: præter hanc tamen dari aliam gratiam generalem, quæ datur omnibus hominibus ōniumq́ue corda pulſat, & nulli in totum fuit ſubtracta. Quæ etſi etiam ſit ex meritis Chriſti, ut tamen diſtinguatur contra gratiam Chriſti ſtrictè dictam, poſſet generatim vocari gratia Dei, aut gratia generalis, conformiter ad *Proſperum locis citatis* & *lib.*I. *De vocat. gen. cap.*21. Plura vide apud *Stephanum Dechamps lib.* 3. *contra Janſen. diſp.* 8. *cap.* II. & 12. Et *Antoninum Moraines diſp.* 21. *ſect.* 4. & 5. 35.

An vel quo ſenſu iſtud dicendum ſit gratia Chriſti.

QUÆSTIO VI.

An Deus providerit omnibus parvulis media ſufficientia ad ſalutem?

36. *Non omnibus parvulis Deus providit media proximè ſufficientia ad ſalutem.*

DICO I. Certum eſt Deum non providiſſe omnibus parvulis media proximè ſufficientia ad ſalutem. Patet: quia medium illis proximè ad ſalutem ſufficiens eſt illud ſolum, quod proximè ſufficit ad applicandum remedium contra originale, v. g. Baptiſmum in lege nova: tale autem multis deeſt: cùm illud ſit ſolus adultus ſciens v. g. baptizare, & ad hoc agendum ſufficienter proximè à Deo excitatus, ſive illud medium ſit ipſa divina excitatio adulti ad hoc agendum, ſuppoſitis ſcilicet mediis remotis, v. g. quòd non deſit aqua, quòd Baptiſmus ſit inſtitutus &c. Porrò hoc plurimis parvulis deeſſe, patet exemplo morientium in utero, vel illorum qui morte præveniuntur, etiam parentibus ad Baptiſmum eis procurandum feſtinantibus; item exemplo parvulorum infidelium, quibus plerumque adhuc valde remotiùs & mediatiùs eſt proviſum de remedio Baptiſmi ſive alio delectivo peccati originalis.

37. *Nullis tamen illud ex ſeipſo antecedẽter denegat ex intentione illos damnandi, ſed omnes quãtùm eſt ex ſe vult ſalvos fieri.*

DICO II. Nullis tamen parvulis Deus denegat auxilium proximè ſufficiens ad ſalutem, ſed omnes parvulos, uti adultos ex ſe & antecedenter vult ſalvos fieri, mediaque ex ſua parte adhibenda omnibus ad ſufficientiam præbere; ſic ut dici nequeat, Deum ex ſe ipſo & antecedenter nolle quibuſdam parvulis ſalutis remedium applicari, & ex hac intentione non tantùm permittere ſeu non impedire, ſed etiam diſponere cauſas, ut mortem adferant, antequam eis poſſit humanâ ope per ſalutis remedium ſubveniri. Eſt communis Doctorum contra *Vaſquez 1. part. diſt. 96. cap. 2.* qui falsò exiſtimat ſuam opinionem eſſe communem.

Quod probatur ex Scriptura.

Probatur Concluſio I. ex 1. *ad Timoth. 2.* ubì de Deo dicitur: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri.* Quod cum *Damaſceno* intelligit *Alexander Alenſis*, *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Scotus* & Scholaſtici communiter de divina voluntate antecedente ſalutis omnium & ſingulorum; adeòque non ſunt excludendi ulli parvuli: prout ſine fundamento vel auctoritate excludit *Vaſquez* intelligens Scripturam de ſolis adultis. Confirmat idem ſubjecta ratio Apoſtoli: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*; utique etiam pro parvulis. In voluntate autem ſalvandi omnes continetur, quòd omnibus quantùm eſt ex parte Dei provideatur de mediis aliquo modo ſufficientibus, & occurrente opportunitate aliquarum cauſarum ſeu mediorum ſalutis Deus ex parte ſua illam non deneget, ſic ut per ſeipſum non ſtet, ſed potiùs per homines aut alias cauſas, quòd non ſequatur ſalus.

38. *Conſonat etiam redemptio omnium per mortem Chriſti.*

Probatur II. ex eo, quòd Chriſtus ſit Salvator omnium hominum, ſitque mortuus pro omnibus, etiam parvulis: ad hoc autem neceſſariò requiritur, ut Chriſtus pretium ſanguinis ſui voluerit offerre pro omnibus, intendens ut illis proſit mors Patri oblata & ſanguis ad ſalutem & reconciliationem, eoſdemque Patri efficaciter reconciliaverit, etiam quantùm erat ex parte Patris, ſic ut Pater ipſe ex parte ſua vellet omnes ſalvare. Neque enim ad hoc ſufficit, quòd cauſa omnium fuerit communis, & pretium mortis ſecundùm ſe ſufficiens, ſi fuiſſet oblatum: nam ſi plures ſint rei mortis ob idem delictum, & dives quiſpiam judici offerat pretium condignum redemptioni omnium, non dicetur omnes redemiſſe, niſi pro omnibus pretium obtulerit; etiamſi fortè nullum poſitivè excluſerit, vel circa quorumdam redemptionem ſolùm ſimplicem complacentiam habuerit, quam æquè habere poteſt circa illos quos nullo modo diceretur redemiſſe. Itaque *ipſa phraſis* (ut utar verbis ipſius *Janſenii lib. 3. De grat. Chriſti cap. 20.* etſi mortem Chriſti pro omnibus negantis) *quâ quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præ ſe ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in uſum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi.*

39. *Generalis Dei voluntas ſalvandi omnes breviter confirmatur.*

Latiùs hîc pateret campus agendi de benigna Dei voluntate omnes omnino ſalvandi (quam nonnulli hoc tempore acriùs impugnarunt) niſi de ea actum fuiſſet *Tract. De Deo Uno diſp. 8. quæſt. 2.* Ubì *Auguſtinum* ab oppoſita doctrina ei per Hæreticos impoſitâ vindicavimus: quod & olim fecerat fideliſſimus ejus interpres *Proſper*, qui contra falſam *Semipelagianorum* calumniam, ſuam & magiſtri ſententiam explicat *Reſp. 8. ad cap. Gall.* dicens: *Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult ſalvos fieri &c.* Idemque ſinceriſſimè credendum atque profitendum eſſe ait *Reſp. 2. ad object. Vincent.* Ac motæ ſibi quæſtioni de pereunte multitudine parvulorum, ſatisfacit *lib. 2. De vocat. gent. cap. 23.* dicens:

Non

Non irreligioſè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſtis paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus; quâ utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.

40. *Vñ & quòd Chriſtus ſit pro omnibus omnino mortuus.*

Huic generali Dei voluntati connexa eſt doctrina de morte Chriſti pro omnibus omnino: contra quam ſimiliter his temporibus quædam difficultates fuerunt ſuſcitatæ; adeò ut veram & Chriſtianam doctrinam Nonnulli ad Semipelagianiſmum rejecerint; ut patet ex 5. propoſitione condemnatâ *Janſenii*, quæ eſt talis: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.* Quod adeò procul à veritate abeſt, ut ſit ipſiſſima ſententia *Auguſtini*, cui ipſi *Semipelagiani* inter ineptiſſima quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia (ut loquitur *Proſper in Præfat. Reſponſ. ad object. Vincent.*) falsò adſcripſerunt oppoſitum, quaſi nimirum docuiſſet, *quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus non pro hominum omnium ſalute & redemptione ſit paſſus*, ut habet I. articulus apud *Proſperum ſupra*. Verùm propriùs hac de re agendi locus erit in *Tract. De Incarnatione*, ubi ex clariſſimis Scripturæ, *Tridentini* & Patrum, ſignanter ipſius *Auguſtini* teſtimoniis oſtendetur Chriſtum fuiſſe mortem paſſum pro ſalute omnium omnino hominum, etſi efficaciter pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum.

41. Contra præallegatam verò doctrinam generalem de Sufficientia mediorum ad ſalutem parvulorum objici ſolent nonnulla loca *S. Auguſtini*. Quorum tamen ſolutio patet ex dictis *Tract. De Deo Uno d.* 8. *num.* 26.

Arguitur multis parvulis deeſſe omnino medium ſalutis in ope utique aliena conſtituendum.

Objicitur præterea: Sufficientia mediorum ſalutis reſpectu parvulorum conſiſtit in ope alienâ, in quantùm ſcilicet adulti habent poteſtatem ſufficientem applicandi eis media ſalutis, ut rectè *Proſper lib. 2. De vocat. gent. cap.* 23. ſed adulti non habent talem poteſtatem reſpectu illorum, qui abſque ullius negligentiâ per meras cauſas naturales intrà vel extra uterum moriuntur ſine Baptiſmo. Deus porrò non ſolùm his cauſis talem effectum permittit, ſed illas etiam ad eumdem diſpoſuit; cùm omnia mala præter peccatum ſint à Deo etiam tamquam poſitivè diſponente. Sic igitur & eo fine ordinem cauſarum diſpoſuit, ut adultis demeret poteſtatem ſubveniendi parvulis per applicationem remedii contra originale.

Oppoſitum nihilominus declaratur.

Reſp. Neg. Min. intellectam de defectu per ſe omnis poteſtatis. Nam etſi adulti non ſemper habeant poteſtatem proximè, habent tamen remotè ſufficientem. Vel enim illi, in quorum poteſtate eſt parvulus, ſunt fideles, & tunc non difficulter apparet ſufficientia auxilii conſiſtentis in aliena ope. Vel ipſi adulti ſunt infideles; & tunc ſicut ipſi habent auxilium ſufficiens ad ſuſcipiendam fidem Baptiſmi, aliorumque myſteriorum Chriſtianæ religionis, ita parvulus habet ſufficiens auxilium in ipſorum ope conſtitutum. Vel denique nondum natus eſt parvulus; & tunc ſi in utero materno moriatur difficulter quidem apparet, quomodo habeat auxilium in humana ope conſtitutum perveniendi ad Baptiſmum, conformiter tamen ad *Proſperum ſuprà* dici poſſet etiam illis tale auxilium non deeſſe in parentibus mediatis vel immediatis, qui ſi bene uterentur aut uſi fuiſſent gratiâ Dei, etiam ipſi parvuli per eoſdem juvari potuiſſent. Quod ampliùs elucidans *Derkennis De Providentia Dei c.3.§.* 3. dicit parvulis pleriſque in utero morientibus adeſſe remotam ſalutis poſſibilitatem in parentibus ſaltem mediatis, quatenus horum intemperans vivendi ratio haud dubiè cauſa eſt, quòd concepti fetus naſci non poſſint. Quia tamen interdum in uteris maternis vel fortuito eventu, vel cauſarum naturalium violentiâ extinguuntur, addit idem Auctor etiam tunc hujuſmodi mortem ſimpliciter evitabilem eſſe, adeòque parvulos potuiſſe naſci & ſalvari, quatenus parentes liberè, etſi citra culpam, ad illas occaſiones & loca ſe contulerunt, in quibus cauſæ illæ vim ſuam exercerent. Adde etiam per preces aliaque remedia, quæ adhiberi poſſent, & tamen omittuntur, eſto ſine formali culpa, frequenter diſpoſitiones cauſarum etiam naturalium immutandas fuiſſe.

42. *Altera reſponſio Smiſing.*

Deinde reſpondet *Smiſing Tract. 3. De Deo Uno diſput. 6. num.* 178. hoc eſſe per accidens, & præter intentionem divinæ providentiæ: ſicut etiam fit cum homine peccante mortaliter, & ſtatim poſt in phreneſi, vel ebrietate moriente: hoc autem non ita eſt intelligendum, quaſi Deus ad illum eventum naturalem ſe habeant merè permiſſivè; ſed quòd ſit præter intentionem divinæ providentiæ particularis circa talem hominem, ſolùmque ſit ex communi providentiâ naturali, quâ Deus in conſtitutione univerſi & cauſarum naturalium, etiam illum effectum cum aliis ejuſdem ordinis diſpoſuit; non tamen eo fine, ut hunc vel illum hominem ſic privaret ſalute æternâ ſeu mediis ad illam ſufficientibus, ſed propter exigentiam ſtatûs univerſi, requirentis, ut Deus cauſas ſecundas ſinat agere motus

motus ſuos. Unde effectus ille per communem providentiam naturalem diſpoſitus, eſt reſpectu providentiæ ſpecialis circa hunc vel illum parvulum permiſſus, utpote in qua diſpoſita eſt illius damnatio ob peccatum in quo moritur, ſuppoſitâ jam præſcientiâ illius eventûs naturalis.

DISPUTATIO QUARTA.

De Juſtificatione ſecundùm ſe.

1\. *Juſtificatio alia eſt generatim dicta,* *Alia eſt juſtificatio impii: de qua hic.*

JUSTIFICATIO dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo, ut ſit ſimplex acquiſitio gratiæ ſive juſtitiæ abſque reſpectu ad terminum à quo ſive peccata. Qualis fuit juſtificatio Angelorum, primorum parentum & B. Virginis. Alio modo, ſecundùm quem juſtificantur homines priùs in peccatis exiſtentes: eſtque mutatio quaſi de contrario in contrarium. Quam deſcribit *Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. eſſe Tranſlationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Quæ quidem verba expreſſiùs conveniunt Juſtificationi omnino primæ à peccato originali; tamen etiam rectè accommodari poſſunt juſtificationi cujuſque peccatoris. Itaque de Juſtificatione impii in præſenti Tractatu eſt ſermo: unde etiam facilè alterius juſtificationis ratio intelligetur.

Alia denique eſt juſtificationis prababita incrementum.

Ubi adhuc conſiderandus eſt ille juſtificandi modus, in quo quidem non fit tranſlatio immediata à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ; ſed à ſtatu minoris gratiæ ad ſtatum majoris, quando videlicet juſtus à peccato ſemel liberatus acquirit juſtitiæ ſeu formæ juſtificantis augmentum, ſive per Sacramenta (de quibus in proprio Tractatu) ſive per meritum bonorum operum, ut infrà in *Diſp. de Merito* dicetur.

QUÆSTIO I.

An Juſtificatio Impii ſit vera remiſſio peccatorum?

2\. NEGANT Hæretici noſtri temporis exiſtimantes peccata tantùm tegi & non imputari, verè autem non tolli per Chriſtum.

Juſtificatio eſt vera peccatorum remiſſio.

Contra cenſent omnes Catholici, & docet *Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. & ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11.* Satiſque colligitur I. ex Scriptura, quæ paſſim in Epiſtolis Pauli & alibi tribuit hominibus ſimpliciter juſtitiam: quod ſine incommodo de vera, & non imputativâ ſolùm juſtitiâ intelligi poteſt, adeòque debet juxta receptam de intellectu Scripturarum regulam *S. Auguſtini.*

Probatur II. ex Scripturis paſſim obviis, quæ dicunt peccata dimitti, deleri, ablui, tolli, hominemque ab iis mundari, & ſuper nivem dealbari: quod verè & propriè non tantùm ſignificat peccata tegi, ſic ut lateant & remaneant, ſed verè deleri eo modo, quo deleri poſſunt: poſſe autem peccata verè deleri non eſt dubitandum ex parte divinæ poteſtatis. Deinde juxta Scripturam Chriſtus venit diſſolvere opera diaboli, ſalvare à peccatis &c. quæ vera non ſunt, ſi opera diaboli, & peccata verè maneant. Denique donum Chriſti in Scriptura dicitur excedere delictum Adæ: ergo ſicut hoc verè juſtitiam ſuſtulit, ſic & juſtitia per Chriſtum data verè peccatum tollit.

Confirmatur: quia id quod tollitur, deletur, procul ab homine projicitur, non manet in homine: prædictis autem epithetis Scriptura exprimit hominis juſtificationem. Similiter maculæ & ſordes corporales, adeòque etiam ſpirituales, quæ exterguntur & mundantur per lotionem, poſtea non manent. Præterea vincula, uti corporalia, ſic ſpiritualia peccatorum, quæ per Chriſtum diſſolvuntur, utique non remanent in eo qui ſolvitur. Inſuper juxta Scripturas per regenerationem ſpiritualem morimur peccato, & vivimus Deo; peccatum igitur, quod eſt mors animæ, adventu vitæ ſpiritualis verè deſtruitur. Abſona certè explicatio Scripturarum eſt, ſi dicatur: *Agnus Dei qui tollit*, id eſt, tegit, *peccata mundi: Diſſolvit*, id eſt occultat, *opera diaboli: Convertimini ut deleantur*, id eſt occultentur, *peccata veſtra: Ablue*, id eſt tege, *peccata tua. Projiciet in profundum maris*, id eſt relinquet quidem, ſed teget *omnia peccata noſtra.* Injurioſa (inquam) Redemptori noſtro talis explicatio, ut ſanguis ejus verè non laverit ſordes, non ſanaverit infirmitates, non ſolverit vincula, non ſuſcitaverit à morte peccatorem.

Probatur III. Quia in Scriptura homines quibus remittuntur peccata, appellantur filii & amici Dei, ſancti & immaculati: quòd dici verè non poteſt, ſi macula peccati remaneat, ratione cujus ſunt verè coram Deo immundi & maculati, & conſequenter non ſunt objectum divinæ amicitiæ, ſed odii; cùm Deus odio habeat illos, qui ſunt peccatis maculati, juxta illud

lud *Sap.* 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.*

3. Nec obſtat, quòd David *Pſal.* 31. beatos dicat *Quorum tecta ſunt peccata.* Nam ſi propterea cenſeant Hæretici peccata tantùm tegi; cur propter verba immediatè præcedentia, quibus Pſalmiſta appellat beatos *Quorum remiſſa ſunt iniquitates*, & propter infinitas alias clariſſimas Scripturas (quibus adde Eccleſiæ & Patrum conſenſum) non ſentiunt peccata verè remitti? Dico ergo Scripturam (quod eſt ei familiare) novis loquendi formulis idem repetere & inculcare, ut peccata tegi ſit idem, quod verè condonari: non enim poſſent tegi oculis Dei cuncta cognoſcentis, ſi adhuc eſſent. Unde *Auguſtinus* ibi: *Nec ſic intelligatis quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant.* Quare poſtquam Pſalmiſta beatum dixiſſet cui peccata ſic ſunt remiſſa, ut etiam oculis Dei ſint tecta, addit beatum eſſe, cui Deus illa non imputat: quia ſcilicet ampliùs non ſunt, aut (ut *Bellarminus* ibi addit) quia ob perfectam innocentiam numquam fuerunt. Hinc *Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone adversùs Judæos* in fine: *Beatus eſt, cui Dominus peccatum non imputavit. Hoc autem ſignificat, eum quem ſcelerum ſuorum pœnituerit, peccatorum veniam atque remiſſionem accepiſſe à Deo: non, ut vosmetipſos fallitis, aliiq; nonnulli vobis ſimiles, qui ex hoc concludunt, ſi peccatores ſint, dummodo Dei notionem habeant, Dominum ſibi peccata non eſſe imputaturum.* Quòd ſi quis malit ipſum quoque Deum tegere peccata noſtra, per me licet: etenim ſic illa tegit, ut curet & tollat, ſicut emplaſtrum medici, curat vulnus quod tegit, juxta *Auguſtinum ſup.* & alios Patres. Unde peccati tectio, quâ Deum reſpicit, eſt vera illius curatio & abolitio; & quidem tam perfecta ut nec illius veſtigium remaneat. *Si namque vel infinita quis habens vulnera, pœnitentiam egerit, ſic ea Deus delet, ut neque cicatricem, neque veſtigium, neque peccatorum oſtendat indicium,* inquit *Chryſoſtomus Homil.* 80. *ad Populum Antiochen.* Secùs quàm contingat in curatione vulneris corporalis, ex quo cicatrix permanet; ut pulchrè ibidem applicat *Chryſoſtomus.*

Peccata Deo tegi non aliud eſt quàm condonari.

Deum ipſum peccata tegere eſt tollere.

QUÆSTIO II.

An Iuſtificatio Impii fiat per formam aliquam inhærentem?

4. SECTARII noſtri ſicut exiſtimant peccata in Juſtificatione verè non remitti, ſic etiam cenſent nihil reale in illa nobis inhærens infundi, ſed nos dici juſtos ratione juſtitiæ Chriſti nobis imputatæ, ob quam peccata noſtra nobis non imputentur ad pœnam. Ut proinde juſtus v. g. Calviniſta ſit velut ſepulchrũ dealbatum, quod intùs plenum eſt oſſibus mortuorum: aut ſit velut lupus rapax veniens in veſtimento ovis, tectus videlicet pallio Agni innocentis: aut ſit juſtus, velut æthiops eſt albus, qui indutus eſt veſte candida.

Sed oppoſitum definit *Trident. ſeſſ.* 6. *can.* 11. his verbis: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur atque illis inhæreat: aut etiam gratiam quâ juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit.* Et *cap.* 7. ait: *Juſtificationem ipſam non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & ſanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Et infrà: *Unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit; quâ videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam &c.*

Iuſtificatio fit per formam inhærentem.

5. Sunt porrò aliqui Doctores Catholici, qui quidem fatentur in Juſtificatione concomitanter cum remiſſione peccatorum infundi gratiam; ipſam tamen remiſſionem putarunt non eſſe formalem ipſius gratiæ effectum. Unde exiſtimare quis poſſet non apertè errare contra definitionem *Tridentini* illos, qui dicerent remiſſionem peccatorum fieri per extrinſecum Dei favorem. Sed ſatis apertè refutatur id ex doctrina Concilii *ſup. cap.* 7. docentis, quòd gratia ſit unica formalis cauſa noſtræ Juſtificationis; ergo & remiſſionis peccatorum: Nam *Juſtificatio eſt tranſlatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ*, ut deſcribitur à *Trid. cap.* 4. ipſaque eſt tum *peccatorum remiſſio*, tum *interioris hominis renovatio &c.* ut docet *cap.* 7. Confirmatur idem ex *ſeſſ.* 5. *can.* 5. ubi definit Concilium *per gratiam quæ in Baptiſmo confertur reatum originalis peccati remitti.* Cenſet igitur gratiam eſſe quoque remiſſivam peccati.

Errant contra Tridentinum, qui remiſſionem peccatorum putant ſe habere tantùm concomitanter ad donum gratiæ juſtificantis.

Alioquin ex natura rei infuſio gratiæ & remiſſio peccati ſunt duæ mutationes, abſolutè ab invicem ſeparabiles, ut rectè *Scotus* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 2. *num.* 4. De facto tamen juſtificatio utramque inſeparabiliter includit: cùm ſit mutatio quaſi de contrario in contrarium, in qua remiſſio peccati habet rationem deſtructionis termini à quo ſeu peccati, ſicut infuſio gratiæ habet rationem acquiſitionis termini ad quem. Quòd ſi verò conſideretur Juſtificatio quatenus ſimul complectitur prævias diſpoſitiones (prout interdum conſideratur) reſpectu harum remiſſio peccati erit etiam terminus ad quem per diſpoſitiones tenditur.

6. *Iuſtos interiùs renovari docet Scriptura,*

Nunc probatur veritas Catholica I. ex Scriptura *ad Rom.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ad Epheſ.*4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ & induite novum hominem. Ad Titum* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti, quem effudit in nobis abundè.* 2. *Petri* 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 1. *Joan.*3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.*Et alibi.Quæ omnia ſignificant renovationem ſeu mutationem internam.

Vi & juſtitiam Chriſti à noſtra diſtingui,

Probatur II. ex Scripturis, quæ dicunt juſtitiam noſtram derivari à juſtitia Chriſti, ut *Joan.* 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ad Rom.*1. *Per quem accepimus gratiam*; ergo juſtitia noſtra diſtinguitur à juſtitia Chriſti: nam à quo aliquid derivatur, ab illó diſtinguitur,

A qua ſola ſi juſti eſſemus omnes & ſemper forent æquè juſti,

Probatur III. ex Scripturis, quæ docent juſtitiam noſtram poſſe nunc eſſe majorem, nunc minorem, ut *Apocal.*22. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.* 2. *Petri* 3. *Creſcite in gratia,* quod fieri non poſſet, ſi juſti eſſemus per juſtitiam Chriſti: nam eadem forma eumdem & æqualem effectum formalem tribuit. Ex quo pariter ſequeretur omnes fore æquè juſtos, ab æquali ſcilicet immo eâdem formâ juſtitiæ Chriſti. Conſequens autem nimis eſt abſurdum. Quãtumvis ei conſonet quorumdam Hæreticorum blaſphema vox, quâ ſe ſuoſque in ſanctitate non verentur Matri Dei æquiparare. Prout *Lutherus Serm. De Natali B. Virginis* omnes fideles ei adæquat. Immo, teſte *Ruardo in Explicat. Articuli de Juſtificat.* §.*Pro majori autem* non defuerũt, qui ſe ipſi Chriſto æquare contenderent. Nec adeò incõſequenter, ſi ab eadem Chriſti juſtitia omnes formaliter juſti ſint.

7. *Catholicam doctrinam tradunt Patres, id non abnuentibus Hæreticis.*

Probatur IV. ex Patribus, *Auguſtino lib. De ſpiritu & litt. cap.*17. ubi ait, mandatum legis veteris *extra hominem ſcribi, ut eum forinſecùs terrificet*; donum autem charitatis ſeu gratiæ Chriſti vivificantis, *in ipſo homine, ut eum intrinſecè juſtificet.* Et *Tract.* 26. *in Joan. Quid eſt hoc* (inquit) *juſtitia Dei, & juſtitia hominis? Juſtitia Dei hic dicitur, non quâ juſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, ut juſtus ſit homo per Deum.* Similia planè habet *lib. De ſpiritu & litt. c.* 9. Plurima alia Patrum teſtimonia congerere non eſt neceſſe: cùm ipſi tam clarè pro nobis ſint, ut etiam Hæretici hoc fateantur, & *Calvinus* dicat *Auguſtinum* hîc per omnia non recipiendum.

Quantâ porrò petulantiâ, immò inſaniâ adversùs venerandam antiquitatem Sectarii noſtri debacchẽtur præſertim in doctrina de Juſtificatione, adductis eorum verbis graphicè depingit *Petrus Caniſius in Præfat. ad libros* noſtri *Vega de Juſtificatione*; quam legiſſe non pœnitebit. Ibi refert *Pomeranum* diſcipulum *Lutheri* dicentem de Patribus: *Cùm de Juſtificatione & ſalute noſtra dicendum eſt, dicunt quidquid in buccam venit.* Item: *Non debetis Patribus credere, qui ex uno ore frigidum & calidum efflant.* Item: *Negato Auguſtinum, ne Chriſtum juſtitiam noſtram neges.* Immo *Gregorius Maſſovita,* ſi *Franciſco Stancaro* hęretico credimus, unũ *Calvinum* plus valere voluit, quàm centum *Auguſtinos.* Plures non minùs præclaræ filiorum Belial contumeliæ ibidem recenſentur.

Eadem probatur ratione Theologicâ.

P[illegible]batur V. Ratione Theologicâ: quia in Juſtificatione recuperamus per Chriſtum, quod in Adam amiſimus; in eo autem amiſimus juſtitiam intrinſecam & inhærentem, per quam ipſe verè juſtus fuit, noſque etiam juſti fuiſſemus. Deinde juxta Patres Angeli ſunt juſti per juſtitiam inhærentem, ergo & homines. Denique ſuppoſitâ (quæ liquet) poſſibilitate congruebat, ut filii Dei fierent divinæ naturæ conſortes per participationem intrinſecam, ſicut Deus ipſe intrinſecè per naturam juſtus eſt: & ſicut ipſe Chriſtus (cujus imagini ceteri juſti & filii Dei conformes ſunt) intrinſecè juſtus eſt. Accedit: tum quòd verè manens in nobis impietas juxta Sectarios, impediret quò minùs extra nos manẽs in juſtitia Chriſti nos ſimpliciter faceret ac denominaret juſtos, uti juſtitia Chriſti non patiebatur eum eſſe aut dici verè peccatorem, etſi ſimili ratione juxta ipſos fuerint, noſtræ injuſtitiæ ei imputatæ: tum quod figmentum Adverſariorum careat omni auctoritate & ratione.

Chriſtus eſt noſtra juſtitia cauſaliter ſeu meritoriè.

Dices I. Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 1. ait: 8.
Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Reſp. Apoſtolum non loqui in ſenſu formali, ſed cauſali, quaſi dicat: Chriſtus factus eſt nobis cauſa meritoria omnis juſtitiæ noſtræ, ut de ea non in nobis, ſed tantùm in ipſo gloriari poſſimus. Unde ibidem eodem modo dicit Chriſtum factum eſſe nobis ſapientiam; & tamen non ſumus formaliter ſapientes ſapientiâ, quâ ipſe ſapiens eſt.

Similes ſunt aliæ Phraſes in Scriptura, ita ab ipſis Hæreticis exponendæ.

Simili modo *Deuter.* 30. Deus dicitur Vita noſtra. *Pſal.* 117. Fortitudo noſtra. *Pſal.*70. Patientia noſtra. & *Joan.*11. Chriſtus dicitur Reſurrectio noſtra: ex quibus pari jure liceret inferre, Dei vitam, fortitudinem &c. eſſe formaliter noſtram vitam, fortitudinem &c.

Quo ſenſu nullus juſtificetur in conſpectu Dei.

Dices II. *Pſal.*142. dicitur: *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Reſp. non dixiſſe Davidem: Nullus verè juſtificabitur, qui *Pſal.*17. dixerat: *Retribuet mihi Dominus ſecũdùm juſtitiam meam &c. Quia cuſtodivi vias Domini &c. Et ero immaculatus cum eo.* Dicit itaque quòd non juſtificabitur quis in conſpectu Dei: ſive quia (ut de impiis nil dicã) juſtitia juſtorum

vera

vera quidem, ſed non ab ipſis eſt, utpotè donum Dei; ut *Auguſtinus*: ſive quia non pura, ſed culpis quotidianis admixta, ut idem *Auguſtinus*, *Gregorius*, *Hieronymus*: ſive quia etſi pura foret, nulla tamen videtur comparatione infinitæ juſtitiæ Dei; prout lux lucernæ coram ſole non lucet. Quo modo *Job* 4. legitur: *Numquid homo comparatione Dei juſtificabitur?* & *cap.* 9. *Non juſtificabitur homo compoſitus Deo.* Sic etiam *Hieronymus*, *Hilarius*, *Bernardus*. Adde, juſtos in via conſtitutos non juſtificandos in conſpectu Dei, quatenus ſe ipſos non audent juſtificare; cùm Deus fortè in ipſis videat, quod illos latet. Idoque dicunt cum Job *cap.* 19. *Si habuero quidpiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor.* Et cum Apoſtolo 1. *Cor.* 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Vide *Bellarminum in Pſalm. cit.*

Quorum juſtitias comparet Scriptura panno menſtruatæ.

Dices III. *Iſaiæ* 64. dicitur: *Facti ſumus ut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Reſp. Prophetam loqui in perſona populi impii, de quo ſubdit: *Non eſt*, id eſt, vix eſt, *qui invocet nomen tuum*; quod tamen Iſaias ipſe utique invocabat, qui mundatus quoque erat ac juſtus. Ita *Hieronymus*, *Saibouth* & ceteri.

QUÆSTIO III.

An donum inhærens quo impius juſtificatur, ſit habitus?

9. *Controverſum olim erat an in juſtificatione ſaltem parvulorũ infunderetur gratia habitualis.*

HAC de re olim fuit controverſia circa Juſtificationem parvulorum in Baptiſmo: an videlicet eis ſolùm remitteretur culpa, an verò cum remiſſione peccati eis infunderetur gratia informans & virtutes, non quidem quoad uſum, ſed quoad habitum; ut patet ex *cap. Majores, De Baptiſmo.* Quam quidem controverſiam *Innocentius III.* ibidem indeciſam reliquit: ſed in *Concilio Viennenſi*, *Clemens V.* poſteriorem ejus partem tamquam probabiliorem declarat; ut patet ex *Clem. un. De ſumma Trinitate.* Quàmvis juxta *Suarez lib. 6. de Gratia cap. 3. num.* 4. & alios, nec tunc aliquis in controverſiam vocaverit, utrùm adultis conferatur gratia cum habitibus virtutum, ſed potiùs Pontifices hoc velut admiſſum ſupponentes referant ſolùm opiniones differentes de parvulis, an etiam conferatur illis, *utpote non conſentientibus*, ut pro ratione dubitandi allegatur *cap. Majores cit.* Quæ ratio manifeſtè non militat in adultis, ſed ſolùm apparenter videri poterat repugnare in parvulis.

Affirmãtem partẽ velut probabiliorem determinavit Concilium Viennenſe.

Unde etiam *Clemens V.* determinans poſteriorem Opinionem tamquam probabiliorem, pro ratione allegat generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma pariter omnibus applicatur: inde concludens parvulis in baptiſmo infundi gratiam, non minùs quàm adultis. Ac ne verbo quidem alteruter præfatorum Pontificum inſinuat ullam fuiſſe controverſiam de adultis. Ipſi denique Doctores, qui tempore *Innocentii III.* aſſerebant parvulis etiam gratiam & virtutes infundi, obviando tacitè rationi præallegatæ contraſentientium, dicebant, infundi illas *quoad habitum, non quoad uſum, donec perveniant ad adultam ætatem*, inſinuantes etiam tunc dari quoad uſum, idque velut ex admiſſo quoque ab aliis. Verùm quidquid de hoc ſit,

10. *Poſt Tridentinum verò eadem pars generaliter eſt certa.*

Nunc ſaltem poſt *Concilium Tridentinum* nemo Doctorum Catholicorum negat conferri in Juſtificatione ſive adultorum ſive parvulorum gratiam habitualem. Immo Plures cenſent nunc eſſe de fide: Alii eſſe fidei proximum: Alii eſſe de fide quoad juſtificationem parvulorum; non tamen adultorum, ſaltem dum juſtificantur extra Sacramenta: Alii denique eſſe valdè temerarium id negare, utpotè contra omnium Doctorum hujus temporis & Fidelium ſenſum abſque ullo fundamento.

Probatur multipliciter ex variis Tridentini locis.

Probatur I. ex *Trid. ſeſſ.* 5. *can.* 5. ubi generaliter definit per Baptiſmum conferri gratiam quæ tollit peccatum: non confertur autem actus aliquis v.g. contritionis aut dilectionis, ut patet: adeòque per gratiam intelligitur donum aliquod habituale & permanens. Confirmatur exemplo parvulorum, qui ſunt actuum incapaces, in quibus proinde gratia juſtificans illos in Baptiſmo eſt quid habituale, & conſequenter etiam in adultis. Deinde *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. docet in Sacramento pœnitentiæ conferri gratiam, ad quam diſponit ſive contritio frequenter tempore præcedens ſuſceptionem adeòque effectum Sacramenti, ſive attritio: hæc autem gratia non poteſt eſſe actus, ſed actum conſequitur. Unde ulteriùs infertur, etiam extra illa Sacramenta juſtificari hominem per donum habituale: cùm *Tridentinum* eodem planè modo loquatur de utrâque juſtificatione, & effectu illius ſeu gratiâ. Quod confirmatur, & ſimul præfata doctrina generaliter

Probatur III. Quia *Tridentinum* enumeratis *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. actibus diſpoſitivis, ſubjungit *cap.* 7. impium proportionatè ad illos actus juſtificari, *per ſuſceptionem gratiæ juſtitiam recipiendo quiſque ſuam*: quæ ſonant non actum elicitum, ſed gratiam habitualem infuſam; utì & illud quod *can.* 3. definit, diligentibus gratiam conferri,

ferri, & *can.* 11. eamdem *inhærere*, item *diffundi*. Quamquam hoc poſtremum ſubinde etiam dicatur de actibus, ut patet ex *Concilio Arauſicano can.* 4. & 6. & *Oratione Dominicæ* 5. *poſt Pentecoſten*: *Infunde cordibus noſtris tui amoris affectum.* Et ex *Hymno de ſancto Spiritu*: *Infunde amorem cordibus.* Hoc tamen eſt minùs uſitatum.

Probatur IV. Quia *ſeſſ.*7. *can.*6.7.& 8. *de Sacram. in genere* definit *Tridentinum*, Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter ex opere operato conferre gratiam ſanctificantem primam vel ſecundam; ſed non conferunt actum, ergo habitum.

Denique *Trid.ſeſſ.*6.*cap.*10.& 16.& *can.* 24. & 32. definit juſtos creſcere in gratia accepta, & per bona opera mereri augmentum illius; atqui ipſa opera ſeu actus non ſunt hoc augmentum: ergo aliquid habituale, & conſequenter etiam in juſtificatione peccatoris confertur gratia habitualis.

11. *Tridẽtinum ſic quoque intellexerunt Doctores omnes Catholici.* His accedit, quòd omnes Catholici *Tridentinum* intellexerint de dono permanente habituali, & *Catechiſmus Pii V. Tit. de Baptiſmo* explicans ſenſum Concilii ait: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propoſitâ decrevit, non ſolùm per quam peccatorum fit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens.* Immo ſic Concilium intellexit ipſe *Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad cap.*7. aliàs 6. dicens: *Falſum eſſe contendo, ullam juſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe vel habitu qui in nobis reſideat.*

Accedit etiam quòd *Tridentinum* id determinaverit abſolutè, quod *Viennenſe* ſtatuerat velut probabilius; ſeu quòd *Tridentinum* & *Viennenſe* agant de eodem dono gratiæ: atqui conſtat ex tenore controverſiæ inter Doctores olim verſantis fuiſſe quæſtionem non de actu, ſed dono habituali, adeòque de hoc *Viennenſe* loquitur: ergo de eodem loquitur *Tridentinum.*

12. *Probatur ratione Theologicâ quòd gratia ſit habitus.* Ratio Theologica eſt: quia donum illud inhærens non eſt ſubſtantia; cùm inhæreat animæ. Eidem etiam non poteſt inhærere quantitas. Nulla quoque eſt apparentia, nec ab aliquo ſomniatum, quòd ſit aliquis reſpectus prædicamentalis, vel extrinſecus adveniens, ſive ex ſex ultimis Prædicamentis: ergo debet eſſe qualitas; cùmque non ſit aliquid tranſiens, ſequitur eſſe habitum: quandoquidem de alia qualitatis ſpecie nullum ſit fundamentum, nec umquam aliquis dubitaverit.

Phraſis Scripturæ de hoc dono habituali loquentis. Solùm nota quando in Scripturis dicitur Spiritus ſanctus habitare in nobis, nos regenerari, eſſe filios Dei, accipere pignus hereditatis, & ſemen in nobis manens, intelligi de hoc dono permanente ſeu gratiâ habituali: quàmvis ſecluſo ſenſu Eccleſiæ & *Tridentini* poſſent iſti modi loquendi aliqualiter verificari de actibus, quouſque non retractantur per peccatum mortale.

QUÆSTIO IV.

An Gratia habitualis ſit diſtincta à Charitate habituali?

RESP. Neg. cum *Scoto* 2. *diſt.*27.*qu. un. num.* 3. *Durando*, *Gabriele*, *Majore*, *Vega*, *Bellarmino*, *Coninck* & pluribus aliis tum antiquis tum recentioribus contra plures recentiores poſt *D. Thomam quæſt.* 110. *art.* 3. & 4. qui (ut notat *Vaſquez d.* 198. *cap.* 2.) primus omnium docuit gratiam realiter à charitate diſtingui. Quod etiam ei coæqualis *D. Bonaventura* 3. *diſt.* 27. *art.*1. *quæſt.*3. *in corp.* ſatìs probabile cenſet, & ſupponere videtur jam tum à nonnullis Scholaſticis fuiſſe traditum. 13. *Gratia ſanctificans non diſtinguitur realiter ab habitu charitatis.*

Colligitur I. ex Scriptura quæ effectus proprios gratiæ ſanctificantis tribuit Charitati, ut facere filios Dei 1. *Joan.*3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Sanctificare *ad Epheſ.* 1. *Elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in Charitate.* Tollere peccata 1. *Petri* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Unire hominem Deo 1. *Joan.*4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet.* Spiritum ſanctum per illam habitare in nobis *ad Rom.* 5. ubi dicimur *gloriari in ſpe gloriæ filiorum Dei*, & ſpem non confundere: *quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Idem poſſet oſtendi in aliis gratiæ effectibus & proprietatibus. *Effectus iidem tribuuntur in Scriptura gratiæ & charitati.*

Probatur II. Quia *Tridentinum ſeſſ.* 6. *cap.* 7. aſſignans formalem cauſam noſtræ Juſtificationis dicit illam eſſe Charitatem: *Quamquam enim* (inquit) *nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti communicantur: id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum ſanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur atque ipſis inhæret.* Ubi indubiè eſt mentio de gratia juſtificante; cùm ex verbis infuſionis & inhæſionis (quibus utitur *Tridentinum*) colligant communiter Theologi naturam gratiæ. Deinde ſubdit *Tridentinum*: *Unde in ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum* 14. *Favet quoque Tridentinum.*

Chriſtum cui inſeritur: Fidem, Spem & Charitatem. Ubi non fit mentio diſtinctæ gratiæ; quæ tamen non debuiſſet reticeri, ſi ex ſenſu *Tridentini* foret diſtincta, & quidem forma principalior, ac radix charitatis, ceterarumque virtutum, ut Alii loquuntur. Similiter *cap.* 10. ait: *Juſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis Domine Fidei, Spei & Charitatis augmentum*: ubi etiam non fit mentio diſtincti habitûs gratiæ, in quo tamen ſolo juxta Alios juſtitiæ incrementum formaliter conſiſteret.

15. *Et Patres.* Probatur III. Quia Patres nullibi expreſſerunt diſtinctionē inter Gratiam ſanctificantem & Charitatem, ſed paſſim ſanctificationem attribuunt uni charitati, ut *Aug. l. De nat. & gratia c.* 38. *Charitas Dei, quâ unâ verè juſtus eſt, quicumque juſtus eſt.* Similiter illam dicunt eſſe maximum omnium donorum; ut *Leo Papa Serm. de S. Laurentio, Hieronymus, Ambroſius*, & alii; & tamen gratia charitatem ſuperaret, ſi ab ea diſtingueretur, ut Alii fatentur. Accedunt ea quæ ſparſim *Auguſtinus* in libris ſuis attribuit charitati, & tamen ſunt propriè ipſius gratiæ ſanctificantis; ut quod charitas nos uniat & nectat Chriſto, quòd ſola diſcernat inter filios Dei & filios diaboli, quòd ſit radix omnium bonorum omniſque meriti, quòd innovet hominem, delicta extinguat, ſit forma animam reformans, totius boni ſumma &c.

Ac ratio Theologica. Probatur IV. Quia gratia juſtificans eſt vita ſpiritualis animæ noſtræ; atqui hæc vita conſiſtit in charitate; ergo charitas eſt ipſa gratia. Minor probatur: quia vita animæ noſtræ conſiſtit in hoc, quòd perfectè uniamur Deo, ipſique inhæreamus; hoc autem fit per ſolam charitatem juxta *Trid. ſup. cap.* 7. ubi proinde apertè etiam indicat charitatem eſſe, quæ fidem, & conſequenter hominem fide prædítum, viventem facit. Denique nulla eſt neceſſitas aut fundamentum diſtinctionis realis à charitate: adeòque non eſt adſtruenda, juxta vulgatum axioma de non multiplicandis entibus ſine neceſſitate.

16. *Diſtinctioni gratiæ à charitate non favet Concilium Viennenſe,* Nec obſtat I. quòd *Clem. un. de ſumma Trinit.* dicatur eſſe probabilius, *parvulis infundi gratiam informantem & virtutes*: nam ibi ſub gratia poteſt intelligi charitas, nomine autem virtutum intelligi ceteræ, videlicet fides & ſpes, vel ſi quæ inſuper ſunt, à quibus *Clementina* præſcindit. Similiter explicatur *Tridentinum ſup.* dicens hominem juſtificari *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*: per gratiam enim intelligit formam, quæ juxta præmiſſa eſt ipſa charitas, per dona fidem & ſpem, ſeu quæcumque alia ſunt: quàmvis alioquin etiam ipſa gratia magnum ſit donum in quacumque ſententia.

Nec Tridentinum, Non obſtat II. quòd *Trid. ſup. can.* 11. damnet eos qui dicunt Juſtificationem fieri *excluſâ gratiâ & charitate.* Nam ibi vel à diſtinctione majori quàm nominum præſcindit, vel utroque nomine ſynonimo eamdem formam ſignificat; ideoque non pluraliter, ſed in ſingulari ſubdit: *Quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur atque illis inhæreat.* Quæ ſimiliter invariata præmiſerat *cap.* 7. factâ mentione ſolius charitatis, dicens, merita Paſſionis Chriſti in Juſtificatione communicari, *dum ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret &c.* Unde hinc potiùs confirmatur noſtra ſententia, quàm ſubvertatur.

Non obſtat III. quòd in ordine naturæ eſſe ſubſtantiale ſupponatur potentiis & principiis proximis operationum, v. g. eſſentia animæ intellectui & voluntati. 17. *Nec Ratio.* Nam falſum eſt præſupponi eſſe realiter diſtinctum a potentiis; cùm hæ identificentur animæ. Deinde in naturalibus id contingeret idcirco, quòd eſſentia ſubſtantiæ v.g. animæ ſecundùm ſe non eſſet operativa; hoc autem falſum eſt. Et quàmvis foret verum, non poſſet inde ſumi argumentum in eſſe ſupernaturali, per gratiam; quod homini tantùm eſt accidentale: juxta omnes autem eſſe accidentale poteſt per ſe eſſe operativum, adeòque habitus operativus charitatis poteſt nobis dare primum eſſe ſupernaturale. Denique non eſſe eamdem proportionem in eſſe naturali & ſupernaturali, patet: nam eſſentia animæ v.g. eſt ſubjectum potentiarum, & per eas dicitur operari, v. g. intelligere, velle &c. gratia autem non eſt ſubjectum ceterarum virtutum, nec per illas operatur, v.g. credendo, ſperando &c. Et præcipuè ceteræ potentiæ ſeu principia operandi fundata in anima ſive in ſubſtantia, non poſſunt abſque ea ſubſiſtere, & tamen fides & ſpes conſervari poſſunt ſine gratia, ut patet in fideli peccatore: quod ſine novo miraculo fieri non poſſet, ſi gratia foret eſſe fundamentale & radix virtutum, uti anima potentiarum ſeu principiorum operandi. Quæ ex Scriptura vel Patribus objici poſſent nullius ſunt momenti ſeu roboris: quæ proinde conſultò omiſimus.

Itaque Gratia & Charitas non diſtinguuntur realiter ſecundùm ſuam ſubſtantiam intrinſecam, immo nec propriè formaliter, ſed (ut rectè *Durandus*, cui conſentit *Scotus quæſt. cit.*) ſolo connotato: 18. *Gratia & Charitas nequidem formaliter ſed ſolo connotato diſtinguūtur.* nam idem habitus dicitur charitas, quatenus eſt principium quo nos diligimus Deum; dicitur autem gratia, quatenus eſt forma ob quam ſumus à Deo dilecti tamquam amici & filii adoptivi; adeòque heredes vitæ æternæ. Quod quidem poſterius cōnotatum eſt eſſentiæ habitûs extrinſecum, adeòque divinitùs ab eo ſeparabile:

cùm poſſet abſolutè habitus charitatis eſſe in eo, qui non foret Deo gratus nec ab eo dilectus (ut infrà dicetur) etſi non de potentia ordinaria. Priùs autem connotatum eſt ab eſſentia habitûs charitatis indiſtinctum: quemadmodum eſſe principium intelligendi non diſtinguitur ab eſſentia intellectûs.

QUÆSTIO V.

An non ſolùm habitûs, ſed etiam actus contritionis ſeu dilectionis ſit forma juſtificans?

19. *Solus gratiæ habitus de facto eſt forma juſtificans.* SIC inſinuat *Vaſquez diſp.* 203. *cap.* 3. & ſequuntur quidam Recentiores. Sed oppoſitum omnino eſt aſſerendum cum *D. Thoma, Scoto, Suarez diſp.* 4. *de Incarnat. ſect.* 3. & *diſp.* 8. *de Pœnitentia ſect.* 3. *n.* 1. & aliis communiter, videlicet juxta modernam Dei ordinationem ſolum habitum gratiæ eſſe formam juſtificantem.

Ad quam dilectio ſeu contritio etiam perfecta diſponit, Probatur I. Quia actus charitatis ſeu perfectæ contritionis eſt diſpoſitio ad Juſtificationem; ergo non eſt forma juſtificans: quia nihil eſt diſpoſitio ad ſe ipſum. Antecedens patet, tum ex *Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei Juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ubì dilectio & pœnitentia tamquam diſpoſitiones diſtinguuntur ab ipſa gratia juſtificationis: tum ex *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubì docet Concilium *ad remiſſionem peccatorum præparare contritionem*, quam ſubjungit *aliquando eſſe charitate perfectam*; ergo hæc juxta Concilium non eſt forma juſtificans, ſed ad illam diſpoſitiva ſeu præparatoria.

Quæq; eſt unica formalis cauſa noſtra juſtificationis, Probatur II. Quia *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 7. docet *renovationem interioris hominis fieri per voluntariam gratiæ ſuſceptionem*, quam ibidem docet eſſe *cauſam formalem unicam* noſtræ Juſtificationis, eamque recipi juxta menſuram pœnitentiæ, diſpoſitionis, & cooperationis: atqui hæc non quadrant in actum dilectionis vel contritionis, ſed in ſolum habitum, ergo &c. Adde, quòd *Trid. ſup. can.* 9. damnet, aſſerentes, quòd umquam poſſit quis juſtificari ſolâ fide abſque eo quòd *ſuæ voluntatis motu præparetur atque diſponatur*; ſemper igitur per motum aliquem voluntatis eſt præparandus: quod tamen falſum foret, ſi contritio, quæ prælucente fide immediatè elici poteſt ſine alio præparatorio actu voluntatis, formaliter juſtificaret.

Et ſufficientiſſima, Probatur III. Quia cõſtat in omni juſtificatione habitũ gratiæ neceſſariò infundi, cumq; ſufficere ad formaliter iuſtificãdum: ergo non eſt adſtruẽda aliqua alia forma juſtificãs; præſertim cùm ad hoc non ſuppetat aliquod ſolidum fundamentum. Confirmatur I. quia ſi contritio perfecta (quæ eſt naturâ prior gratiâ) formaliter juſtificet: ergo tunc non juſtificabit formaliter ipſa gratia, utpotè quæ ſupponeret effectum formalem per contritionem jam poſitum. Confirmatur II: quia non actus tranſiens, ſed habitus gratiæ eſt ſemen in nobis manens, & id, per quod ſumus conſortes divinæ naturæ, per quod ſumus amici & filii Dei, etiam dum nihil operamur, quod denique eſt vita animæ: ergo ſolus habitus gratiæ eſt forma juſtificans & peccata remittens. *Nec de alia conſtat: Immo alioquin gratia habitualis effectum formalem, ſupponeret.*

Dices I. Scriptura tribuit dilectioni actuali effectum Juſtificationis, ſcilicet remiſſionem peccatorum *Proverb.* 10. *Univerſa delicta operit Charitas.* 1. *Petri* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Reſp. ſi illa loca intelligantur de charitate actuali, ſolùm tribuunt illi hunc effectum tamquam cauſæ diſpoſitivæ, non tamquam cauſæ formali: eò quòd dilectio ex divina ordinatione ſit ultima diſpoſitio inſeparabilis à gratia: ſi autem exponantur de charitate habituali, charitas ipſa eſt gratia. Utrovis etiam modo explicari, ſalvâ noſtrâ doctrinâ poteſt illud *Auguſtini De natura & gratia cap.* 42. *Charitas eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaq; juſtitia.* Nam habitualis charitas eſt formaliter aut juxta alios per infallibilem concomitantiam, actualis autem eſt proximè diſpoſitivè ipſa juſtitia. Contendit autem *Lugo de Pœnit. d* 5. *n.* 100. *Auguſtinum* verè de actuali charitate ibi loqui. Addit tamen minùs rectè numquam apud eum de habitu charitatis mentionem reperiri; cùm ipſe *Lugo d.* 8. *n.* 97. contendat falſum videri, quòd numquam *Auguſtinus* loquatur de charitate habituali. quod & probat. 20. *Charitas ſeu contritio actualis remittit peccata diſpoſitivè;*

Dices II. Actus contritionis ſufficienter avertit hominem à peccato, & convertit ad Deum: ergo formaliter juſtificat. Confirmatur: quia actus eſt perfectior habitu. Reſp. N. C. quia ex Antecedente ſolùm ſequitur contritionem ſufficienter diſponere ad infuſionem gratiæ formaliter juſtificantis, quam idcirco infallibiliter Deus ſtatim conferre decrevit, & ſine qua peccatum vi præſentis ordinationis non remitteretur. Adde contritionem naturalem eodem modo phyſicè avertere à peccato; & tamen nequidem diſponit ad juſtificationem. 21. *Nec amplius ſequitur ex eo quòd ſit perfecta à peccato averſio & ad Deum converſio.*

Ad Confirmationem dico, etſi actus perfectior foret habitu etiam ſupernaturali (de quo Plures id negant) non eſt equidem permanentior: voluit autem Deus nos ipſi eſſe gratos & amicos per ſemẽ in nobis manens; non autem per formã tranſeuntem, eſto phyſicè perfectiorem, quæ poſtquam evanuit non poſſet hominẽ reddere juſtum, niſi moraliter, & velut denominativè ratione actûs præteriti. Deinde ſicut vita naturalis *Major perfectio actûs gratiæ ſuppoſita non probat ei competere vim formaliter juſtificandi.*

lis hominis conſiſtit in principio operationum naturalium; ſic vita ſupernaturalis in principio operationum ſupernaturalium, & præſertim perfectiſſimæ, ſcilicet contritionis & amoris.

22. *In juſtificatione cum gratia infunduntur alia dona juſtificationem integrantia.* Ubi adverte in Juſtificatione quidem infundi principia etiam reliquarum operationum ſupernaturalium juxta *Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem & charitatem*, quibus Plurimi addunt virtutes morales per ſe infuſas, quod tamen negat *Scotus 3. diſt. 36. n. 28.* Hæc itaque principia ſeu habitus, etſi concurrant ad integritatem juſtificationis & vitæ ſupernaturalis; ſolus tamen habitus gratiæ & charitatis eſt forma juſtificans: ideoque fides & ſpes poſſunt remanere in peccatore, utì conſtat.

Quibus omnibus inſtructus efficitur divinæ cōſors naturæ. Porrò juſtificatus hiſce donis inſtructus efficitur divinæ conſors naturæ, per quamdam participationē ſeu imitationem. Proprium enim divinæ naturæ eſt habere potentiam & promptitudinem ad opera ſancta, & omnia ſanctè operari, peccatumque excludere. Sic gratia ſanctificans cum ſuo comitatu reddit animam habilem ſeu potentem ad quævis opera ſanctitatis, & in actu primo ſanctam & rectam, cum excluſione omnis peccati mortalis commiſſi, & (intelligendo in ſenſu compoſito) committendi, quod nullum gratia ſecùm compatitur, & per auxilia actualia Deus in juſtis ſpecialiùs præcavet. Differentia tamen eſt, quòd hæc ſanctitas ſit in nobis accidentalis & creata, in via amiſſibilis, & compatiens ſecum peccata venialia: ſecùs, quàm in Deo.

QUÆSTIO VI.

An Gratia ſanctificans ſufficiat ad delendum peccata, & conſtituendum hominem Dei amicum & filium ex natura ſua abſque ſpeciali favore?

23. ASSERIT *Vaſquez diſp. 204.* & alii Recentiores exiſtimantes id competere gratiæ ex natura ſua, ſicut albedini competit facere album.

Effectus gratiæ ſanctificantis non ita neceſſariò ſunt ei connexi, quin poſſint divinitùs ſeparari. Sed meliùs negat *Scotus 4. diſt. 16. qu. 2. nu. 4.* & plures alii. Probatur: quia gratia ſanctificans utpotè indiſtincta ab habitu charitatis, facit quidem ex natura ſua hominem habitualiter ad Deum converſum, & à peccato averſum; non tamen ita neceſſariò reddit hominem dilectum à Deo, quin abſolutè loquendo poſſet manere offenſus & averſus ab homine ipſum habitualiter diligente. Quemadmodum quod ego principium diligendi alterum habeam, non exigit omnino neceſſariò ex natura ſua phyſica, ut alius amet me, præſertim amore tali, quo me adoptet in filium & heredem. Immo ſicut in humanis potiùs haberer pro amico ratione amoris actualis non retractati, quàm ex eo quòd ſim præditus principio per quod poſſem alterum diligere: ſic ex natura rei intrinſeca videretur potiùs exigere Dei amicitiam amor actualis, quàm entitas phyſica gratiæ; quæ vel eſt ipſe habitus charitatis, vel principium & radix illius, & ceterarum virtutum infuſarum.

Confirmatur: quia etſi gratia diſtingueretur à charitate, eadem tamen utriuſque eſſet ratio quantùm ad oppoſitionem cum peccato, ejuſque remiſſionem: cùm nulla ſit ratio, cur Deus in peccatore manente Dei inimico non poſſet iſtum habitum producere vel conſervare, nolendo peccata remittere, aut peccatorem in filium adoptare. Confirmatur: quia non poteſt in hoc oſtendi ſolida aliqua implicantia.

Peccatum itaque velut quid morale ſolùm moraliter opponitur gratiæ, quia videlicet meretur ut ad ſuum adventum gratia auferatur: cujus proinde privationem ex ordinatione divina annexam habet, etſi in ea formaliter non conſiſtat. E contrà congruebat conditioni gratiæ animam ſic exornantis ac Deo unientis, ut ob illam ſimiliter Deus homini per amicitiam uniretur, & omnis peccati mortalis macula Deo ſic ordinante ac infallibiliter condonante auferretur. Quàmvis abſolutè loquendo potuiſſet homo peccare, ac durante peccato actuali, & conſequenter eo tranſacto (cùm peccatum habituale non magìs gratiæ repugnet quàm actuale) gratia in homine Dei inimico conſervari. *Peccatum opponitur gratiæ demeritoriè.*

Sunt verò plures doctiſſimi Recentiores, qui ſaltem cenſent gratiam ex natura ſua non eſſe compatibilem cum peccato mortali, ſicut calor cum frigore; bene tamen ſupernaturaliter. Quod tamen etiam ab aliis multis, præſertim *Scotiſtis*, negatur; nec ſatìs ex hactenus allegatis rationibus conficitur. Quare hi non niſi demeritoriè ex congrua Dei ordinatione ac de potentia ordinata cenſent gratiam deſtruere peccatum, atque adeò moraliter huic opponi. Quodlibet autem horum teneatur, in eo utrique conveniunt, quòd non ſit oppoſitio privativa vel contradictoria, atque adeò ſubjaceat divinæ potentiæ. Similiter Varii, qui cenſent, ſed haud efficaciter probant, gratiam reddere neceſſariò connaturaliter hominem gratum Deo, addunt tamen, ſuppoſito quòd abſit peccatum, divinitùs compatibile, eſto non naturaliter. Id denique omnino dicendū cenſeo, quòd adoptio in filium & heredem ſit effectu gratiæ annexus non neceſſariò ex natura gratiæ, ſed ex peculiari Dei benevolētia: quæ enim ex natura rei neceſſaria connexio 24. *Et quàmvis ex natura rei, adhuc poſſet per Deum cum gratia conſiſtere.*

apparet, inter hanc dignitatem, & gratiam ſeu peccati remiſſionem?

25. Nec obſtat *Trid. ſeſſ.6. cap.7.* ubi docet cauſam formalem unicam noſtræ Juſtificationis eſſe juſtitiam inhærentem. Ex quo ſequi videtur, eam non poſſe inhærere quin juſtificet: ſicut non poteſt albedo inhærere ſubjecto quin faciat album, & generaliter implicat poſitâ cauſâ formali non poni effectum formalem. Non enim hoc ſequitur: nam etſi cauſa formalis phyſica non poſſit eſſe ſine effectu formali phyſico & primario (qualis eſt album reſpectu albedinis) hic enim oritur præcisè ex inexiſtentia formæ, immo nihil eſt aliud quàm forma ſubjecto inexiſtens: poteſt tamen cauſa formalis ſeparari ab effectu ſecundario, præſertim morali. Sic impenetrabilitas eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, à qua tamen poteſt divinitùs abeſſe. Similiter calor à ſubjecto, quod formaliter reddit calidum, formaliter ſecundariò expellit frigus; quod tamen per Deum poſſet non expellere, ſi Deus frigus cum calore in eodem ſubjecto conſervaret.

Quòd gratia ſit cauſa formalis unica juſtificationis non probat, quin poſſit cum peccato per Deum conſiſtere.

Itaque gratia primariò quidem & phyſicè facit hominem ornatum tali qualitate, quæ in ſe nequit Deo diſplicere, adeòque nec homo ſpectatus tamquam ſubjectum illius. Effectus autem formalis ſecundarius & moralis eſt hominem ſimpliciter gratum & amicum ac filium Dei conſtituere, ad quod inſuper requiritur ut abſit omne peccatum mortale, & adſit actus Dei hominem redamantis ac in filium adoptantis, eique remittētis peccatum. Quæ cùm non ſint neceſſariò connexa entitati phyſicæ gratiæ, poteſt abſolutè loquendo gratia informare hominem, qui tamen non ſit Dei amicus vel filius, eò quòd nolit ei Deus peccatum remittere, vel in amicitiam recipere, aut in filium adoptare. Quàmvis convenienter Deus decreverit infallibiliter id facere ad informationem talis qualitatis, quæ idcirco gratia vocatur, habens præfatos effectus tamquam formales morales, vel juxta Varios tamquam formales connaturales ſecundarios.

Quis ſit effectus formalis gratiæ phyſicus & primarius: quis moralis & ſecūdarius.

26. Dices: Hinc ſequitur cauſam formalem noſtræ Juſtificationis non fore unicam, ſed partim gratiam inhærentem, partim extrinſecum favorem Dei condonantis peccatum & adoptantis peccatorem in filium. Quod accedere videtur ad errorem Hæreticorum, quorum aliqui (ut *Bucerus*) admittebant donum gratiæ inhærentis, ſed dicebant illud ſine ſpeciali & extrinſeca Dei imputatione non ſufficere. Immo ſequi videtur, remiſſionem peccati verè non fore refundendam in ipſam gratiam, ſed in extrinſecam Dei condonationem. Reſp. Neg. Seq. nam gratia inhærens etiam ſecundùm nos eſt cauſa formalis unica: favor enim aut extrinſeca condonatio Dei non poteſt nos formaliter juſtos denominare, ſed eſt cauſa velut efficienter deſtructiva peccati, ut indicat *Tridentinum ſup.* dicens: *Efficiens verò miſericors Deus, qui gratuitò abluit*, id eſt, peccata remittit.

Oſtenditur equidem cauſam formalem juſtificationis eſſe unicam.

Neque Hæretici in hoc errarunt, quòd favorem extrinſecum Dei concurrere aſſeruerint, ſed quòd juſtitiam inhærentem in ſuo genere verè non ſufficere, neque verè nos juſtificare dixerint, ſed id formaliter provenire à juſtitia Dei vel Chriſti nobis imputatâ, dummodo in ea fiduciam collocemus: ut patet ex *Bucero in Colloquio Ratiſponenſi* dicente, *hanc inchoatam juſtitiam nō eſſe eam quâ juſti ſumus apud Deum, ita ut propter illam vita æterna nobis debeatur; cùm ex parte tantùm & imperfecta ſit, nec legi Dei ſatisfaciat dum hîc vivimus: ideo aliam in nobis, nempe Dei juſtitiam eſſe, quâ Chriſto confidamus, & fiduciâ ſalutis confirmemur.* Et ibidem: *Idcirco non poſſum fateri juſtitiâ inhærente, quæ fide, ſpe & charitate conſtet, nos juſtificari, juſtoſq; eſſe, quia imperfecta eſt, nec legi Dei ſatisfacit.* Immo actus ad juſtitiam diſponentes, aut in quibus ij juſtitiam imperfectam collocant, legi Dei adverſari, & peccata eſſe contendebant. Quæ quàm aliena ſint à noſtra doctrina, quiſque facilè videt. Denique gratia eſt equidem verè cauſa formalis, etſi tantùm moralis, remiſſionis peccati, & non ſolùm extrinſecus Dei favor aut condonatio: ſicut Sacramentum Baptiſmi eſt vera cauſa, non quidem formalis, ſed extrinſeca & inſtrumentalis, remiſſionis peccati; etſi non ex natura ſua, ſed tantùm prout ſubſtat acceptationi & ordinationi divinæ, moraliter hunc effectum operetur. Unde ſicut per Chriſti paſſionem meritoriè, per baptiſmum vel abſolutionem inſtrumentaliter moraliter, ſic verè & formaliter, etſi tantùm moraliter *per gratiam tollitur totum id quod habet veram rationem peccati*, ut utār verbis *Trid. ſeſſ. 5. can. 5.* Quòd ſi cùm pluribus aliis dicatur effectum hunc formalem eſſe gratiæ connaturalem etſi divinitùs ſeparabilem, nullam habet apparentiam tota objectio.

Quantùm à prædictis diſtet doctrina Buceri.

27. Petes, An caſu quo Deus gratiam ſimul cùm reatu culpæ mortalis relinqueret, homo ſimul foret juſtus & injuſtus, ſanctus & peccator, dignus & indignus vitâ æternâ? Reſp. relictâ peccato efficaciâ ſuâ in tali hypotheſi, fore hominem ſimpliciter injuſtum, peccatorem & indignum vitâ æternâ: haberet tamen ſimul formam, quæ ſive ex natura, ſive ex congrua ordinatione Dei, juſtum, ſanctum & cælo dignum redderet, ſi peccatum abeſſet. In quo nec apparens quidem eſt contradictio.

An ſi in eodem eſſet gratia cum peccato. is foret juſtus & ſanctus & cælo dignus.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An de abſoluta Dei potentia poßit fieri Iuſtificatio abſque dono gratiæ inhærentis, aut phyſicâ mutatione peccatoris?

28.

Iuſtificatio impii de facto includit remiſſionem mortalium, reſtitutionem divinæ amicitiæ, filiationis ac juris ad hereditatem æternam.

IUSTIFICATIO perfecta peccatoris involvit primò remiſſionẽ peccati mortalis. Secundò reſtitutionem divinæ amicitiæ. Tertiò recuperationem filiationis adoptivæ Dei, adeòque juris ad hereditatem æternam. Quæ omnia juxta ordinatiſſimam Dei diſpoſitionem perficiuntur renovatione interioris hominis per infuſionem gratiæ, ad quam homo adultus ſe diſponit per actus fidei, pœnitentiæ &c. ut patet ex *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. & 7.*

Quæritur autem, an abſolutè loquendo Deus ordinare potuiſſet ut tria prædicta perficerentur abſque hac renovatione interiori aut mutatione peccatoris. De quo controvertunt Doctores. Pro reſolutione

Quæ omnia de abſoluta potentia poſſent perfici ſine dono gratiæ habitualis.

DICO I. Abſolutè loquendo poſſet Deus peccatori remittere peccatum, reſtituere divinam amicitiã, & jus ad vitam æternam, abſque dono gratiæ habitualis. Ita *Alenſis, D. Bonaventura, Scotus, Occam* & cõmuniter alii. Immo *Sotus l. 2. De natura & gratia c. 17.* dicit neminem de hoc ambigere. Citantur tamen quidam *Thomiſtæ* & Recentiores in contrarium. Probatur: quia ne apparens quidem ratio repugnantiæ poteſt aſſignari: cur enim non poſſet Deus vim juſtificandi annectere contritioni aut dilectioni actuali, immo attritioni, à qua etiam poſtquam tranſiiſſet, homo eſſet ac denominaretur juſtus, & amicus ac filius Dei.

29.

Abſolutè loquendo poſſet remitti mortale peccatum ſine phyſica mutatione peccatoris;

DICO II. De abſoluta potentia poſſet remitti mortale abſque omni gratia interna aut phyſica mutatione peccatoris. Ita paſſim Doctores contra *Thomiſtas* & quoſdam alios. Probatur: quia communi hominum ſenſu poteſt remitti offenſa per ſolam extrinſecam remiſſionem abſque aliqua mutatione illius qui offendit, ſive abſque eo quòd huic aliquod donum concedatur: ergo idem poteſt fieri à Deo. Confirmatur: quia poteſt Deus ita condonare debitum voti vel pœnæ; ergo & culpæ. Deinde remiſſio peccati tenet ſe ex parte Dei, actus autem peccatoris ſunt tantùm diſpoſitiones: atqui Deus poteſt diſpoſitiones ſupplere, ergo &c.

30.

Non tamen ſine mutatione morali.

Dices I. Non poteſt remitti offenſa ſine aliqua mutatione; non Dei, ergo peccatoris. Reſp. Neg. Majorem intellectam de phyſica mutatione. Moralis autem mutatio intervenit ex parte peccatoris, à quo per condonationem Dei tollitur offenſa & peccati macula. Neque ex hoc Deus magis mutatur, quàm ſi remitteret per infuſionem gratiæ, aut quando ſic remitteret pœnam: utrobique enim tantùm cernitur actus immutabilis divinæ voluntatis, qui ab æterno liberè terminatur ad hominem, v. g. tamquam ad amicum quatenus conſideratur pro hoc tempore; & ſimiliter ab æterno liberè terminatur ad eumdem tamquam inimicum, quatenus conſideratur pro alio tempore priori. Quod eſt commune ceteris volitionibus liberis Dei.

Ex quo nulla ſequeretur mutatio in ipſo Deo.

Dices II. Peccatum actuale cenſetur moraliter manere, quamdiu non retractatur; quod etiam videtur in promiſſionibus & aliis contractibus: ergo ſaltem ad remiſſionem peccati requiritur pœnitentia peccatoris. Reſp. Neg. Ant. intellectum de abſoluta potentia: immo de facto Deus condonat parvulis originale, quod ipſi non retractant: eodemque modo peccata condonare potuiſſet adultis v. g. dormientibus aut ignorantibus. Prout hâc ratione poteſt condonare debitum pœnarum, vel ortum ex voto ſeu promiſſione Deo factâ. Quo modo etiam contractus reſcinduntur à Judice, promiſſiones irritantur à promiſſario abſque phyſica debitoris mutatione.

Peccatum perſonale manet moraliter donec retractetur, at de potentia ordinata.

Dices III. Peccatum eſt privatio gratiæ; privatio autem tolli nequit, niſi per formam oppoſitam. Reſp. Neg. Aſſ. nam formaliter potiùs privat rectitudine ſeu bonitate debitâ ex lege (ſi tamen ſit formaliter quid privativum) qui defectus moraliter manens conſtituit peccatum habituale: ſolùm autem privat gratiâ concomitanter & demeritoriè. Deinde quàmvis eſſet privatio moralis gratiæ (indubitatum enim videtur quòd non ſit phyſica) non tamen gratiæ ſolius, ſed potiùs generaliter formæ juſtificantis, adeòque cùm gratia non ſit forma adæquata quâ peccatum privat, poſſet illud tolli aliter quàm per gratiam, ſcilicet per aliam rationem juſtificativam. Denique fieri poſſet per condonationem, ut non remaneret privatio moralis gratiæ, ſed pura carentia illius, etiam gratiâ non reſtitutâ.

31.

Peccatum non eſt formaliter privatio gratiæ;

Et quàmvis eſſet moralis privatio gratiæ, nil ſequeretur contra nos.

Dices IV. Talis juſtificatio conſiſteret in ſola extrinſeca non imputatione, quod docent Hæretici damnati à *Trid ſeſſ. 6. c. 7. & can. 10. & 11.* Reſp. *Tridentinum* tantùm definire quid de facto fiat, non autem quid abſolutè fieri debeat. Deinde in tali juſtificatione, etſi imperfectiori quàm ſit moderna, peccatum verè remitteretur: per juſtificationem autem ab Hæreticis confictam, peccatum verè non remittitur, ſed manet, tantumque non imputatur ad damnationem, etſi eâ ſit dignum.

Condonatio extrinſeca (contra cujus poſſibilitatem non agit Tridentinum) qui diſtinguatur à non imputatione Calviniſticâ.

32.

Proponitur objectio, quam noviter movet Dicaſtillo contrarium ſentiens.

Dices V. Si condonatio merè extrinſeca eſſet poſſibilis, ſequeretur de facto peccatum ſufficienter condonari per abſolutionem Sacerdotis priùs naturâ, quàm infundatur gratia: per condonationem enim tollitur formaliter peccati macula, abſolutio

lutio autem Sacerdotis continet condonationem, quâ Sacerdos nomine Dei condonat; & hæc præterea inſtar cauſæ naturâ præcedit infuſionem gratiæ: ergo ante hanc intelligi debet ablatū peccatum. Hanc Objectionem difficilem putat *Dicaſtillo d.* 5. *de Pœnit. n.* 118. in qua (inquit) ſolvendâ diu laborat, & in diverſas partes ſe verſat quidam Recentior, ſcilicet Cardinalis *Lugo.* Ipſe autem negans condonationem merè extrinſecam eſſe poſſibilem facilè reſponderi putat *nu.* 121. dicendo, ſatìs eſſe, quòd in puncto finitorum verborum incipiant verba eſſe vera practicè ſignificando remiſſionem, quæ eſt forma ſubjectum ſanctificans, nec aliter poſſe peccatum remitti ſeu maculam peccati tolli.

Quamq; putat carere difficultate in altera ſententiâ.

At æquè facilis eſt ſolutio in noſtra ſententia.

Sed æquè facilè Reſpondetur à nobis, quòd cùm de facto equidem non fiat remiſſio peccati niſi per formam intrinſecam ſeu gratiam, abſolutio Sacerdotis, etſi fiat nomine Dei, non tamen ſignificet practicè remiſſionem peccati fieri niſi naturâ poſt infuſionem gratiæ; q. d. Condono tibi nomine Dei peccata mediante infuſione formæ ad hoc à Deo ordinatæ: adeòque verbalis condonatio Sacerdotis eſt quoque condonatio Dei, quatenus relata ad inſtans naturæ ſubſequens gratiæ infuſionem.

33.
Filiatio & jus ad hereditatem æternam poteſt ſimiliter recuperari abſque Phyſicâ mutatione peccatoris:

DICO III. Poteſt ſimiliter recuperari filiatio adoptiva, & jus ad hereditatem æternam abſque gratia interna aut phyſica mutatione peccatoris. Ita communiùs Doctores. Ratio eſt: quia ex natura rei (ut etiam in humanis patet) fieri poteſt iſta adoptio per ſolam adoptantis voluntatem, etſi adoptato nihil intrinſecè conferatur: cur ergo Deus non poſſet eligere aliquem in filium, cui conferat hereditatem æternam, abſque gratia interna, aut phyſicâ illius mutatione? Confirmatur: quia poſſet Deus conſtituere aliquem Regem abſque eo quòd illi conferret aliquod donum internum: quid ni ergo ſimiliter conſtituere poſſit heredes & Reges regni cæleſtis?

Etſi convenientiſſimè Deus nos adoptaverit mediante ſemine gratiæ ex ipſo natos.

Convenientiſſimè tamen Deus ſolùm adoptavit in filios, qui per ſemen gratiæ habitualis *ex Deo nati ſunt Joan.* 1. & in quibus *ſemen ipſius manet* 1. *Joan.* 3. per quod Patri cæleſti reddantur ſimiles, ſeu *efficiantur divinæ conſortes naturæ*, ut dicitur 2. *Petri* 1. Cujuſmodi perfecta adoptio, quæ ſecundùm formam accidentalem eſt filiatio quodammodo naturalis, abſolutè fieri nequit ſine forma intrinſeca. Et juxta hoc explicari poſſet *Scotus* 4. *d.* 1. *qu.* 6. *num.* 8. Quàmvis revera videatur tantùm loqui de potentia ordinata, ut eum explicat *Lychetus*, immo ipſe *Scotus* ſatìs indicat 1. *d.* 17. *qu.* 3. *nu.* 29. in fine; ad quem locum ſe refert *in* 4.

34.
Deus peccatorem citra phyſicam hujus mutationem poteſt quodam ſenſu habere amicum,

DICO IV. Poteſt etiam Deus abſolutè loquendo peccatorem ſibi habere amicum abſque gratia interna; non tamen amicitiâ utrimque completâ. Prima pars patet ex dictis: ſi enim poſſet Deus peccatori remittere peccatum, cumque adoptare in filium abſque omni gratia interna aut phyſicâ mutatione; cur ſimiliter non poſſet in eo tamquam filio ſibi complacere, eumque ſibi gratum habere?

Quodam ſenſu non.

Secunda pars probatur: quia ex *Philoſopho* 8. *Ethic.* 2. & 9. ad completam utrimque amicitiam communiter requiritur amor benevolentiæ reciprocus, fundatus in reciproca bonorum communicatione, & notus utrique amicorum: quæ fieri non poſſunt abſque phyſicâ mutatione peccatoris, & ſignanter abſque amore ſeu dilectione ex parte ipſius. Hæc tamen amicitia ad perfectam juſtificationem etiam quæ de facto fit non ſemper requiritur: quandoquidem in carentibus uſu rationis non ſit amor actualis, nec reciproca Dei dilectio ſit ipſis nota; immo & ipſi adulti cum Sacramento juſtificari poſſint, abſque eo quòd actum amoris benevolentiæ eliciant.

35.
Prædicta applicantur ſtatui puræ naturæ.

Quæ diximus in hac quæſtione etiam locum habent cum proportione in ſtatu puræ naturæ, in quo videlicet homo non fuiſſet creatus ad finem vel dona ſupernaturalia: in eo enim potuiſſet peccatum remitti abſque aliquo intrinſeco, & ſimiliter reſtitui amicitia ordinis naturalis; non tamen utrimque omnino completa. Filiatio autem adoptiva ibi propriè non habuiſſet locum, uti nec hereditas; niſi hæc conſtitueretur in quadam fruitione Dei per actum naturalem contemplationis & amoris; ad quem tamen ſtatum potuiſſet etiam peccator eligi abſque phyſica ſui mutatione.

QUÆSTIO VIII.

An unum peccatum mortale poſſit remitti ſine altero?

36.
De potentia ordinata nequit unū mortale remitti ſine altero.

DICO I. Non poteſt unum peccatum mortale ſine altero remitti de potentia Dei ordinata. Patet ex communi conſenſu omnium Doctorum, & Fidelium, quorum nemo exiſtimat aut ſperat ſe dimidiatam mortalium veniam poſſe obtinere. Idem apertè ſupponit *Trid. ſeſſ.* 5. de mundatione ab originali per Baptiſmum, *ſeſſ.* 6. in tota doctrina de Juſtificatione, & *ſeſſ.* 14. de Pœnitentia. Et *Innocentius III. cap. Majores, De Baptiſmo* declarat, originale non remitti ſine mortalibus actualibus: quia (inquit) *Dominus qui totum hominem ſalvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit; & ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit.* Ipſa quoque Scriptura remiſſionē peccati non aliter promittit, quàm per modum juſtificationis, vivificationis, liberationis à morte: quæ non habentur, niſi per integrā remiſſionem. Ratio Theologica

logica eſt; quia gratia, per cujus ſolùm infuſionem fit juxta fidem remiſſio peccati mortalis, eſt incompatibilis cum quolibet, ut etiam Fides docet. Deinde per gratiam formaliter conſtituitur homo amicus & filius Dei ac heres vitæ æternæ juxta *Trident.ſeſſ.6.c.*4. & 7. ſingula autem peccata mortalia hominem faciunt Dei inimicum & filium gehennæ.

37. *Secùs eſt de potentia abſoluta,*

Dico II. De abſoluta potentia poteſt remitti unum mortale peccatum ſine alio. Eſt cõmunior Doctorum. Probatur: quia ex natura rei poteſt debitori remitti unum debitum ſine altero, una injuria ſine altera: ut in humanis patet. Immo ipſe Deus de facto ſæpè remittit non tantùm debitum unius voti vel pœnæ non dimiſſo altero, ſed etiam unam culpam venialem non remiſsâ alterâ: quid ni ergo fieri poſſet idem circa culpas mortales? Quod quidem clariùs eſt, ſi remiſſio fieret per extrinſecam condonationem, quæ poteſt afficere unum peccatum mortale abſque eo quòd afficiat alterum. Nihilominus etiam verum eſt, etſi fieret remiſſio per infuſionem gratiæ; quæ ſicut abſolutè poſſet ſecum compati quælibet peccata mortalia, ſic Dèo volente poſſet ad illius adventum deſtrui ſeu remitti unum remanente altero. Confirmatur: quia ſingula peccata diſtinctam inducunt in anima maculam: ergo ſicut poteſt una macula ſine altera poni, ſic etiam ſaltem divinitùs deleri.

Non tãtùm ſi remiſſio fieret per extrinſecam condonationem,

Sed etiam ſi fieret mediãte gratia infuſione.

Quo caſu homo talis non eſſet ſimpliciter juſtus & amicus Dei.

Hoc tamen caſu homo non fieret ſimpliciter juſtus, immaculatus & amicus Dei; ſed maneret ſimpliciter injuſtus, maculatus & inimicus: ad hoc enim ſufficit etiam unicum mortale remanens, ob quod Deus odio haberet peccatorem, illumque meritò in æternùm puniret.

38. *An poſſet de abſoluta potentia tali reſtitui jus ad vitam æternam.*

Petes, An Deus poſſet tali homini reſtituere jus ad vitam æternam? Reſp. Negativè ſuppoſito (utì ſupponitur) quòd alia mortalia adhuc maneat quoad reatum, etiam pœnæ: cùm talis ob hæc excidat ac excluſus maneat à jure iſto, utpotè habens debitum pœnæ damni ſeu privationis vitæ æternæ. Quòd ſi verò quis conſideret tali homini cetera peccata eſſe remiſſa de abſoluta potentia quoad pœnam remanente ipsâ culpâ habituali, non ſatis apparet implicantia, cur iſti non poſſet reſtitui de abſoluta potentia jus ad hereditatem æternam, ſive adeundam ceteris culpis habitualibus remiſſis (prout in obnoxio peccatis venialibus de facto manet jus ad vitam æternam, iis etiam quoad pœnam dimiſſis obtinendam) ſive adeundam ipſis culpis remanentibus, ſuppoſitâ (quam Varii defendunt) illorum compoſſibilitate cum viſione & fruitione Dei quoad potentiã abſolutam. Sicut etiam (quàmvis non ſit perfecta paritas) in humanis filii, ſive legitimi, ſive adoptivi, etſi parentibus ingrati, jus ad hereditatem obtinent, eamque citra reconciliationem adeunt.

QUÆSTIO IX.

An remiſſionem culpæ infallibiliter comitetur remiſſio pœnæ?

Dico I. De facto, quando remittitur culpa mortalis, infallibiliter ſimul remittitur pœna æterna. Eſt certum apud omnes, & docet *Trid.ſeſſ.6.* cap. 14. *Non quidem*, inquit, *pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto, unà cum culpa remittitur.* Sacra quoque Scriptura inſeparabiliter jungit ſtatum culpæ mortalis cum reatu damnationis, & è contrà juſtificationem ſeu remiſſionem culpę cum liberatione à damnatione, & redintegratione ad gloriam, ut *ad Rom.6. Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habentes fructum veſtrum in ſanctificatione, finem verò vitam æternam.* Ratio eſt: quia is cui remittitur culpa mortalis, fit per gratiam ſanctificantem amicus ac filius Dei, & heres vitæ æternæ: ergo ſimul non manet reus æternæ damnationis: nam *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, ut ait Apoſtolus *ad Rom.* 8. Neque ſimul deberi eidem poteſt hereditas ſeu gloria, & ejuſdem privatio, quæ eſt eſſentialis damnatio, ſeu pœna damni. 39.

Cum culpa mortali ſemper reatus pœnæ æternæ ſimul remittitur.

Dico II. De facto in Juſtificatione, extra Baptiſmum & Martyrium, non ſemper remittitur tota pœna, ſed plerumque pœna æterna mutatur in temporalem. Ita omnes Doctores, & Catholici. Et patet ex aperta definitione *Tridentini ſeſſ.6. cap.* 14. & *ſeſſ.*14. *cap.*2. & 8. & *can.* 12. Idem patet ex veritate Catholica de Satisfactione ſacramentali, & de Indulgentiis. Item ex doctrina de Purgatorio, quod ordinatum eſt etiam pro culpis mortalibus remiſſis, quando pœna remanens ſatisfactionibus aliiſque mediis in hac vita non expiatur. 40.

Plerumque tamen pœna æterna mutatur in tẽporalem,

Similiter Scriptura docet Deum quandoque punire temporaliter culpas remiſſas. Nam *Gen.* 3. Deus primis parentibus indixit pœnas exolvendas etiam poſt remiſſam culpam; quibus & nos poſt originalis culpæ remiſſionem in Baptiſmo factam manemus obnoxii. Et clariùs exemplo Moyſi & Aaron, qui mortem guſtarunt ante ingreſſum in terram promiſſam ob patratum, quod tamen dudum eis erat remiſſum, ut patet apertè *Numer.* 20. & *Deuteron.*32. Exemplum de pœnis à Deo poſt culpam remiſſam inflictis, quas etiam debuiſſe Davidem luere ob culpam poſt ejuſdem remiſſionem, patet clarè 2.*Reg.*12. & 24. ergo divina juſtitia pro culpa remiſſa adhuc reſervat pœnam temporalem, ſive hîc ſive in futuro ſolvendam.

Quam etiã in hac vita poſt culpam remiſſam Deus ſæpè legitur inflixiſſe.

Idem docent Patres. *Auguſtinus* in illud *Pſalmi* 50. *Veritatem dilexiſti*, ait: *id eſt, impunita peccata, eorum etiam quibus ignoſcis,*

ſcis, non reliquiſti. Ambroſius lib. ad Virginem lapſam c. 8. *Greg. hom.* 20. *in Evangelia*, in illud *Lucæ* 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, & alii quorum loca citat *Suarez d.* 10. *de Pœnit. ſect.* 3. *num.* 3. *Valentia* & alii.

41. *Idq; congruentiſſimè Deus ordinavit.*

Ratio eſt: quia reſervatio pœnæ temporalis congruebat, tum ad coërcenda hominum delicta, tum ad exercendum aliquem juſtitiæ rigorem miſericordiâ temperatum, ut præclarè notavit *Trid.ſeſſ.*14. *cap.* 8. Agit itaque nobiſcum Deus inſtar Regis, qui condonans reo bene merito pœnam capitis, vult eum mulctare temporali carcere vel exilio, ne juſtitia publica omnino videatur negligi, aut occaſio faciliùs & impunè delinquendi præberi. Aliud eſt in Baptiſmo, qui cùm ſit ſpiritualis regeneratio, per quam homo fit nova creatura, congruè omnes veteris hominis culpas cum pœnis ex divina ordinatione tollit, remanentibus dumtaxat quibuſdam hujus vitæ pœnalitatibus ac defectibus. Hanc tamen novitatem vitæ deinde amiſſam non congruebat tam facilè ex integro reſtitui, ingratis videlicet hominibus, *qui* (ut loquitur *Trid.ſeſſ.*14.*c.*8.) *ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint*; ſed laborioſo deinceps baptiſmo & multis fletibus ad hoc opus eſt.

42. *Pœna temporalis relicta non ſemper eſt æqualis.*

Eſt tamen obſervandum pœnam, quæ relinquitur non ſemper eſſe æqualem: tum quia congruebat, ut Deus non tantam pœnam exigeret ab eo cui condonat plura vel graviora; ſed ceteris paribus juxta menſuram delicti eſſet & plagarum modus: tum quia fervens contritio conducit ad remiſſionem majoris pœnæ temporalis, quàm minùs perfecta, ut paſſim Doctores: immo hæc poſſet eſſe tanta, ut ad totius pœnæ remiſſionem diſponeret; idque eò faciliùs, quò paucioribus vel minoribus homo erat gravatus peccatis. Quod *Cajetanus To.*1. *Opuſc. Tract.*4. ait eſſe certum; & ſupponit *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 14. dicens: *Sed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ Litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur.* Ubi ſatis inſinuat quandoque ſaltem ſimul cum culpa remitti totam pœnam, etiam citra Baptiſmum, cum alio Sacramento aut Sacramenti voto. Quamquam id plerumque non fiat, ſive ob multitudinem vel gravitatem peccatorum, ſive ab contritionis imperfectionem & teporem. Similiter aliqua pars pœnæ temporalis relaxatur virtute Sacramenti, quando in illius receptione condonatur culpa, ut in Sacramento Pœnitentiæ aut Extremæ Unctionis, idque pro ratione diſpoſitionis: ob quod etiam ſolet mitior pœnitentia imponi confitentibus meliùs diſpoſitis, etſi tantùm attritis.

43.

Sed difficultas eſt, quomodo Contritio peccatoris aliquam partem pœnæ temporalis, vel aliquando totam deleat. *Suarez diſp.* 10. *de Pœnit. ſect.*3. *n.* 19. dicit contritionem, prout naturâ præcedit infuſionem gratiæ, diſponere ad remiſſionem pœnæ æternæ, ejuſque commutationem in pœnam temporalem. Prout autem coexiſtit gratiæ jam infuſæ eodem inſtanti temporis, atque adeò eſt opus hominis juſti, ſatisfacere de condigno pro pœna temporali jam taxatâ, in toto vel in parte pro qualitate fervoris.

Juxta nonnullos tollitur pars pœnæ temporalis vel aliquando tota vi contritionis per modũ condignæ ſatisfactionis;

Hoc tamen non probatur.

Verùm hanc explicationem fusè refutat *Lugo diſp.* 8. *de Pœnit. n.* 56. *& ſeqq.* Nam gratia non elevat contritionem tamquam diſpoſitivam de condigno ad aliquem alium effectum, ad quem ipſa gratia per ſe non reddit hominem dignum: gratia autem talis præciſè non dat jus ad diminutionem pœnæ temporalis. Et ob ſimilem rationem non dignificat contritio juſtificatum ad aliam gloriam, quàm quæ reſpõdeat ipſi gratiæ in ipſa Juſtificatione infuſæ. Deinde (ut alia omittam) ſic Deus taxaſſet temporalem pœnam, quam numquam mandare poſſet executioni, ſaltem dum Juſtificatio fit ſine Sacramenti ſuſceptione, ſed ſciebat infallibiliter eodem inſtanti temporis minuendam per contritionem conſideratam prout eſt opus hominis jam juſti. Immo etiam dum juſtificatio fit in Sacramento, adhuc diſpar pœna temporalis remanet intuitu diſparis v. g. attritionis, etiam ampliùs non exiſtentis, quæque adeò ſpectari nequit velut opus juſti.

44. *Unde diſpar contritio per modum diſpoſitionis congrua ſolùm facit ad diſparem taxã pœnæ temporalis.*

Unde faciliùs dici hoc poſſe videtur: Deum unicâ remiſſione mutare pœnam æternam in temporalem inæqualem juxta inæqualitatem cõtritionis; ad quam quidem pœnæ temporalis diverſitatem eodem modo diſponat contritionis diverſitas, ſicut generaliter ad remiſſionem pœnæ æternæ diſponit ſubſtantia contritionis peccatoris juſtificandi. Similiter dum juſtificatur homo per Sacramentum, ſicut diſpoſitivè per pœnitentiam, & moraliter efficienter per Sacramentum, tollitur reatus pœnæ æternæ; ſic juxta inæqualem Sacramenti virtutem, & diſpoſitionis diſparitatem videtur pœna æterna à Deo commutari in diſparem temporalem.

45. *Nonnulli cenſent ad diminutionem vel extinctionem pœnæ temporalis conducere contritionem eatenus ſolùm, quatenus poſt juſtificationẽ cõtinuatur.*

Nec dici poteſt cùm *Averſa q.* 3. *de Pœnit. ſect.* 12. §. *Hinc non aliter*, Contritionem non niſi quatenus continuatur poſt infuſionem gratiæ (prout regulariter continuatur) valere ad delendam aliquam partem pœnæ temporalis, quæ de rigore manere debeat remiſsâ culpâ; eatenus autem valere de condigno, uti valerent actus denuò eliciti in ſtatu gratiæ. Et ſic putat accipi poſſe dictum Scripturæ de pœnitentia Magdalenæ, utique per aliquod tempus continuatâ: item verificari, quòd quò contritio major fuerit, eò majorem pœnæ partem deleat; immo aliquando totam

pœnam,

pœnam, ratione ſcilicet continuatæ durationis poſt infuſionem gratiæ. Non, inquam, hoc dici poteſt: quia id non videtur ſatisfacere ſenſui & intento communi aſſerentium contritionem peccatoris diſpoſitivè ſic tollere æternitatem pœnæ, ut cum hujus remiſſione interdum ſimul tollatur etiam tota pœna temporalis, quando ſcilicet contritio vel diſpoſitio eſt adeò perfecta. Idemque eſt etiam de attritione, quæ poteſt eſſe tanta, ut in ipſa ſuſceptione Sacramenti tota pœna etiam temporalis remittatur, independenter à continuatione illius poſt abſolutionem, prout ſanè poſt illam continuari non debet, immo nec eidem phyſicè coëxiſtere. Profectò dum *Trid. ſeſſ. 6. cap. 14.* ait: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ Litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur*, ſatis apertè videtur inſinuare etiam citra Baptiſmum, cum Sacramento alio aut Sacramenti voto poſſe remitti ſimul cum culpa totam pœnam, & conſequenter Sacramentis necdum inſtitutis potuiſſe remitti: quod tamen non conſiſtit cum iis quæ tradit *Averſa*, juxta quem contritio deletiva culpæ & pœnæ æternæ ſolùm inciperet valere ad reatum pœnæ temporalis minuendum ſeu delendum poſt culpæ remiſſionem, adeòque juſtificationem jam peractam, non aliter, quàm ſi novus actus denuò eliceretur.

Sed hoc improbatur.

46. *De abſoluta potentia poſſet remitti culpa mortalis remanente integro pœnæ reatu.*

DICO III. De abſoluta potentia poteſt remitti peccatum mortale quoad culpam remanente obligatione ad pœnam æternam, etiam tamquam pœnam. Eſt communior Doctorum. Ratio eſt: quia aliud eſt remittere culpam ſeu offenſam, aliud remittere pœnam: & ideo poſt culpam remiſſam ſolet etiam plerumque remanere reatus pœnæ temporalis. Similiter animabus hinc migrantibus cum veniali non remiſſo dimittitur illud ad poſitionem contritionis (quam credendum eſt illas elicere primo inſtanti poſt ſeparationem à corpore) ſive tamquam actûs ſatisfactorii, ſive tamquam conditionis ſine qua non; & tamen certum eſt remanere reatum pœnæ integræ: ergo ſimiliter poſſet remitti culpa gravis manente reatu pœnæ æternæ; idque non ſolùm per extrinſecam condonationem, ſed etiam per infuſionem gratiæ, quæ non involvit abſolutam incompatibilitatem cum reatu culpæ mortalis: adeòque multò minùs cum reatu pœnæ æternæ.

Sicut de facto poſt mortem remittitur interdum culpa venialis.

Eſtq; concluſio vera, etiam intellecta de remiſſione facienda per infuſionem gratiæ.

QUÆSTIO X.

An peccata ſemel remiſſa numquam redeant per ſubſequentia?

DICO I. Peccata ſemel remiſſa de facto numquam redeunt. Ita omnes Theologi in 4. *diſt.* 22. & 3. *Parte qu.* 88. contra *Hugonem Victorinum*. Omiſſis autem variis Scripturis, quæ non videntur ſatis efficaciter concludere, 47.

Peccata ſemel remiſſa numquam redeunt.

Probatur I. ex Patribus, *S. Gelaſio Papa cap. fin. De Pœnit. diſt.* 4. ubi ait: *Divina clementia dimiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur:* & conſequenter non patitur redire ipſum reatum culpæ, quem certè impunitum non relinqueret: Quàmvis alioquin de ipſo reatu pœnæ expreſſiùs Plerique loquantur, ut ex objectionibus patet. *Proſper in Reſponſ. ad 2. object. Gallorum* ait: *Qui recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam; quid niſi in perditionem cadit? Sed non in quod remiſſum eſt recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter poſtrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt, debebatur.* Accedit ſenſûs omnium DD. & fideliū, atque adeò Eccleſiæ.

Patet ex Patribus.

Probatur II. Quia ſi peccata ſemel remiſſa redirent, non forent abſolutè & ſimpliciter remiſſa, ſed ſolùm limitatè & ſecundùm quid, v.g. donec homo relabatur: Deus autem remittit peccata ſimpliciter & abſolutè. Quod patet: tum quia Scriptura pœnitentibus abſolutè promittit veniam peccati: tum quia verba abſolutionis nullam conditionem continent; ideoque in ſimilia prioribus peccata relapſus non debet illa priora iterum confiteri, quaſi rurſum redeuntia indigerent iteratâ remiſſione: tum quia hic modus eſt magis conformis divinæ clementiæ, firmiterque perſuaſus Chriſti Fidelibus; adeòque omnino aſſerendus, niſi clarè conſtet de oppoſito: tum quia certum eſt reprobis remitti peccata, qui tamen ob peccatum finale in omnia præterita alioquin relaberentur: tum deniq; quia pro peccatis remiſſis exhibita ſemel fuit condigna ſatisfactio ex meritis Chriſti in Sacramento aut Sacramenti voto applicatis, etſi peccator ipſe remiſſionem mortalis ex opere ſuo tantùm de congruo impetret. Confirmatur: quia alioquin pari proportione redirent peccata venialia. Deinde pro pœna temporali reſtante poſt culpæ etiam mortalis remiſſionem poteſt ante relapſum eſſe pœnitùs ſatisfactum, etiam de condigno; non ergo denuò ob idem peccatū puniri poſtea poterit. 48.

Et ratione Theologica.

Objicitur I. Deus aliquando dicitur recordari peccatorum noſtrorum, quæ erant oblivioni tradita, 3. *Reg.* 17. *Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me,* 49.

ut

ut rememorarentur iniquitates meæ. *Pſal.* 78. *Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.* *Pſal.* 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus.* Reſp. Scripturam loqui de pœna temporali, quam interdum in hac vita, etiam remiſsâ culpâ, Deus arbitrariè infligere ſolet; cujus ob nimiam dilationem quaſi videbatur oblitus, ac ex novo peccato vel aliundè occaſionem velut recordandi, ſeu pœnam accelerandi arripere, quam alioquin fortè non inflixiſſet, veluti menſurâ necdum completâ; quam alioquin ſæpè implent prævaricatores à vilis ſuis præteritis vel parentum ſuorum non recedentes, uſque dum novas culpas Deus puniat ex ſuppoſitione antiquarum, & ſimul caſtiget antiquas caſtigatione adhuc dignas, quas novis non ſubſecutis taliter non caſtigaſſet.

Quo ſenſu Scriptura dicat Deum recordari peccatorũ.

Quod verò allegari ſolet ex *Pſal.* 37. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*; non intelligitur de peccato verè remiſſo & curato, ſed de obducto cicatricibus diuturnæ oblivionis & perſeverantiæ in eodem. Unde vulnus peccati non tam ſublatum quàm auctum erat, ac longiùs & latiùs fœtere cœperat per ſcandalum, à facie inſipientiæ peccatoris, quæ ſicut cauſavit neglectum ac inconſiderationem vulneris, ſic & ejuſdem velut putrefacti ampliorem fœtorem ratione ſcandali, adeòque difficiliorem curationem.

50. *Objicitur famoſa Chriſti parabola de ſervo immiſericorde* Matth. 18.

Objicitur II. Parabola illa de ſervo, cui ob duritiam in ſuum conſervum Dominus rurſum imputavit omne delictum ſemel condonatum *Matth.* 18 ubi Chriſtus ſubjungit: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

Reſponſio Prima.

Reſponderi poteſt I. cum *Eſtio* 4. *d.* 22. §. 2. comparationem ſeu applicationem Parabolæ (utique non in omnibus applicandæ) videri in hoc ſitam, quòd ſicut ille parabolicus debitum dimiſſum revocavit ob cognitam poſtea inclementiam ſervi in conſervum; ſic Deus ob eamdem cauſam ſimpliciter non dimittat debitum, utpote jam videns in corde hominis odium erga conſervum; immo etiam quod ex parte Sacramenti videbatur remiſſum velut revocabit & puniendo oſtendet non fuiſſe dimiſſum. Conſonatque Concluſio Parabolæ: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis*, id eſt ſic vobis non remittet, *ſi non remiſeritis &c.* ut ſit hoc idem quod *Matth.* 6. & *Marci* 11. dicitur: *Si non dimiſeritis, nec Pater dimittet vobis.*

51. *Reſponſio Secunda.*

Reſponderi poteſt II. non ſignificari hâc Parabolâ, quòd legibus humanis debita ſemel remiſſa repeti queant, ſed quod Rex ſupremâ pollens poteſtate crudelitatem illam cum tanta ingratitudine conjunctam judicaret tam grave peccatum, ut eâdem pecuniæ ſummâ, cujus remiſſionem acceperat mulctari mereretur. Unde Chriſtus Parabolam applicans non ſignificat reatum præcedentium peccatorum ſemel remiſſorum propriè redire, ſed quòd ſicut ille Rex dirè punivit ſervum ſuum immiſericordem, ſic & Pater cæleſtis magno rigore judicaturus & vindicaturus ſit hominem crudelem contra fratrem, ubi ipſe Deus offenſas incomparabiliter majores homini dimiſerat. De reliquo autem non eſt neceſſe Parabolam in omnibus adaptari: quod etiam in aliis Parabolis eſt obſervandum, juxta regulam *Hieronymi* & *Chryſoſtomi.*

Aliter dici poteſt reatum præcedentium delictorum redire quoad ſubſtãtiam pœnæ ſimilis, non quoad gradum. Et hoc in iſta Parabola indicari, ut oſtendatur gravitas peccati immiſericordiæ (quam homines non ita apprehendebant) utpotè tam dirè, ſcilicet pœnâ æternâ puniendi. *Nonnulla alia reſponſiones.*

Addi etiam cum Nonnullis poſſet ſpeciale videri peccato inclementiæ, ut propter illud Deus frequenter permittat hominem labi in æquivalentia peccata priùs dimiſſis: ideoque contra hoc vitium fortaſſe Parabolam iſtam ſingulariter adductam. Ita *Vaſquez*, & probabile cenſet *Lugo diſp.* 10. *de Pœnit. ſect.* 1. *n.* 5. Videturque ſolùm eſſe quædam conjectura fundata in rationabili congruentia & malitiâ peccati inclementiæ.

Addunt denique Scholaſtici alium improprium modum reditûs peccatorum, ſcilicet ſecundùm quid ratione ingratitudinis, ob quam ſubſequentia peccata ſunt graviora, & ſic aliquo modo priora redeunt virtualiter: quamquam non ſit neceſſe ut idcirco peccatum poſterius æquivaleat omnibus prioribus, ſæpè excedentibus in numero & gravitate. Immo generalis iſta circumſtantia ingratitudinis peccatum ſubſequens ne quidem notabiliter aggravat, adeòque ex hoc quoque capite non eſt in confeſſione explicanda.

Objiciuntur III. Teſtimonia Patrum, quos *Vaſquez* putat fuiſſe in contraria opinione. Sed explicari poſſunt aliquo ex modis præcedentibus, quibus Parabolam (in qua ſe fundant) explicavimus. Unde Patres iſti in concionibus ad populum acriter in peccata ſignanter inclementiæ ſeu odii fraterni invehentes non attendebant ad formalitates ſcholaſticas, quonam modo peccata priora redirent; ideoque generalibus terminis utentes intelligi poſſunt quo modo ipſa Parabola, nempe vel de reditu peccatorum ſecundùm quid; vel de reditu quoad reatum pœnæ ſimilem, ut *Ambroſiaſter*, *Chryſoſtomus*, *Rabanus*, *Auguſtinus Serm.* 15. *de Verbis Domini*: vel quòd, uti Varii cenſent, ſpecialiter ob inclementiam fraternam permittantur à Deo peccata prioribus ſimilia vel majora; ut fortè vult *Auguſtinus ſup.* & alii quidam: 52. *Reſpondetur ad Patres.*

dam: Vel quòd peccata quæ redeunt verè numquam dimiſſa fuerint coram ob perſeverans in corde odium, etſi ſecundùm opinionem hominum etiam per ſacramenti applicationem videantur fuiſſe remiſſa. Quo modo ex mente *Auguſtini* reſpondendum putat *Eſtius ſup.* ad Parabolam Chriſti, quòd ſcilicet peccata ſignificata per debitum decem millium talentorum non fuerint coram Deo verè remiſſa, ob occultum in corde perſeverans odium, quod Deum utique non latebat. Sic intelligendum eſſe *Auguſtinum l.* I. *de Baptiſmo & 12.* putat *Eſtius*. Et rectè etiam ſic intelligi poteſt *Serm.* 15. *cit.* Alioquin *loco cit. de Baptiſmo* potiſſimùm diſcurrit ad hominem propoſito dilemmate contra *Donatiſtas*, & non ita ex propria ſententia: ex qua ſi diceret peccata in Baptiſmo fictè ſuſcepto dimitti in momento ipſius baptiſmi, & mox poſtea redire (prout ibi diſcurrit) ſi (inquam) id diceret de remiſſione vera, abſurdam ſanè doctrinam traderet, & *Auguſtino* indignam.

53. *De abſoluta potentia eſſe potuiſſet alius remittendi modus, juxta quem peccata poſſent redire per ſubſequentia quoad reatum pœnæ:*

Dico II. De abſoluta potentia poſſunt peccata remiſſa redire per ſubſequentia, non tantùm quoad reatum pœnæ, ſed etiam probabiliter quoad reatũ culpæ. Prima pars eſt plurimorum Doctorum. Probatur: quia non eſt ratio, cur Deus non poſſet condonare culpam ſimpliciter, & pœnam ſolùm ſub conditione, quòd homo non reincidet in eadem vel alia peccata, alioquin eumdem puniturus, etiam ob peccata præcedentia. Confirmatur: quia poſſet Deus culpam remittere, & reatum pœnæ æternæ ſimpliciter relinquere, prout culpâ veniali remiſsâ poſt hanc vitam relinquitur tota pœna in purgatorio ſolvenda; ergo poſſet etiam peccatum mortale ſic remittere, ut ſub conditione, ſi homo de novo peccet, ſit eum puniturus etiam propter antiqua peccata.

54. *Immo probabiliter etiam quoad reatum culpæ.*

Secunda pars (quam docet *Valentia, Præpoſitus* & alii contra Doctores communiùs) probatur ex eo, quòd nõ videatur repugnare, ut peccatum condonetur à Deo limitatè, donec accedat novum peccatum, quo non accedente erit condonatio illimitata, ſic ut hominem alioquin ſit odio habiturus non tantùm propter ſubſequentia peccata, ſed etiam propter præcedentia. Quo caſu peccatum habituale ſeu antiqua macula & averſio quæ cenſetur redire non erit in Deum tamquam auctorem referenda, ſed in hominem, qui non aliter peccati remiſſionem fuerat conſecutus, quàm donec juſtitiam conſervaret. Unde præcedens actuale peccatum ſicut eſt cauſa ſufficiens abſolutæ & continuæ ac perpetuæ averſionis divinæ, ſic & conditionatæ ac veluti interpolatæ: quamquam peccatum ſubſequens ſit conditio ſine qua non. Confirmatur: quia ſimili ratione poteſt auferri obligatio voti, ſic ut prima & abſoluta voluntas voventis ſit vera cauſa obligationis perpetuæ, & per conſequens etiam interpolatæ ac redeuntis, limitata autem condonatio, aut is qui deficit in conditione ſub qua obligatio erat remiſſa, ſit conditio ſine qua non redeuntis obligationis. Neque illud tantùm fieri poteſt per extrinſecam condonationem, ſed etiam per gratiæ infuſionem, cui Deus limitatam vim peccata remittendi annectere potuiſſet. Immo etſi gratia peccatum ex natura ſua deleret, id tamen abſolutè loquendo non aliter facere deberet, quàm ſanctificare: adeòque cùm tantùm ſanctificet pro tempore quo informat, non aliter quoque peccatum neceſſariò remitteret, aut certè quod ampliùs facit, habet ex favore Dei, qui hanc virtutem illi negare potuiſſet.

QUÆSTIO XI.

An per Iuſtificationem reviviſcant merita mortificata?

Suppono bona opera exercita ab homine exiſtente ſeu manente in ſtatu peccati mortalis, quæ bono ſenſu mortua appellantur, numquam reviviſcere ad præmium, ſeu ut fiant meritoria gratiæ vel gloriæ; ut apud omnes eſt indubitatum. Unde ſi peccator jejunet, oret, det eleemoſynas &c. nihil ipſi prodeſt, nec umquam proderit in ordine ad meritum gratiæ vel gloriæ. Quàmvis de congruo poſſit per opera pietatis impetrare gratiam pœnitendi, ac ſic juſtificatione adeptâ deinceps gratiæ & gloriæ augmentum condignè mereri Præſens autem quæſtio movetur de operibus meritoriis, quæ fuerunt exercita ab homine juſto, adeoque viva fuerunt, ſed per ſubſequens mortale peccatum mortificata, an rurſum reviviſcant ad priſtinum ſtatum, ſi peccator per pœnitentiam redeat ad ſtatum gratiæ. Ad quam

55. *Opera mortua numquam reviviſcunt.*

Reſp. Aff. cum omnibus Theologis qui hac de re ſcripſerunt 4. *diſt.* 14. & 3. *Parte q.* 89. Eſtque ſatis certum: ſic ut Aliqui cenſeant eſſe de fide, Alii verò oppoſitum dicant errori proximum, Alii cum *Suarez* cenſeant non poſſe abſque temeritate negari.

56. *Opera peccato ſubſequenti mortificata denuò reviviſcunt per juſtificationem.*

Probatur I. ex Apoſtolo *ad Galat.* 3. ubi loquens Galatis poſt Baptiſmum lapſis (ut patet ex præcedentibus in eodem cap.) tamen multa priùs paſſis, ait: *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa.* q. d. non planè ſine cauſa, ſive in vobis eſt, ut non fueritis hæc paſſi ſine cauſâ vel fructu, ſi nimirum per pœnitentiam ad gratiam redeatis, eò quòd tunc priora opera reviviſcent. Ita *D. Thomas* & plerique alii explicant cum *Chryſoſtomo*, *Commentario Anſelmi*, & *Hieronymo*, qui ait: *Spes eſt*

57. *Quod rectè probatur ex Apoſtolo* ad Gal. 3.

eſt, quòd quicumque ob Chriſti fidem laboraverit & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora ſine cauſa dicitur paſſus fuiſſe, dum peccat; ſic rurſus non perdet ea, ſi ad priſtinam fidem & priſtinum ſtudium revertatur.

58. *Solemnis ad idem probandum locus ad* Hebr. 6. *adfertur.* Solet etiam probari aſſertio ex Apoſtolo *ad Hebr. 6.* ubi cum lapſos poſt Baptiſmum ex ſpe facilis veniæ reprehendiſſet ex eo, quòd repetitio Baptiſmi non eſſet poſſibilis, nec venia iterata poſt tanta Dei beneficia eſſet tam copioſa aut facilis, ſubjungit: *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur. Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur* (id eſt oblivisci poſſit) *operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis* (id eſt exhibuiſtis ſeu præſtitiſtis) *in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis & miniſtratis*, indigentibus videlicet Chriſtianis neceſſaria ſubminiſtrando ſeu in neceſſitatibus adjuvando. Ubi (ut fusè tractat *Suarez Opuſc. de Reviviſcentia meritorum diſp. 1. ſect. 1.*) Apoſtolus vult cōſolari lapſos ex eo, quòd etiam opera & merita lapſum præcedentia non eſſent in oblivione coram juſto Deo (prout eſſe cenſentur bona, quæ relinqueret irremunerata, vel mala quæ impunita) adeòque adhuc valerent ad conſequendum præmium. Immo *Trid. ſeſſ. 6. c. 16.* videtur hæc verba iſto ſenſu accepiſſe, dum ea ſingulariter dicit proponenda iis, qui amiſſam gratiam recuperaverint; utique ratione meritorum præcedentium lapſum.

Inde non ſumitur argumentum convincens. Nihilominus ut huic probationi ſua relinquatur probabilitas non videtur omnino efficax: eò quòd *Sasbout, A Lapide* & alii non ſine fundamento exiſtiment hæc verba Apoſtoli dirigi ad Hebræos nondum lapſos, quos ipſe hortetur ad cautelam, tametſi perſuaſum habeat eos non eſſe terram proferentem ſpinas &c. *Tridentinum* autem verba iſta non aſſerit ſpecialiter proponenda reparatis poſt lapſum, ſed tam iis, quàm aliis qui acceptam gratiam perpetuò conſervaverint: prout iiſdem proponenda dicit duo inſuper alia loca Apoſtoli. An verò reparatis poſt lapſum quælibet iſta loca proponenda ſint etiam ratione operum mortificatorum, inde præcisè non habetur: quàmvis à parte rei verè ita proponenda ſint. Quare etiam *Eſtius in c. 6. ad Hebr.* docet Apoſtolum ſpeciatim & præcisè non loqui de bonis operibus mortificatis, ſed univerſim de bonis Hebræorum fidelium operibus, quæ exercuerant erga Sanctos, etiamſi fortè poſt illa quidam eorum per peccatum à gratia excidiſſent.

59. *Reviviſcentia meritorum colligitur ex Tridentino.* Probatur II. ex *Tridentino ſup.* ubi docet, *nihil amplius juſtificatis deeſſe, quò minùs operibus quæ in Deo ſunt facta vitam æternam, ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur.* Idem dicit *can. 32.* in quibus verbis generaliter fit ſermo de operibus in Deo factis: cujuſmodi etiam ſimpliciter ſunt opera mortificata. Nec dixit Concilium: *Si gratiam non interruperint*; ſed, *Si tamen in gratia deceſſerint.* Quod ſimiliter locum habet in meritis mortificatis: ergo hæc reviviſcunt ad gloriam & conſecutionem gloriæ propter illa donandæ; alioquin enim falsò Concilium dixiſſet: *Nihil amplius deeſſe.* Unde dum *eod. cap.* & *can. 26.* requirit perſeverantiam uſque in finem, ſic intelligitur, ut in ipſo fine homo debeat inveniri in gratia; prout clarè conſtat ex contextu: hujuſmodi enim perſeverantia eſt omnibus omnino ad ſalutem neceſſaria. De qua etiam Salvator *Matth. 10 & 24.* ait: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Probatur III. Auctoritate Patrum, quos vide apud *Vaſquez 3. Parte q. 89.* & alios ibidem. Nobis ſufficiant verba *Felicis Papæ III. Epiſt. ad Acatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum* (quam refert *Baronius ad annum 483.*) in qua eumdem ad correctionem & pœnitentiam hortatur his verbis: *Ubi eſt frater Acati labor tuus, quo tyrannidis hæretica tempore deſudaſti? Patieris hoc damno conſcientiæ tuæ ejuſmodi perire mercedem?* Ubi apertè indicat mercedem priorum operum reſervari, ſi pœniteret. 60. *Et Patribus.*

Probatur IV. Ratione, quæ eſt *D. Thomæ, Scoti* & communis aliorum: quia merita hominis juſti ſunt digna vitâ æternâ, ergo etiam talia ſunt, poſtquam homo lapſus ad juſtitiam redit, utpote ſublatâ indiſpoſitione hominis, quæ merita necdum remuneratа non extinxerat, ſed tantùm impediverat. Explicat *Scotus* rem à ſimili: nam ſicut in humanis poteſt aliquis habere jus immobile ad certam rem, ad quam tamen pro tunc poſtulandam actione juridicâ caret, ob aliquod impedimentum in perſona ſubortum: ita juſtus benè meritus cadens à juſtitia, cadit quoque ab actione ad vitam æternam pro tunc, vel potiùs in ea impeditur: ſed impedimento per pœnitentiam ſublato idem jus fit rurſus expeditum. Merita namque ſuſpenſa manent in acceptatione Dei, qui ea acceptat pro omni tempore, pro quo non ſubeſt peccatum; adeòque hoc ſublato vi divinæ acceptationis protinus reviviſcunt. 61. *Ac denique ratione Theologicâ.*

Unde diſparitas eſt inter peccata & merita, quòd peccata ſimpliciter deleantur, eiſq; quoad culpam & pœnam æternam ſit per pœnitentiam ex meritis Chriſti ſatisfactum: merita autem ſolùm ſopiantur, neque merces ſit reddita illis, ut optimè *Scotus 4. diſt. 22. q. un. n. 8.* & conſequenter debent redire merita, ac non poſſunt redire peccata. Confirmatur: quia cùm poſt peccatum remaneant plerumque pœnæ temporales 62. *Diſparitas ob quam reviviſcant potiùs merita, quam peccata.*

rales quæ ſatisfactionibus poſteà exhibitis expiantur, ſi per culpam novam rediret antiqua in æternùm punienda, eadem puniretur pœnâ duplici. E contrà merita ſic mortificantur per peccatum, ut loco æterni præmii nullum temporale infallibiliter ſit aſſignatum: ergo par erat, meritis & non peccatis reviviſcentiam reſervari: adeòque peccatum non eſt tam efficax ad deſtructionem meriti, quàm gratia ſeu juſtificatio ad deſtructionem peccati ſeu demeriti,

63. *An reſuſcitatio meritorum ſit opus divinæ miſericordiæ, an verò juſtitiæ.*

Petes, An Reſuſcitatio meritorum ſit opus divinæ miſericordiæ, an verò juſtitiæ? Reſp. in primis eſſe opus miſericordiæ Dei, quòd impedimentum peccati tollat, gratuitò nos movendo ad pœnitentiam, ac remittendo peccatum. Hoc autem miſericorditer ſublato, eſt opus munificentiæ Dei, quo opera mortificata ad præmium vitæ æternæ acceptat: ad quod illa, etſi digna, potuiſſet non acceptare, vel acceptare quidem, ſed limitatè, aut ſub conditione; ſi homo non cadat, nec ultrà: idque ex ſua libertate, vel etiam in pœnam peccati, quod denegatione abſolutæ repromiſſionis præmii punire potuiſſet. Nunc autem bonis operibus divinâ liberalitate ſimpliciter acceptatis ad præmium, cum hac ſola conditione, *Si homo in gratia deceſſerit*, ſuppoſitâque miſericordi juſtitiæ reſtitutione, merita mortificata æquali rigore merentur de condigno vitam æternam; ac proinde eorum retributio eſt actus divinæ juſtitiæ, quàmvis reſuſcitatio ſit actus miſericordiæ. Idque juxta probabilem Expoſitionem inſinuat Apoſtolus *ad Hebr. 6. Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*; q. d. juſtitiam Dei exigere, ut non obliviſcatur, ſed mercedem reddat operibus, mortificatis quidem, ſed denuò vivificatis.

QVÆSTIO XII.

Qualiter per Iuſtificationem reviviſcant merita & gratia reparetur?

64. *Merita reviviſcunt non ſolùm ad præmiũ accidentale,*

Dico I. Non poteſt aſſeri, quòd merita tantùm reviviſcant ad præmium accidentale, nempe ad gaudium quod homo percipiet de operibus mortificatis. Eſt ſatis certum. Ratio eſt: quia alioquin verè tolleretur reviviſcentia meritorum, quæ pro præmio proprio reſpiciunt beatitudinem; quam etiam reſervari meritis mortificatis ex Scriptura, *Tridentino* & ratione oſtendimus *quæſt. præc.* Deinde gaudium accidentale etiam reſpondebit operibus mortuis, ſive factis in ſtatu peccati mortalis.

65.

Dico II. Non poteſt etiam aſſeri quòd merita reviviſcant ſolùm ad præmium eſſentiale correſpondens gratiæ & meritis de novo comparatis, quaſi illud idem debeatur pluribus titulis. Eſt etiam ſatis certum: quàmvis referatur *Bannes* docuiſſe oppoſitum; quod *Sotus* ait eſſe falſiſſimum, *Ledeſma* eſſe erroneum. Probatur: nam alioquin reviviſcentia meritorum foret titulus ſine re aut ſolidâ conſolatione Fidelium, quibus unicus gradus gloriæ ſine dubio eſt multò acceptabilior mille titulis. Deinde aliàs inveteratus peccator in fine vitæ per unicam ſed ferventem contritionem juſtificatus, eſſet major in gloria, quàm is qui poſt vitam diu ſanctiſſimè tranſactam ſemel lapſus, & cum minori gratia præveniente tepidiùs reſurgens moreretur. Quod abſurdum eſt, & piarum aurium offenſivum.

Aut ad eſſentiale reſpondens novis meritis, quaſi pluribus titulis obtinendũ;

Alia ſanè eſt Reviviſcentia, quam fundamenta *quæſt. præc.* allegata oſtendunt, ſecundùm quam videlicet merita ſublato peccato, quo impediebantur, rurſus à Deo acceptantur ad præmium, ad quod erant antea ordinata. *Tridentinum* etiam operibus in Deo factis generaliter adſcribit vim merendi gloriam & gloriæ augmentum, ac non tantùm novum ad eamdem gloriam titulum, cùm hac ſola conditione, *Si homo in gratia deceſſerit*: quæ conditio etiam competit meritis mortificatis. Deinde hæc alioquin per peccatum non tantùm impedirentur, ſed potiùs velut ex toto extinguerentur.

66. *Non ſolùm ad partem præmii eſſentialis, aut juxta menſuram præſentis vel fortè futuræ diſpoſitionis, ſed ſimpliciter ad integrũ præmium eſſentiale,*

Dico III. Merita reviviſcunt ſemper ad integrum præmium eſſentiale, & non ſolùm ad partem, vel juxta menſuram præſentis diſpoſitionis ſecundùm quam peccator reſurgit, vel etiam quam poſtea fortè habebit. Ita communiter Theologi contra *Thomiſtas*, qui multùm variant in explicatione ſuæ opinionis.

Probatur ex iiſdem fundamentis, quibus ſtabilita eſt reviviſcentia meritorum: nam hæc oſtendunt merita redire ad priſtinum ſtatum, & ſpecialiter *Tridentinum* non aliam eis conditionem præfixit, ut conſequantur præmium, utique integrum; niſi ut homo decedat in gratia. Deinde eo ipſo quòd homo reſurgit, tollitur impedimentum peccati, quod merita ſolùm impediebat, nihilque ampliùs remanet, quod merita priora detineat. Unde reſuſcitatio meritorum non debet correſpondere gratiæ novæ juſtificationis: hæc enim non tribuit illis valorem, ſed tantùm removet obicem peccati; quo ſublato vivunt & valent iterum, ſicut priùs, ex acceptatione Dei. Ex quo corruit fundamentum unicum *Thomiſtarum* putantium reviviſcentiam meritorum eſſe accommodandam præſenti diſpoſitioni. Quàmvis etiam in noſtra doctrina non deficiat debita diſpoſitio: ipſa enim antiqua merita, ſicut ſublato peccati impedimento moraliter vivunt & valorem habent, ſic ſunt optima ad gloriam diſpoſitio.

Confirmatur I. Quia etiam *Thomiſtæ* cenſent ſemper reſtitui aliquid de priſtino jure ad gloriam correſpondentem antiquis meritis: hoc autem, quantumvìs parvũ foret, datur ultra præſentem diſpoſitionẽ novam, cui utiq, adæquatè reſpondet nova gratia & gloria proportionata: quid ni ergo ſimiliter reſtituatur jus ad totam priſtinam gloriam?

Confirmatur II. Quia alioquin facilè contingeret, hominem longè inferioris meriti præventum gratiâ ampliori reſurgere ad majorem gloriam, quàm alterum longè majoris meriti, qui parciori fortaſſe gratiâ præventus tepidè reſurgeret ad juſtitiam; adeòq; ſi uterque ſtatim pòſt moreretur, poſteriorem fore minorem in gloria: quod apparet abſurdum.

67. *Et conſequenter reviviſcunt opera ad totam priſtinam gratiam.*

Dico IV. Merita per Juſtificationem reviviſcunt ad totam priſtinam gratiam, ita ſaltem ut juſtificatus ad ipſam totam ſtatim jus recuperet. Eſt etiam communis Doctorum, maximè recentiorum, contra *Thomiſtas* exiſtimantes ſolùm reſtitui jus ad gratiam juxta menſuram diſpoſitionis quam habet peccator dum reſurgit, aut fortè pòſt eſt habiturus, illamque gratiam cum proportione tunc reſtitui.

Probatur Concluſio: quia per Juſtificationem reparatur jus ad totam gloriam; ergo etiam jus ad totam priſtinam gratiam: nam gratia commenſuratur gloriæ, cujus eſt ſemen, & ad quam diſponit; immo cujus eſt principium effectivum in ſententia *Scoti* conſtituentis gloriam eſſentialem in fruitione, quæ eſt actus gratiæ habitualis ſeu charitatis: unde non erit in patria, qui habeat magnam gloriam, & modicam gratiam.

Probatur II. Quia jus ad priſtinam gratiam nõ requirit aliam diſpoſitionem, quàm ipſa opera præcedentia; quæ cùm ampliùs non impediantur peccato, habent totum ſuum valorem; adeòque ſicut antea, ſic & modò fundant jus ad gratiam, uti ad gloriam. Denique ipſi *Thomiſtæ* dicunt ſemper aliquid reſtitui de gratia antiqua; quod quidquid ſit, datur ultra menſuram præſentis diſpoſitionis, cui adæquatè reſpondet gratia noviter comparata; cùm gratia antiqua reſpondeat meritis antiquis: cur ergo ſtatim non reſtituatur jus ad totam priſtinam gloriam? Confirmatur: quia alioquin poſſet quis mori non recuperato jure ad totam priſtinam gratiam; qui proinde in gloria poterit eſſe inferior altero, qui longè inferioris meriti fuerat.

Verùm cùm præter merita condigna poſſit duobus aliis modis comparari gratia & gloria, uno modo per contritionem, quæ etiam ſine Sacramento proximè diſponit ad gratiam juſtificantem, quam tamen de condigno non meretur; alio modo per ſuſceptionem Sacramentorum ex opere operato: hinc dubitatur, an jus ad hanc quoque gratiam, & conſequenter gloriam recuperetur per Juſtificationem.

Dico V. Per Juſtificationem recuperatur jus ad omnem gratiam quomodolibet comparatam, & conſequenter ad gloriam correſpondentem. Eſt jam communior contra *Vaſquez* & alios exiſtimantes nunquam reſtitui gratiam per Sacramenta comparatam, adeòque nec gloriam per modum hereditatis tali gratiæ reſpondentem. 68.

Etiam comparatam per Sacramenta aut contritionem diſpoſitivam ad juſtificationem.

Probatur I. ex Scriptura & Patribus ſimpliciter ſignificantibus hominem per Juſtificationem reſtitui in priſtinam gratiam & ſtatum; ut *Joelis* 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta.* Ubi *Gloſſa interlinealis* & *Hieronymus.* Idem etiam in *cap.* 3. *Malachiæ.* Pręterea *Lucæ* 15. imperat pater, filio prodigo reddi ſtolam primam, id eſt priſtinam gloriã, quam (ut ait *Chryſoſtomus Hom.* 4. *in Lucam*) ex ſeductione diaboli nudatus amiſerat.

Quod multipliciter probatur.

Probatur II. Quia ſequeretur aliquid damnationis eſſe iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu: quandoquidem peccator juſtificatus in pœnam peccati perpetuò privaretur tantâ gratiâ priùs habitâ; & conſequenter gloria; cujus abſoluta privatio ſeu carentia ſicut conſtituit pœnam eſſentialem damni, ſic in taliter juſtificato aliquid damnationinis remaneret.

Probatur III. Quia etſi contrito aut ſuſcipienti Sacramẽta gratia non detur ex propriis meritis condignis, datur tamen ex merito condigno Chriſti, quod homini tamquam proprium applicatur: igitur credendum eſt id fieri cum non minori virtute ad reviviſcendum, quàm habeant merita propria hominis.

Confirmatur: quia durum eſt, hominem qui tali viâ frequẽter magnã gratiæ, & conſequenter gloriæ copiam, comparaverat, in æternùm illâ privari ob unicũ in quod fortè labitur peccatum; contrarium autem valde excitat ad fervorem contritionis, & frequentem præſertim Sacramentorum uſum.

Specialiter autem de Contritione confirmatur: nam etſi hæc non mereatur de condigno primam gratiam ſanctificantem, meretur tamen primum gradum gloriæ, ut in *diſp. de Merito* dicetur: Ergo rẽparatur jus ad illam gloriam, & conſequenter ad gratiam correſpondentem, quàmvis hanc de condigno non meruerit.

Et ſpecialiter de gratia correſpondente contritioni.

Denique de gratia ſacramentali ſpecialiter confirmatur: quia alioquin ſemel lapſus in aliquod peccatum ſemper privaretur jure ad gratias actuales vi Sacramentorum ſuſceptorum dandas tempore opportuno; nam jus ad illas dependet à jure ad ipſam gratiam habitualem, ut agendo de Effectu Sacramentorum dicetur. Non eſt autem credibile ſemel lapſum poſt ſuſceptum v. g. Sacramentum Confirmationis, quantumvis reſurgat, totaliter excidiſſe à jure ad gratias tẽpore profitendæ ac propugnandæ fidei concedendas. Idem eſt de Baptiſmo &c.

Idem ſpecialiter cõfirmatur de gratia ſacramentali.

Sed dubitatur, an gratia per peccatum amiſſa reſtituatur ſtatim? *Scotus diſt.* 22. *q.* 1. 69.

An autem gratia priſtina reſtituatur ſtatim in ſe, an verò tantùm in jure, diſputatur.

q. 1. *num.* 10. ſupponere videtur illam tantùm reſtitui in fine vitæ, & interim manere jus ad illam, uti ad gloriam, ſcilicet in acceptatione Dei. Sed *Nominales* quos ſequuntur pleríque Recentiores cenſent ipſam gratiam totam reſtitui ſtatim. Qua in re certùm eſt in utraque Sententia ſufficientiſſimè ſalvari debitam reviviſcentiam meritorum. Satìs etiam conſtat neutram efficaciter probari, ſed utramque niti quibuſdam congruentiis & conjecturis. Pro prima facit, quòd ſufficiat gratiam antiquam reſtitui in fine vitæ, immo id videatur congruum; tum ut dilatione iſtâ peccatum quodammodo temporaliter puniatur: tum ne ſit neceſſe hominibus frequenter in peccata relabentibus eâdem gratiam reproducere. Secùs autem eſt de meritis, quæ non fuerunt ſimpliciter extincta, uti gratia, ſed potiùs impedita pro tempore ſtatûs peccati. Quare congruum videtur ut Deus illam ſolùm gratiam de novo infundat, quæ correſpondet novæ diſpoſitioni pœnitentis, reſervato jure ad reliquam gratiam in fine vitæ reſtituendam.

Vterque modus ſatìs ſalvat reviviſcentiam, neuter efficaciter probatur.

Congruẽtia pro opinione aſſerentium non reſtitui ſtatim.

70. *Cõgruentia pro opinione oppoſita.*

Pro ſecunda Sententia facit, quòd, cùm ſupponatur gratia aliquando reſtituenda, nec ſit urgens ratio differendi; eò quòd viator ſublato peccato ſit ſtatim capax prioris gratiæ, ſicut alterius gratiæ augmenti, credibile videatur illam reſtitui ſtatim: ſecùs quàm gloriam cujus viator non eſt capax. Nec obſtare videtur defectus diſpoſitionis: nam quandocumque dicatur reſtituenda, id ſimili modo fiet abſque nova diſpoſitione. Ipſa etiam opera præcedentia ſicut tantùm ſunt moralis diſpoſitio ad gratiam primò infundendam; ſic, etſi prætetita, poſſunt eſſe moralis diſpoſitio ad eamdem denuò refundendam, accedente novâ diſpoſitione tamquam conditione removente obicem peccati. Unde utraque Sententia eſt ſatìs probabilis, ſed incerta, utpote de re pendente ab arbitrio Dei, quod nobis haud ſatìs ex Scriptura aliâve auctoritate vel ratione innotuit.

Iudicium de utraque.

71. *Reparatus poſt lapſum ſemper reſurgit ad majorem gratiam & gloriam;*

Ex dictis ſequitur hominem per Juſtificationem ſemper reſurgere ad majorem gratiam reſtituendam ſtatim, ſive in ſe, ſive in jure proximo ad illam, & ad majorem gloriam, ſcilicet in jure, ſeu obtinendam, ſi in gratia deceſſerit.

Non rectè tamen hinc inferas, peccatorem propriè ex lapſu reportare lucrũ.

Nec hinc inferas peccatorem ex lapſu, reportare lucrum: tum quia hoc ſequitur tantùm per accidens & occaſionaliter ex peccato, per ſe autem ex pœnitentia & divina bonitate: tum quia hoc idem lucrum faciliùs homo obtinere potuiſſet ſine lapſu; ac inſuper (ut *Scotus ſup. num.* 10.) durante ſtatu peccati nihil potuit mereri.

Neque etiã inde augetur licentia peccandi, ſed ſtimulus rectè agẽdi.

Neque etiam ex hoc conſequenter homo debet uſurpare licentiam peccandi, quam etiam quidam malitioſè ſumunt ex facilitate remiſſionis peccatorum per unicum actum contritionis aut confeſſionis: cùm nihil boni, plurimùm autem mali ex peccato per ſe oriatur, & multa bona impediantur, ipſumque peccatum ſit malum incomparabile: ſed potiùs excitari unuſquiſque debet ad ſtudium bonorum operum, ſciens ſe recuperaturum merita per juſtificationem, eſto fortaſſe ex fragilitate aliquando ex gratia excidat per peccatum, ut rectè *Scotus.*

72. *Vnde contingat reparatos poſt lapſum ſæpè non ſentire priſtinam facilitatem in piis exercitiis.*

Petes, unde cõtingat reſurgentes à peccatis ad priſtinum ſtatum gratiæ frequenter pati tantas difficultates in exercitio virtutum antea eis levi ac ſuavi, ſi recuperentur, quæ perdita erant? Reſp. id oriri, partim ex habitibus vitioſis, ac bene operandi deſuetudine: partim ex minori affluentiâ gratiarum actualium, quarum ubertas facit hominem currere viam mandatorum & ſemitam perfectionis, quæque negatur, vel differtur frequenter à Deo juſtis de cauſis, non obſtante converſione: partim ex tentationibus, quæ tales interdum acriùs Deo permittente infeſtant. Alioquin etſi priſtina gratia habitualis tota ceteraque dona infuſa ſtatim (quod adhuc non conſtat) reſtituerentur phyſicè ſecundùm ſe, inde non poſſet ſentiri major facilitas: cùm hæc dona habitualia non facilitent, ſed dent ſimpliciter poſſe, neque cadant ſub experientiam.

QUÆSTIO XIII.

An Iuſtificatio impii ſit operum Dei maximum & miraculoſum, & an ſit creaturæ con-naturalis?

73. *Iuſtificatio impii non eſt maximum Dei opus ſimpliciter.*

DICO I. Juſtificatio impii non eſt abſolutè maximum Dei opus, ſed ſecundùm quid & cum aliqua proportione. Prima pars probatur: quia in primis ſecundùm phyſicam perfectionem excedit creatio Angelorum & hominum, immo & generatio aliarum ſubſtantiarum: cùm juſtificatio reſpiciat tantùm accidens tamquam terminum, ſcilicet gratiam habitualem. Loquendo autem de perfectione etiam morali, tantâ eſt hominis & Angelorum in juſtitia creatio, quanta hominis lapſi reparatio; major eſt juſtorum glorificatio, aut certè Verbi Incarnatio, qua Deus & homo coeunt in unam perſonam.

74. *Sed ſecundùm quid, juxta Theologos & Patres.*

Secunda Pars eſt communis Doctorum cum *D. Thoma q.* 113. *a.* 9. Et ſecundùm illam loquuntur Patres. *Auguſtinus Tract.* 72. *in Joann.* docet, melius & majus eſſe impium juſtificare, quàm creare cælum & terram. *Nazianzenus Orat. in S. Baptiſma* ait: *Quemadmodum cùm non eſſet illam, creaturam, creavit, ita & creatam reformavit, reformatione diviniori, & primâ longè excelſiori.* Eccleſia quoq; canit in Collecta Dom. X. poſt Pentecoſt. *Deus qui omnipotentiam tuam* parcen-

parcendo maximè & miſerando manifeſtas. Quia videlicet in opere juſtificationis impii maximè relucet infinita Dei potentia, quòd ſic pro nutu ſuo voluntatem etiam maximè rebellem impii infallibiliter & efficaciter ad juſtitiam trahat, & quidem volente & cooperante ipſo impio etiã liberè.

75. *Declaratur idem diſcurrendo per ſingula opera.*

Deinde deſcendendo ad ſingula opera, Juſtificatio impii excedit in primis opera naturæ, quatenus eſt multò ſublimioris ordinis, & ſupponit in ſubjecto indignitatem, qualem non ſupponunt opera naturæ. Dona quoque gratuita & ſupernaturalia primo homini & Angelis conceſſa ſupponebant in illis naturalem capacitatem & inclinationem, idque abſque poſitiva indignitate; quæ tamen tanta eſt in peccatore. Unde *Aug. ſup.* quærens, an majus ſit juſtos creare quàm impios juſtificare, ait: *Certè enim ſi,* ſeu eſto, *æqualis ſit utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.* Similiter dona gloriæ conferuntur dignis & benè meritis: ideoque juſtificatio impii illa excedit: ſicut etſi ſimpliciter majus ſit creare Regem quàm ducem; eſt tamen majus è plebeo demerito creare ducem, quàm ex duce bene merito Regem. Deniq; Incarnatio eatenus exceditur, quatenus humanitas, etſi Unione hypoſtaticâ non foret digna, tamen etiam non erat poſitivè indigna: prout peccator eſt indignus amicitiâ ac filiatione Dei, digniſſimus autem cui Deus in æternùm ſit infenſus, quemque æternaliter puniat.

76. *Iuſtificatio ordinario modo perfecta non eſt dicenda miraculoſa.*

Dico II. Juſtificatio impii, prout communiter fit, Deo hominem paulatim convertente, aut per Sacramentum infantes juſtificante, non rectè dicitur miraculoſa: fit enim juxta conſuetam providentiam Dei per cauſas, certâ velut lege ad juſtificandum inſtitutas, ut ſunt Sacramenta & diſpoſitiones ad Juſtificationem. Miraculoſa verò actio non dicitur, niſi quæ ultra naturæ vires fit à Deo præter ſolitum & ordinarium agendi modum, propter quod admirationem cauſat, juxta *Aug. lib. 26. contra Fauſtum cap. 3.* Aliquando tamen Juſtificatio eſt miraculoſa in modo, quando fit præter communem modum, Deo totam diſpoſitionem requiſitam ſubitò & velut in momento perficiente in homine peccatore aut infideli, ſic ut etiam gravis peccator antequam parturiat, pariat ſpiritum; prout factum eſt in ſubita converſione Pauli adhuc ſpirantis minas, & mox fidem ac dilectionem.

Aliqua eſt interdum in modo miraculoſa v. g. S. Pauli.

77. *Recto ſenſu dicitur connaturalis homini quatenus elevato ad finem ſupernaturalem;*

Dico III. Juſtificatio recto ſenſu dicitur connaturalis homini elevato ad finem ſupernaturalem: nam ad bene eſſe hominis ſic conſiderati exigitur gratia juſtificans; idque multò magìs, ſi homo non tantùm ſit extrinſecè ordinatus ad finem ſupernaturalem, ſed eo inſuper fruatur in beatitudine, aut ſi humanitas ſupponatur aſſumpta ad Unionem hypoſtaticam cum Verbo.

Non tamen naturæ illius præcisè ſecundùm ſe ſpectatæ

Seposítâ tamen elevatione hominis ad altiorem ordinem, gratia juſtificans non eſt ei connaturalis, quaſi aliter in ſuo ordine convenienter eſſe vel operari non poſſet: nam ordo intrinſecus naturæ humanæ, immo & angelicæ, eſt naturalis; adeòque exigentia illius ſic conſiderata expletur per dona & operationes naturales. Immo Theologi in 1. Parte paſſim docent non eſſe creabilem ſubſtantiam ſupernaturalem, cui proindè gratia juſtificans & gloria forent ita connaturales: ſicut oculo eſt connaturale videre parietem, aut igni eſſe calidum.

Immo nulli creaturæ poteſt eſſe cõnaturalis, ſicut frigus aquæ.

78. *Quem ordinem ſervent inter ſe varia, quæ in formali juſtificatione concurrũt.*

Poſſet hîc ulteriùs inquiri, quem ordinem inter ſe ſervent varia, quæ in Juſtificatione peccatoris concurrunt, nempe remiſſio peccati & pœnæ æternæ, recuperatio amicitiæ Dei, item filiationis adoptivæ, ſeu juris ad hereditatem æternam. Sed breviter dicendum eſt, hæc omnia indubiè eſſe ſimul tempore, ipſo videlicet inſtanti, quo gratia habitualis infunditur, nec poſſe juxta legem Dei ordinariè in juſtificatione peccatoris ſeparari: infuſionem tamen gratiæ eſſe ceteris priorem ordine naturæ, cùm gratia ſit ceterorum cauſa formalis juxta *Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.* cauſa autem formalis ſit naturâ prior ſuo effectu.

DISPUTATIO QUINTA.

De Diſpoſitione requiſita ad Juſtificationem.

1. *Parvuli abſque propria diſpoſitione juſtificantur:*

Solùm agitur hîc de Diſpoſitione adulti peccatoris: nam parvulus abſque propria diſpoſitione ex ſolis meritis Paſſionis Chriſti juſtificatur per Baptiſmum vel Martyrium, ut in *Tract. De Sacramentis* dicetur.

In adultis autem requiritur aliqua diſpoſitio,

In adultis itaque requiri aliquam diſpoſitionem liberi arbitrii definit *Trid. ſeſſ. 6. c. 5. & 6.* & *can. 4.* & tradit Scriptura *1. Reg. 7. Præparate corda veſtra Domino. Zacharia 1. Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Et ampliùs patebit explicando ſpecialiter diſpoſitiones requiſitas. Unde præclarè *Auguſtinus ſerm. 15. De verb. Apoſt. c. 11.* ait: *Eſſe poteſt juſtitia Dei ſine voluntate tua, ſed in te eſſe non poteſt, niſi per* voluntatem tuam. Et infrà: *Qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te: ergo fecit te neſcientem, juſtificat volentem.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An actus fidei requiratur ad Iuſtificationem, & qualis?

2. *Ad juſtificationem adultorum requiritur in primis actus fidei.* DICO I. Ad Juſtificationem requiritur actus fidei. Eſt de fide ex Scriptura *Ioan.* 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Ad Hebr.* 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum.* Et alibi ſæpè. Patet etiam ex *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 8. *Fides* (inquit) *humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.* Debet autem actus fidei eſſe ſupernaturalis; alioquin ſi viribus naturæ eliciatur, erit improportionatus juſtificationi acquirendæ, ut poſt Concilium *Arauſicanum* tradit *Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 3.

3. *Fidem Heretici aſſignant triplicem, hiſtoricam, miraculorum, & promiſſionum, præſertim ſpecialem.* Diſtinguunt porrò Hæretici triplicem Fidem, unam Hiſtoricam, quâ credimus quæ in Scriptura referuntur. Secundam miraculorum, per quam fiunt vel impetrantur miracula. Tertiam promiſſionum, quâ credimus divinas promiſſiones; idque vel in genere, & vocatur ab illis Fides promiſſionum generalis, eſtque affinis Fidei hiſtoricæ: vel credimus in particulari illas promiſſiones nobis applicari, & ſingulariter quòd per Chriſtum nobis non imputentur peccata; & dicitur ab illis Fides ſpecialis: quam aliqui illorum (inter quos refertur *Calvinus*) cenſent eſſe actum intellectûs: alii (inter quos refertur *Lutherus*) eſſe actum voluntatis, nempe fiduciam. Itaque controvertitur, quænam fides ad Juſtificationem requiratur.

4. *Ad juſtificationem peccatoris requiritur fides hiſtorica ſeu dogmatica,* DICO II. Ad Juſtificationem peccatoris requiritur fides hiſtorica ſive dogmatica, quæ ſcilicet eſt actus intellectûs, quo credimus vera eſſe ea quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt. Ita *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 6. 8. & 9. & *can.* 13. & 14. contra Hæreticos noſtri temporis, qui requirunt ſolam fidem ſpecialem.

De quâ ſcriptura ſemper loquitur, & nuſquam de fide ſpeciali. Probatur apertè ex Scriptura, quæ dum requirit fidem ad juſtitiam, ſemper loquitur de fide Catholica ſive dogmatica, & numquam de fide iſta ſpeciali. Sic Apoſtolus cùm dixiſſet *ad Hebr.* 10. *Juſtus autem meus ex fide vivit*; rationem fidei illius declarat *c. ſeq.* dicens: *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei.* Et infrà: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Ad Rom.* 10. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam &c.* Idem patet ex *Ioan.* 20. *Act.* 8. & pluribus aliis locis.

Idem facit Eccleſia. Similiter Eccleſia Catechumenis numquam in Symbolis propoſuit fidem iſtam ſpecialem, ſed ſemper fidem Catholicam ſive hiſtoricam; ut patet in *Symbolo Athanaſii*, & aliis. Unde *Leo Papa ſerm.* 4. *De Epiph.* ait: *Hoc eſt quod juſtificat impios, quod ex peccatoribus facit ſanctos, ſi in uno eodemq́; Domino noſtro Ieſu Chriſto & vera Deitas, & vera credatur humanitas.*

Ratio Concluſionis eſt: quia non poteſt credi fide divinâ, quòd nullibi Deus revelavit, atqui promiſſiones divinas, ſpecialiter de non imputatione peccatorum, fuiſſe v.g. *Calvino* aut *Luthero* applicatas, nullibi Deus revelavit, ergo non poteſt fide divinâ credi, adeòque non requiritur ad juſtificationem. 5. *Accedit ratio Theologica.*

Confirmatur I. ex infrà dicendis: nemo enim juſtificatus poteſt eſſe certus de juſtitia ſeu remiſſione peccatorum obtentâ citra ſpecialem revelationem, quæ pauciſſimis contingit. Unde tantùm abeſt, fidem ſpecialem Hæreticorum ad juſtificationem requiri vel conducere, ut ſit potiùs falſa præſumptio, quæ velut novum quoddam crimen reddit ex ſe hominem peccatorem.

Confirmatur II. Quia juxta hæreticos nil debet aſſeri præſertim in rebus ad ſalutem ſpectantibus, niſi habeatur in Scriptura: at nullibi in ea habetur commentum iſtud, ergo &c.

Confirmatur III. Quia etiamſi quis per revelationem fieret certus, peccata ei per merita Chriſti eſſe remiſſa, ideòque id certiſſimè crederet ſeu confideret: illa ipſa tamen certitudo ex parte objecti eſſet prior fide; qua quis ſe eſſe juſtum crederet: ac proinde fides iſta non conſtitueret, ſed potiùs ſupponeret juſtitiam, ſeu merita Chriſti applicata eſſe.

Confirmatur IV. Quia hanc fidem ſpecialem habent & *Lutherani* & *Calviniſtæ*: utrique proinde infallibiliter venient (ad hominem loquor) ad idem cælum, utpote omnes juſti, immo à juſtitia non valentes excidere (ſi verum credant) cur igitur invicem minantur ſempiternum exterminium?

Dubitari autem poſſet, cujus objecti fides requiratur ad Juſtificationem. Nam Apoſtolus quidem *ad Hebr.* 11. ait: *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quem locum allegat *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 6. ubi explicans diſpoſitiones ad juſtitiam, exprimit fidem quâ homo *credit vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ubi involvitur cognitio, quâ recognoſcimus nos eſſe peccatores, Deumque offendiſſe ac ejus iram meruiſſe, ideoque timere debere; attamen peccata noſtra, Deo remittente, & non aliter, deleri poſſe; ideoque oportere ad illum confugere, ipſumque diligere & peccata deteſtari, atque à Dei bonitate & miſericordiâ per Chriſtum 6. *Varii actus fidei ad juſtificationẽ prævii recenſentur ab Apoſtolo & Tridentino.*

 expectare

expectare veniam, quam pœnitentibus non negat: unde etiam ſequitur firmum propoſitum ſervandi mandata Dei, & ſuſcipiendi Baptiſmum aut aliud Sacramentum reconciliativum. Quos actus recenſet *Trid. ſup.* Et quidem de his omnibus inſtruendi ſunt infideles convertendi; de iiſdem ſæpè monendi fideles, præſertim morti vicini: maximè cùm ſint efficaciſſima & ſecura ad Juſtificationem via.

7. *Qui tamen non omnes diſtinctè & explicitè prærequiruntur in ordinaria peccatoris fidelis juſtificatione.*

Credendum nihilominus eſt, hæc omnia non debere explicitè credi in ordinaria juſtificatione fidelis peccatoris, ſicut conſtat in eadem non requiri omnes omnino alios actus ibidem à *Tridentino* recenſitos. Quare ſufficiet actus fidei, quo proponitur objectum contritionis vel attritionis ſeu ſufficientis alioquin diſpoſitionis cum Sacramento: nam neque homines timorati ad amplius conantur, aut ſe obligari exiſtimant: neque Confeſſarii plus exigere ſolent: neque oppoſitum congrueret humanæ fragilitati. *Apoſtolus autem loquitur de primo ad juſtitiam acceſſu.* Apoſtolus autem loquitur de primo ad juſtitiam acceſſu per fidem, in quo indubiè requiritur fides Dei (quæ etiam includitur in quovis fidei actu) & Remuneratoris; ſaltem ſi hoc proponatur, uti ſolet & debet. *Similiter Tridentinũ de concurrentibus ordinatè ad juſtificationem à fundamento ceptam.* Similiter *Tridentinum* explicat, quod regulariter juxta ordinatum procedendi modum concurrit in Juſtificatione totali à fundamentis inceptâ. In qua proponi ſolet veracitas Dei in dictis & promiſſis: cui tamen virtualiter aſſentimur in omnibus, ſi infallibiliter aſſentiamur vel in uno. Solet etiam, & debet proponi efficacia redemptionis adeò ut juxta plurimos Doctores fides explicita Incarnationis & Paſſionis: juxta Pleroſque fides ſaltem explicita Mediatoris ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, & conſequenter ſaltem ad primam juſtificationem incipientis credere. Quamquam etiam non deſint qui exiſtiment abſolutè loquendo juſtificari & ſalvari poſſe illum, cui, his myſteriis nullatenus propoſitis, dumtaxat proponeretur objectum eliciendę contritioni ſeu perfectæ dilectioni neceſſarium. Quod ſanè conſolatorium foret, & dum tempus uberiorem inſtructionem non pateretur, apprimè opportunum. De quibus agitur ex profeſſo *in Tract. De Virtutibus Theologicis.*

QVÆSTIO II.

An ſola fides ad Iuſtificationem ſufficiat?

8. *Hæretici ſolam fidem ſuam ſpecialem putant ſufficere ad juſtificationem;*

ITA ſentiunt Hæretici recentiores de ſua fide ſpeciali: quàmvis aliqui eorum requirant opera tamquam ſigna veræ fidei. Plerique autem (*Calviniſtæ* (ut patet ex eorum Catechiſmo) non tribuunt vim juſtificandi dignitati fidei, quam potiùs ſentiunt eſſe peccatum, adeòque nullius dignitatis vel pretii; ſed magis volunt per eam velut ſcabioſam pauperis manum apprehendi juſtitiam Chriſti, quæ ſic apprehenſa & applicata incipiat eſſe noſtra ex imputatione Dei. *Sed graviſſimè errant.* At horum fundamentum refutatum eſt *diſp. præc. q.* 1. *&* 2. Ubi oſtendimus, nos non eſſe juſtos per falſam illam imputationem, ſed per veram juſtitiam nobis inhærentem. Deinde fides iſta ſpecialis ad Juſtificationem ne quidem requiritur aut conducit, ut patet ex *quæſt. præc.* ergo multò minùs ſufficit. Denique etſi conduceret aut requireretur; alia tamen præter fidem qualemcumquue requiri, patebit ex mox dicendis.

9. *Temporibus etiam Apoſtolorum Quidam arbitrati ſunt ſufficere fidem hiſtoricam.*

Fuerunt itaque olim, etiam temporibus Apoſtolorum, qui fidem hiſtoricam ſeu dogmaticam ad Juſtificationem & ſalutem ſine operibus ſufficere exiſtimabant, ex malè intellectis quibuſdam ſubobſcuris ſententiis ſancti Pauli, *teſte Aug. l. De fide & operibus c.* 14. Ubi addit, contra hanc opinionem potiſſimùm ſcriptas eſſe alias Apoſtolicas Epiſtolas Petri, Joannis, Jacobi & Judæ, vehementer adſtruentes fidem ſine operibus nihil prodeſſe. *Cõtra quos ſcripta ſunt plures Epiſtolæ Apoſtolicæ.* Unde apud omnes Catholicos certiſſimum ſemper fuit, ſolam fidẽ ad Juſtificationem peccatoris non ſufficere: eſto (de quo poſteà) ſemel juſtificatus poſſit per actum fidei, uti per alios actus meritorios, promereri juſtificationis augmentum. *Iidem ulteriùs refutantur Auctoritate,* Patet ex *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 7. *&* 8. & *can.* 9. Patet etiam ex innumeris Scripturæ locis in quibus ad remiſſionem peccatorum, non minùs quàm fides, requiruntur opera pœnitentiæ & dilectionis; neque his minor vis juſtificandi tribuitur, quàm ipſi fidei; ut patet *Lucæ* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* & *c.* 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* 1. *Joann.* 3. *Jacobi* 2. & alibi. Idem docuerunt Patres, quos fusè allegat *Bellarm. l.* 1. *De Juſtific. c.* 13.

10. *Et ratione.*

Ratio eſt: quia homo per peccatum fuit à Deo averſus; ac proinde ad remiſſionem peccati conveniebat exigi à Deo, ut homo ſe à peccatis averteret, quod non fit per fidem, quæ affectum etiam actualem peccandi compatitur. Neque per hoc fidem deprimimus, ſed honorem cum judicio tribuimus, quòd ſcilicet bona ſit, ipſiuſque Juſtificationis fundamentum. Oppoſitus autem error tollit ſtudium bonorum operum, immo laxat habenas peccatis; cum quibus utique vera fides poteſt conſiſtere. Idemque eſt de fide ſpeciali recentiorum Hæreticorum.

Neque hi ſatisfaciunt dicendo bona opera requiri tamquam ſigna vel fructus juſtitiæ fidei. Tum quia Scripturæ ea exigunt tamquam cauſam moralem & diſpoſitivam, ut ex modo loquendi cauſali & unanimi Patrum interpretatione patet; immo vim præcipuam Charitati tribuunt, ſic ut fides nil niſi per charitatẽ valeat aut proſit.

Tum

Tum quia ſi fides ſola juſtificet, opera abeſſe poterunt: eſto enim ſit juſtitia ſine ſigno vel fructu; quid inde, dum tamen verè ſit? Maximè quia hi Hæretici ſomniant ſemel habitam non poſſe amitti, & infallibiliter debere à ſingulis credi, quòd in eis ſit. Tum denique quia juxta hos Hæreticos opera ſunt peccata: cur ergo requirantur vel admittantur tales juſtitiæ fructûs? immò quî poſſunt peccata eſſe fructus & ſigna juſtitiæ? Quî denique ipſa fides ſecundùm ipſos peccaminoſa poteſt nos juſtificare?

11. *Solâ quandoque fidem, tamq; alienam exigit Chriſtus ad impetrandum miraculum.*

Objicitur I. illud Chriſti *Lucæ* 8. *Crede tantùm, & ſalva erit.* Reſp. Chriſtum ibi in parente exigere ſolam fidem ad impetrandam miraculoſam ſanitatem filiæ iam defunctæ. Quod qualiter ad propriæ juſtificationis negotium ſpectet, non video. Nec mirum, fidem tantùm exigi in petente miraculum: ſiquidem ea ſæpè ſufficit in patrante abſque vera juſtitia, juxta illud *Matth.* 7. *Multi dicent in illa die: Domine, Domine: nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquam novi vos.*

Fides, ſed Charitate formata Magdalenã ſalvã fecit.

Ojicitur II. *Lucæ* 7. Magdalenæ dictum eſt: *Fides tua te ſalvam fecit.* Reſp. fides quidem ſalvam fecit, ſed formata per charitatem: cùm ibidem dicatur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

12. *Fidei, ſed non ſoli Scriptura tribuit alibi juſtificationem.*

Objicitur III. frequenter alibi in Scriptura tribuitur fidei Juſtificatio, ut *Act.* 13. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur. Ad Rom.* 5. *Juſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* & *c.* 10. *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* Et alibi. Reſp. Juſtificationem tribui quidem fidei, ſed non ſoli; quod tamen Hæreticis erat probandum: Quare non excluditur ſpes, pœnitentia vel dilectio: ſicut dum his alibi tribuitur juſtificatio & ſalus, non cenſetur excludi fides. Tribuitur itaque fidei, ſcilicet hiſtoricæ (de ſpeciali enim recentiorum Hæreticorum Scriptura numquam loquitur) ſæpè juſtificatio, quia ipſa eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis noſtræ Juſtificationis,* ut loquitur *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 8. *Chryſoſt. Hom. De Fide, Spe, & Charitate,* & alii Patres. Ipſa tamen fides initio promulgationis Evangelii Judæis & Gentilibus erat arctiùs commendanda & efficaciùs inculcanda: quàmvis cetera requiſita non fuerint exigentibus id circumſtantiis ſuppreſſa ſilentio, ſed contra falſam quorundam præſumptionem ſpecialiter in Epiſtola Jacobi, aliiſque canonicis propoſita, & in multis aliis Scripturæ locis commendata. Adde interdum ſignificari, quòd ſine diſcrimine, vel acceptione perſonarum ſive quis ſit Judæus, ſive Gentilis, juſtificetur per fidem in Chriſtum etſi non ſolam; prout ſignanter fit *ad Rom.* 10. in verbis relatis.

Cur fidei dogmaticæ ſpecialiùs Scriptura tribuat juſtificationẽ.

Objicitur IV. Apoſtolus *Ad Rom.* 3. excludit opera dicens: *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Et ibidem: *Juſtificati gratis.* Reſp. ad 1. locum, quod *homines non intelligentes* (ut ait *Aug. l. De grat. & lib. arb. c.* 7.) *putaverunt Apoſtolum dicere: ſufficere homini fidem, etiamſi malè vivat, & bona opera non habeat: quod abſit ut ſentiret vas electionis,* inquit *Auguſtinus.* Nam 1. *ad Cor.* 13. ait: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et *ad Gal.* 5. *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Unde *ad Rom.* 3. non excludit opera facta ex fide & gratiâ, ſed ſine ſpiritu fidei facta opera, puta exteriores obſervantias Legis veteris, quæ fide & gratiâ non prælucente ac præmovente, ad Juſtificationem non conferunt; uti nec opera Legis naturæ propriis viribus facta. Quocirca intentum Apoſtoli eſt adſtruere fidei neceſſitatem velut ſine qua non eſt juſtitiæ aut ſalutis via; non autem ſufficientiam adſtruere fidei ſterilis ſeu ſine operibus in fide fundatis. 13.

Apoſtolus ad Rom. 3. non excludit opera gratiæ, ſed legis veteris.

Alibi expreſſè poſtulat charitatem.

Ad II. locum Reſp. hominem juſtificari gratìs: tum quia nec ratione operum Legis naturæ, nec ratione operum legis Moſaicæ, ſed quia ex gratuita Dei miſericordia vocatur ad fidem Chriſti, & per fidem ad ſanctitatem: tum nec ipſa fides aut opera prævia merentur, ſcilicet de condigno, ipſam gratiam juſtificationis. Vide *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 5. & 8.

Quo ſenſu juſtificemur gratìs.

Notandum quòd ſicut ad juſtitiam acquirendam, ſic etiam ad conſervandam & coram Deo augendam neceſſaria ſint varia opera, quæ interdum ſunt in præcepto, & quæ ſi homo negligat, peccat & à juſtitia excidit; juxta illud *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* & *Jac.* 1. *Eſtote factores verbi &c.* & alia Scripturæ loca. Unde errorem contrarium (qui eſt quorumdam recentiorum Hæreticorum) *Auguſtinus l. De fide & operibus c.* 14. rectè dixit *excutiendum à cordibus religioſis, ne malâ ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putaverint, bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint:* Nec tamen putandum eſt, opera juſtificationem ſubſequentia ſic eſſe neceſſaria, ut ſine illis adultus numquam poſſit ſalvari: nam qui per fidem ac dilectionem jam juſtificatus eſt, ſi non diu ſupervivat, nec interea alicujus præcepti adimpletio neceſſaria ſit, ſine dubio ſalvabitur. Idque etiam expreſsè docuit *Aug. l.* 83. *qq. q.* 76.

14. *Ad conſervandam & augendam juſtitiam qualiter opera ſint neceſſaria.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quinam actus voluntatis requirantur ad Iuſtificationem tamquam diſpoſitiones?

15. *Varios actus diſpoſitivos ex parte voluntatis recenſet Tridentinum, & in primis timorem divinæ juſtitiæ.*

PRÆTER Fidem, quæ eſt actus intellectûs, recenſet *Trid. ſeſſ.6.c.6.* in primis Timorem divinæ juſtitiæ, adeòque pœnarum, quo homines ſe eſſe peccatores intelligentes utiliter concutiuntur. II. Spem veniæ, quam peccator concipit ex conſideratione divinæ miſericordiæ propter Chriſti merita & ex gratia ejuſdem dandam. III. Dilectionem Dei tamquam fontis omnis juſtitiæ. IV. Odium ſeu deteſtationem peccatorum. V. Propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum (quando videlicet nondum ſuſceptus eſt: aliàs loco illius propoſitum confitendi) ac obſervandi mandata Dei. Et *hanc diſpoſitionem Juſtificatio ipſa conſequitur,* inquit *Tridentinum* initio *ſeq. cap.*

16. *Qui quidē eſt utilis ad juſtificationem diſpoſitio.*

DICO I. Timor divinæ juſtitiæ eſt utilis ad Juſtificationem diſpoſitio, non tamen omnino neceſſaria. Prima pars patet ex *Trid. ſup. c. 6.* Item *can.* 8. definit hunc timorem non eſſe peccatum. Et *ſeſſ.14.c.4.* & *can.* 5. definit dolorem ex tali timore conceptum eſſe utilem, & præparare ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Patet etiam ex Scriptura, quæ frequenter timorem divinæ juſtitiæ peccatoribus inculcat, ut à peccatis ſuis reſipiſcant, & convertantur ad Deum. Unde *Pſalm.*110. dicitur: *Initium ſapientiæ timor Domini* Et *Eccli.* 1. *Timor Domini expellit peccatum:* Idem paſſim docent Patres. Debet tamen timor, ut ſit ſalutaris & diſponat ad gratiam, eſſe ſupernaturalis, & procedere ex motione Spiritûs ſancti.

Nec obſtat illud 1. *Joann.*4. *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem.* Nam pœnitentes primò ex timore faciunt utiliter, quod poſtea ex charitate faciunt libenter. Nec charitas expellit timorem quaſi culpabilem, ſed quia adfert fiduciam evadendi culpam pœnæ cauſativam, & jam vult amare, etiamſi pœna peccatis non reſponderet. Unde juxta *Aug. Tract. 9. in Epiſt.* 1. *Joannis, Timor eſt ſeta introducens linum Charitatis, ad cujus introductionem exit.*

17. *Non tamen omnino neceſſaria.*

Secunda pars colligitur ex *Trid. ſeſſ. 6. c. 6.* dum ſolùm ait hoc timore *peccatores utiliter concuti.* Et ratio eſt: quia poſſet quis ſperare à Deo veniam, ipſumque diligere, ac de peccatis conteri, etſi pœnas non timeret, immo nec de his cogitaret. Nullus tamen juſtificari poteſt cum diſpoſitione contraria timori, quem videlicet excutiat vel contemnat. Cui conſonat illud *Eccli.* 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Immo moraliter ſemper adeſt aliquis timor, quando accedit quis primò ad juſtificationem, juxta illud *Aug. l. De catechizandis rudibus c.*5. *Rariſſimè accidit, immo verò numquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Neque id tam oritur ex natura juſtitiæ, quàm ex imperfectione naturæ, præſertim corruptæ, ad proprium commodum propenſioris; quæ proinde faciliùs à malo avertitur timore pœnæ quàm amore virtutis: ad quā alioquin ſuppoſitā pari inclinatione, capeſſendam non foret ſtimulus timoris neceſſarius.

18. *Actus ſpei eſt diſpoſitio ad juſtificationem.*

DICO II. Actus ſpei eſt diſpoſitio ad Juſtificationem, & quidem neceſſaria. Prima pars patet ex *Tridentino ſup.* Item ex Scriptura *Proverb.*8. *Pſalm.*36. *Matth.*9. *Ad Rom.* 8. ubi dicitur: *Spe ſalvi facti ſumus* & 1. *Joann.* 3. *Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Unde *Auguſt. Serm.* 20. *de verb. Apoſt. domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.*

Et quidem neceſſaria.

Secunda pars colligitur: tum ex allegatis Scripturis: tum ex *Tridentino ſup. can.*3. Ubi dicit anathema aſſerenti, *quòd ſine Spiritûs ſancti inſpiratione homo poſſit ſperare ſicut oportet, ut ei Juſtificationis gratia conferatur:* tum ex *Ambroſio l.* 1. *De pœnit. c.*1. ubi ait: Nemo *poteſt bene agere pœnitentiam, niſi quis ſperaverit indulgentiam.* Ubi etiam ratio indicatur; videlicet, quia niſi peccator juſtitiam ſperaret, ad eam non contenderet.

19. *Quo ſenſu & modo ſit neceſſaria.*

Notandum tamen non debere actum ſpei adeſſe in puncto juſtificationis, ſed ſufficere quòd aliquando præceſſerit & virtualiter maneat: eò quòd ex nullo capite colligatur plus requiri, præſertim cùm non ſit diſpoſitio proxima, quam proinde neceſſe ſit infuſioni gratiæ coexiſtere. Et quamquam fidei actus ſit quoque diſpoſitio remota, ejus tamen coexiſtentia in juſtificatione extra Sacramentum eſt magìs neceſſaria; cùm etiam ultima ad illam diſpoſitio fide nitatur; & ab ejus actuali directione pendeat. Immo videtur ſufficere actus ſpei virtualis, qualem habent fideles, qui cùm antea actus formales ſpei eliciunt, nec per actum contrarium deſtruxerint, poſſunt cenſeri ita diſpoſiti, ut etiam ſine nova reflexione reſponderent interrogati ſe ſperare: quamquam frequenter novus ſpei actus adſit, etſi non advertatur. Unde nec pœnitentes timorati, nec ipſi Confeſſarii ad hunc actum ſolicitè reflectunt, ſed ſolùm ad veram contritionem. Quare exiſtimo, quòd ſi quis ex ſingulari Dei illuſtratione per fidem illuminatus immediatè in actum perfectæ dilectionis & contritionis (in quo actus Spei velut eminenter continetur) prorumperet

peret non mediante actu ſpei, accepturus eſſet primam juſtif. ationem. Quamquam hoc nullo modo ſit natum fieri, ſed connaturaliſſimum ſit, hominem præſertim primò incipientem juſtificari,gradatim venire ad ſumma: adeòque auctoritates ſolùm loquantur de eo quod moraliter natum eſt fieri. Ita noſter *Vega*, *Soto, Valentia, Joannes Poncius*,& alii paſſim.

20. *Requiritur quoque actus dilectionis Dei.*

Dico III. Ad Juſtificationem requiritur etiam actus dilectionis Dei. Colligitur ex *Trid.ſeſſ.6.c.6.* & *can.* 3. Item ex Scriptura *Luca* 7.*Remittuntur ei peccata multa, quoniùm dilexit multum.* 2. *Joan.* 4. *Omnis qui diligit,ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum; qui non diligit,non novit Deum. Joel.* 2.*Convertimini ad me in toto corde veſtro.*Et *Deuteron.* 4. *Dum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen ex toto corde quæſieris eum.*

21. *Loquuntur verò Scripturæ de dilectione perfecta extra ſacramentum.*

Diſſeritur de loco ſolemni Tridentini.

Eſt tamen obſervandum has Scripturas loqui de dilectione perfecta, quæ requiritur ad Juſtificationem extra Sacramentum: nam cum Sacramento ſufficit dilectio imperfecta, utì ſufficit imperfecta contritio, ex *Trid.ſeſſ.*14.*c.*4. Idem Varii putant indicatum à *Tridenitino ſeſſ. 6. c. 6.* ubì ait: *Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Alii ex oppoſito putant Concilium ibi loqui de dilectione perfecta. Quæ expoſitiones ut in ſua probabilitate relinquantur,non minùs rectè videtur poſſe Concilium intelligi de utraque dilectione, ſeu potiùs de dilectione abſtrahente à perfecta & imperfecta: nam agit Concilium,tum de Juſtificatione intrà Sacramentum, ut patet ex verbis ibidem ſubjunctis & *cap.ſeq.* tum de Juſtificatione extra Sacramentum, ut patet ex generalitate tituli, & plenitudine doctrinæ de Juſtificatione ibi traditâ; ac ſignanter ex *c.*4. ubì juſtificationem à ſe deſcriptam ſupponit poſſe fieri cum ſolo voto Baptiſmi. Nunc autem ad juſtificationem cum Sacramento non poterat requiri perfecta dilectio; ſed nec requiritur determinatè imperfecta: ad juſtificationem verò ſine Sacramento imperfecta dilectio non ſufficit. *Tridentinum* itaque ab utraque abſtraxit, ſive etiam utramque, ſed reſpectivè comprehendit. Eſt proinde iſta explicatio ſatìs probabilis. De quo tamen in *Tract. de Sacramentis* ſermo recurret.

22. *Requiritur præterea ad juſtificationem pœnitentia ſeu contritio*

Dico IV. Ad Juſtificationem peccatoris requiritur etiam pœnitentia. Patet etiam ex *Trid.ſeſſ.6.c.6.* & 14. Et *ſeſſ.* 14. *c.*1.dicit actum contritionis ſive pœnitentiam fuiſſe quovis tẽpore ad impetrãdam veniam peccatorum neceſſariam. Patet etiam ex Scriptura *Act.* 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. Luca* 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Ezech.* 18.& pluribus aliis locis. Idem ratio dictat, ut qui vult ab altero veniam conſequi,& ad ejus amicitiam admitti,doleat ſe eum offendiſſe.

Notandum autem in Sacramento quidem non requiri deteſtationem peccati ſive contritionem perfectam,ut in *Tract.de Sacramentis* cum DD. communiter traditur ex *Trid ſeſſ.*14.*c.*4.Tamen extra Sacramentum, aut ſaltem inſuper Martyrium, requiſita ſemper fuit, atque etiam in nova lege requiritur contritio perfecta, ut ſatìs apertè docet *Tridentinum ſup.* dicens, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, non poſſe peccatorem ſine Sacramento perducere ad juſtificationem.* Deinde ſi in ipſo Sacramento,in quo negotium Juſtificationis eſt redditum facilius, adhuc requiritur pœnitentia vera & ſalutaris, ſaltem imperfecta, conſequenter ſine Sacramento requiritur perfectior. Quod etiam ſatìs clarè patet ex Scriptura, quæ ſicut præſcribit amorem Dei perfectum, & ſuper omnia,dum inculcat, ut Deum toto corde diligamus,ſic etiam perfectam pœnitentiam & deteſtationem peccati tamquam ſummi mali cenſetur exigere, dum ſimili modo loquitur de pœnitentia peccatori neceſſaria; ut *Deuteron.* 4. *Cùm quæſieris Dominum, invenies eum, ſi toto corde quæſieris eum, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Et *c.*30. *Si ductus pœnitudine cordis reverſus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, miſerebitur tui. Joel.* 2.*Hierem.*29.3.*Reg.*8.& alibi. 23.

Extra Sacramentum quidem Charitate perfecta, etſi cum Sacramento mortuorum ſufficiat imperfecta.

Debet portò Contritio extra Sacramentum diſpoſitiva proximè ad Juſtificationem eſſe *Charitate perfecta*, ut ſatìs conſtat ex *Trid.ſeſſ.*14. *c.*4. intellige, quòd debeat eſſe deteſtatio peccati tamquam ſummi mali ex amore ſeu motivo amoris Dei, quod eſt infinita Dei offenſi bonitas. Putarunt nihilominus aliqui, ſufficere etiam extra ſacramentum deteſtationem peccati ſuper omnia, etiam ex motivo religionis, gratitudinis, obedientiæ erga Deum, aut pœnitentiæ. Sed hæc doctrina (quam *Suarez* cenſet probabilem, & ut talem defendit *Averſa*; at *Vaſquez* erroris notat, cenſuram equidem hanc exiſtimante nimiam Cardinali *Lugo*) repugnat communi ſenſui Theologorum *D.Thomæ*, *D. Bonav. Scoti* & aliorum, cui conformiter cenſetur loqui *Tridentinum ſup.* Et à fortiori falſitas illius ſequitur ex Doctrina *Scotiſtarum* paſſim exiſtimantium ſolos actus Fidei,Spei & Charitatis eſſe in ſubſtantia ſupernaturales. 24.

Quanam cenſeatur Charitate perfecta.

Dico V. Ad Juſtificationem extra Sacramentum non requiritur actus explicitus amoris Dei diſtinctus ab ipſa pœnitentia ſeu contritione perfectâ. Eſt contra Nonnullos, quos ſequitur *Coninck d.* 2. *De pœnit. dub.* 6. Ratio eſt: quia Scriptura promittit veniam perfectè à peccato averſis, & ad Deum converſis: ſed perfectè contriti avertuntur formaliter & perfectè à peccatis, & convertuntur ad Deum: ergo &c. 25.

Non requiritur probabiliùs actus dilectionis à perfectâ contritione diſtinctus.

Quàm-

26. *Immo hujuſmodi contritio eſt formaliter actus amoris Dei.*

Quàmvis autem Scriptura requirere videatur formalem amorem Dei; ipſe tamen actus perfectæ contritionis eſt formaliter actus amoris: quia alteri nolle malum, & de illo dolere, formaliter eſt illum amare, non minùs quàm velle illi bonum: per contritionem autem nolumus peccata, ac de iis dolemus, quatenus cogitantur ut malum Dei. Confirmatur: quia non tantùm eſt actus caſtitatis, quo quis amat abſtinentiam à voluptatibus venereis, ſed etiam quo quis illas deteſtatur ex eodem motivo; & generaliter ejuſdem virtutis eſt, ex eodem motivo oppoſita velle & nolle. Perfecta itaq; contritio procedit ex motivo charitatis, eſtque actus ejuſdem. Et hoc ſenſu (ut diximus) *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 4. loquens de Contritione, quæ hominem Deo reconciliat extra Sacramentum, dicit eam eſſe Charitate perfectam. Denique Confirmatur Concluſio ex eo, quòd plerique fidelium de actu amoris diſtincto non ſint ſoliciti, nec apprehendant alium eſſe neceſſarium præter illum qui in contritione continetur.

27. *Interdum etiam poſſet ſufficere extra ſacramentum perfecta dilectio ſine expreſſa pœnitentia;*

Dico VI. Poteſt è converſo peccator aliquando juſtificari extra Sacramentum abſq; formali pœnitentia per actum amoris Dei ſuper omnia virtute continentem deteſtationem peccati; puta in caſu ignorantiæ vel oblivionis, aut etiam non advertentiæ ſuorum peccatorum. Ita *Scotus* 4. *d.* 14. *q.* 1. *n.* 17. & 18. & alii ſatìs communiter contra *Petrum Soto* & quoſdam alios. Ratio eſt: quia tali peccatori poteſt proponi Deus ſuper omnia diligendus, adeòq; cum adjutorio divino poſſet ab ipſo diligi, abſq; eo quòd explicitè deteſtetur peccata, utpote de quibus non cogitet. Nec effectus Juſtificationis poteſt tali homini denegari; cùm ipſe ſit perfectè converſus ad Deum, atque etiam virtualiter à peccato averſus; Scriptura autem promittat talibus veniam peccatorum. Quam etiam ſubinde promittit homini habenti charitatem, *Joan.* 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* & alibi.

28. *Per ſe tamẽ loquendo requiritur formalis pœnitentia in memore peccatorũ.*

Nihilominus per ſe loquendo requiritur formalis pœnitẽtia in peccatore, cui occurrunt peccata tamquam deteſtanda. Colligitur ex *Scoto ſup. n.* 18. Immo *Suarez d.* 9. *De pœnit. ſect.* 1. *n.* 2. ait hoc eſſe certum: nam id ſaltem videntur convincere auctoritates, quæ inculcant dolorem ſeu deteſtationem peccati, id eſt formalem pœnitentiam, velut ſummè & omni tempore neceſſariam ad obtinendam veniam peccatorum, ut apertè loquitur *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 4. Idem habet ſenſus Fidelium, qui non ita ſunt ſoliciti ad alios actus voluntatis explicitos, ſed pœnitentiam primò & omnium maximè neceſſariam exiſtimant.

Idq; cõgruè naturæ ipſius reconciliationis.

Ratio eſt, quòd cõformiter naturæ reconciliationis requiratur retractatio delicti contra alterum commiſſi: adeòq; Deus illam meritò cẽſeatur per ſe loquendo requirere: quàmvis per accidens ob inadvertentiam vel oblivionem cenſeatur contentus actu amoris ſuper omnia, qui eſt pœnitentia virtualis, quatenus alterum perfectè amans eo ipſo movetur ad deſtruendum ac reprobandum, quod ei noverit diſplicere tamquam amicitiam diſſolvens.

29. *Cur potiùs in memore peccatorum illa exigatur, quàm in immemore.*

Cur autem Contritio potiùs requiratur in memore peccatorum, quàm in immemore; cùm utrobiq; actus amoris ſit æquè perfecta ad Deum converſio? Dicendum id fieri, vel quia Deus ſic determinavit, ut memori peccatorum nolit illa remittere, niſi adhibeat deteſtationem peccati velut medium per ſe requiſitum, ut innuit *Scotus ſup.* & *Suarez n.* 11. Vel quia talis eſt conditio amoris, ut ſi ſit efficax, & mẽti amantis objiciatur peccatum amicitiam deſtruens, moveat ad deſtructionem illius tamquam repugnantis rei amatæ, adeoq; ad contritionem. Ita *Coninck d.* 2. *De pœnit. n.* 52. *Præpoſitus* 3. *p. q.* 86. *a.* 2. *dub.* 2. Ubi etiam cenſet improbabile, quod docet *Valentia*, poſſe extra tẽpus præceptum pœnitẽdi exerceri actum charitatis ſine peccati pœnitentia, quàmvis illud menti occurrat. Nihilominus hoc docet *Lugo* & *Averſa*, nec facilè falſitatis convincitur; quàmvis non ſit natum fieri. Poſito autem quòd fieret, non malè ſequeretur per talem actum, ſi ſit abſolutè amor Dei ſuper omnia, obtinendam eſſe juſtificationem, quæ ſemper ejuſmodi amori tamquam proximæ diſpoſitioni eſt conjuncta. Unde Articulus 31. *Michaelis Baii* per Pontifices cõdemnatus habet: *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorũ.* Quod autem *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 4. dicit motum contritionis omni tempore fuiſſe neceſſarium, intelligi poſſet, fuiſſe neceſſarium in ſe aut æquivalenti. Quare hæc doctrina non eſt improbabilis.

Dices: Si actus à Scriptura requiſiti aliquando ſufficienter habeantur, quando adſunt virtualiter ſeu æquivalenter, jam corruet argumentatio ſuprà ex Scripturis inſtituta contra Hæreticos requirentes ſolũ actũ fidei. Reſp. N. ſeq. nam fides totius juſtificationis & actuum cęterorum velut initium, nullum illorum æquivalenter vel eminenter continet; prout contritio continet ſpem & charitatem: adeòque actus à fide diſtinctos explicitè requiri, convincitur manifeſtè ex Scripturis, præſertim ita ſemper intellectis à Patribus & Eccleſiâ. 30.

31. *Requiritur quoque ad juſtificationem propoſitum novæ vitæ.*

Dico VII. Ad Juſtificationem quoq; requiritur propoſitũ novæ vitæ. Patet ex *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 6. & *ſeſſ.* 14. *c.* 4. & ex *Ezec.* 18. *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis ſuis, & cuſtodierit* (ſcilicet in voto & propoſito) *omnia præcepta mea, vitâ vivet.* & ibidem: *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* & alibi. Ratio eſt: quia deteſtatio vitæ præteritæ indubiè talis eſſe debet, quæ voluntatem hominis perfectè à peccato avertat, adeòque compati nequeat volun-

voluntatem actualem peccata repetendi.

32\. Requiritur itaque propoſitum obſervandi mandata Dei ſaltem graviter obligantia, & conſequenter in non baptizato propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, qui eſt unum ex præceptis à Deo: ut patet ex *Trid. ſeſſ. 6. c. 6.* Similiter in peccatore baptizato propoſitum ſuo tempore confitendi, ut expreſsè *Trid. ſeſſ. 6. c. 14.* Votum tamen Sacramenti ſatìs involvitur in propoſito obſervādi mandata Dei; immo in ipſa contritione, ut inſinuat *Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* dicens: *Reconciliationem contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quinimmo verius omnino eſt, non requiri explicitum & formale propoſitum vitandi peccata & ſervandi mandata (ut colligitur ex iis quæ traduntur in materia de Sacramento Pœnitentiæ) adeòque ſufficere propoſitum virtuale incluſum in perfecta deteſtatione peccati; quam qui habet, paratus eſt præcepta Dei implere, etſi moraliter vix contingat, ut pœnitens de futura vita cogitans emendationem explicitè non proponat. De quo etiam propoſito expreſsè eliciendo ad majorem ſecuritatem quilibet pœnitens deberet eſſe ſolicitus. Pout etiam conſulendi ſunt ceteri actus diſpoſitivi, eſto non omnino neceſſarii. Eſt denique Chriſtianis arctiùs commendandum, ut in negotio Juſtificationis ſemper reflectant vivaciter ad merita amariſſimæ paſſionis Chriſti Jeſu, & ad veniam quatenus per eum obtinendam.

Et ſuſcipiendi Sacramentum;

Quod tamen ſatìs in propoſito ſervandi mandata, ipſâq; contritione includitur.

QUÆSTIO IV.

An perfecta Contritio ſtatim adferat remiſſionem peccati priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur?

33\. NEGAVIT *Michael Baius* per Contritionem remitti peccata ante realem Sacramenti ſuſceptionem extra caſum neceſſitatis. Sic enim habet Propoſitio 71. damnata: *Per contritionem etiam charitate perfectam, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Idem colligitur ex *Propoſ. 30. & 31.* Huic doctrinæ accedit *Eſtius 4. d. 17. §. 2.* docens rarò fieri, ut ante actualem Sacramenti ſuſceptionem peccator ſit juſtificatus corā Deo: verùm id fieri in homine perfectè contrito, tum in articulo mortis; tum etiam in caſu ſcandali alteriuſve peccati incurrendi, ſi abſolutio petatur: tum denique quando nequit omnino aut non niſi difficillimè adiri Sacerdos, à quo abſolvatur; præſertim accedente fervore contritionis, deſiderium quoque Sacramenti accedente. An autem contritio in certo aliquo gradu intenſionis perpetuâ lege conjunctam habeat remiſſionem peccatorum, incertum, inquit, eſt, immo non apparet. Præterea à Cardinali *Lugo & Averſa* refertur *Franciſcus Sylvius q. 5. ſupplem. art. 1.* quaſi ponens tres caſus, quibus per contritionem remittatur peccatum ſine Sacramento, ſcilicet in articulo mortis; deinde quando non eſt commoditas ſuſcipiendi Sacramentum; denique interdum ratione maximæ contritionis vehementiæ. Verùm eximius hìc Doctor ſtudiosè ſe purgat in IV. Editione *loco cit.* à ſuſpicione iſtius doctrinæ ſibi occaſione quorumdam in quibuſdam anterioribus Editionibus dictorum adſcriptæ. Et ibidem *Concluſ. 2.* fusè propugnat doctrinam communem.

Contritionem charitate perfectam extra neceſſitatē non juſtificare ante realem Sacramenti ſuſceptionē cenſuerunt Quidam,

Itaque Theologi communiſſimè docent perfectam charitate contritionem ſemper & ſtatim adferre remiſſionem peccatorum; etiam ante Sacramenti ſuſceptionem. 34.

Sed aſſerunt Theologi communiſſimè.

Probatur I. ex Scriptura, quæ perfectè pœnitentibus promittit veniam ſine mora dandam, *Ezech. 33. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* quod ita ſacri Doctores intelligunt, ut illico peccata pœnitenti remittantur. *2. Reg. 12.* Davide dicente: *Peccavi Domino*, Propheta ſtatim ſubintulit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Ubi externa Confeſſio non erat per ſe neceſſaria, ſed fuit ſignum pœnitentiæ interioris. Et *Pſal. 31. Dixi, Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino. & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ubi *Auguſtinus, Gregorius*, & alii notant dictum eſſe in futuro, *Confitebor*, & in præterito, *Remiſiſti*, quia videlicet etiam ante externam confeſſionem peccatum ei per pœnitentiam interiorem fuerat remiſſum. In confirmationem quoque adducit *Catechiſmus Romanus tit. De Sacram. Pœnit.* agendo de contritione, exemplum illorum leproſorum, qui à Domino miſſi ad Sacerdotes, dum irent, mundati ſunt. Et quàmvis ſupradictæ Scripturæ ſint ex veteri Teſtamento, tamen ſancti Patres & Interpretes intelligunt illas etiam habere locum tempore novi Teſtamenti.

Probatur ex Scriptura.

Quod ampliùs confirmatur, & ſimul aſſertio: quia tempore antiquæ Legis poterant homines per contritionem perfectam ſtatim acquirere veniam, ſimpliciter & abſolutè promiſſam ſic pœnitentibus, ut ex Scriptura paſſim patet: ergo etiam eamdem vim nunc habet contritio: cùm Deus iſtam vim non dederit ei pro ſolo antiquo tempore, ſed illimitatè: nec media juſtificationis ab initio lapsûs Adami penes actus internos conceſſa ſuſtulerit in nova Lege, etſi externa & ſenſibilia eaque faciliora ſuperaddiderit. 35.

Probatur II. ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 4.* dicente; *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq;*

Idem probatur ex Concilio Tridentino.

Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Ubi cùm dicit, *Aliquando*, ſignificat contritionem iſtam aliquando tantùm juſtificare; ſed (ut ex contextu patet) aliquando contingere, ut contritio (de qua in genere egerat) ſit charitate perfecta; quando autem talis eſt, docet indefinitè & abſque reſtrictione illam habere vim juſtificandi, eamque adſcribit perfectioni illius, quatenus tamen continet votum Sacramenti ſuo tempore recipiendi, cujus etiam ſuſceptionem in ſuo caſu ſubſequi videtur ſupponere. Dum autem *ſeſſ. 13. c. 7.* permittit Sacerdotibus, ut in neceſſitate celebrent prævià ſolà contritione, id non facit, quaſi extra neceſſitatem contritio non juſtificaret, ſed quia alioquin urgeret præceptum divinum aut certè Eccleſiaſticum Confeſſionis præmittendæ ſumptioni Euchariſtiæ, etiam ſervandum ab eo, qui per cōtritionem quàmvis vehementiſſimam noſcitur juſtificatus.

36. *Item ex Pontificibus qui oppoſitam doctrinam damnarunt.*

Probatur III. ex auctoritate trium Pontificum, ſcilicet *Pii V. Gregorii XIII.* & *Urbani VIII.* qui oppoſitam doctrinam in *Michaele Baio* condemnarunt. Nec ſatisfacit, qui diceret tantùm in *Baio* eſſe damnatum, quòd aſſereret numquam extra neceſſitatem juſtificari peccatorem per contritionem perfectam, adeòque ſufficere quòd ſubinde ſaltem extra neceſſitatem juſtificetur per contritionem vehementiſſimam ſine Sacramento.

Occurritur cuidam evaſioni.

Non, inquam, ſatisfacit: quia non hoc tantùm in *Baio* damnatum fuit, ſed etiam quòd contritio non ſemper id faceret. Primò quia ratio illam doctrinam prohibendi ſumebatur ex auctoritatibus allegatis & allegandis; ex quibus conficiebatur, contritionem non tantùm rarò, ſed ſemper & lege ordinariâ juſtificare ſine Sacramento. Secundò quia etiam damnata fuit hæc propoſitio: *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* Quibus ſimilia habentur in duabus aliis propoſitionibus *Baii.* Tertiò quia ſi contritio etiam vehementiſſima non habet hanc vim ex certa Dei lege, contingere poſſet, ut ex duobus æquè vehementer contritis unus acceptâ peccatorum remiſſione ſalvaretur, alter verò non, quia Deus in uno caſu vult, & non in altero. Denique hæc explicatio omnino gratìs eſt excogitata ad eludendas auctoritates & Pontificum decreta: nullâ enim ratione requiritur in contritione juſtificante certus fervor, ſed ſola ſubſtantialis perfectio in ſumma appretiatione peccati tamquam mali divini conſiſtens; ad quam vel minima intenſio ſufficit: uti etiam conſtat diſpoſitionem ad Juſtificationem in Sacramento non exigere certum fervorem aut intenſionem.

Probatur IV. ex Patribus, qui hoc ſatìs clarè expreſſerunt. Inter ceteros *Leo Papa Epiſt. 91.* ait: *Miſericordia Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur venia moras vera converſio, dicente ſpiritu Dei per Prophetam: Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* 37.

Accedit auctoritas Patrum,

Et praxis Eccleſiæ authentica.

Denique probatur ex praxi & ſenſu totius Eccleſiæ; nam omnes cenſent, etſi in miniſtro Sacramentorum requiratur ſtatus gratiæ, ſufficere tamen, quòd eliciatur contritio, etiamſi non deſit copia Confeſſarii. Quod etiam ſatìs patet ex *Rituali Pauli V. tit. 1.* Præterea etſi ad ſuſcipienda Sacramenta vivorum indubiè requiratur ſtatus gratiæ; omnes tamen credunt ſimiliter ſufficere, quòd peccator illa (Euchariſtiâ exceptâ) ſuſcipiens eliciat contritionem. Quam Eccleſiæ praxim etiam approbat *Clemens VIII. in Pontificali Romano*, ubi de Sacramento Confirmationis. Similiter paſſim fideles, qui in peccatum mortale inciderunt, ne maneant in periculo animæ, & ne careant merito condigno gloriæ in operibus bonis quæ interim faciunt, ſtudent per actum contritionis ſe reſtituere in ſtatum gratiæ, etſi ad aliquod tempus Confeſſionem differant.

Objicitur I. Magdalena dilexerat multùm, & tamen poſtea Chriſtus dixit *Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa.* Ergo non fuit remiſſio peccatorum ſimul cum dilectione. Reſp. Neg. Conſeq. nam etſi remiſſio jam facta eſſet interiùs, adhuc equidem verba iſta rectè fuerunt prolata, ſive tamquam declaratoria remiſſionis jam factæ, ad ſecuritatem pœnitentis & inſtructionem circumſtantium; ſive quia peccata jam remiſſa poterant iteratò remitti, ut ſæpè fit in Abſolutione ſacramentali: ſive quia verbum præſens non refertur ad hoc inſtans indiviſibile, ſed ad tempus moraliter præſens, quo remiſſio illa fiebat, & adhuc præſens cenſebatur. Unde adhuc poſtea Chriſtus Magdalenæ dixit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quæ tamen jam fuiſſe remiſſa ipſi Adverſarii fateri coguntur. Simili ferè modo *Marci 5.* Salvator mulieri à fluxu ſanguinis jam ſanatæ dixit: *Eſto ſana à plaga tua.* Diſplicet autem, quòd *Sylvius ſup. concl. 1.* doceat peccata non fuiſſe Magdalenæ remiſſa ante poſteriora Chriſti verba, ut defendat non eſſe tam ordinarium aut frequens, quòd contritio charitate perfecta adſit: quæ enim tandem præſumi poterit eſſe charitate perfecta, ſi nec Magdalenæ pœnitentia talis fuerit? 38.

Perfectam charitate contritionem, quæ fuit in Magdalena, ſtatim comitata fuit peccatorum remiſſio.

Objicitur II. *Act. 22.* Ananias Paulo jam perfectè converſo dixit: *Exurge, & baptiʒare, & ablue peccata tua.* Reſp. Ananiam 39.

Idemq; contigit in Apoſtolo Paulo.

niam ignoraſſe, aut ſaltem dubitaſſe, an peccata omnia jam eſſent remiſſa, ſic ſaltem ut nullæ remanſiſſent reliquiæ (puta reatus pœnæ) per Baptiſmum abluendæ. Et quàmvis ſciviſſet nihil horum remanſiſſe, adhuc rectè ingerebat præceptam à Chriſto ſuſceptionem ſigni externi ablutivi peccatorum: ſicut etiam juxta adverſarios Baptiſmi aut Pœnitentiæ ſuſceptio eſſet ingerenda iis, qui per contritionem fuiſſent in neceſſitate juſtificati, aut etiam juxta explicationem *Sylvio* (ut præmiſimus) à Nonnullis adſcriptam, per contritionem vehementiſſimam (qualis indubiè fuit illa Pauli) extra neceſſitatem. Arguit nihilominus ex hoc loco *Sylvius ſup.* Paulum non fuiſſe juſtificatum ante realem ſuſceptionem baptiſmi (quàmvis oppoſitum, ſi cui videatur, non putet improbandum) & conſequenter ei defuiſſe contritionem charitate perfectam, cùm hæc juxta ipſum in 4. Editione mox juſtificet. Quod ſanè non videtur credibile: cùm ſi umquam, ſaltem in tam mirabili converſione contritio charitate perfecta non defuerit. Et planè Eccleſia adſtringeret miniſtros Sacramenti & ſuſcepturos Confirmationem, poſito quòd ſciant ſe eſſe in malo ſtatu, ad Sacramentum Confeſſionis præmittendum, ſi adeò rara foret contritio charitate perfecta. Frequentiam proinde hujus actûs ſupponit. Quem etiam rationabiliter præſumit ad manum eſſe iis, qui deficiente copiâ confeſſoris cum prævia contritione permittuntur celebrare. Fatendum tamen actum hunc, ſi ſit efficax, utì debet, eſſe ſatìs arduum, nec ſemper adeſſe, dum adeſſe putatur: ideoque non perfunctoriè, ſed ſeriò implorata ferventer divinâ gratiâ in ſimilibus caſibus, quantùm tempus patitur, hujus actûs exercitio eſt incumbendum.

40\. *Explicantur loca Auguſtini.*

Objiciuntur III. varia loca *Auguſtini*, ſcilicet ex *l.* 1. *de Baptiſ. cap.* 8. & *l.* 4. *cap.* 21. & *Tract.* 13. *in Joan.* Ad quæ variè reſponderi ſolet. Ego verò cenſeo patere ex contextu, quòd *Auguſtinus* ſolùm intendat adſtruere obligationē, & culpare neglectū, ſeu (ut loquitur) contemptum Sacramenti. Unde de Cornelio Centurione, utique juſtificato ante realem ſuſceptionem Baptiſmi, ſaltem quando ſuper illum cecidit Spiritus ſanctus, ſic loquitur *l.* 1. *c.* 8. *Perniciosè quippe cōtemneret bonum quod nondum habebat, ſuperbiens ex illo quod habebat.* Et *l.* 4. *c.* 22. ait: *Uſque adeò nemo debet in quolibet provectu interioris hominis ...... contemnere Sacramentum &c.* quod nequando fieret ab iis, *qui cùm intellectu veritatis & probabilibus moribus ita proficiſſent, ut multis baptizatis vitâ atque doctrinâ ſe præponere minimè dubitarent, ſupervacaneum ſibi eſſe crederent Baptizari*, idcirco tradit ipſum Dominum fuiſſe à Joanne baptizatum. Eamdemque hujus rei rationē *Tract.* 13. *in Joan.* aſſignat: *Ne quis arrogans eò quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ* (v. g. *ille prudentiam, ille doctrinam, ille caſtitatem, ille fortitudinem patientiæ*, ut præmiſerat) *dedignaretur baptizari Baptiſmo Domini: quantumcumque enim* (ſunt verba objici ſolita) *Cathecumenus proficiat*, in hujuſmodi ſcilicet gratiis, *adhuc ſarcinam ſuæ iniquitatis portat, non ei dimittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum*, hactenus ſcilicet neglectum ex perverſa præſumptione. Deinde gratìs conceſſâ in tali Cathecumeno contritione charitate perfectâ, eatenus iſte adhuc portaret ſarcinam peccatorum, quatenus retineret obligationem ſuſcipiendi baptiſmum fundatam in peccato remiſſo ex voto baptiſmi: partim etiam ratione pœnarum ordinariè reſtantium: partim denique quoad ſecuritatem conſcientiæ, quæ ante ſuſceptionem baptiſmi non eſt tanta de depoſitione ſarcinæ iniquitatis. Alioquin mens *Auguſtini* aliundè eſt explorata, quòd ſcilicet charitas ſeu dilectio perfecta purget peccata, ſitque ſaltem cauſaliter vel concomitanter vera & perfecta juſtitia.

Aliquando etiam Patres dicunt juſtificari hominem per votum Baptiſmi in caſu 41.
neceſſitatis; non negant tamen etiam poſſe ſic juſtificari extra neceſſitatem, ſed volunt non poſſe ſufficienter ad obtinendam ſalutem, quin ſequatur realis Baptiſmi ſuſceptio, adhuc obligans, dum eſt poſſibilis; cujus proinde negligentia à cælo excluderet. Unde *Auguſt. lib.* 4. *De Baptiſmo cap.* 21. agens de Cornelio, qui ante ſuſceptum Baptiſmum acceperat Spiritum ſanctum, adeòque juſtificatus erat, ait: *Verumtamen ſi Spiritu ſancto jam accepto baptizari noluiſſet, contemptis tanti Sacramenti reus fieret.*

Et aliorum Patrum.

QUÆSTIO V.

An Contritio perfecta peccatoris procedat effectivè ab habitu charitatis?

SUPPONO ex ſuprà dictis, diſpoſitiones peccatoris ad Juſtificationem, etſi 42.
procedant à libero arbitrio, tamen ſimul neceſſariò procedere à divina gratia, ut contra *Pelagianos* ſtatuerunt *Arauſicanum* & *Tridentinum*. Et quidem ſatis conſtat, cum peccator juſtificatur per Sacramentum cum ſola attritione, hanc non procedere ab habitu charitatis: tum quia non eſt actus charitatis, tum quia infuſioni charitatis habitualis non neceſſariò coëxiſtit, ſed etiam, ſaltem regulariter, tempore præcedit.

Diſpoſitiones ad juſtificationem procedunt à libero arbitrio, & gratiâ. Dum peccator juſtificatur per attritionem cum Sacramento conſtat illam non procedere ab habitu charitatis.

Verùm cùm Contritio perfecta ſit actus pro-

Sed quæritur de contritione perfectâ,

proprius Charitatis, & eodem inſtanti temporis coëxiſtat habitui, qui ad præſentiam contritionis velut ultimæ diſpoſitionis eodem inſtanti infunditur, difficultas eſt, utrùm habitus tunc infuſus eliciat contritionem quæ ad illum diſponit?

43. *Quã Varii putant effici ab habitu qui eodem inſtanti tẽporis infunditur;*

Affirmant plerique *Thomiſtæ*, quos ſequitur *Valentia*, *Vaſquez*, & quidam alii, exiſtimantes ad hoc ſufficere coëxiſtentiam in eodem inſtanti temporis.

At contrarium cum communi ſententia aſſeritur. Probatur ex modo loquendi Cõciliorum & Patrum.

Nihilominus dicendum eſt id nullatenus fieri poſſe; adeòque contritionem peccatoris ſemper procedere à ſpeciali auxilio divino actuali, quod ſuppleat defectum habitûs. Ita *Scotus*, *Gabriel*, *Vega*, *Suarez* & alii communiter.

Probatur I. Quia ut loquuntur Concilia & Patres, Deus inſpirat homini contritionem ut conſequatur charitatem; & hanc Deus infundit, quia ad eam homo ſe per contritionem diſponit: juxta alios autem non minùs dici poſſet, homini dari gratiam ſanctificantem ſeu charitatem, ut conteratur & ſe diſponat; item peccatorem conteri, quia ipſi eſt infuſa charitas: quæ apparent abſurda. Confirmatur: quia diſpoſitiones prævias ad Juſtificationem, inter quas etiam contritio, elici mediantibus gratiis actualibus, ſupponere videtur *Trid. ſeſſ. 6. c.5. & 6.* & dum *cap. 7.* in principio ſubdit: *Hanc diſpoſitionem Juſtificatio ipſa* (in qua habitus charitatis infunditur, ut ibidem addit) *conſequitur*; ſi autem habitus charitatis eſſet cauſa efficiens ſuæ diſpoſitionis, præcederet eamdem.

44. *Et multiplici ratione Theologicâ.*

Probatur II. Quia non poteſt concipi, quòd aliquid ſit neceſſaria ad alterius productionem diſpoſitio ſeu præparatio (prout eſt contritio reſpectu productionis charitatis) niſi priùs habeat eſſe: ergo contritio non poteſt à charitate habituali accipere eſſe; utpote quod jam habere ſupponitur. Confirmatur I. quia habitus charitatis nihil poteſt efficere, niſi ſit, & animæ priùs inhæreat; eo ipſo autem contritio diſpoſitiva jam præſupponitur. Confirmatur II. quia generaliter diſpoſitio etiam ultima ad formam non procedit ab ea effectivè, ſed ab agente; cùm præſupponatur formæ in genere cauſæ efficientis, cauſa autem efficiens non poſſit à ſuo effectu dependere quoad ſuum eſſe phyſicum & ſimpliciter: eſſet enim ſimpliciter prior & poſterior effectu, immo penderet ſaltem mediatè à ſeipſa, adeòque eſſet ſe ipſa prior & poſterior.

Nec obſtat vulgatum *Philoſophi* dictum; *Cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ*; nam hoc verificatur ſeu intelligitur de cauſa efficiente & finali: hæc enim tantùm cauſat moraliter movendo efficiens ſecundùm eſſe ſuum præconceptum, ideòque in ſuo eſſe reali poteſt adhuc à cauſa efficiente phyſicè dependere.

Probatur III. Quia ſi contritio peccatoris efficiatur ab habitu ad quem diſponit, etiam dilectio juſti efficietur ab augmento charitatis quod meretur; cùm tamen principium meriti non cadat ſub meritum, ſive meritum non poſſit procedere à termino meriti. Confirmatur: quia alioquin nihil deeſſet contritioni peccatoris, quò minùs mereretur de condigno habitum charitatis; cùm juxta alios procedat ab homine grato & ex gratia habituali tamquam cauſâ.

Argumenta quæ objici ſolent, ſunt merè philoſophica, fundata in poſſibilitate mutuæ cauſalitatis & dependentiæ: quæ proinde hoc loco non duximus repetenda. 45.

Reſpondetur ad quaſdam auctoritates.

Unicum moveri poſſet ex auctoritate: nam *Auguſt. Tract. 74. in Joan.* ait: *Quomodo diligimus, ut Spiritum ſanctum accipiamus, quem niſi habeamus, diligere non valemus?* Et alibi ſignificare videtur, priùs ſanari animam, quàm diligat juſtitiam. Similiter *Arauſicanum can. 4.* definit per infuſionem Spiritus ſancti fieri in nobis, ut purgari velimus. Reſp. manifeſtam ſatìs eſſe mentem Patrum & Conciliorum antiquorum contra *Pelagianos* inculcantium, nos nihil ſalutare poſſe agere aut velle, niſi gratiâ Dei auxiliante ſanemur vel confortemur, ſive ſanitate inchoatâ, ſive perfectâ; nec poſſe aliquid tale ſine infuſione Spiritûs ſancti, id eſt, ſine collatione divini auxilii, ſaltem actualis, per quod fit ut purgari velimus.

46. *Contritio diſpoſitiva poſſet ſequẽtibus inſtantibus conſervari ab habitu charitatis infuſo, accedente novâ actione.*

Adverte, quòd etſi contritio peccatoris primo inſtanti Juſtificationis non poſſit procedere ab habitu infundendo, ſed à gratiis actualibus; poſſit tamen habitus jam infuſus in ſequenti tempore conſervare eamdem contritionem, ſi continuetur: quàmvis neceſſaria foret nova actio conſervativa illius ob adventum novæ concauſæ. Et ſic formæ ſubſtantiales poſſunt etiam conſervare diſpoſitiones prævias ſecum remanentes.

An de facto id fiat, non ita conſtare videtur:

Non ſatìs equidem mihi conſtat, an de facto non potiùs pergat Deus per ſuam omnipotentiam conſervare actum contritionis, de quo hîc egimus, ne pro tantillo tempore actio ſit immutanda. Sicut non apparet actum charitatis meritorium augmenti gratiæ per gratiam novam vi meriti infuſam incipere deinceps conſervari, non ſine frequenti mutatione actionis conſervativæ.

47. *Immo Nonnulli id cenſent impoſſibile,*

Immo *Oviedo Tract. 8. controv. 2. num. 123.* exiſtimans actum vitalem, adeòque contritionem, produci ſine actione intermediâ, cenſet non poſſe eamdem contritionem poſtea conſervari ab habitu. Ex quo etiam principio (quod Varii tenent) concludit,

cludit, contritionem, utpote ſeipsâ dependentem à ſuis cauſis, eſſentialiter ſemper dependere ab ea à qua ſemel dependit; & è contrà, implicare, ut dependeat ab ea cauſa, à qua ſemel non dependit. Quæ tamen doctrina nullatenus admittenda eſt; & ob hoc ipſum, ſi bene inferretur, negandum potiùs eſſet, quòd actus vitales producantur ſine actione intermedia. Nam certè ſine urgenti ratione aſſerenda non eſt eſſentialis dependentia actûs vitalis aut ullius qualitatis abſolutæ ab individua aliqua cauſa creata, cui inſtar puri modi indivulsè adhæreat. Eſtque planè alienum à communi conceptu, quòd eadem viſio quæ fit ab intellectu cum habitu vel ſpecie nequidem per divinam potentiam, utique haud reſtringendam, elici poſſit ſine illo habitu vel ſpecie, v.g. ſine habitu, vel cum alio individuo habitu vel ſpecie. Immo actus viſionis, amoris &c. etiam ejuſdem objecti, forent eſſentialiter diſtincti hoc ipſo quòd aliquod principium illorum non ſit idem, ob diverſam ſcilicet eſſentialem dependentiam, quæ in ſingulis reperiretur reſpectu diverſi principii. Sequeretur præterea non poſſe etiam divinitùs reproduci actum vitalem, niſi individua illius cauſa, etiam habitus aut ſpecies, ſi non ſuperſit, reproducatur, & in actũ influat. Ut interim omittam (quod longiorem indaginem, eamque philoſophicam exigit) examinare, an ex hoc quòd actus vitales elicerentur ſine actione intermedia, rectè ſequeretur hujuſmodi eſſentialis dependentia.

Sed immeritò.

QUÆSTIO VI.

Qualem Certitudinem poſſit homo habere de ſua Iuſtificatione?

48. *Citra privilegiatam revelationem nemo tenetur vel poteſt credere fide divinâ ſe eſſe juſtificatum. Probatur ex Scriptura,*

HÆRETICI recentiores jactant, poſſe & debere quemvis hominem fide divinâ credere, ſe eſſe juſtum coram Deo, ſibique peccata eſſe dimiſſa ſeu non imputari. Sed contrarium definivit *Trid. ſeſſ. 6. c. 9.* & *can. 13. & 14.* Vide etiam *c. 16.* Et concordant omnes Scholaſtici, etiam antiquiores 1. *diſt.* 17. & 1. 2. *q.* 112.

Probatur I. ex Scriptura *Pſal. 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Quod explicans *Auguſtinus* dicit, tam impoſſibile eſſe propria ſua delicta videre, quàm tenebras aſpicere. Et *Pſal. 50. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Ubì (ut exponit *Auguſtinus*) David tamquam ſingulare & extraordinarium beneficium prædicat, quòd de remiſſione adulterii & homicidii eſſet à Deo per Nathan Prophetam certificatus. *Job 9. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Quem locum de incertitudine juſtitiæ explicat *Gregorius 9. Moral. c.* 18. aliàs 13. Et *Innocentius III. c. Accepimus, De purgat. canonica. Eccle. 9. Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurùm ſervantur incerta.* Quod de gratiæ juſtificantis incertitudine explicat *Hieronymus.*

Denique 1. *ad Cor.* 4. dicit Apoſtolus: *Neque me ipſum judico: nihil enim* (id eſt, nullius infidelitatis in diſpenſatione mea ſeu munere Apoſtolico) *mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum,* id eſt, non ideo me juſtificatum judico, ut exponũt *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*; & alii orthodoxi Commentatores, & indicat *Trid. ſup. c.* 16. Proinde Apoſtolus doctrinam velut generalem tradit Chriſtianis, ne, ſi fortè ſibi non ſint alicujus criminis conſcii, ideo ſe certò reputent juſtificatos, eò quòd ſint occultæ etiam nobis ipſis cordium noſtrorùm latebræ. Ideoque ſubdit: *Qui autem judicat me, Dominus eſt..... qui illuminabit abſcondita &c.* Futile verò eſt, quòd *Calvinus* reſpondet, Apoſtolum ſic loqui, quòd certa juſtitiæ notitia non fundetur in operibus, ſed in promiſſione gratuita miſericordiæ Dei: Nam undecumque certitudo iſta haberetur, potuiſſet Apoſtolus & cum eò quiſque juſtus dicere: *me ipſum judico,* ſcilicet tamquam fidelem & juſtum. Deinde etiam ipſe Deus juxta novantes judicat nos juſtos, non ex operibus, ſed ex fide; igitur ſimili modo poſſemus idem nos judicare, contra Apoſtolum.

Accedunt aliæ ſimiles Scripturæ, quæ à nobis excutiunt periculoſam de noſtra juſtitia, quam Hæretici venditant, ſecuritatem, noſque ad metum ſalutarem inducunt, *Eccli. 5. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Ad Philipp. 2. Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Probatur II. ex Patribus, *Auguſt. lib. De perfect. juſt. c.* 15. ubì ait: *Quantâlibet juſtitiâ ſit prædimus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum; cùm Rex juſtus ſederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non poſſunt, nec illa de quibus dictum eſt, Delicta quis intelligit?* Plures alios partim indicavimus ſuprà, partim videre eſt apud Controverſiſtas. 49. *Ex Patribus.*

Probatur III. ratione Theologicâ: quia nemo poteſt vel tenetur credere, quod non eſt ſufficienter revelatum: atqui in generali revelatione factâ in Scripturis non habetur ſatis revelatum, quòd quiſque in particulari v. g. *Lutherus* aut *Calvinus*, ſit juſtus: ergo id non tenetur nec poteſt homo credere, niſi fiat ei extraordinaria revelatio; quam rariſſimè fieri quiſque ſapiens in ſe experitur. 50. *Et ratione Theologicâ.*

Confirmatur: quia Scriptura ad Juſtificationem requirit varias conditiones, videlicet ſuſceptionem Sacramenti cum actibus pœnitentiæ vel dilectionis ſuperratu-

naturalis: atqui de his conditionibus nemo poteſt eſſe certus: nam in primis valor Sacramentorum pendet ab alterius intentione mihi occultâ. Similiter non ſum certus, quòd habuerim pœnitentiam vel dilectionem ſub tali efficacia, appretiatione & ſupernaturalitate, prout requiritur ad ſalutem; etſi frequenter poſſit haberi de eo magna probabilitas, & velut conjecturalis certitudo.

Probatur IV. Quia fidei divinæ nequit ſubeſſe falſum; quod tamen ſubeſſe poteſt fidei quâ Hæretici credunt ſe eſſe juſtos: nam id credunt tam *Calviniſtæ* quàm *Lutherani*, cum tamen ſe invicem condemnent tamquam injuſtos: ergo ſaltem alterutri non obligantur, immo nec poſſunt credere fide divinâ ſe eſſe juſtos. Porrò non eſt potior ratio de his, quàm de illis, aut è contrà.

51. Objiciunt Hæretici varia Scripturæ loca, in quibus videtur timor excludi à juſtificatis. *Ad Rom.* 8. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.* Et infrà: *Certus ſum, quòd neque mors &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Et *c.* 15. *Certus ſum fratres & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione.* Et alibi frequenter. Reſp. in Scripturis ad ſummum ſignificari, quòd homines juſti eò uſque per bona opera certam frequenter faciant ſpem ſuam, ut repleti divinâ conſolatione rarò ſint actualiter anxii de ſua juſtificatione; quæ eſt magis certitudo negativa, quàm poſitiva & propriè dicta: quàmvis dum aliquando erumpunt in poſitivum actum fiduciæ, is, ſi ſit deliberatus & debitè circumſtantionatus, non ſit ſine formali vel virtuali formidine, quatenus ex illis tantùm ſignis confidunt, quæ certam non faciunt fidem; puta ex memoria bonorum operum præteritorum, ſingularibus erga ſe Dei beneficiis, occaſionibus bene agendi, induſtriâ ad juſtificationem obtinendam adhibitâ &c.

Generalis reſponſio ad Scripturas, quæ videntur excludere formidinem de juſtitia.

52. Ad primum verò locum Apoſtoli ſpecialiter dico, ipſum ibi loqui in perſona juſtorum, & velle quòd Spiritus ſanctus teſtificetur, vel (ut Græca ſonant) conteſtificetur ſpiritui noſtro, vel cum ſpiritu noſtro, quòd ſimus filii Dei; non quidem expreſsè & clarè, ſicut Nathan Davidi dicens: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*; ſed obliquè & obſcurè, ſcilicet per quædam indicia ſolùm generantia probabilem conjecturam. Hoc autem teſtimonium, quod ſolis juſtis Spiritus ſanctus præbet, in ſe quidem veriſſimum eſt, ſed cùm conſiſtat in ſignis non adeò claris, quibus ſimilia quantùm ad experientiam ſenſibilem poſſent etiam reperiri in non juſtis, & provenire vel à natura vel à ſpiritu mendacii; idcirco non poteſt generare certitudinem etiam in iis, qui verè juſti ſunt. Unde ipſe Apoſtolus 1. *ad Cor.* 4. dicebat: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

Reſpondetur in particulari ad nonnulla Apoſtoli teſtimonia,

Secundus locus Apoſtoli explicatus eſt *Tract. de Deo Uno diſp.* 8. *num.* 109. In tertio loco ſolùm vult Apoſtolus, quòd ſit certus, id eſt perſuaſum habeat, quòd & ipſi Romani (quos admonuerat) poſſent alius alium admonere, utpote *pleni dilectione* ſeu bonitate quoad opera charitatis erga fratres, *& repleti omni ſcientiâ*, neceſſariâ ſcilicet ad mutuam inſtructionem; prout ex conſtanti famâ & aliorum dictis Apoſtolus ſatis intellexerat.

Notandum prædicta eſſe intelligenda ſeclusâ ſpeciali revelatione Dei, quæ quibuſdam accidit, ut beatæ Virgini *Lucæ* 1. Magdalenæ *Lucæ* 7. Zacchæo *Lucæ* 19. Paralytico *Matthæo* 9. & quibuſdam aliis Sanctis, uti ſemel accidiſſe Seraphico Franciſco refert *Doctor Seraphicus Bonaventura cap.* 3. *vitæ*. Intelligenda etiam ſunt de juſtitia propria: quia uno caſu planè certi (eſto non certitudine fidei) eſſe poſſumus de juſtitia aliena, videlicet infantis à nobis baptizati, cujus juſtitiam certò concludimus ex hac de fide: Omnis infans legitimè baptizatus eſt juſtus; & alterâ quæ nobis eſſe poteſt naturaliter certa: Hic infans eſt à me legitimè, id eſt, in debita materia & forma, & cum legitima intentione, baptizatus. 53.

Nonnulli Sanctorum ex ſpeciali revelatione fuerunt de ſua juſtitia certi.

Ex his refutata manet Sententia ſeu potius error *Ambroſii Catherini*, qui in *Opuſc. De certitudine gratiæ* nimis temerè etiam poſt *Tridentinum* docuit, hominem poſſe eſſe certum de ſua gratia per internum Spiritûs teſtimonium abſque ſpeciali privilegiata revelatione (ut loquitur in *Confirmatione ſuæ defenſionis*) illudque poſſe credere fide infusâ. Nam apertè hæc doctrina falſitatis convincitur ex probationibus contra Hæreticorum errorem præmiſſis. 54.

Quâ ſeclusâ nequit aliquis de ea eſſe certus per internum Spiritûs teſtimonium.

Impugnatur etiam ex c. *Accepimus De purgat. canonica*. Denique apertè contradicit *Trid. ſuprà cap.* 9. ubi ait: *Sicut nemo pius de Dei miſericordiâ, de Chriſti merito, deq; Sacramentorum virtute, & efficaciâ dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum ſuamq; propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.*

Nec refert, quòd *Catherinus* in præfatam Concilii doctrinam non conſenſerit niſi ſalvo ſenſu ſuæ ſententiæ: quàmvis enim ipſe ita ſignificaverit, verba tamen ab omnibus ſunt admiſſa ſine hujuſmodi reſtrictione. Unde Patres Concilii ejus opinionem neglexerunt, utpote de re nimis nova & abſurda. 55.

Patet etiam ex dictis, nos ne quidem poſſe eſſe certos de noſtra juſtitia certitudine Concluſionis Theologicæ: nam etiam

Ne quidem de juſtitia noſtra habere poſ-

ſumus certitudinem Concluſionis Theologicæ;

etiam hæc certitudo excludit omnem formidinem de oppoſito, nec ei poteſt ſubeſſe falſum; uni autem præmiſſarum, ex quibus noſtram juſtitiam concludimus, ſemper inhæret incertitudo, poteſtque ſubeſſe falſitas.

Multò minùs de perſeverantia & prædeſtinatione:

Patet inſuper, nos multò minùs poſſe eſſe certos de prædeſtinatione & perſeverantia: nam ultra certitudinem de juſtitia, requireretur certitudo de ampliùs non labendo, aut ſaltem in fine reſurgendo; quæ ex nullo capite deſumi poteſt. Quinimmo oppoſitum potiùs Scriptura inculcat, *Pſal. 2. Servite Domino in timore &c. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta. Ad Rom. 11. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.* Et alibi ſæpè.

Neque aliã aliquam certitudinem phyſicam habere valemus,

Patet denique nos etiam non poſſe aliquam aliam certitudinem phyſicam & propriè dictam habere de noſtra juſtitia: hanc enim nec in ſe videmus, nec ex cauſa nobis infallibili inferre poſſumus; nec denique effectus ſic eam ſubeſſe convincunt, ut ſimilis experientia abſque coëxiſtente juſtitia abſolutè dari non poſſet.

56. *Sed ſolùm quamdam conjecturalem.*

Sed difficultas reſtat, an de ea haberi poſſit certitudo moralis, & qualis? Reſp. poſſe in hominibus juſtis eſſe certitudinem quamdam conjecturalem, innixam veroſimilibus conjecturis, deſumptis ab experientia & effectibus: eò quòd in ſe experiantur deſiderium vitandi peccata mortalia, diligentiam in cavendis venialibus, ſtudium pietatis & bonorum operum, deſiderium cæleſtium, faſtidium terrenorum, dolorem de peccatis præteritis, propoſitum de cetero placendi Deo nec pro ulla re mundi cum graviter offendendi, pias in Deum affectiones, deſiderium patiendi pro Chriſto, ipſamque tribulationum tolerantiam, ſuſceptionem Sacramentorum, præſertim mortuorum: his accedente externâ protectione Dei, qui occaſiones & motiva dubitandi, aut de iis cogitandi frequenter adimit.

57. *Quæ in multis eſt ſatis exigua,*

Hæc tamen certitudo habet gradus; eſtque frequenter ſatis exigua in multis, qui ſæpè in peccata lapſi, plerumque abſque notabili, etſi ſufficienti, præparatione ad confeſſionem accedunt, adeòque cum probabili tantùm perſuaſione, quòd ſe legitimè diſpoſuerint. Cujuſmodi perſuaſio ſufficit ad ſuſcipienda Sacramenta mortuorum: uti etiam ad ſuſcipienda Sacramenta vivorum ſufficit probabilis perſuaſio, quâ quis confidat ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

58. *In Viris ſanctis interdum ſatis magna:*

Interdum tamen in Viris ſanctis prædictæ & ſimiles conjecturæ pariunt magnam certitudinem moralem (ſi ita appellare libeat) eoſque frequenter abſque anxietate actuali ſecuros reddunt, ſic ut fiducialiter agant cum Deo quaſi cum amico loquentes; ut patet in vita S. Franciſci & plurium aliorum Sanctorum. De hujuſmodi agit *Bernardus ſerm. 68. in Cant.* inquirens, an reperire ſit animam tam ſpiritualem & ſanctam, quæ in hac vita dicere queat, *Dilectus meus mihi, & ego illi*; & *Serm. 69.* ubi reſpondet: *Prorſus habet Eccleſia Dei ſpirituales ſuos, qui non modò fideliter, ſed & fiducialiter agant in eo, cùm Deo quaſi cum amico loquentes, teſtimonium illis perhibente conſcientiâ gloriæ ejus.* Quàmvis ſecuritas non ſemper ſit major in magìs ſanctis, ſed in his occultâ Dei diſpenſatione quandoque ſit minor; ut patet apud *B. Hieronymum in vita* S. Hilarionis, quem jam moribundum dixiſſe refert: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis Deo ſerviſti, & mortem times?* Idem plures Sancti ſuo nos exemplo docuerunt.

Etſi nõ ſemper major juxta majorem ſanctitatem.

59. *Ex incertitudine gratiæ non læditur debita pax conſcientiæ, ſed timor ſalutaris promovetur.*

Nec idcirco oportebit conſcientias fidelium perpetuò tumultuosâ trepidatione vexari, nec etiam præbetur anſa deſperationi: ſed ſolùm præbetur occaſio timori ſalutari, fiduciam in Deo conjunctam habenti; qui cuſtos eſt humilitatis, & ſtimulus ad virtutem, cùm ſecuritas negligentiam pariat, & incautos ad peccata pertrahat. Vide *Gregor. l. 6. Epiſt. 22. ad Gregoriam Auguſtæ cubicularium.*

60. *Certitudo moralis gratiæ etiam in ſanctis citra ſpeciale privilegium non eſt tanta, ut omnem rationabilem formidinem excludat.*

Non eſt denique hæc certitudo in quantumvis ſanctis tanta, ut formidinem rationabilem omninò excludat, ſed manet formido potentialis, quæ etiam connaturaliter quandoque in actualem prorumpit. Colligitur ex *Trid. ſup.* generaliter docente, quòd quilibet, quando ſe ipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt. Ac proinde non eſt admittendum (quod aſſerit *Sotus in Apolog. contra Catherinum cap. 2.*) juſtum eò uſque poſſe proficere, ut tam certus ſit ſe eſſe juſtum, quam Romam eſſe: nam talis certitudo excludit omnino rationabilem formidinem de oppoſito. Huic accedit *Vega l. 9. in Trid. c. 46.* Quos tamen ad communem ſententiam trahit *Malderus hic art. 5. dub. 2. aſſert. 2.*

61. *De fide infuſa propria non habetur quoque certitudo pluſquam moralis.*

Eâdem occaſione ſolet hîc moveri dubium, quam certitudinem poſſint fideles habere de ſua fide infuſa & ſupernaturali? Reſp. cum pleriſque Doctoribus non poſſe eos habere certitudinem pluſquam moralem. Ratio eſt: quia non eſt unde major certitudo deſumi poſſit. Nullibi enim revelatum eſt, quòd v.g. mihi inexiſtat fides infuſa: neque etiam id cognoſci poteſt ex evidentia rei in ſe aut ex aliqua cauſa, vel effectu nobis certiori. Nam ſi ad Baptiſmum v. g. recurratur, inde non ſum certior in me eſſe fidem infuſã, quàm ſim certus me eſſe baptizatum (de quo tantùm ſum certus moraliter) & deinceps non commiſiſſe hæreſim. Si autem recurratur ad ipſos actus fidei, qui ſunt partim diſpoſitio ad habitum, partim effectus illius;

lius; non eſt in primis certum, quòd poſito actu ſtatim infundatur habitus, qui probabiliter ſimul infunditur cum habitu charitatis, adeòque non poſſum de illo eſſe planè certus, uti nec de habitu charitatis.

Vix & de ſupernaturalitate actûs fidei.

Et quàmvis ad poſitionem actûs fidei mox certò infunderetur habitus; de ipſis tamen actibus tantùm habetur certitudo moralis, quòd ſint ſupernaturales; adeòque ſufficiens diſpoſitio. Quod probatur: quia etſi certò in nobiſipſis experiamur nos credere, non poſſumus tamen ita certò experiri, utrùm credamus fide ſupernaturali: quia ſupernaturalitas iſta non cadit ſub experientiam. Sicut etſi certò experiamur in nobis actus pœnitentiæ ac dilectionis; non tamen quòd ſint ſupernaturales: alioquin enim certò ſcire poſſemus nos eſſe in gratia.

62. Unde quod *Aug.* 13. *De Trin. c.* 1. ait: *Fidem ipſam, quam videt quiſque in corde ſuo eſſe, ſi credit &c.* Et infrà: *Eam,* fidem *tenet certiſſima ſcientia, clamatq; conſcientia*; debet explicari de clara experientia actûs credendi ut ſic, præſcindendo à ſpecifica illius differentiâ, ſcilicet naturalitate vel ſupernaturalitate. Ex oppoſito autem *Scotus dum* 3. *d.* 23. *n.* 17. ait; nos credere quòd habeamus fidem infuſam, ſolùm vult, quòd illud obſcurè cognoſcamus, etſi non fide infallibili, quantùm ad noſtram propriam & particularem perſonam: oppoſitum enim docet *Quodlib.* 14. *n.* 8. Neque etiam negat nos habere evidentiam de actu fidei noſtræ ut ſic; quem non credimus nos habere, ſed clarè experimur, abſtrahendo à ſupernaturalitate: ſicut qui dubitat, non dubitat ſe dubitare, ſed id clarè cognoſcit per experientiam.

63. *Catholicus per actum fidei eſt certus de objecto, non de qualitate actûs.*

Dices: Catholicus per actum fidei eſt certus. Reſp. eſſe quidem certum de objecto quod credit, eò quòd ſit à Deo revelatum, prout evidenter credibile faciunt notæ fidei. Non tamen per quamdam reflexionem certò ſcit de ipſo actu credendi, num ſit ex modo tendendi infallibilis, & ſupernaturalis.

Nec refert, quòd Eccleſia habeat pro vero Martyre illum, qui (ut in Hiſtoria Eccleſiaſtica legitur) mortem ſubiit hoc ſolo titulo, quòd dixiſſet: *Sum Chriſtianus.* Nam is non ſubiit martyrium pro veritate iſtius propoſitionis, quatenus ſignificaret fidem infuſam inexiſtere proferenti, ſed pro veritate objectiva (cujus profeſſio tali propoſitione includitur) quòd Chriſtus ſit Deus, quòdque doctrina Chriſtiana ſit vera.

64. Inſtabis: Catholicus certò experitur ſe credere indubitanter, adeò ut potiùs quàlibet ſcientiam, quàm articulum fidei negaret: ergo advertit actum ſuum eſſe infallibilem, & conſequenter ſupernaturalem, ne alioquin dubitationi locus relinquatur. Reſp. ſignum iſtud non generare certitudinem pluſquàm moralem: non enim experitur quis, utrùm firma iſta adhæſio proveniat ex eo, quòd voluntas captivet intellectum in obſequium fidei ut oportet, & ex ipſa infallibilitate actûs, an verò ex diſpoſitione ipſius ſubjecti: firma autem adhæſio ſubjectiva non arguit ſupernaturalitatem actûs; cùm etiam Hæreticus poſſit hoc modo firmiter aſſentiri alicui articulo, quem adhuc exiſtens Catholicus credebat, immo & ſuis erroribus. Adde quòd in idem objectum tendi poſſit per actum naturalem & ſupernaturalem; quorum differentia non cadit ſub noſtram experientiam. Neque eſt quòd dicatur ex ſuavitate quadam ſpiritûs, quam nemo novit niſi qui accipit, hæc poſſe fidelem diſcernere: numquam enim ſine privilegio ſpeciali ejuſmodi guſtus & experientia dulcedinis facit omnimodam certitudinem, ſed tantùm moralem. Nec ideo relinquitur locus dubitationi deliberatæ de ipſo objecto; de quo, utpote revelato, ſalvâ fide dubitari nequit: quàmvis de ipſo actu abſolutè dubitari poſſet, utrùm ſit commenſuratus & ſupernaturalis; cùm hoc non ſit ſingulis revelatum. Rariùs tamen etiam de hoc dubitare ſolemus, ob majorem de eo certitudinem, & quidem longè majorem, quàm poſſit haberi de charitate; quæ plura & difficiliora, nobiſque minùs perſpecta, immo ipſam fidem prærequirit; nec tamen ex ea neceſſariò infertur. Ideo etiã raro fideles orare ſolent ad fidem obtinendam, ſed bene ad obtinendum illius augmentum & vivaces ejuſdem actus. Fidem autem ipſam in Baptiſmo (de cujus valore non eſt quòd dubitetur) infuſam ſupponunt nullâ pertinaci incredulitate (de qua conſcientiam non habent) amiſſam adhuc permanere.

Experientia firmitatis in credendo non generat certitudinem pluſquàm moralem.

Rariùs tamen de fide, quin eâ quis ſit præditus, dubitari ſolet.

QUÆSTIO VII.

De Remiſſione peccatorum venialium & Diſpoſitione prærequiſitâ.

De hac quæſtione ſolet tractari in materia de Sacramento Pœnitentiæ. Cõgruè tamen videtur ipſa hîc ſubnecti ob affinitatem cum remiſſione Extra-ſacramentali mortalium, & Diſpoſitione prærequiſitâ, de qua jam actum fuit. 65.

Peccata venialia verè etiã quoad culpam deleri ſeu remitti poſſunt.

Itaque in primis dubitandum non eſt, peccata etiam venialia verè deleri ac remitti, tum quoad pœnam, tum (de quo jam agitur) quoad culpam: prout notũ eſt apud Patres, Doctores & fideles, & continetur in hac petitione Orationis dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra.* Quod ratione quotidianarum ſeu venialium culparum verificatur etiam in juſtis; quorum (ut ait

Trid.

Trid. ſeſſ. 6. c. 11.) iſta vox eſt, & humilis, & verax. Ratio ſumitur ex hoc, quòd culpæ veniales ſint vera injuria ſeu offenſa Dei; adeòque objectum remiſſionis.

66. *Non ſolùm in hac, ſed etiam in altera vita;*

Referuntur autem olim Quidam cenſuiſſe, quòd non contingat culpas veniales deleri poſt hanc vitam, eò quòd fiant mortales perſeverantibus in eis finaliter. Quæ tamen opinio omnino eſt improbabilis, uti & fundamentum ipſius omni prorſus apparentiâ veritatis caret. Quocirca *D. Bonaventura, D. Thomas, Scotus* & alii unanimiter aſſerunt venialia interdum etiam quoad culpam deleri in altera vita. Idque contingit, quando juſti culpas veniales hîc commiſſas non ſatis retractarunt, adeòque habitualiter in eis perſeverantes moriuntur. Remittuntur autem iſta poſt hanc vitam, non tamen per infuſionem novæ gratiæ ſanctificantis; utpote quæ augeri nequit, niſi per Sacramenta & merita hujus vitæ.

67. Qualiter porrò venialia poſt hanc vitam remittantur, varii ſunt modi dicendi. *Scotus 4. d. 21. q. 1. n. 7.* ponit unum modum: *Quòd nihil eſt aliud culpa venialis remiſſio, quàm ſolutio pœnæ temporalis debitæ pro ea.*

Non quidem per meram pœnæ ſolutionem,

Hunc tamen modum (qui à Nonnullis ei ſimpliciter adſcribitur) non approbat: *Quia Sancti videntur diſtinguere inter remiſſionem culpæ cujuſcumque & pœnæ, & maximè inter remiſſionem culpæ & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ*, ut ait *num. 8.* ſubdens ſecundùm modum, quòd ſcilicet *opera priùs facta poſſint eſſe à Deo relata* ſeu acceptata *ad remiſſionem venialis poſt mortem.* Nam (ut habet *n. 10.*) *iſta deletio venialium eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum*; quod proinde reſervatur uſque ad inſtans mortis, quo deſinit is eſſe viator, qui in via ſcilicet venialia non ſatis retractaverat. *Et hoc eſt rationabile*, ait *Scotus ſup.*

Sed per extrinſecam condonationem in inſtanti primo poſt hanc vitam,

Quare juxta hoc remitteretur veniale in primo inſtanti non vitæ independenter à particulari aliqua retractatione per extrinſecam condonationem, ad quam ſcilicet jus habet moriens in ſtatu gratiæ & meriti. Quòd ſi verò fingas caſum metaphyſicum, quo juſtus poſt baptiſmum moriatur carens omni merito, & tamen ſubjacens venialibus culpis, adhuc is vi gratiæ ſanctificantis & meritorum Chriſti idem condonationis jus habet: nam (ut utar verbis *S. Bonaventuræ 4. d. 21. p. 1. a. 2. q. 1. ad 1.*) *qui recedit in charitate, per illam meruit*, merito ſive proprio ſive Chriſti, ſeu jus habet, *etiam poſt hunc ſtatum ab his emundari quæ retardant præmium charitatis*; utpote jus habens ad ipſum præmiũ principale, quod alias adire nequit.

Veroſimiliter non neceſſariò interveniente cooperatione liberâ animæ ſeparatæ;

Quare non eſt tali neceſſaria cooperatio liberi arbitrii; cùm in iſto ſtatu nequeat ſe juvare, uti in via parvulus. *Nam motum aliquem bonum, per quem tamquam per diſpoſitionem vel meritum de congruo vel de condigno deleatur veniale, ponere in anima poſt mortem, non videtur doctrina Theologica conſonum, quæ ponit ſtatum illum ab iſtis immunem*; inquit *Scotus ſup.* Cui quoad hoc ultimum expreſsè conſonat *S. Bonav. ſup. art. 1. q. 2. in corp.* & alibi. Quare ſecundus hic dicendi modus (in quem *Scotus* multùm propendet) ſatis facilis & ſolidus apparet. Manet equidem *Scotus* problematicus, dans facultatem, ut *quæratur alius modus*; *quem difficile eſt invenire*, inquit ipſe *ſup.* Ut proinde ſit *Scotiſtis* liberum hac in re ſentire quod libet.

Plures tamen retractationem (quæ indubiè non deficit) exigũt,

Itaque plures Recentiores cenſent neceſſariò intervenire retractationem. Quam quidem exiſtimant (eſtque omnino credibile) ſponte elici ab animabus juſtorum perfectiſſimam, mox à morte, ex conſideratione culparum, divinæque bonitatis tunc eis veraciter propoſitæ in judicio particulari; ſic ut à maculis purgatæ ad purgatorii locum ibidem à pœnis liberandæ deſcendant. 68.

Sive tamquam formam deletivam macularum,

Exiſtimant autem Nonnulli hanc retractationem delere maculas veniales per modum cauſæ formalis ſeu formæ incompatibilis. At hujuſmodi incompatibilitas non ſatis apparet ex natura rei (in qua iſti Auctores illam fundant) uti nec in retractatione factâ per vires naturæ: de divina autem ordinatione non ſatis conſtat.

Sive tamquam ſatisfactionem condignam,

Alii verò exiſtimant ipſam per modum condignæ ſatisfactionis delere maculas veniales, relictò tamen reatu integræ pœnæ per ſatiſpaſſionem tollendæ, niſi per ſuffragia vivorum aut interceſſiones Sanctorum concedatur aliquod refrigerium. Verùm ſine ſolido fundamento & contra paſſim receptam regulam generalem ſtatuunt hi meritum ſeu ſatisfactionem condignam extra ſtatum viæ, quando nemo poteſt operari, ſive gloriam promovendo, ſive illius impedimenta (quæ ſunt reatus tum culparum venialium, tum pœnarum) removendo.

Sive tamquam nudã obicis ſublationem.

Alii denique cenſent retractationem iſtam habere ſe inſtar meræ conditionis ſine qua non, ſeu meræ ſublationis obicis retardantis condonationem Dei. Quod quidem minùs diſplicet, poſito præſertim quod omnis vera ratio meriti etiam congrui verè & non ſolùm nominetenus excludatur.

In præſenti vita diverſimodè delentur, intrà & extra Sacramenta.

In præſenti autem vita culpæ veniales multis remediis expiari poſſunt juxta *Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* Primò per Sacramentum Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & juxta plurimos etiam per reliqua. De quo in *Tract. de Sacramentis.* Secundò extra Sacramentum: quod qualiter fiat, hîc tractandum eſt. 69.

Non remittuntur permanenti in malo ſtatu,

In primis verò viator permanens in malo ſtatu juxta receptam ſatis doctrinam *D. Bonaventuræ 4. d. 21. p. 1. a. 1. q. 1.* obtinere nequit veniam culparum venialium; ſed neceſſe eſt, ut priùs vel ſimul ſit mundatus à mortalibus. Ad quod allegari ſolet

illud

illud 1. *ad Cor.* 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Allegat etiam *D. Bonaventura ſup.* quòd juxta *Auguſtinum* 21. *de Civit. c.*27. nec magna nec parva poſſint nobis dimitti, niſi nos dimiſerimus debitoribus noſtris; quod non eſt ob aliud, niſi quia dum homo non dimittit, eſt ſemper in peccato mortali: ac proinde quàm diu in illo manet, nullum etiam veniale poteſt homini dimitti. Nonnulli tamen putant poſſe peccatorem per modum diſpoſitionis ſeu meriti congrui impetrare per actus, qui ſufficerent in juſto, remiſſionem venialium, utì alia beneficia, tum temporalia tum ſpiritualia. Immò *Hiquæus in Comment. ad Scotum ſup. n.* 52. idem docet de remiſſione obtinenda etiam cum exhibitione condignæ ſatisfactionis. Quod multò difficilius eſt ob defectum ſtatûs gratiæ.

Etſi quidã contradicant.

70\. *Diſpoſitio ſufficiens extra Sacramenta eſt contritio charitate perfecta ad illa delenda, ad quæ ſe extenderit; Nõn enim ipſa ſemper ſe extendit ad venialia, præſertim omnia:*

Diſpoſitio porrò ſeu actus ſufficiens in juſto ad obtinendam remiſſionem venialium peccatorum, indubiè eſt contritio charitate perfecta, quæ ſicut ſufficienter diſponit ad remiſſionem mortaliũ, quotquot & quanta fuerint, ſic à fortiori ad remiſſionem venialium omnium ad quæ ſe extenderit ſive intrà, ſive extra Sacramentum. Dico, *ad quæ ſe extenderit*: nam fieri poteſt, ut contritio ſit perfecta charitate Dei appretiativè ſuper omnia lædẽtia amicitiam Dei, non tamen ſuper omnia quæ amicitiam Dei non lædunt: ſicut etiam interdum extendit ipſa ſe ad quædam venialia præſertim graviora, non tamen ad alia diverſi generis aut inæqualis gravitatis. Frequens tamen ſatis eſt, ut eliciatur contritio à Deum timentibus de omnibus offenſis Dei, ſine ulla exceptione, & potiſſimùm de venialibus etiam gravioribus, quæ præſertim fuerunt occaſio quãlam gravis lapsûs. Quòd ſi autem contritio nõ ſe ad omnia extendat, conſtat non remitti niſi illa ad quæ ſe extenderit.

Etſi oppoſitum non infrequens ſit.

71\. *Idem dicendum de dilectione perfecta, quæ ſit implicita retractatio culpæ venialis.*

Quod verò de contritione dictum eſt, etiam dicendum eſt quoad remiſſionem extra Sacramentum de dilectione Dei, quæ ſit virtualiter ſeu implicitè retractatio venialis peccati remittendi juxta *D. Thomam, D. Bonaventuram*, & alios paſſim contra Nonnullos, qui videntur requirere expreſſum dolorem. Ratio eſt: quia talis dilectio eſt ſufficiens retractatio peccati. Talis porrò cenſetur, quæ ita eſt fervida, ut ipsâ perſeverante vi illius diſpliceret veniale, ſi occurreret memoriæ, & moraliter loquendo moveret ad expreſſam de illo contritionem.

72\. *An ſola attritio in juſto ſufficiat, controverſia eſt.*

An autem ſola attritio in juſto ſufficiat extra Sacramentum, diſputatur. Negat *Petrus Soto, Vaſquez, Averſa* & alii. Sed valdè probabiliter affirmat *Durandus, Gabriel, Major, Joannes Medina, Henriquez, Suarez, Azorius*, quos refert & ſequitur *Dicaſtillo diſp.* 2. *de Pœnit. n.* 400. & alii paſſim. Eſt enim attritio opus juſti, ſupernaturale, peccati venialis retractativum, meritorium gloriæ, ſatisfactivum pro pœnis temporalibus: adeòque meritò cenſeri poteſt eſſe unum ex multis aliis, ſeu à Sacramento pœnitentiæ diſtinctis modis, quibus veniales culpæ juxta *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. expiari poſſunt; quæ aliàs extra Sacramentum non niſi per contritionem ſeu dilectionem perfectam poſſent expiari. Nec refert, quòd ſic numquam venialia remitterentur quoad culpam per Sacramentum pœnitentiæ ſeorſim à mortalibus; utpote quæ antecedenter per actum ſaltem attritionis forent deleta: nam ſufficit, ut per illud remittantur, quando ſunt ſimul cum mortalibus in merè attrito. Per accidens autem eſt, nec tollit veritatem formæ, quòd ſint in juſto quoad culpam remiſſa per attritionem ante ſuſceptionem Sacramenti; in quo poſſunt iteratò remitti, & quoad pœnam extingui. Deinde caſu quo immemor mortalis confiteretur ſola venialia cum attritione generali, remitterentur directè venialia per Sacramentum; etſi ſimul cum mortalibus indirectè ſaltem in eodem Sacramento remiſſis.

Negant Varii. Affirmant plures.

73\. *Media opinio aliquorum.*

Quod verò Cardinalis *Lugo* & Nonnulli alii cenſent per attritionem non ſemper remitti omnia ad quæ ſe extendit, uti per contritionem, ſed aliqua juxta regulam ordinationis divinæ, videtur incerta conjectura. Nam certè cum Sacramento ſufficeret attritio ad delendum omnia ad quæ ſe extendit; ergo etiam extra Sacramentum, ſi extra illud ſufficiat ad delendum aliqua: cùm ſit actus univerſaliter retractativus, nec ſit potior de his quàm de illis ratio; nec denique aliundè quidquam ſciatur, quanta debeat eſſe perfectio ſeu intenſio attritionis extra Sacramentum. Quamquam res maneat incerta defectu revelationis Dei; cujus judicii & æquitatis ſtatera nos alioquin latet.

74\. *An & quæ alia opera juſtorum ſufficiant ad remiſſionem culparum venialium.*

Præterea Auctores cenſentes ſufficere attritionem, cenſent conſequenter ſufficere alia bona ſeu meritoria opera juſti. Sic *Scotus ſup. D. Bonav. d.* 21. *p.* 1. *a.*1. *q.* 2. *Dicaſtillo ſup. n.* 416. *Suarez* & plurimi alii. Quod quidem admitti poteſt, cum hac ſaltem limitatione ordinariè additâ vel ſubintellectâ, ut actus juſti aliqualiter in ſe contineat retractationem præteritæ volitionis venialiter malæ: non enim cenſendum eſt, Deum hîc remittere culpas, niſi interveniat nõ ſolùm carentia actualis adhæſionis ſeu complacentiæ, ſed inſuper aliqua retractatio præteritæ & interpretativè manentis adhæſionis, per actum videlicet culpæ oppoſitum. Quia enim peccatum veniale aliquo modo voluntarium eſt, dignum eſt, ut hîc numquam deleatur, niſi voluntas deteſtetur, ut rectè *D. Bonaventura ſup. ad* 4. intellige, ſive expreſsè, ſive

ſive virtualiter & implicitè, ut clarè patet ex *corp.* & *ad* 1. & 3. Talis eſt deſiderium ſerium Deo perfectè placendi, vel omne Deo diſplicens removendi, petitio veniæ &c. Et ſecundùm hoc intelligitur, quod *Aug. Enchirid. c.* 71. & *Ep.* 108. dixit, venialia remitti per orationem Dominicam. Neque enim excluſit pœnitentiam ſaltem virtualem: cùm *Ep. cit.* dicat: *Cùm dicimus dimitte nobis, manifeſtamus habere nos quod nobis dimittatur, atque in iis verbis humiliantes animas noſtras quotidianam agere pœnitentiam non ceſſamus.* Immo probabile cenſet *Suarez*, *Dicaſtillo ſup.* ex *Scoto* 4. *d.* 21. *q.* 1. quemlibet actum meritorium ſufficere, dummodo ab operante referatur ad effectum obtinendi veniam peccati venialis: eo ipſo enim videtur adeſſe virtualis diſplicentia inexiſtentię venialis culpæ, & voluntas eam arcendi. Loquitur autem *Scotus ſup.* de actu bono plùs placente Deo, quàm diſplicuerit veniale. Quod Variis videtur ſubeſſe in actu meritorio æternæ gloriæ. Et hâc ratione ſeu viâ clariùs elucet, quàm verè *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. præmiſſo quòd in Confeſſione venialia utiliter, non tamen neceſſariò exprimantur, addiderit: *Multis aliis remediis expiari poſſunt.* Quibus etiam accenſeri poſſent nonnulla opera externa ſeu ceremoniæ, quæ dicuntur Sacramentalia, v. g. uſus aquæ benedictæ, Confeſſio generalis in principio Miſſæ & Horis &c. his enim quoque vis quædam ſpecialis tribuitur ad venialia dimittenda; idque indubiè ratione pii motûs ſeu deteſtationis, quæ jungitur aut impetratur. Sed an (quod Nonnulli volunt) etiam valeant ex opere operato, opportunè tractabitur in materia de Sacramentis in communi.

Quid cenſendum de Sacramentalibus, remiſſivè.

75\. *Gratia ſanctificans non eſt formaliter remiſſiva peccatorum venialium,*

Per quid denique formaliter remittantur venialia peccata, eſt pariter controverſum inter Doctores. Aliqui enim (quibus favent *D. Thomas* & *D. Bonaventura*) cenſent ea remitti per gratiam ſanctificantem. Quod tamen difficile eſt ob hoc, quòd gratia quantumvis intenſa non repugnet peccatis venialibus quibuſcumque, etiam actualibus. Quàmvis remiſſionem illorum ſemper comitetur in hac vita novæ gratiæ infuſio; dum tamen duo ſupponantur, ſcilicet quòd non remittantur hîc niſi homo ſit aut ſimul fiat juſtus; quòdque gratia reſpondens meritis quibuſvis, etiam remiſſis, detur ſtatim: his enim ſuppoſitis, non remittitur veniale, niſi per Sacramenta aut actum meritorium, quibus infallibiliter conjuncta eſt gratiæ infuſio.

Etſi horum remiſſionem concomitetur in hac vita nova gratiæ infuſio.

76\. *Neque etiã retractatio eorumdem eſt formaliter remiſſiva,*

Varii Recentiores cenſent remitti per actum v. g. contritionis velut cauſam formalem, ſicut mortale per gratiam. Juxta quod conſequenter dicendum foret, ſi talis actus ponatur in anima etiam independenter à libertate operantis, eo ipſo fugandas maculas veniales: ſicut poſitâ gratiâ fugantur maculæ mortales. Verùm id non habet talis actus ex natura ſua; ex qua opponitur quidem actuali veniali, quod deteſtatur (cui etiam opponitur deteſtatio viribus naturæ concepta) non tamen habituali: non conſtat autem de divina ordinatione.

77\. *Sed potiùs condigna ſatisfactio ex divina acceptatione,*

Alii cenſent deleri per actum liberum & meritorium v. g. contritionis tamquam per meram, ſed condignam ſatisfactionem: cùm enim macula peccati maneat, donec vel exhibeatur condigna ſatisfactio pro offenſa ſeu injuria, vel liberaliter condonetur, cenſent hi Auctores contritionem deſtruere peccatum priori modo. Quòd ſi objiciatur, id repugnare gratuitæ venialium remiſſioni, omnino aſſerendæ; quã proinde inſtar beneficii à Deo petimus & impetramus; Reſpondent venialia equidem remitti gratìs, quatenus ex gratiæ auxilio provenit actus ſatisfactivus, adeòque petimus ea dimitti, quatenus petimus gratiam ad ſatisfaciendum ſeu dolendum. Adde etiam gratìs remitti, quatenus gratuitò Deus acceptat ſeu ſtatuit acceptare talem actum inſtar ejuſmodi ſatisfactionis: quẽ ſanè aliis titulis exigere, & ad id non acceptare potuiſſet. Hæc ſententia non diſplicet, ſuppoſito quòd condignè ſatisfacere poſſimus pro culpis venialibus. De quo *diſp.* 6. *q.* 4. *n.* 70. agetur.

Aut ſanè eſt diſpoſitio congrua ad condonationem Dei extrinſecam.

Alii denique cenſent prævià retractatione tamquam congruâ diſpoſitione remitti veniale per extrinſecam Dei condonationem; ſic ut hæc ipſa ſuppoſitis etiam ceteris ſit ſpeciale & novum Dei beneficium, ſicut condonatio mortalium poſitâ contritione. Hæc Sententia eſt probabilis & tenenda, ſi & quando remiſſio fiat ſine condigna ſatisfactione, quæ an exhiberi poſſit, dicetur infrà *loco cit.*

DISPUTATIO SEXTA.

De Merito bonorum Operum.

1\. *Meritum generaliter quid.*

MERITUM generaliter eſt conditio conſequens actum liberum (ſubintellige omiſſionem) quatenus eſt proportionatus alicui retributioni. Quo ſenſu etiam comprehendit meritum mali operis, quod uſitatiùs demeritum vocatur. De quo *Job* 6. dicitur: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui.* Et de hoc etiam agit *S. Auguſtinus lib. De libero arb. & gratiâ c.* 5. & 6. & alibi.

Commu-

Meritum boni operis quid. Communiter autem, & ad ſenſum præſentis loci, ſumitur pro merito boni operis quoad præmium ſupernaturale. Eſtque obſequium Deo præſtitum, natum movere Deum ad retributionem præmii ſupernaturalis. Eſt autem duplex, de condigno videlicet, & de congruo: *Aliud eſt de condigno, aliud de congruo.* quorum illud perfecti, hoc imperfecti meriti rationem participat. Nam merito condigno ob excellentiam operis pacto ſeu promiſſione accedente, debetur per ſe loquendo merces ex obligatione juſtitiæ, quando ſcilicet præmiator talis obligationis eſt capax: at merito congruo non eſt ita merces ex rigore debita, ſed conceditur ex quadam decentia & liberalitate, quàmvis non ſine intuitu operis: ideoque non ſemper infallibiliter recipimus, quod de congruo meremur. Unde nec repugnat gratiæ, uti meritum condignum: cùm id quod merito congruo redditur adhuc ſimpliciter gratis detur.

QUÆSTIO I.

De Requiſitis ad Meritum condignum ex parte operantis.

2. *Ad meritū condignum requiritur in operante ſtatus gratia.* DICO I. Ad Meritum de condigno requiritur in operante ſtatus gratiæ. Eſt certa & communis omnium Scholaſticorum.

Quod probatur ex Scriptura, Probatur I. ex Scriptura *Gen.* 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Ubi (ut explicat *S. Gregorius, Scotus* & reliqui) indicatur Deum priùs reſpicere ad conditionem offerentis, quàm oblationis: ita ut ſi offerens ſit ingratus, ejus opera Deus non habeat accepta ad mercedem. *Ezech.* 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem .... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*; & conſequenter nec recordabuntur juſtitiæ, quas fecerat exiſtens in peccato. *Joan.* 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis*, ſcilicet per gratiam & charitatem. Itaque Chriſtus eſt vitis fecunda & fructifera, Juſti per gratiam inſerti ſunt palmites. Sicut itaque palmes nequit ferre fructum, niſi in vite ſit, & humorem ac ſuccum ab ea trahat: ſic nec juſtus, niſi Chriſto inſertus maneat per charitatem, & ab eo divinæ gratiæ ſuccum & humorem trahat. Atque ita verificatur illud Chriſti *Joan.* 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Concilio Tridentino, Probatur II. ex *Tridentino*, quod quotieſcumque agit de Merito, ſemper præſupponit ſtatum gratiæ eſſe neceſſarium; ut frequenter *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. quod ideo inſcribit, *De fructu Juſtificationis, hoc eſt, De Merito bonorum operum*; apertè inſinuans meritum eſſe proprium Juſtificationis fructum. Quare nec de alio merito condigno tractat, quàm juſtorum. Idem ſupponit *can.* 32. Et *cap.* 8. docuerat, nec fidem, nec opera, quæ juſtificationis gratiam præcedunt, eamdem mereri; utique quia in merito præſupponi debet juſtitia operantis.

Probatur III. ex tribus Pontificibus, qui damnarunt oppoſitam ſententiam, quam docuerat *Baius Artic.* 12. 13. 15. & 17. Et quod mirandum eſt, dicit hic Auctor *art.* 17. *ſentire cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum*; cùm tamen gratiam ad meritum ſupernaturale requirere, ſit potiùs à *Pelagio* recedere, qui neceſſitatem gratiæ non augebat ſed minuebat. Sanè non ſatis advertit horum articulorum Aſſertor, quantum momenti adferat ſtatus amicitiæ & filiationis Dei ad moralem operis valorem apud amicum & Patrem munificentiſſimum. Qui conſequenter *art.* 19. ad opera Unigeniti Filii Dei procedens aſſerit: *Opera juſtitiæ & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt majorem valorem.* 3. *Determinatione Pontificum,*

Probatur denique ratione: quia peccatum ſuperveniens infallibiliter omnia merita mortificat; ergo multò magis nova impedit: non enim mortificat priora, niſi quia ſtatus meriti non compatitur ſtatum peccatoris. Deinde gloria æterna debet conferri tamquã hereditas juxta *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 16. ergo meritum illius condignum exigit titulum filii, ſaltem adoptivi; præſertim cùm abſque hoc homo ſit Dei inimicus, pœnâ æternâ & privatione hereditatis dignus, quàm diu peccator manet. *Et ratione Theologicâ.*

Nec refert, quòd Scriptura promittat mercedem bene operantibus, adeòque legi obedientibus, interdum non factâ mentione ſtatûs gratiæ: nam hunc ſaltem nullibi excludit, ſed aliundè ſupponit: neque enim utrobique debent exprimi omnes Meriti conditiones. 4. *Occurritur objectioni ex Scriptura petitæ.*

Non refert etiam, quòd *Auguſtinus lib. De natura & gratia cap.* 2. dicat: *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata; ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem perficiendamq; juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura*, hoc eſt, de vita æterna, etiamſi in aliqua Gente, aut in aliquo ſuperiori tempore fides eam latuit ſanguinis Chriſti. Nam ſolùm vult *Auguſtinus* ſequi, quòd gratia Chriſti non ſit neceſſaria, adeòque quòd Chriſtus ſit gratis mortuus, ſi abſque illius fide & gratiâ homo ſibi ſufficeret ad totam legem obſervandam, & conſequenter poſſet fieri juſtus & ſalvus; cùm ad juſtitiam proximè, & ad ſalutem mediatè totius legis diſponat impletio. Quàmvis etiam in iſta hypotheſi falſâ, & *Explicatur locus Auguſtini.*

Qui apertè juſtitiæ ſtatum in merente requirit;

ſâ, & ab ipſo *Auguſtino* impugnatâ, ſupponat S. Doctor tales homines fore juſtos; dicit enim: *non enim injuſtus Deus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ.* Eamdem abſolutè requiri docet *Epiſt.* 46. dicens: *Miſericordia Dei prævenit, ut juſtificetur impius, & incipiat habere meritum bonum. Epiſt.* 105. *Nulla ne igitur ſunt merita juſtorum? Sunt planè: quia juſti ſunt; ſed ut juſti fierent, merita non fuerunt.* Et *lib. De fide & operibus cap.* 14. *Sequuntur bona opera hominem juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.*

An ſtatus gratiæ requiratur de abſoluta potentia ad meritum condignum.

5. Nota hanc conditionem ad Meritum de condigno ſolùm requiri de potentia ordinata juxta *Scotum* 1. *diſt.* 17. *q.* 3. *n.* 29. & alios contra plures non ſolùm quia abſolutè loquendo ſine gratia habituali potuiſſet amicitia & filiatio divina conſiſtere: verùm etiam quia hâc ſeclusâ, & ſuppoſitis ceteris conditionibus operis, videtur illud potuiſſe à Deo acceptari tamquam meritum condignum præmio: nam de facto quoque opus juſti non ita ex natura ſua de condigno meretur, quin debeat acceptatio divina accedere, etiam ut condignũ præmio reddatur, juxta infrà dicenda. Faciliùs autem id appareret in opere exercito, non quidem à filio Dei adoptivo, ſed nec à poſitivè inimico, verùm à conſtituto velut in ſtatu medio; qui tamen de facto non datur. Fatendum equidem eſt, ex conditione filiationis & amicitiæ Dei opus juſti plurimum augmẽti in dignitate ſortiri; cùm ampliùs valeat opus amici, & præſertim filii, cui debetur hereditas.

Requiritur inſuper ad meritum condignum ſtatus viatoris;

6. Dico II. Ad Meritum requiritur in operante ſtatus viatoris. Ita cum *D. Thoma & Scoto* docent unanimiter Theologi. Et colligitur ex Scriptura *Joan.* 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, ſcilicet meritoriè. 1. *ad Cor.* 7. *Tempus breve eſt. Ad Gal.* 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum. Eccle.* 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quem locum ad propoſitum explicat *Hieronymus*. Apoſtolus quoque 2. *ad Cor.* 5. docet mercedem dandam juxta ea quæ geſta fuerint in corpore, id eſt, eo tempore quo in corpore fuit: quia videlicet in iis ſolis locum habet meritum, ut exponit *Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctorũ cap.* 12. Idem habet communis ſenſus Patrum & Fidelium. Sufficiat illud *Proſperi Sentent.* 172. *Fruſtrà ſibi homo poſt hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit.*

Non quidem ex natura rei,

7. Ratio hujus rei non poteſt referri in conditionem operum, quæ faciunt juſti in cælo vel in purgatorio: quia ſunt libera & noſtris perfectiora: neque etiam in conditionem perſonæ; cùm ſint filii Dei: neque in ipſum ſtatum: quia etſi beati ſint præmiũ aſſecuti, quid abſolutè & ex natura rei vetat eos mereri præmii augmentum? Certè id animabus in purgatorio obſtare non poſſet; utpote quæ necdum præmium obtinuerunt. Nec obſtitit meritis Chriſti perfectiſſimis, qui ab inſtanti conceptionis perfectiſſimè Deum vidit, eoq; fruitus eſt.

Sed ex congrua Dei ordinatione.

Itaque ratio referenda eſt cum Doctoribus communiter contra *Vaſquez* in congruam Dei ordinationem, quâ ſicut homines ad ſtatum & finem ſupernaturalem evexit, voluitque illos hunc obtinere per modum decertantium aut in ſtadio currentium (ob quod vita mortalis in Scriptura militiæ & agoni comparatur) ita etiam tẽpus certaminis ac curſûs limitavit, poſt quod non ſit amplius locus certamini vel curſui, ſed remunerationi. Unde nec Chriſtus ipſe quidquam eſt meritus extra ſtatũ viæ, poſt curſum vitæ mortalis conſũmatum: eò uſque enim fuerat corpore viator, etſi jam dudum ſecundùm animam comprehenſor. Quàmvis etiã durante vitâ mortali necdum eſſet conſummatè comprehenſor ſecundùm animam; nempe (ut *Scotus* 3. *diſt.* 18. *n.* 16.) *ſecundùm affectionem commodi*: eò quòd non tantùm in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in rationali patiebatur veram triſtitiam & dolorem.

Ex qua ipſius Chriſti merita fuerunt finita cum ſtatu viæ.

Unde animæ in limbo Patrum nil fuerunt meritæ.

Neque etiã de facto merentur Henoch & Elias:

8. Ex his ſequitur I. Animas veterum Patrum in limbo nihil meruiſſe: quia erant extra ſtatum pugnæ & demeriti; ergo ſimiliter extra ſtatum meriti. Idem longè probabilius eſt de Henoch & Elia: quia etſi adhuc degant in mortali corpore, in eo tamen non vivunt communi & mortali cõditione, nec modò ſunt in agone & certamine; ideòque non poſſunt demereri: ergo nec bene agendo mereri poſſunt, quouſque circa tempus Antichriſti ad priorem viatoris & vitæ ſtatum redeant, per bona opera adhuc plurimum merituri: non enim repugnat ſtatum viatoris & merendi interpolari; quod etiam contingit in iis, qui à morte reſuſcitati ad vitam mortalem redeunt. Alioquin ſanè hi duo Sancti viri incredibile nimis, & incomparabiliter omnium aliorum Sanctorum merita excedens ſibi conquirerent meritorum pondus per actus præſertim amoris continuos, tempore millium annorum, quo vixerunt in ſtatu pluſquam humano, Elia quidem diutiùs Henoch; & in quo uſque ad tempora Antichriſti perſeverabunt.

Similiter damnati non demerentur per actus malos,

9. Sequitur II. Damnatos in inferno, etſi continuò peccent, non demereri damnationis augmentum: quia etiam ſtatus demerendi pariter cum ſtatu viatoris concluditur. Nam (ut ait *Auguſtinus ad* 2. *quæſt. Dulcitii*) *hîc omne meritum comparatur, quo poſt hanc vitam poſſit relevari quiſpiam vel gravari.* Et alioquin ob moralem rectè agendi impoſſibilitatem pœna eorum continuò deberet creſcere in æternùm.

Neque animæ in purgatorio

Sequitur III. Animas in purgatorio per

gatorio merentur per actus bonos.

actus bonos non ſatisfacere pro pœna, ſed per phyſicam pœnarum tolerantiam ſatiſpati, juxta Doctores communiter. Quòd ſi moriantur aliqui quibuſdam venialibus necdum remiſſis, remittuntur ea poſtmodū à Deo ob merita vitæ præcedentis vel ipſius Chriſti, contritione tamen tunc eliciendâ juxta multos concurrente per modum ſaltem puræ diſpoſitionis. De quo *diſp. præc. q. ult.* actum eſt.

10\. *Neque Angeli ſancti per ſua miniſteria;*

Sequitur IV. Etiam Angelos poſt abſolutam viam & obtentam beatitudinem nihil fuiſſe meritos; ut de præmio eſſentiali aut illius augmento ſatis certum eſt: de præmio autem accidentali eſt communis & probabilior opinio ob generalem locutionem Scripturæ; cujus dicta de hominibus, ſunt etiam cum proportione intelligenda de Angelis.

Creſcit tamen citra novum meritum beatitudo eorum accidentalis.

Nec obſtat, quòd Angeli creſcant in beatitudine accidentali, præſertim uſque ad diem judicii, v.g. recipiendo varias revelationes, gaudendo de pœnitentia peccatoris, vel de profectu eorum quos cuſtodiunt; ſicut dæmones de his triſtantur. Nam ſimilia in primis habent locum etiam in hominibus beatis. In utriſque autem illa non fundantur in novo merito, ſed in antiquis; hiſque ſuppoſitis conſequuntur ſtatum beatitudinis, ſicut fructus ejuſdem. Quemadmodum etiam gaudium de ſocietate novi Beati, facultas interpellandi pro nobis, & beneficia à Deo nobis impetrandi. Sicut denique communi ſententiâ animæ beatæ per reſurrectionem recipient corpora, eaque glorioſa, abſque novo merito, ſed ratione antiquorum.

11\. *Sancti orãdo pro nobis non merentur propriè.*

Non etiam obſtat prædictis, quòd Angeli & animæ ſanctæ in cælo pro nobis orent & beneficia impetrent, adeòque videatur meritum congruum in iis habere locum: hæc enim impetratio non eſt meritum, neque in aliquo novo merito fundatur, ſed in liberalitate Dei largientis ob petitionem amicorum & filiorum ſuorum, non autem ratione alicujus obſequii denuò præſtiti; quàmvis merita vitæ præcedentis objectivè Deum movere poſſent, ut præſentes Sanctorum petitiones exaudiat. Alioquin Chriſti oratio, quâ etiamnum interpellat pro nobis, ſi foret meritoria, utique eſſet talis de condigno.

An Chriſtus & Martyres ſint meriti per ipſam mortem.

Denique non obſtat, quòd Chriſtus & Martyres fuerint meriti, non tantùm per mortis acceptationem & tolerantiam eorum, quæ phyſicum mortis inſtans præcedunt, ſed etiam per ipſam mortem. Nam id falſum eſt, ſi inſtans mortis ſit terminus vitæ extrinſecus. Si autem ſit intrinſecus (de quo diſputant Philoſophi) nil ſequitur contra nos. Addo tamen, etiam hoc conceſſo, Martyres non mereri, ſi pro tunc ſint extra uſum rationis defectu libertatis.

QUÆSTIO II.

De Requiſitis ad Meritum condignum ex parte operis.

DICO I. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit libertas à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate. Eſt de fide; ut patet ex Bulla *Innocentii X.* contra *Janſenium*, qui etſi hanc conditionem requiſiverit ad meritum in ſtatu naturæ integræ, putavit tamen nō requiri in ſtatu naturæ lapſæ. Unde hæc eſt ejus propoſitio condemnata tamquam hæretica: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate: ſed ſufficit libertas à coactione.* Concluſionem etiam docent omnes Doctores, teſte *Maldero q. 114. a. 2. dub. 5.* quàmvis *Janſenius* in ſuum errorem trahere Scholaſticos antiquos ſtuduerit; ſed non rectè, ut fusè Varii oſtenderunt ex clariſſimis eorumdem Scholaſticorum teſtimoniis. Immo hanc conditionem requiri de abſoluta potentia cenſent communiter Doctores, etſi pauci *Nominales* referantur in contrarium à Nonnullis. 12. *Requiritur ad merendum libertas indifferentiæ, juxta fidem Catholicam declaratam ab Innocentio X.*

Probatur Concluſio I. ex Scriptura *Eccli 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino. 1. ad Cor. 9. Si volens hoc ago, mercedem habeo.* Et pluribus aliis locis: ex quibus *Tract. de Actibus humanis* ſtabilita eſt contra Hæreticos libertas arbitrii; intellige à neceſſitate; nam libertatem à coactione neque ipſi negant. 13. *Contentam in Scriptura.*

Probatur II. ex Patribus. *Juſtinus Martyr in Apologia contra Gentes circa med.* ait: *Nec quidquam horum laude dignum eſſet, niſi homines in utramque partem vertere & quaſi flectere ſe poſſent. Irenæus lib. 4. cap. 71. Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient: quia operati ſunt bonum, cùm poſſent non operari illud. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum. Ubi neceſſitas, nec corona, nec damnatio eſt.* Ipſe quoque *Auguſtinus lib. 2. de lib. arbitr. cap. 1.* ex juſtitia ad præmium & pœnam neceſſariâ infert: *Non enim aut peccatum eſſet aut rectè factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pœna injuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam.* Intellige, à neceſſitate: agit enim ibi contra *Manichæos* de ipſo quoque peccato originis, quod plenam indifferentiæ libertatem requirebat etiam ex Confeſſione Adverſariorum. Et *l. 3. c. 1.* ait: *Motus quò huc atque illud voluntas vertitur, niſi eſſet voluntarius atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet cùm ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem volunta-* 14. *Et traditam à Patribus unanimiter.*

voluntatis. Et *l. de gratia & lib arbit. c. 2. Ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret.* Denique (ut plurimos alios omittam) eleganter *Bernardus Serm.* 81. in Cantica ait: *Unde liberum arbitrium nominatur, quòd liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis: omne etenim quod feceris bonum malumve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò tibi ad meritum deputatur. Et ut meritò laudatur non is tantùm, qui potuit facere mala & nō fecit, ſed & qui potuit non facere bona & fecit; ita malo non caret merito, tam is qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona & non fecit. Ubi autem, non eſt libertas, nec meritum.*

15. *Ratio ſumitur ex eo quòd ſimilis libertas requiratur ad demerendum,*

Probatur III. Quia ad demeritum requiritur libertas, eaque à neceſſitate; ergo etiam ad meritum: tum à paritate rationis: tum quia Patres ſimilem ad utrumque libertatem requirunt; ut patet apud *Auguſtinum l. 2. De lib. arbit. c. 1.* Et *l. 3. c. 1.* Et *diſp. 1. contra Fortunatum.* Et *l. 83. qq. q. 24.* & alibi.

Quòdq; noſtrum ſeu noſtri dominii ſit quo meremur.

Probatur IV. Quia ad Meritum requiritur, ut id quo meremur noſtrum ſit, & in noſtra poſitum poteſtate ac dominio, ut ita à nobis dari poſſit quaſi pretium pro præmio; juxta illud *Hilarii Can. 6. in Matt. De noſtro eſt beata æternitas promerēda, præſtandumq; eſt aliquid ex proprio.* Ergo ad meritum requiritur libertas, eaque à neceſſitate: nam ſine illa actus non eſt in dominio & poteſtate noſtra: ut enim *Auguſtinus lib. de Spirit. & litt. c. 31.* ait: *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.*

16. *Neceſſitans gratia & fatalis Stoicorum, aut naturalis Manichæorum neceſſitas pari paſſu obviant merito.*

Probatur V. Quia ſi voluntate quidem, ſed ex neceſſitate naturæ vel vi aſtrorum neceſſariò bene ageremus vel malè, non eſſet noſtrum vel noſtri dominii quod agimus, nec ideo laudandi vel vituperandi eſſemus, ut contra *Manichæos* & quoſdam veteres Philoſophos docent ſancti Patres, nec diffitentur ipſi Adverſarii: ergo ad meritum requiritur libertas à neceſſitate; nec ſufficit à coactione, etiam illa, quæ oritur ex neceſſitante gratia. Quandoquidem hâc præventus ſponte quidem & voluntariè, ſed neceſſariò bene ageret, ac neceſſitas ex aliis capitibus oriunda perfectam voluntarii rationem æqualiter relinqueret. Confirmatur: quia ſi opus non potuit aliter exerceri, nec aliquo modo vitari, ratio dictat, non eſſe propter opus præſtitum, illiuſve modum referendas gratias. Denique irrationabilis eſſet lex quæ neceſſitati præmium pœnamve proponeret.

17. *Conditio libertatis eſt eſſentialiter ſeu de abſoluta etiam potentiâ requiſita.*

Ex dictis ſatis colligitur libertatem à neceſſitate ad meritum requiri omnino neceſſariò & de abſoluta potentia: nam Patres illius neceſſitatem non adſtruunt ex aliqua poſitiva ordinatione Dei, ſed ex natura rei, utì etiam in demerito; ad quod tamen prædicta libertas eſt planè neceſſaria. Deinde nemo eſt laudandus vel vituperandus propter aliquid, quod facere & omittere non erat in poteſtate ſua: meritum autem debet eſſe opus laude morali dignum, utì demeritum debet eſſe dignum vituperio. Denique quia ad meritum requiritur eſſentialiter datum & acceptum, ut ita ſervetur forma quædam juſtitiæ cōmutativæ: nihil autē Deo dare poſſumus, pro quo præmium accipiamus, niſi moraliter ſit noſtrum ac noſtri dominii, quale non eſt, quod liberè non ponimus. Unde *Auguſtinus* libertatem ad meritum requiri probat ex eo, quòd alioquin locum non haberet juſtitia, quæ ad præmium vel pœnam reddendam eſt neceſſaria.

18. *Sine libertate non eſt bonitas præmio digna.*

Nec obſtat quòd ſine libertate poſſit actus eſſe bonus & ſupernaturalis; ut patet in amore beatifico, juxta communem Doctorum ſententiam, de quo alibi. Non obſtat, inquam: nam ad meritum inſuper requiritur, ut actus habeat libertatem indifferentiæ, ſine qua non poteſt eſſe bonus moraliter, nec laude vel præmio dignus.

Quæ proinde meritis Chriſti non defuit.

Non obſtat etiam, quòd Chriſtus meruerit, qui erat impeccabilis, adeòque tantùm liber à coactione, ſaltem in materia præcepta: nam ipſum etiam fuiſſe à neceſſitate liberum, ſufficienter ad merendum, oſtenditur ex profeſſo in *Tract. De Incarnat.*

19. *Opus meritorium debet etiam eſſe honeſtum:*

Dico II. Ad meritum de condigno requiritur, ut opus ſit honeſtum & ſupernaturale, quatenus ſaltem debet procedere ex gratia & imperio ſeu directione alicujus virtutis ſupernaturalis. Prima pars eſt cōmunis, & ſupponitur clarè à *Trid. ſeſſ. 6. cap. 16.* Probatur: quia ſolis bonis operibus debetur remuneratio, utì ſolis malis punitio. Deinde apud Deum nihil eſt laude, adeòque nec præmio dignum, niſi bonum. Denique opus meritorium debet fieri in obſequium alterius, à quo expectatur retributio.

20. *Sic ut per opera indifferentia & minùs per mala, etſi tantùm ex circumſtantia, non poſſimus mereri.*

Unde conſtat nos per opera indifferentia nihil mereri. Idem à fortiori eſt de actibus ſimpliciter malis, etſi ex objecto bonis, aut ex ſola circumſtantia vitiatis v. g. per eleēmoſynam aut orationem factam ob vanam gloriam: nam tales actus non ſunt honeſti aut Deo placiti, ſed ſunt ſimpliciter peccata & Deo diſplicent: adeòque non reputantur apud ipſum digni laude vel prēmio; ſed in eis verificatur dictum Chriſti *Matth. 6. Receperunt mercedem ſuam.* Aliud foret, ſi malitia non inficeret moralem bonitatem actûs, ſed merè concomitanter ſe haberet in actu diſtincto: cùm nihil obſtet quò minùs homo ſimul eliciat plures actus, quorum uno mereatur, altero demereatur, ſaltem venialiter. Et ſic aliquādo contingit, ut ſit interior volitio bona & me-

& meritoria, quâ quis vult laudare Deum ut ei placeat, etſi accedat poſtea vana quędam complacentia de iſto opere tamquam objecto, quod equidem fit propter ſanctum finem efficaciter intentum. Præterea ſi idem opus externum fiat vi unius actus interni ob finem ſanctum, & vi alterius actus interni ob finem venialiter malum, erit juxta probabilem multorum ſententiam, ſimul bonum & malum, adeòque meritorium & demeritorium. Quod tamen in re non eſt aliud, quàm duos adeſſe actus internos, qui invicem non afficiunt, & quorum unus ſit bonus ac meritorius, alter malus ſeu demeritorius: cùm totum meritum conſiſtat in actibus interioribus.

21. *An pura omiſſio poſſit eſſe meritoria.* Similiter juxta receptam Doctorum Sẽtentiam pura omiſſio non poteſt eſſe meritoria; eò quòd etſi poſſit eſſe peccaminoſa, non tamen formaliter bona & honeſta, utpote carens & fine & motivo formali honeſtatis, utique intendendo per actum poſitivum voluntatis. Quàmvis honeſtus eſſe queat actus imperans omiſſionem; quæ eo ipſo non eſt pura omiſſio. Multò minùs poteſt eſſe ſupernaturalis, & procedere ex gratia; quod requirit altera pars Concluſionis.

Sunt tamen Nonnulli Recentiores, & ex *Scotiſtis Herrera* & *Franciſcus Felix*, cenſentes puram omiſſionem poſſe eſſe bonam & meritoriam, adeòque ſupernaturalem. Putant itaque hi Auctores voluntatem dũ liberè omittit v.g. furtum, odium &c. habere objectum illam movens ad purè omittendum; quod ſi ſit honeſtum & ſupernaturale, verè omiſſio ſit honeſta & ſupernaturalis. Sed difficulter apparet in mera negatione hujuſmodi honeſtas & ſupernaturalitas. Ad quam hoc ipſo, nec aliter moveri videtur voluntas, quam quatenus non movetur ad actionem oppoſitam, ſic ut non moveri ad agendum, ſit moveri ad non agendum. Augetur difficultas ex eo, quòd voluntati aliquid omiſſuræ proponi per intellectum ſimul poſſint varia motiva partim bona ſive ſupernaturalia ſive naturalia, partim mala, partim indifferentia: quid igitur de ejuſmodi omiſſione cenſebitur? bonanè ſupernaturalis, naturalis, mala & indifferens erit? Quod autem objicitur, puram omiſſionem furti v.g. in graviter tentato ad furandum eſſe ex gratia, facilè ſolvitur dicendo, puram omiſſionem moraliter tunc eſſe impoſſibilem: neque enim graviter tentatus niſi poſitivè dimicet, reſiſtet. Adde gratiam non omnem dari ad actus in ſubſtantia ſupernaturales; qui ſoli ſunt meritorii.

22. *Opus meritorium debet eſſe ſupernaturale.* Secunda pars eſt communior Doctorum, contra aliquos exiſtimantes omnia opera moraliter bona hominis juſti eſſe meritoria augmenti gratiæ & gloriæ æternæ. Colligitur ex *Trid. ſeſſ. 6. c.*10. ubì requirit, ut fides cooperetur bonis operibus. Et *cap.* 16. omnino neceſſariam docet virtutem quam *Chriſtus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites jugiter influit.* Et *ibid.* requirit, ut opera meritoria ſint in Deo facta. Quod etiam expreſſit *can.* 26. Adeòque debent ſpecialiter in Deum referri; quod fit per virtutem infuſam. Et *eod. cap.* 16. ſupponit, merita juſtificati debere eſſe dona Dei. Quod etiam ſupponit *can.* 32. & inſuper, quòd debeant fieri per Dei gratiam.

Probatur ulteriùs: quia opus moraliter bonũ poteſt fieri etiam à peccatore, adeòq; potiùs à juſto, ſine adjutorio gratiæ; ſine quo tamen à nobis nihil poſſe fieri, quod ad ſalutem vitæ æternæ pertineat, expreſſerunt Concilia & Patres contra *Pelagium*. Eodemque ſenſu dicunt, opus quod non procedit ex fide aut dilectione, eſſe peccatum, id eſt, inutile ad vitam æternam. Sic *Auguſtinus Epiſt.* 143. & alibi.

Denique probatur: quia meritum eſt proxima diſpoſitio ad augmentum gratiæ, & ad ipſum præmium mediante gratiâ: ergo debet eſſe ſupernaturale: cùm diſpoſitio ſaltem proxima debeat eſſe ejuſdem ordinis, & habere proportionem cum forma ad quam diſponit. Nec refert, quòd ipſe operans ſit juſtus, & habeat charitatem: nam hæc conditio habet ſe materialiter & concomitanter ad opus moraliter bonum, ſicut ad indifferens; ac neutrum reddit altioris ordinis, nec facit eo ipſo referri in Deum tamquam remuneratorem ſupernaturalem, aut fieri in obſequium illius.

Dices I. Scriptura generaliter operibus bonis, etiam moralibus, promittit vitam æternam, *Matth.* 25. *Venite Benedicti ..... eſurivi enim & dediſtis mihi manducare &c.* Reſp. ibi ſubintelligendas eſſe conditiones requiſitas, quas Scriptura non debet ubique recenſere. Ideoque nec facit ibi mentionem ſtatus gratiæ; qui tamen citra controverſiã requiritur. Deinde agitur ibi de operibus miſericordiæ factis ex fide & propter Chriſtum; adeòque ex imperio ſaltem virtutis ſupernaturalis: ut patet ex contextu. Idem etiam cõſtat ex aliis Scripturæ locis. Unde hinc potiùs noſtra Concluſio firmatur. 23. *Scriptura adſcribens præmium operibus moralibus loquitur de factis ex fide & propter Deum.*

Dices II. Hinc ſequeretur pleroſq; Chriſtianos bona opera ſua perficere ſine merito; cùm ea rarò ſic referant: immo continua ejuſmodi relatio nõ videtur humanæ infirmitati ſatis conſentanea. Reſp. Chriſtianos juſtos & timoratos, etiã ſimplices, frequenter in ſuis actibus bonis reſpicere motivum aliquod ſublimius, ſaltẽ confusè & virtualiter; quod ſufficit. Neq; hoc eſt diſſentaneũ humanæ fragilitati adjutæ divinâ gratiâ, ſed inſuper eſt conſentaneũ ſublimitati præmii, Quòd ſi plures fragilitati ſuæ ſuccũbentes, defectu debitæ relationis magnam partem meritorum perdant, ſibi imputare debent: quemadmodum & illi, qui bene operari negligunt, & infiniti peccatores, qui defectu ſtatûs gratiæ ſunt meriti incapaces. 24. *Neque inde ſequitur juſtos pleraq; bona opera perficere ſine merito.*

Notanda

25. *Qualis relatio operis in Deum requiratur ad meritum ex doctrina S. Bonaventuræ.*

Notanda ſunt verba *D.Bonaventuræ 2.d.41.q.3.a.1.* dicentis: *Quòd ad hoc quòd aliqua actio ſit meritoria, nõ oportet quòd ſemper quis eam referat actualiter in Deum, ſed ſufficit relatio habitualis. Habitualem autem* (id eſt virtualem) *relationẽ voco, non quia habeat charitatem, per quam ſit habilis ad referendũ, ſed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa conſequenter ſe habet, intentionẽ habet ad Deum directam. Unde ſi aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo in prima marca, & in aliis non cogitat, nihilominus omnes dationes illæ ſunt ei meritoria, & fructuoſæ: ſi autem opus alterius generis inciperet, oporteret, quòd intentio renovaretur ad hoc, ut opus eſſet meritorium. Per hunc etiam modum intelligitur eſſe in viris Religioſis, qui in principio ex charitate devoverunt portare Religionis pondus: quidquid enim faciunt, quod ad ſuæ Religionis obſervantiam ſpectat, ex prima intentione eſt eis meritorium ad ſalutem, niſi fortè (quod abſit) contraria intentio ſuperveniat. In aliis autem, quæ ad Religionem non ſpectant, ſecùs eſt; quia illa intentio non ſe extendit ad alia habitualiter: & ideo non eſt parvæ ſecuritatis, & utilitatis Religionem intrare.* Et infrà: *Relationem habitualem* (id eſt virtualem) *voco, nõ quâ quis in generali refert ad Deum omnia opera diei, vel anni: ſed quâ quis refert aliquod opus ad Deum: ita quòd opus ſequens directam habet ad opus primum ordinationem, & conſequentiam: ſicut eſt in illo, qui dat centum marcas, vel intendit ire ad S. Jacobum: in aliis autem non habet locum.* Huc uſque ſunt verba *S. Bonaventuræ ſup.* Similiter *Scotus 2.d.41. q. un. n.3.* docet ſufficere relationem virtualem, eamque ſaltem requiri tradit *n.4.* Et *4.d.6. q.6. n.2.* allegat exemplum peregrinantis ad S. Jacobum, quem dicit ſemper mereri ratione piæ intentionis virtualiter ſaltem remanentis. Idem tradit *Bellarminus l.5. de Juſtificat. c.15.* & alii paſſim.

26. *Meritoria ſunt non ſolùm opera conſilii, ſed etiam præcepti.*

Dico III. Ad meritum non requiritur, ut ſit opus conſilii, ſed meremur etiam per opus præceptum. Eſt certum apud omnes. Quàmvis oppoſitũ docuiſſe referatur *Dionyſius Ciſtercienſis.* Colligitur ex *Trid. ſeſſ.6. c.16.* ubi inter opera meritoria expreſsè recenſet ea, per quæ divinæ legi ſatisfacimus. Scriptura quoque mercedẽ promittit operibus, quæ ſunt in præcepto, *Matth.5. Gaudete & exultate, quoniã merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Quæ promiſſio fit perſecutionẽ patientibus pro Chriſti nomine; & indubiè etiam refertur ad eos, qui ob circũſtantiam rerũ obligantur. Et *c.19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mãdata.* Et *c.25.* redditur merces operibus miſericordiæ, etiã præceptis; cùm ob illorum omiſſionem ceteri damnentur. Et *Lucæ 6.* dicitur: *Diligite inimicos veſtros* (quod eſt præceptum) *& erit merces veſtra multa.* Et alibi. Ratio eſt: quia præceptum non tollit libertatem vel honeſtatem actûs; & de cetero addit novam honeſtatem objectivam, ſcilicet obedientiæ formalis aut virtualis. Confirmatur: quia alioquin abſtinendum eſſet à vovendis operibus conſilii; cùm per votum fiant præcepta, & conſequenter non meritoria, ſi per opera præcepta nihil mereamur: conſequens autem eſt abſurdum & hæreticum.

27. *Opera moraliter bona fiunt meritoria per motivum ſeu imperium charitatis.*

Dico IV. Opera moraliter bona, immo etiam indifferentia fiunt meritoria vitæ æternæ, ſi fiant ex motivo charitatis, vel per imperium charitatis referãtur in finem ſupernaturalẽ. Probatur ex Scriptura *Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ.* Et *cap.10. Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti recipiet: & quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam.* Et *cap.25.* operibus miſericordiæ redditur merces: quia quod uni ex minimis iſtis factum eſt, teſtatur Chriſtus ſibi factum, eò quòd videlicet iſtis præſtitum fuerit in Chriſti nomine. Patet etiam clarè ex generali doctrina *Tridentini ſeſſ.6. cap.16. can.26. & 32.* de Merito bonorum operum: quæ doctrina ad minimum debet habere locũ, quando bona opera fiunt ex motivo aut imperio charitatis. Et ſingulariter *cap.16.* allegat Concilium illud Apoſtoli *1. ad Cor.15. Abundate in omni opere bono, ſciẽtes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Ratio eſt, quòd in caſu Concluſionis actus ille participet bonitatem motivi vel actûs imperantis; adeòque accipiet inde dignitatem ordinis ſupernaturalis, etſi alioquin in ſe foret improportionatus ad tantam mercedem.

28. Quæ jam diximus potiùs locum habent, quando actus, qui fit ex charitate, eſt alioquin etiam in ſe ſupernaturalis; ut per ſe eſt manifeſtum. Sed difficultas eſt, an ceteri actus ſupernaturales v.g. ſpei eliciti ab homine juſto, ſint per ſe meritorii augmenti gratiæ & gloriæ, etiam independenter ab imperio formali vel virtuali charitatis. Nam quòd requiratur, ut meritum procedat ex inclinatione ſaltem virtuali charitatis, videntur apertè ſupponere vel docere veteres Scholaſtici, *Alexander Alenſis, D. Bonaventura, D. Thomas* variis locis, *Scotus* variis locis, *Durandus, Gabriel* & alii, quos ſequũtur plurimi *Thomiſtæ* ac *Scotiſtæ*, item *Lorca, Henriquez, Bellarminus l.5. de Juſtific. c.16.* Ut ob horum proinde graviſſimam auctoritatem doctrina hæc non poſſit carerẽ maximâ probabilitate. Secundùm quam etiam aptè intelligi poſſent ea, quæ pro altera ſententia allegantur ex *Tridentino* infrà; quod utique noluit derogare communi velut ſententiæ Veterum, & quidẽ principum Theologorum. Non mirum quoque videri deberet ſpectatâ immenſitate præmii, quòd Deus hanc in merito perfectionem exegiſſet. Accedit, quòd *Auguſtinus* variis locis non leviter hanc doctrinam inſinuet; ut ſignanter *l. De Moribus Eccleſiæ c.15.* affirmãs,

Ad meritum requirunt veteres Scholaſtici, ut procedat ex charitate.

nihil omnino eſſe virtutem(intellige,meritoriam) *niſi ſummum amorem Dei*; per quem conſequēter virtutes etiam cardinales, deſcribit. Et ipſa Scriptura, exigens ut opera fiant in nomine Chriſti & propter Chriſtũ, congruè ſic accipi poſſet. Nihilominus

29. *Oppoſitum eſt valdè probabile.*

DICO V. Valde probabiliter actus aliarum virtutum ſupernaturalium in homine juſto ſunt per ſe meritorii. Ita plerique Recentiores, ſaltem extra ſcholam *Scoti* & *Thomiſtarum*. Probatur ex *Trid. ſup. cap.* 16. ubi plenam rationem meriti adſcribit operibus hominis juſti *quæ in Deo ſunt facta*: fiunt autem in Deo, dum fiunt ex motivo aliquo divino & ſupernaturali; quod latiùs patet, quàm charitatis. Idē exprimit *can.* 26. Et generaliter *can.* 32. definit juſtos mereri augmentum gratiæ & vitam æternam bonis operibus factis per Dei gratiam & Chriſti meritum; nec ullibi requirit, ut eliciantur vel imperentur à charitate.

Probatur II. Quia Scriptura nullibi ad meritum requirit motivum vel imperium charitatis, ſed ad ſummum, ut opera referantur in Deum, ſeu fiant in nomine Chriſti. Neque etiam aliundè conſtat id neceſſarium eſſe: cùm tamen vis merendi ſine urgenti fundamento adeò reſtringi non debeat, ubì plerique Chriſtiani etiam boni ordinariè in ſuis operibus ſupremum charitatis motivum non habent præfixum,ſed aliquod inferius, puta timoris vel ſpei. Accedit,hæc opera eſſe ejuſdem ordinis cum præmio, adeòque ſatìs commenſurata, accedente Dei promiſſione; in qua Deum defuiſſe gratìs diceretur.

30. *Conſtat habitum charitatis non ſolo actu charitatis augeri.*

Nec obſtat, quòd ſolus actus charitatis videatur poſſe augere habitum correſpondentem: nam ipſemet in primis auget tantùm illum moraliter & meritoriè. Nec ſolus; cùm ſic etiam augeant illum Sacramenta, & ad eumdem proximè diſponat attritio in Sacramento mortuorum: quid ni ergo eumdem augeat attritio vel ſimilis actus ſupernaturalis in homine juſto?

Quo ſenſu opera non proſint ſine charitate.

Non obſtat etiam, quòd Scriptura dicat, non prodeſſe opera, etiam fidem, ſine charitate; ſignanter 1. *ad Cor.* 13. Nam Scriptura ſolùm requirit charitatem habitualem ſeu ſtatum gratiæ, ſaltem in termino operum, ſic ut alioquin opera quantũvis præclara nobis prodeſſe non poſſint: poſito autem ſtatu gratiæ etiam prodeſſe cetera opera v. g. fidei &c. Apoſtolus ibidem à contrario ſenſu ſatis inſinuat.

31. Hinc patet non repugnare merito, quòd quis operetur intuitu mercedis & præmii: nam deſiderare Beatitudinem, quæ eſt tantum bonum, adeòque intuitu ejuſdem operari, eſt honeſtũ ſupernaturaliter. Quãvis non ſit tam perfectum; quàm operari ex pura charitate: in qua proinde vis merendi perfectiſſima reperitur, & ſic cum proportione ceteris virtutibus ſupernaturalibus ſuus ſit merendi locus. Unde etiam Salvator propoſito præmio nos ad bene operandum invitat. Et *ad Hebr.* 11. de Moyſe dicitur: *Aſpiciebat enim in remunerationem*: & David *Pſal.* 118. de ſe ait: *Inclinavi cor meum ad faciendũ Juſtificationes tuas in æternùm propter retributionem.*

DICO VI. Probabiliter ſunt etiam meritorii actus virtutum moralium imperati per virtutem aliquam ſupernaturalē à charitate diſtinctam, v. g. per ſpem: in fide enim, quæ ad intellectum pertinet, imperium non habet locum. Probatur Concluſio: quia ipſe actus virtutis ſupernaturalis eſt meritorius ſecundùm ſe juxta dicta *præc. Concluſ.* ergo etiam meritorius eſt actus ab illo imperatus: quemadmodum quia actus charitatis eſt ſecundùm ſe meritorius, etiam meritorius eſt actus ab illo imperatus. 32.

Actus virtutum moralium imperati à ſpe Theologica probabiliter ſunt meritorii.

DICO VII. Quantitas meriti non pendet ex ſola quantitate charitatis, ſed etiam ex bonitate alterius virtutis. Eſt contra *Thomiſtas*. Probatur: quia in primis actus reliquarum virtutum ſupernaturalium ſunt meritorii independenter ab imperio aut relatione charitatis. Deinde actus virtutum moralium ſunt meritorii, etſi tantùm imperentur à ſpe. Tertiò etiamſi imperium charitatis eſſet neceſſarium, illius tamen ſupernaturalitas afficit bonitatem actûs imperati, etſi per ſe inſufficientem, ſecundùm propriam ejus rationem & magnitudinem, ita ut ubi invenitur præſtantior & major, ibi quoque præſtantior & major ſit ratio meriti. 33.

Quantitas meriti non menſuratur ex ſola quãtitate charitatis, ſed etiam ex qualitate alterius virtutis.

Confirmatur: quia ſi ſoli charitati reſponderet quantitas meriti, evaneſceret quaſi ex toto meritum reliquorum bonorum operum: quæ tamen juxta Scripturam & *Tridentinum* ſunt meritoria vitæ æternæ, & augmenti gratiæ ac gloriæ.

Confirmatur II. Quia incredibile eſt, non plus mereri virginem ex eadem charitate ſervando caſtitatem, quàm conjugata mereatur exercendo actum conjugalem: nec ampliùs mereri martyrem ex eadem charitate ſubeundo martyrium, quàm mereatur alter dando potum aquæ frigidæ: nec magìs eum, qui facit actum heroicum virtutis, quàm qui ex eadem charitate facit actum indifferentem. Quæ clariora ſunt, dum actus charitatis eſt intentio imperans electionem operis virtuoſi, quæ proinde electio interna etiam habet motivum intrinſecum charitatis, etſi reſpiciat opus externum virtutis moralis tamquam objectum materiale.

DICO VIII. Ad meritum augmenti gratiæ & gloriæ non requiritur, ut actus ſit intenſior gratiâ præexiſtente, ſed ſufficit etiam actus æqualis aut remiſſior. Ita *Scotus* 4. *d.* 21. *q.* 1. *n.* 9. & *diſt. ſeq. n.* 9. & alii communiter hoc præſertim tempore contra *D. Thomam* 1. *d* 17. *q.* 2. *art.* 3. *D. Bonav.* 2. *d.* 40. *a.* 2. *q.* 3. & alios antiquiores Scholaſticos, quos ſequitur *Bannez*, & ex parte con- 34.

Actus etiã remiſſior gratiâ præexiſtente eſt meritorius augmenti gratiæ & gloriæ.

te contra *Durandum* 1. *d.* 17. *q.* 8. *n.*7. & 8. exiſtimantem per actus remiſſiores nos quidem mereri vitam æternam, ſed non augmentum charitatis ſeu gratiæ habitualis. Qui tamen valde inconſequenter procedit: cùm gloria neceſſariò proportionetur gratiæ, adeòque meritum augmenti gloriæ in juſto ſimiliter debeat proportionari merito augmenti gratiæ.

Colligitur ex Concilio Tridentino,

Probatur Concluſio ex *Trid. ſeſſ.6.c.*10. ubi illimitatè docet, bonis operibus correſpondere incrementũ gratiæ; quod proinde temerè limitatur ad opera intenſiora præexiſtente gratiâ: ſicut temerè de ſola cõtritione valdè inteſa explicaretur, quod *Trid. ſeſſ.*14.*c.*4. indefinitè de contritione docet, eam, ſi ſit charitate perfecta, reconciliare ante ſuſceptionem actualem Sacramenti. Deinde *ſeſſ.6.c.*16. ſine limitatione proponit vitam æternam tamquam mercedem bonis operibus; de quibus ex Apoſtolo dixerat: *Abundate in omni opere bono.* Et poſtea ſubjicit, *Nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe, quò minùs operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi ſatisfeciſſe, & vitam æternam verè promeruiſſe cenſeantur.* Deeſſet autem plerumque plurimùm, & quidem ceteris paribus eò faciliùs, quò operans eſt ſanctior & in gratia habituali provectior, ſi major requireretur operis intenſio, quàm gratiæ præexiſtentis. Et *can.*24. & 32. definit bonis operibus per Dei gratiam factis competere rationẽ meriti ad augendã, tum gratiam, tum gloriam, nullâ factâ mentione majoris intenſionis.

Faventq; Scriptura.

35. Huc etiam pertinent variæ Scripturæ. Nobis ſufficiat illud Apoſtoli 1. *ad Cor.* 3. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecũdùm ſuum laborem ...... Uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit: ſi cujus opus manſerit ..... mercedem accipiet:* atqui opus remiſſius manebit probatum; ergo accipiet mercedem, utique vitæ æternæ, quæ iſto nomine in Scriptura ſimpliciter intelligitur.

Probatur idem ratione Theologicâ.

36. Probatur Concluſio ratione Theologicâ: quia ſuſcipiens Sacramentum cum diſpoſitione quantumlibet remiſsâ, certò accipit gratiam Sacramenti, etſi gratia præexiſtens ſit maxima: ergo pariter actus remiſſior (qui etiam tantùm eſt moralis diſpoſitio, & non cauſa phyſica) poteſt augere meritoriè præexiſtentem gratiam intenſiorem. Secundò, ſi duo forent juſtificati per actũ intenſiſſimum, & unus illorum ſtatim moreretur, & alter diu vivens ſe continuò exerceret in actibus charitatis æquè aut minùs intenſis, quàm ſit gratia præexiſtens, hic nihil amplius fuiſſet meritus, eſſetque cum priori in gratia & gloria æqualis. Tertiò: quia alioquin habentes magnã gratiam habitualem raro aliquid mererentur, ſicut raro eliciunt actũ totã gratiâ præexiſtente intenſiorem. Quartò fieret, ut habens gratiam ad octo, mereretur, eliciendo actum inteſum ad novem; & tamen habens gratiam ad centum, nihil mereretur per actum intenſum ad nonaginta novem. Quæ omnia videntur abſurda. Accedit denique, quòd (ut rectè *Scotus* poſteriori loco) ſi quis haberet unicum meritum qualecumque, is beatificaretur, nõ præcisè in illo gradu, in quo parvulus nunc baptizatus: ergo in majori: adeòque ſimiliter quodcumq; meritum ſequens requirit proprium gradum gloriæ eſſentialis ſibi correſpondentem, & conſequenter gratiæ.

Quibus Concluſionis noſtræ fundamẽtis nullatenus ſatisfit per hoc, quòd opera remiſſa mererentur præmiũ ſeu gaudiũ accidentale, vel ſubſtantiale quidẽ, ſed non novum, at idem, ſed novo titulo: prout ea cõſiderãti facilè patebit. Eſt enim id planè gratìs aſſertum ad evadendum. Et fruſtrà. Nam fundamẽta oſtendunt intentũ de gratia nova, in qua per meritũ creſcimus juxta *Tridentinum*, adeòque de nova gloria, novoq; præmio ſubſtantiali. Adde, quòd alioquin opus verè careret mercede ſuâ: uti carerent operæ hodiernæ operarii, cui quis tentaret ſatisfacere per mercedem operis heſternis præſtitã ſeu promiſſam. Confirmatur ex eò, *Quòd* (ut ait *Trid. ſeſſ.6.c.*16.) *bonis operibus in ſacris litteris uſque adeò tribuatur, ut etiã qui uni ex minimis ſuis potũ aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus* (ſcilicet *Matth.*10.) *nõ eſſe ſuâ*, ſcilicet propriâ & ſpeciali, eâq; ſubſtantiali (de qua loquitur *Tridentinum*) *mercede cariturum*; quod tamen opus vile apparet & infimæ ſortis, neque exigit procedere ex charitate intenſiori quàm ſit habitus præexiſtens.

Nec obſtat, quòd in phyſicis forma re- 37.
Non refert, quòd in phyſicis cauſa univoca nõ intendat formam ſe intenſiorem.
miſſior non intendat aliam intenſiorem; ut patet in calore: eſto enim id verũ ſit in cauſis univocis, non tamẽ in æquivocis; ut proinde actus remiſſior probabiliùs intendere poſſit habitum naturalem etiã intenſiorem, ſicut habitus remiſſior cõcurrere poteſt ad actũ habitu intenſiorẽ. Et quàmvis in naturalibus id non foret verum: aliud tamẽ eſſet in ſupernaturalibus, in quibus actus non eſt cauſa phyſicè intendens habitum, ſed ſolùm moralis & meritoria ex divina voluntate diſpoſitio.

Sed reſtat dubium, utrùm augmentum 38.
An augmẽtum gratiæ reſpondens meritis remiſſis conferatur ſtatim.
gratiæ correſpondens actibus remiſſis detur ſtatim, an verò differatur uſque ad finem vitæ? Communis & verior Sententia *Gabrielis, Almaini, Corduba, Vaſquez* & aliorum eſt, augmentum gratiæ dari ſtatim: eò quòd non ſit ulla ſolida ratio illud differendi: maximè cùm augmentum gratiæ Sacramentalis ſtatim dari conſtet, quantumvis remiſſa fuerit diſpoſitio. Neque id eſt difforme *Scoto ſup.* ut notat *Cavellus in Scholio* ad locum poſteriorem *Scoti*, & *Hiquæus in Comment.n.*37. Nam *Scotus ſup.* id ex ſe non aſſerit, ſed gratiam ſaltem in termino dari cõtendit, permittens antiquorum ſentẽtiam oppoſitã quoad hoc quòd non detur ſtatim. Et loco priori ſolùm dicit id probabile: adeòque nõ improbat opinionem aſſerentem augmentum iſtud dari ſtatim; quæ jam eſt cõmunior. Non rectè verò dicunt quidam

43. *Secluſo pacto opera juſtorum eſſe adæquata præmio quoad valorem multi Recentiores putant.*

Sed inter Doctores communis Sententiæ eſt gravis controverſia, utrùm opera juſti ſint ex ſe commenſurata præmio æterno, etiam ſeclusâ promiſſione ſeu ordinatione Dei; ſicut labor diurnus operarii valet ex ſe ſtipendio diurno etiam citra pactum, quàmvis ex eo accedat obligatio (prout plures Recentiores cenſent) an verò condignitas ſeu valor eorum ſuppleri debeat per promiſſionem Dei taxantis tantum præmium, & acceptantis opera ad illud; prout cenſet *Scotus* 1.*d*.17. *q*.3. *n*.25.*& ſeq*. Et 3.*d*.19.*n*.7. & alibi, & *Scotiſta* communiter, paucis exceptis, qui *Scotum* in diverſum ſenſum trahere ſtudent. Pro qua ſententia *Felix c.9.de gratia, difficult.7.nu.*2. etiam allegat *Occam, Gregorium, Marſilium, Gabrielem, Caſtro, Vegà*. Eidem ſententiæ accedunt *Coninck, Ripalda* & alii, exiſtimantes merita noſtra etiam ut procedunt à gratia ex ſe non habere æqualitatẽ cum præmio, quin minori poſſent condignè compenſari: habere tamen proportionem quamdam, ut intuitu illorum attentâ liberalitate prǣmiantis & vi pacti tale præmium debeatur; exemplo præmii promiſſi viatoribus in certamine.

Sed oppoſitum putat Scotus & plures alii.

44. *Quod probatur ex Scriptura,*

Probatur I. Quia de operibus factis ex gratia & à filiis Dei, loquitur Apoſtolus *ad Rom*. 8. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis*. Et 2.*ad Cor*.4. *Momentaneum & leve tribulationis noſtra ſupra modum in ſublimitate aternum gloria pondus operatur in nobis*. Quod expendens *Auguſtinus in Pſal*.93. *longè poſt med*. ait: *Si verum vis judicare, aterna requies aterno labore rectè emitur; ſed noli timere, miſericors eſt Deus*. q.d. labor iſte brevis non eſſet condignum pretium, niſi divinâ miſericordiâ acceptaretur. *Matth*.25. *Serve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam*. & alibi.

Ex Patribus,

Probatur II. ex Patribus, *Hieronymo in illud. Matth*.19. *Centuplum accipiet. Athanaſio in vita S.Antonii. Baſilio in illud. Pſal*. 114.*Convertere anima mea in requiem tuam*. Et ex *Fulgentio*, qui *l*.1.*ad Monimum c*.10. docet gloriam æternam dici gratiam, non tantùm quia ex gratia provenit virtus merendi gloriam; *Sed* (inquit) *quia tantùm etiam ibi gratia divina retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quàmvis bona & ex Deo data, humana voluntatis atque operationis excedat*.

Et ratione.

Probatur III. ratione: quia meritum eſt momẽtaneum & leve, præmium æternum & pondus gloriæ ineffabilis: meritum cõſequitur fidem, præmium eſt clara Dei viſio & amor conſequens: ergo meritum non tantùm de ſe valet, ſed per divinam ordinationem debet talis valor taxari.

45. Dices I. Promiſſio non mutat naturam & qualitatem operis: ergo non poteſt operi dare condignitatem quam ex ſe non habet.

Reſp. ad Antec. promiſſionem quidem non mutare moralem operis bonitatem, poſſe tamen mutare ejuſdem valorem: nam per promiſſionem ipſam ſæpè taxatur pretium & valor operis: utì per principem valor pecuniæ. Sic v.g. dum currentibus ſeu certantibus in ſtadio proponitur certũ præmium victori dandum, hoc is de condignò meretur, etſi præmium aliud minus proponi potuiſſet. Idem ergo fit in merito vitæ æternæ, quæ à Deo promittitur filiis ſuis danda inſtar bravii currentibus in ſtadio 1.*ad Cor*.9.& alibi. Unde ipſa opera, etſi per promiſſionem tanti præmii, non fiant in ſe meliora (utì nec ex eo quòd operans ſit in ſtatu gratiæ) tamen per promiſſionem cõpletur valor operum & proportio reſpectu præmii; ſuppoſitâ proportione inchoatâ ex parte ipſorum (quæ ſunt ſupernaturalia, adeòque ejuſdem ordinis cum præmio) & ex parte operantis, qui eſt filius Dei. Hinc enim opus ipſum eſt obſequium filii Dei oblatum Deo, ad abundautiùs obtinendam hereditatem, quàm præcisè debeatur jure filiationis: eſtque obſequium filii dignum abundantiori hereditatis conſecutione, quàm debeatur filio, qui nullum obſequium præſtitit, ſed ſolo hereditatis titulo hereditatem adit. Cùmque hereditatem ſemel poſſeſſam deceat retineri quàm diu vivit & manet filius, hinc pariter opus filii adoptivi Dei meretur hereditatem æternam, ſicut ipſe in æternùm eſt manſurus filius.

Promiſſio non mutat operis bonitatem, poteſt tamen mutare valorem.

Qualiter id faciat in præſenti materia, declaratur.

Alioquin quòd ipſa gratia habitualis cõſtituat hominem filium Dei, & heredem tãti regni, pro parte etiam provenit ex ipſâ ordinatione Dei; qui potuiſſet præditum tali gratiâ ad hereditatem lõgè inferiorem, v.g. cognitionem abſtractivam & dilectionem Dei conſequentem, aut aliquando finiendam adoptare, eamdemque bonis filiorum meritis tamquam mercedem condignam proponere. Potuiſſet inſuper Deus filios ſuos ad regnum admittere ſolo titulo filiationis, utì parvulos, & non titulo bonorum operum, quibus præſertim charitate imperfectioribus, potuiſſet aliis modis abundè ſatisfacere.

Dices II. Si promiſſio ſuppleat valorem operis, nihil deerit contritioni quò minùs mereatur de condigno veniã peccati mortalis, & gratiam ei infallibiliter promiſſam. 46.

Cur contritio non ſit condignum meritum remiſſionis peccati mortalis.

Reſp. Neg. Seq. deeſt enim præcipua proportio, quæ deſumitur ex conditione operantis: qui cùm non ſit Dei filius, ſed inimicus, non eſt ob tale opus veniâ ſeu gratiâ, adeòque filiatione dignus. Quàmvis Deus ex ſua liberalitate planè gratuitò promiſerit pœnitenti veniam, idque tantùm ob merita Chriſti, qui veniam pœnitẽtibus eſt meritus de condigno; non autem quaſi illam propoſuerit aut acceptaverit Deus velut mercedem operis ipſius peccatoris. Abſo-

Abſolutè tamen loquendo potuiſſet Deus hoc facere, utì dictum eſt *q.1.concluſ.1.* in fine:quàmvis de facto id non contigiſſe,ſed contritionem in ſua conditione quantùm ad meritum gratiæ eſſe relictam, ex doctrina revelata ſatìs conſtet.

Non quidquid juſtus orando impetrat,condignè meretur.

Hinc etiam colligitur juſtos non mereri de condigno,quidquid orando impetrant: tum quia exauditio non eſt infallibilis: tum quia etſi poſitis certis conditionibus ſit ex divina promiſſione infallibilis; hæc tamen promiſſio non proponit rem petitam tamquam mercedem petitionis,ſed eſt promiſſio rei verè liberaliter donandæ,nec fundatur in operantis dignitate, ſed potiùs in indignitate ſive minori dignitate poſtulantis; unde & peccatores Deus exaudit.

47. Dices III. ex noſtra doctrina ſequeretur, Chriſtum non meruiſſe de rigore juſtitiæ,nec pretium redemptionis noſtræ ſuperaſſe debitum culpæ generis humani,ſed ad condignam ſatisfactionem ipſum indiguiſſe liberali promiſſione & acceptatione Dei. Reſp.Chriſtum verè non meruiſſe de rigore juſtitiæ,quaſi Deus ex rigoroſa juſtitia fuerit ei obligatus ut in *Tract.de Incarnatione* dicetur, & infertur ex iis quæ tradita ſunt in *Tract.de Deo Uno*, ubì generaliter docetur Deum nulli enti creato obligari poſſe ex juſtitia commutativa, etiam ſuppoſitâ promiſſione. Ad inducendam verò in Deo obligationem juſtitiæ latè dictæ indiguit etiam Chriſtus divinâ promiſſione ſive acceptatione, quâ operâ illius,alioquin Deo obſtricta ſeu ab eo acceptabilia titulo uniuerſalis dominii, creationis & ultimi finis, ſunt acceptata ad effectū redemptionis generis humani. Quàmvis ſpectando debitum culpæ & pretium redemptionis ſecundùm ſe, ac non prout hoc erat debitū ipſi creditori, ſcilicet Deo ſeu alio titulo ab ipſo acceptabile, quantitas pretii ſine comparatione exceſſerit quantitatem debiti peccatorum in ſe conſiderati: ut patet ex Patribus & immenſo valore operum Chriſti,quem trahebant ex dignitate divini ſuppoſiti.Et hoc ſenſu dici poſſet,merita Chriſti fuiſſe de rigore juſtitiæ, ratione ſcilicet æqualitatis vel exceſsûs reſpectu præmii in ſe conſiderati. Quo modo etiam nonnulli Auctores oppoſitæ ſententiæ dicunt opera juſtorum mereri de rigore juſtitiæ,qui tamen cenſent Deum ex rigoroſa juſtitia non poſſe obligari.

Chriſtus an vel quo ſenſu meruerit de rigore juſtitia.

48. Dices IV.Sequeretur Chriſtum de condigno nihil meruiſſe Patribus antiqui Teſtamenti; cùm Deus Chriſto non promiſerit, ſe propter opera illius daturum prædictis gratiam: ſed conſequens eſt abſurdum ergo &c. Reſp. Neg. Seq. Majoris: ſufficit enim,ut Deus propter merita Chriſti præviſa promiſerit ſeu ordinaverit iſtis Patribus dare gratiam tamquam mercedem meritorum præviſorum: potuit enim indubiè Deus tale decretum habere, etiam antequam Chriſtus eſſet natus,aut promiſſio ei quà homini intimata.

Qualiter Chriſtus mereri potuerit Patribus antiqui Teſtamenti.

Meritò hìc quæritur, quomodo bonorum operum merita dependeant à concurſu meritorum Chriſti? Reſp. breviter, eatenus dependere, quatenus ex meritis Chriſti obtinemus omnem gratiam, ſine qua mereri nihil poſſumus. Patet ex *Trid. ſeſſ.6.c.16.* ubì id explicat ſimilitudine vitis deſumptâ ex *Joan.* 15. Patet etiam ex Apoſtolo *ad Epheſ.2. & 4.* ubì docet omnem ædificationem ſpiritualis ſtructuræ in Chriſto tamquam angulari lapide eſſe fundatam, & omne incrementum vitæ ſpiritualis à Chriſto deſcendere. 49.

Merita noſtra dependent à meritis Chriſti quatenus hinc obtinetur principia merendi.

Deinde dependent, quatenùs Chriſtus meruit, ut Deus mercedem operibus noſtris promitteret, eaque ad præmium acceptaret. Nam Deus per Chriſtum *Maxima & pretioſa promiſſa donavit nobis* 2. *Petri* 1.Et *promiſſio vitæ eſt in Chriſto Jeſu*,juxta Apoſtolum 2. *ad Timoth.*1. Et *Trid.ſeſſ. 6.c.16.* ait, *Bene operantibus vitam æternam tamquam gratiam filiis per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſam.* Et *ſeſſ.*14. *c.*8. ait: *Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus,in quo meremur, in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Promiſit itaque Deus Pater operibus Chriſti completam remunerationem, in qua etiam continetur,operum noſtrorum remuneratio; ſicque promiſſio divina Chriſto, & in Chriſto etiam nobis facta eſt, qua ei ob ſua quoque merita promiſſa fuit noſtrorum remuneratio.

Deinde quatenus ob merita Chriſti noſtra ſunt à Deo acceptata ad præmium.

Dubium autem eſt, an ob merita Chriſti ſit operibus noſtris major merces promiſſa, quàm,ſi abſque tali conjunctione fuiſſent etiam ex gratia facta: an verò tantùm ſint à Deo acceptata eo libentiùs,abſque augmēto præmii ſaltē eſſentialis? Et quidem priùs referuntur docere *Caietanus, Sotus, Hoſius, Vega, Ruardus, Suarez* & alii:idque piè & probabiliter, præſertim ſi verum ſit, quòd creſcant merita ex majori ſanctitate operantis: nam conjunctio operum hominis juſti cum meritis Chriſti, cujus velut capitis eſt vivum membrum, videtur operibus juſti addere quamdam dignitatem & moralem æſtimationem. Res tamen eſt incerta, utpote dependens à libera Dei ordinatione,de qua non ſatìs clarè conſtat ex doctrina revelata. Unde *Arriaga d.*54.*ſect.*5. ubì contrarium putat eſſe probabiliùs,eò quòd moralis dignitas hinc oriunda etſi ſufficiens ad ſpecialē Dei erga homines affectum,non tamen quidquam perſuadeat de augmento præmii eſſentialis.Utì neque major dignitas naturæ angelicæ, neque major cognationis propinquitas cum Chriſto (quæ quādam moralem excellentiam confert,& ſpecialis Dei dilectionis ſeu beneficentiæ eſt occaſio) quidquam eò confert. 50.

An intuitu meritorum Chriſti ſint noſtra magis meritoria & ad majus præmium acceptata.

QUÆST.

QUÆSTIO IV.

Quænam cadant ſub Meritum de condigno?

51. *Juſti bonis operibus merentur de condigno vitam æternam.* DICO I. Juſti bonis operibus merentur verè adeòque de condigno vitam æternam. Eſt contra Hæreticos recentiores, qui non admittunt veram meriti rationem in operibus noſtris, quia putant illa eſſe peccata, & per hoc derogari meritis Chriſti. Quorum error damnatus eſt in *Arauſicano can.* 18. & ex profeſſo in *Trid. ſeſſ.6. c.16.* dicente: *Bene operantibus proponenda eſt vita æterna tamquam merces &c.* Et *can.* 32. definit, *Juſtificatum bonis operibus verè mereri vitam æternam.*

Probatur ex Scriptura, Probatur I. ex Scriptura, quæ vitam æternam abſolutè vocat mercedem *Matth.* 5. eamque comparat mercedi operariorum *Matth.*20. & dandam eſſe ſecundùm opera exprimit 1. *ad Cor.* 3. & *Apocal. ult.* Ipſaque opera eſſe rationem cur detur vita æterna, habetur *Matth.* 25. Et ipſa vita æterna vocatur corona juſtitiæ, reddenda à juſto judice, 2. *ad Timoth.*4. Quibus nil clariùs ad intentum Catholicorum. Quapropter non clamat Scriptura ubique (ut vult *Calvinus in Antidoto Trid. ſeſſ.* 6. *c.*16.) vitam æternam eſſe hereditatem, adeundam ſcilicet ſine meritis; ſed toties clamat eſſe etiam mercedem & coronam juſtitiæ, adeòque adultis obtingere hereditatem etiam titulo mercedis, juxta prædicta, & illud Apoſtoli *ad Coloſſ.*3. *Ex animo operamini, ſicut Domino & non hominibus, ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.* Quam inſulsè igitur *Calvinus ſup.* dixit: *Quod vitam æternam faciunt* Patres Tridentini *mercedem, in eo ab illis* (& conſequenter à Scriptura) *diſſentio.*

Et Patribus. Probatur II. ex Patribus, *Auguſtino Epiſt.*105. dicente: *Quemadmodum Apoſtolus dixit, ſtipendium peccati mors, ita dicere potuiſſet, ſtipendium juſtitiæ vita æterna.* Plurimos alios (quos vide apud *Bellarminum ſup.*) adducere in promptu eſſet; ſed non eſt neceſſarium, rei claræ immorari. Immo ipſe *Calvinus l.*3. *Inſtitut.c.*15.§.2. dolens fatetur nomen Meriti paſſim apud vetuſtæ Eccleſiæ Scriptores reperiri.

52. *Occurritur cuidam inſtantiæ,* Nec obſtat, quòd in prædictis Auctoritatibus non exprimatur nomen meriti condigni: quia in primis manifeſtè adſtruitur ſaltem ratio veri meriti; quam Hæretici negabant. Deinde adſtruitur res ipſa meriti condigni: quia meritum cōgruum non eſt ſimpliciter, ſed ſecundùm quid meritum, & quod ei redditur, non poteſt ſimpliciter dici merces, corona juſtitiæ, eſſe debitum &c. Neque etiam meritum cōgruum recentiores Hæretici, ſaltem omnes, negaſſent; ut patet ex eorum *Confeſſione Belgica art.* 24. quamvis inconſequenter ad ſua principia, juxta quæ infrà in eadem Confeſſione dicitur, opera noſtra omnia eſſe polluta, adeòque digna pœnis. Quare *Tridentinum* etſi *cap.* 8. docuiſſet peccatorem non mereri gratiam juſtificationis, tamen *can.*32. definit juſtificatum verè mereri gratiæ augmentum: cùm tamen etiam primam gratiam juſtificantem de congruo mereatur contritio. Loquitur ergo *Tridentinum* & ceteræ Auctoritates de merito condigno. Unde non poteſt admitti modus loquendi *Durandi* 2. *diſt.*27. *q.* 2. contrarius locutioni omnium Theologorum, qui cenſuit meritum condignum non poſſe tribui propriè & ſtrictè operibus noſtris. Quod videri poſſet non eſſe ſatis Catholicum: niſi (quod ex contextu *Durandi* patere credo) *Durandus* differat à ceteris, in ſola quæſtione de nomine; in qua utique ipſe malam cauſam habet, nomine meriti condigni ſtrictè & propriè ſumpti intelligens illud ſolum, quod parit de facto obligationē ſtrictè juſtitiæ; qualem in Deo non oriri ex meritis noſtris etiam alii paſſim admittunt.

Probatur III. ratione: quia ſuppoſitâ ordinatione ſeu pacto ex parte Dei, & capacitate ex parte operis, & ſtatu gratiæ ex parte operantis (de quibus in præcedentibus actum eſt) nihil deeſt ad rationem veri & condigni meriti. *Probatur ratione.*

53. *Meritis noſtris nil derogari meritis Chriſti manifeſtè declaratur.* Fundamenta Hæreticorum ſunt parvi momenti. Nā in primis quòd omnia noſtra opera ſint mala & peccaminoſa eſt per ſe abſurdum. Secundò per merita noſtra adeò non derogatur meritis Chriſti, ut hæc potiùs extollantur, quatenus Chriſtus nobis nō ſolùm meruit, ſed per ſua merita nobis etiā obtinuit merendi poteſtatem: ſicut magis apparet potentia Dei, quòd rebus naturalibus aliis res producēdi virtutem indiderit, quàm ſi ſolus per ſe ipſe produceret. Deinde ſicut nil detrahitur de gloria vitis, ſi palmites ipſius multum fructum afferant; ſed potiùs id cedit ad laudē vitis, velut à qua provenit, quidquid in palmitibus eſt vividi ſucci & humoris: ſic nemo ſanæ mentis exiſtimare debet quidquam detrahi de gloria Chriſti, qui eſt vitis vera, ſi juſti, ejus palmites, fructum ferāt, quatenus in Chriſto ſunt, & ab eo ſuccum humoremque gratiæ participant; quin potiùs id cedit in laudē Chriſti. Et quamquam Chriſti merita fuerint ſufficientiſſima ad vitam æternam efficaciter omnibus obtinendam: tamen manifeſtè conſtat ipſum ſua merita de facto ſic non obtuliſſe, neque Deum acceptaſſe.

Unde ſolùm meritus eſt vitam æternam, utique à nobis obtinendam per Sacramenta, & bona opera, in quibus ipſius meritum applicatur. Quod quia non ſemper fit efficaciter ſeu perſeveranter; ideo in plurimis contingit ſalutis defectus. Quare ſicut non eſt injurioſum Chriſto, quòd non meruerit efficaciter omnibus vitam æternam,

nam,ſic nec quòd electus eam meruerit dependenter à concurſu propriorum meritorum,quæ ſunt inſtar cauſæ particularis applicatis merita Chriſti,quæ ſunt cauſa univerſalis in ſuo ordine ſufficientiſſima : aliter enim nec voluit Chriſtus, nec decuit, quantumvis pretium ſufficientiſſimum foret.Sic denique juxta ipſos Hæreticos ultra Chriſti merita requiritur ficta illa fides ſpecialis,quæ merita Chriſti applicet : quidni ergo requirantur vera & in meritis Chriſti fundata merita?

Et nihilominus gloriandum, non in nobis, ſed in Deo.

54. Tertiò non obſtat, quòd non debeamus fidere in noſtris operibus, ſed tantùm in Domino gloriari.Nam confidere non poſſumus in operibus ſine gratia Dei factis: in operibus autem gratiæ confidere debemus;& eo ipſo gloriamur in Domino (cujus dona ſunt ipſa noſtra merita juxta *Trident. ſeſſ.6. cap.16.*) certò ſperantes præmium, ſi in gratia moriamur. Nec tamen in illis etiam ſic confidere poſſumus, quin lapſum ſemper & defectum finalis perſeverantiæ timere meritò debeamus.

Quo ſenſu vita æterna dicatur gratia.

55. Quartò non obſtat, quòd vita æterna in Scripturis ſæpè dicatur gratia, ut *ad Rom. 6. Stipendium peccati mors,gratia autem Dei vita æterna.* Quàmvis enim in ſe ſit merces,dicitur tamen radicaliter gratia & miſericordia;quia nimirum vis meritoria operum noſtrorum eſt ab ipſa gratia. Unde *Auguſt. Epiſt.* 105. ait: *Vita æterna juſtitia quidem ſtipendium,ſed tibi gratia eſt,cui gratia eſt & ipſa juſtitia.* Similia habet *lib. De corrept. & gratia cap.*13. & alibi. Idem patet ex *Arauſicano ſup.* & *Trid. ſup. cap.* 16. Unde vocatur vita æterna phraſi *B. Auguſtini* gratia pro gratia.

Qualiter poſſit homo dare dignũ pretium pro vita æterna,

Denique non obſtat, quòd homo videatur non poſſe dare dignam commutationem pro vita æterna,aut aliquid dare Deo, ut retribuatur ei: poteſt enim tale quid dare, præſuppoſitâ gratiâ & ſanctificatione, & accedente divinâ ordinatione ſeu promiſſione, ut ex præmiſſis patet. Unde de juſtis *Sap.*3.dicitur:*Invenit illos dignos ſe.* Et *Apoc.*3.*Ambulabunt mecum in albis:quia digni ſunt.*Et 2.*ad Theſſal.*1. *Ut digni habeamini regno Dei,pro quo & patimini.*

Cadit ſub meritum condignum gloriæ augmentum.

56. Dico II.Poteſt homo de condigno mereri non tantùm gloriæ æternæ augmentum,ſed probabiliùs etiam primum gloriæ gradum. Prima pars patet ex *Trid. ſeſſ.6. can.*32. ubi expreſsè definit, *Juſtificatum verè mereri gloriæ augmentum.* Patet etiam ex iis, quæ de inæqualitate viſionis beatificæ dicta ſunt *Tract. De Deo Uno Diſp.* 5. *quæſt.*5.

Non ſemper gloria quoad primum gradum,

Pro meliori intellectu ſecundæ partis Concluſionis (quæ eſt controverſa) notandum eſt, eam intelligi de caſu quo ultima diſpoſitio ad juſtificationem coëxiſtit gratiæ infundendæ; prout ſemper coëxiſtit contritio perfecta; & aliquando ,non tamen neceſſariò, attritio; quæ quidem poteſt , non tamen debet Sacramento ejuſque effectui phyſicè coëxiſtere. Si enim diſpoſitio jam evanuerit, antequam gratia infundatur, non poteſt mereri primam gloriam, utpote quam ſine coëxiſtente gratia mereri non poſſumus. Deinde notandum eſt, non plus gloriæ correſpondere illi ultimæ diſpoſitioni , ſive dicamus tantùm diſponere ad gloriam, uti ad gratiam , ſive dicamus mereri ipſam primam gloriam : prout non plus gratiæ habitualis correſponderet contritioni,ſi ipſa mereretur gratiam de condigno , quàm ſi tantùm ad eamdem diſponeret. Solùm ergo dicimus primam gloriam, quæ gratiæ correſpondet tamquam hereditas, etiam in caſu Concluſionis deberi adultis titulo meriti : ſicut gloriæ augmentum debetur juſtificatis, tum titulo hereditario ratione gratiæ, tum titulo mercedis ratione bonorum operum. His notatis

An aliquãdo,eſt quæſtio; cujus ſenſus explicatur.

Probant Varii ſecundam partem Concluſionis , eò quòd alioquin contingeret adultos & capaces meriti conſequi gloriam ſine meritis, v. g. ſi paulò poſt juſtificationem ſine bonis operibus de novo elicitis morerentur; hoc autem videtur repugnare Auctoritatibus generatim ſtatuentibus vitam æternam velut mercedem operum quoad adultos. Verùm idem inconveniens (ſi tale dici poſſit) habet locum etiam in noſtra Sententia in caſu quo adultus præviâ diſpoſitione phyſicè præteritâ juſtificatus cum Sacramento mox moreretur. Auctoritates itaque non volunt , quòd nemo adultus conſequi poſſit gloriam ſine præmio condigno , ſed gloriam dari ob merita, & nulla fore merita ſine præmio gloriæ. 57.

Affirmantem partem Varii non rectè ex Auctoritatibus probant.

Solet etiam à multis maximè urgeri *Tridentinum ſeſſ.6. can.*32. ubi definit, *Juſtificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem , atque etiam gloriæ augmentum.* Ubì vitam æternam notanter apparet diſtinxiſſe contra ejuſdem augmentum: ideoque ibidem aliter loquitur de gratia, nec dicit nos poſſe mereri gratiam & gratiæ augmentum , ſed tantùm gratiæ augmentum , quia videlicet primam gratiam de condigno mereri non poſſumus. Verùm videtur parum credibile, *Tridentinum* reſpexiſſe ibidem ad hanc ſcholaſticam Controverſiam adeò incertam , aut voluiſſe alterutri parti præjudicium generare. Immo apparet ipſum agere generaliter de jam juſtificatis quomodocumque, eorumque bonis operibus , etiam quoad hoc, quòd per illa mereantur vitam æternam. Quemadmodum *cap.*16. (quod huic Canoni reſpondet) agit de jam juſtificatis, quos verbis Apoſtoli admonet , ut abundent in omni opere bono , & conſequenter docet, *Juſtificatis nil deeſſe quò minùs bonis operibus vitam æternam verè promeruiſſe* 58.

Ordinariè multùm urgentur ad illam probandã verba Tridentini; ſed non efficaciter.

meruiſſe cenſeantur. Quare non videtur agere de hac controverſia: cùm doctrina Concilii ſit generalis, etiam quoad juſtificatos in infantia, aut per Sacramentum cum diſpoſitione phyſicè præteritâ; & quoad opera juſtificationem ſubſequentia; per quæ utique etiam dudum juſtificati verè merentur vitam æternam. Quamvis ſimul mereantur gloriæ augmentum, uti & gloriæ conſecutionem; quæ utique non eſt præmium à vita æterna diſtinctum. Specialiter autem expreſſit, & vitam æternam, & gloriæ augmentum, ut oſtenderet contra Hæreticos tam quòd gloria cadat ſub meritum, quàm quòd juſtorum merita adeòque præmia ſint futura inæqualia, quod utrumque ipſi negabant. Expreſſit autem tantùm gratiæ augmentum, quia Hæretici in hoc tantùm diſſentiunt à Catholicis, exiſtimantes omnes eſſe æqualiter juſtos. Non autem dixit nos mereri gratiam, ne anſa daretur Hæreticis id intelligendi etiam de prima gratia habituali: de qua quantùm ad hoc, utrùm cadat ſub meritum, non erat cum eis controverſia. Alioquin conſtat opera juſtorum eſſe talia, ut etſi vita æterna eis antecedenter non deberetur ullo titulo, adhuc deberetur ipſis vi operum, etiam quoad primam gloriam.

59. Quocirca non videtur ex Auctoritate quidquam ſolidi poſſe adferri contra *Vega*; *Lorca* & Nonnullos alios; qui oppoſitum ſuſtinent ſecundæ partis Concluſionis. Nec improbabiliter; cùm etiam ex ratione difficile ſit oſtendere, qualiter contritio poſſit mereri de condigno primam gloriam; in cujus proinde explicatione mirè variant & laborant Auctores. Nihilominus

Nihilominus eadem pars ſuadetur ex communiori conſenſu, & ratione.

Probatur ſecunda pars Concluſionis tamquam probabilior: tum quia eam docet *D. Thomas quæſt. 112. art. 2. ad* 1. & plerique Theologi: tum quia ultima diſpoſitio ad juſtificationem in caſu Concluſionis eſt opus ſupernaturale hominis jam habentis gratiam, & innititur promiſſioni divinæ: ergo nihil ei deeſt ad meritum de condigno; ut ex ſolutione objectionum magis patebit. Quare

60. *In opus meritorium non debet gratia ſanctificans influere aliter, quàm operantem dignificãdo, quem in caſu præſenti dignificat.*

Non obſtat I. quòd illa diſpoſitio iſto inſtanti non procedat à gratia ſanctificante: nam ad meritum ſufficit, quòd ſit opus ſupernaturale hominis habentis gratiam ſanctificantem; hanc autem habet homo eodem inſtanti quo exiſtit contritio. Confirmatur: quia contritioni tantùm deerat perſonæ dignitas; hanc autem accipit cum ipſa gratia, quæ eodem inſtanti infunditur. Immo illa dignitas nihil eſt aliud, quàm gratiam eſſe in homine. Unde quàm citò dignificatur is per gratiam, ad hoc ut ob illam gloria ei debeatur jure ſeu titulo hereditatis, dignificatur quoque ipſa contritio, ut eadem gloria debeatur titulo mercedis: dignificatio enim contritionis eſt ipſa dignificatio ſubjecti, adeòque in eodem ſigno habet homo gratiam & dignitatem, & ſimul ipſam dignitatem habet contritio. Vide *Arriaga diſput. 56. ſect. 5. ſubſect.* 3.

Non obſtat II. quòd ſequi videatur ipſam gratiam (quæ eſt gloriæ ſemen, ratione cujus gloria ipſa debetur) etiam cadere ſub meritum condignum contritionis: hoc enim minimè ſequitur, eò quòd gratia jam ſit infuſa priuſquam contritio mereri poſſet, & prærequiratur ad merendum tamquam conditio (prout non requiritur gloria) adeòque ipſa ſub meritum, quod debet naturâ eſſe prius præmio (prout non eſt gratia prior ſeipsâ) cadere nequeat. Meritum itaque poteſt antecedere gloriam, non gratiam. 61.

Cur potiùs prima gloria, quam prima gratia habitualis cadat ſub meritũ condignum.

Non obſtat III. quòd contritio pro priori naturæ jam exercuerit ſuam libertatem, & habuerit ſuum præmium de congruo, gratiam ſcilicet habitualem & gloriam correſpondentem; adeòque non videatur eadem gratia poſſe eodem inſtanti illam dignificare in ordine ad merendum condignè aliquod præmium. Nam id quidem non poteſt in ordine ad novum præmium merendum, v. g. novam gloriam, bene tamen in ordine ad eamdem gloriam congruè jam meritam condignè merendam: iſte enim novus merendi modus tenet ſe ex parte gratiæ, non ex parte actûs, qui proinde citra aliquam ſui aut libertatis ſuæ novitatem vel immutationem poteſt ob adventum gratiæ fieri meritorius condignè illius, quod antea merebatur de congruo. Ita *Arriaga diſp. 56. num.* 50.

Non refert, quod contritio pro priori naturæ exercuerit ſuam libertatem, & habuerit ſuum præmium de congruo.

Dico III. Juſti merentur de condigno augmentum gratiæ habitualis. Patet ex *Trid. ſeſſ. 6. cap.* 10. & *Can. 24. & 32.* Patet etiam ex eo, quòd bonis operibus juſtorum nihil deſit ad meritum condignum augmenti gratiæ, ſive ex parte operum, quæ in Deo ſunt facta, ſive ex parte operantium, qui ſunt filii Dei, ſive ex parte ipſius Dei, qui promiſit ejuſmodi operibus augmentum gratiæ, ſicut ipſius gloriæ, cujus gratia eſt ſemen. Confirmatur: quia juſtus per illa opera fit dignior gloriâ, ergo & gratiâ, cui gloria proportionatur. Eſt autem hoc contra Hæreticos exiſtimantes omnes eſſe æqualiter juſtos, & conſequenter gratiam non augeri. Quorum error etiam manifeſtè refutatur ex Scriptura *Apocal. ult. Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc. Proverb.* 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* 62.

Sub meritũ condignum cadit augmentum gratiæ habitualis.

Pſalm. 83. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit &c. Ibunt de virtute in virtutem &c.* 2. *ad Cor.* 9. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Et ex Parabolis Evangelicis Talentorum & Mnarum; & aliis locis. Unde rectè *Auguſt. Epiſt.* 106. *Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.*

63. *Quâ proportione actus meritorius cauſet augmentum gratiæ. Primus dicendi modus ſuadetur.*

Petes, quâ proportione actus meritorius cauſet augmentum gratiæ? Reſp. Potiſſimùm duos eſſe dicendi modos. Primus eſt *Suarez* & aliorum exiſtimantium, quòd actus etiam perfectiſſimus charitatis non augeat gratiam ad plures gradus, quàm ſint in ipſo actu: eò quòd talis augendi modus videatur conformis rationi, & augmento habituum naturalium per actus correſpondentes. Et quia ſi actui meritorio etiam imperfectiſſimo reſponderent tot gradus gratiæ, quot ſunt gradus in ipſo actu, gratia nimiùm & incredibiliter creſceret.

64. *Secundus dicendi modus explicatur.*

Nihilominus hoc non videtur plurimis aliis incredibile: ideoque eſt ſecundus modus dicendi probabilis, quòd gratia creſcat proportionatè ad gradus ipſius actûs meritorii, etiam imperfectioris; ſic tamen ut actus ſubſtantialiter perfectior mereatur cum proportione plures gradus gratiæ, quàm ſint gradus intenſionis in actu: v. g. ut ſi actus fidei ad 4. mereatur gratiam ad 4. vel ad 5. Charitas ad 4. mereatur gratiam ad 8. vel 10. aut ſimili proportione Deo cognitâ. Quod poſtremum manifeſtè conſequens eſt: cùm conſtet actum eò ampliùs præmium mereri, quò eſt in bonitate aliiſque meriti conditionibus excellentior.

65. *Idem ſuadetur.*

Probatur itaque quod in hoc dicendi modo aſſumitur: quia etiam actus imperfectior, quantumvis remiſſus, eſt verè meritorius augmenti gratiæ & gloriæ: ſi autem actus remiſſiſſimus virtutis perfectiſſimæ, v. g. charitatis, tantùm mereretur unum aut duos gradus, jam actus remiſſiſſimus virtutis minimè perfectæ ſe ſolo nihil mereretur, adeòque ſine mercede maneret, ſaltem ſi operans moreretur, priuſquam accederet alius actus, qui compleat meritum prioris uſque ad unum ſaltem gradum gratiæ & gloriæ. Ad quod tamen alii reſponderent Deum, qui omnia diſpoſuit in pondere & menſura, id impediturum, quatenus ſic nullus electorum ante completam meritorum ſuorum menſuram decedat. Quod indubiè Deo difficile non erit. Proinde ſtateræ divinæ æquitatis, quâ ad pondus ſanctuarii opera omnia librabuntur, hanc taxam nobis planè incertam cenſeo relinquendam.

Concluditur rem eſſe nobis occultam.

66. *An auctâ gratiâ proportionatè augeatur non ſolum charitas, ſed etiam ceteræ virtutes infuſæ? Nonnulli negant.*

Petes II. An auctâ gratiâ etiam meritoriè augeantur ceteræ virtutes infuſæ? intellige, diſtinctæ à charitate: hanc enim proportionatè cum gratia augeri, admittunt etiam illi, qui charitatem à gratia diſtinguunt. Reliquas autem virtutes non augeri cenſet *Præpoſitus quæſt.* 114. *nu.* 71. quàmvis fortè omnes in patria æquale augmentum recipiant, ut ait *num.* 73.

Veriùs alii aſſerunt.

Nihilominus plures alii veriùs admittunt proportionatè augeri etiam ceteras virtutes infuſas, tum Fidei & Spei, tùm aliarum, ſi dentur. Probatur: quia juſtitia hominis integratur ex gratia & donis, id eſt, virtutibus infuſis juxta *Trident. ſeſſ.* 6. *cap.* 7. adeòque augmentum juſtitiæ ſimiliter conſiſtit adæquatè in augmento gratiæ & donorum, ſeu virtutum infuſarum: ergo opus meritorium augmenti juſtitiæ meretur etiam augmentum virtutum infuſarum. Confirmatur: quia *Tridentinum ſup. cap.* 10. abſolutè docet hominem per bona opera magis juſtificari, & accipere juſtitiæ incrementum; quod petit S. Eccleſia, dum orat: *Da nobis Domine Fidei, Spei & Charitatis augmentum.* Similiter *can.* 24. definit bona opera eſſe cauſam augendæ juſtitiæ; atqui augmentum juſtitiæ, uti ipſa juſtitia complectitur aggregatum gratiæ ſeu charitatis & ceterarum virtutum infuſarum, ſaltem fidei & ſpei: ergo etiam harum meretur augmentum, qui meretur augmentum juſtitiæ.

Probatur.

67. *Nil præterea cadit ſub meritum condignum. Non enim prima gratia habitualis,*

Dico IV. Nihil præterea cadit ſub meritum de condigno. Probatur inductione: non enim prima gratia habitualis, ut patet ex *Tridentino ſeſſ.* 6. *cap.* 8. ubi docet, quòd *nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Et *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. de Contritione in genere (quam poſtea dividit in charitate perfectam & in imperfectam) dicit, quòd *quovis tempore fuerit neceſſaria ad impetrandam veniam peccatorum*; adeòque hanc de condigno numquam meretur, & conſequenter nec gratiam ſanctificantem, per quam peccatorum fit remiſſio. Ratio eſt, quòd ipſa ſit conditio neceſſariò prævia ad meritum condignum.

Nec prima actualis,

Deinde, & conſequenter multò minùs cadit ſub meritum condignum prima gratia actualis, quæ datur homini adhuc peccatori. Immo prima omnino gratia etiam meritum de congruo antevertit.

Nec actualis gratiæ augmētum

Tertiò augmentum gratiæ actualis juſti de condigno non meretur: cùm nulla de

la de hoc exiſtat infallibilitas aut promiſſio. Unde etiam ſanctioribus ſubinde parciùs datur, quàm minùs ſanctis, immo quàm peccatoribus, quos abundantioribus ſubinde auxiliis divina clementia prævenit.

Neque reparatio poſt lapſum,

Quartò nec reparatio poſt lapſum cadit ſub meritum condignum, ut patet *Ezech.* 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua ..... omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.* Ratio eſt, quòd omnia merita condigna mortificentur per peccatum mortale. Unde certum eſt gratiam juſtificationis, quâ lapſus reparatur, dari gratis.

68. *Neque finalis perſeverantia,*

Quintò neque etiam perſeverantia finalis: tum quia merita juſtorum juxta totum ſuum valorem occupantur circa præmium gloriæ & gratiæ habitualis proportionatæ, adeòque illis non correſpondet aliud diſtinctum præmium finalis perſeverantiæ: tum quia nullibi extat in Scriptura vel Patribus hujus rei promiſſio; immo omnium ſenſus extat in contrarium: tum quia plurimi, qui diu glorioſè vixerunt, cadunt, & finaliter pereunt. Et quàmvis aliqui reſurgant, tamen ſicut certum eſt eos non poſſe mereri de condigno reparationem poſt lapſum, ſic nec perſeverantiam, quæ talem reparationem includit aut præſupponit.

Dices: Juſti merentur de condigno gloriam: ergo & perſeverantiam: nam qui meretur finem meretur etiam media ad illum. Reſp. Neg. Con. quia juſti merentur quidem gloriam, ſed conſequendam dumtaxat ſub conditione, ſi perſeveraverint, ſeu (ut *Trid. ſeſſ. 6. can. 32.*) *ſi in gratia deceſſerint.*

Neque bona temporalia.

Sextò non cadunt ſub meritum condignum bona temporalia; cùm de illis non extet divina promiſſio: nec per experientiam pateat aliqua infallibilitas. Quin potiùs videmus; magìs meritos minùs temporali proſperitate gaudere, ſicut inſcrutabilis divinorum judiciorum altitudo expedire judicaverit.

69. *Denique hæc beneficia, etiam comprehẽsâ gloriâ ejuſq; & gratia augmẽto, nemo (præter Christum) meretur de condigno alteri.*

Septimò denique non poſſunt hæc beneficia à puro homine de lege ordinata obtineri pro aliis de condigno. Chriſtus, Deus homo, meruit quidem de condigno hominibus, tum auxilia actualia, tum remiſſionem peccati & gratiam juſtificantem, ſubinde etiam conferendam abſque ulla diſpoſitione, ut patet in parvulis baptizatis. Similiter de abſoluta potentia non implicat unum hominem juſtum mereri alteri gloriam & gratiam tam habitualem quàm actualem de condigno, ſi Deus ordinaſſet: ſicut gratiam habitualem & gloriam de facto ſibi meretur, & gratiam actualem ſimiliter ſibi mereri poſſet: cùm gratia & gloria danda alteri non ſit dignior & perfectior eâ, quæ daretur ſibi ipſi. Conſtat tamen apud omnes de facto ordinationem divinam non extare, niſi in merito Chriſti. Idque congruè: quia cùm meritum noſtrum ſit finitum & determinatum, adeòque adæquatè & abundantiſſimè compenſetur gratiâ & gloriâ nobis dandâ, decederet nobis, quidquid gratiæ & gloriæ alteri mereremur.

Non poſſe juſtum mereri de condigno remiſſionem propriarum culparum venialium Nonnulli cenſent,

Hinc exiſtimat *Lugo diſp. 9. de Pœnit. ſect. 2.* & alii quidam juſtum ne quidem ſibi poſſe mereri de condigno remiſſionem peccatorum venialium per actum pœnitentiæ, ſed tantùm de congruo: eò quòd actus ille de condigno mereatur gratiam & gloriam, ac per hanc mercedem adæquatè compenſetur, adeòque non videatur poſſe de condigno mereri alteram mercedem. 70.

Sed alii communiùs aſſerunt;

Verùm ſicut hoc non obſtante juſtus per actum meritorium gloriæ ſimul de condigno ſatisfacit pro pœna temporali relicta, ut etiam alii, nominatim *Lugo*, fatentur; ſic æquè facilè videri poteſt conſiſtere, quòd ſimul ſatisfaciat de condigno pro ipſa veniali culpa. Et ratio communis eſt: quia cùm juſtus ſit verè gloriâ dignus, poteſt etiam de condigno removere impedimenta retardantia ab ingreſſu, uti ſunt culpa venialis & pœna temporalis reſtans. Deinde nihil obeſt condignitati pœnitentiæ reſpectu culpæ, uti nec reſpectu pœnæ; cùm actus v.g. amoris Dei aut contritionis ſit ex parte actûs ſatis condignus, operans ſit juſtus, & adſit promiſſio remiſſionis tam culpæ quàm pœnæ. Nec idcirco ſtatuitur novum præmium poſitivum ejuſdem operis, ſed potiùs negativum, quo ſcilicet removetur impedimentum retardans proprium operis præmium, quod eſt gloria. Quod proinde non minuitur aut impeditur per hoc, quòd ſit ſatisfaciendum pro culpis venialibus: ſicut non minùs meretur de gloria, cui eſt ſatisfaciendum ſimul pro pœnis, quàm alter qui habet pœnas aliquas exolvendas. Sicut etiam non minuitur vis operis meritoria gloriæ per hoc quòd ſimul impetretur à Deo beneficium. Ita *Suarez*, *Averſa*, *Dicaſtillo* & alii paſſim ſatis probabiliter.

Qui tamen non levem patiuntur difficultatẽ.

Contra hanc tamen doctrinam formari poteſt objectio non ita facilis, quòd videlicet ſic duplex præmium eidem actui reſponderet, fundatum in una virtute ſeu vi operis, ſcilicet in ejuſdem bonitate, in qua fundatur, tum meritum gloriæ, tum meritum remiſſionis culpæ: ſecùs eſt de ſatisfactione pœnæ, utpotè fundatâ in operis difficultate ſeu pœnalitate. Reſp. id eſſe quoque ab aliis ſolvendum: cùm ſatisfactio pœnæ non ita fundetur in operis pœnalitate, quin etiam ſimul in operis, v.g. contritionis, bonitate, & circumſtantiis bonitatem augentibus, v.g. intenſione, duratione, appretiatione, ſine quibus opus non foret ſimpliciter vel non ita ſatisfactorium: adeòque pariter urgeri poſſet multiplex 71.

Ad quam reſponderi poteſt horũ ſententiæ inhærendo,

multiplex præmium, ſcilicet gloriæ & remiſſionis pœnæ, fundatum in eadem vi operis correſpondere unico operi. Dici itaque poſſet, in bonitate operis reperiri efficaciam, tum impetrandi beneficia, tum merendi bona poſitiva, tum compenſandi damna ſeu extinguendi debita etiam culparum venialium. Suntque hæ efficaciæ diverſæ rationis, nec una impedit alteram. Deinde remiſſio culpæ venialis eſt præmium negativum & ſubordinatum principali & poſitivo præmio gloriæ; prout etiam eſt remiſſio pœnæ: ſolùm autem repugnat eidem operi duplex præmium poſitivum non ſubordinatum. Unde etiam dato (quod abſolutè poſſibile Varii putant, Plures autem omnino impoſſibile) quòd contritio eſſet condigna ſatisfactio pro culpa mortali, utique ſimul de condigno mereretur gratiam, per quam fit remiſſio, & conſequenter gloriam. Idem ergò certè aſſeritur de facto quoad ſatisfactionem pro culpa veniali. Quod quidem faciliùs defenditur in ſententia *Scoti* & aliorum exiſtimantium per divinam ordinationem potuiſſe opus elevari ad duplex hujuſmodi præmium, etſi alioquin abundè compenſatum foret præmio poſitivo gloriæ.

Reſpondetur ad quãdam inſtantiam. Inſtabis: In humanis minueret Princeps præmium poſitivum ex condonatione culpæ ob idem meritum conceſſâ. Reſp. etiam minueret ob condonationem pœnæ (quæ ſaltem in humanis potiſſimùm conſideratur circa culpæ remiſſionem) & tamen etiam juxta alios ideo non minuit Deus. Deinde Deus non minuit vim impetrandi novum beneficium; quam certè minueret ob largitatem præmii reſpondentis Princeps humanus.

72. *An hæc ſatiſfactio, aut etiam ſatisfactio pro pœna ſit dicenda meritum condignum remiſſionis, eſt quæſtio merè de nomine.*

Hâc Doctrinâ ſuppoſitâ, dicendum conſequenter apparet, præter gloriam ejuſque augmentum, uti & augmentum gratiæ, ſub meritum condignum cadere etiam ipſam remiſſionem culpæ venialis. Quàmvis hoc ſpectet ad quæſtionem de nomine, an ſcilicet ſatisfactio pro culpa ſit appellanda meritum: de quo altercantur aliqui Auctores. Saltem uſitatiùs videtur ſatisfactio non vocari ſimpliciter meritum.

Unde etiam patet, quid dicendum ſit ad id quod ſolet objici, nempe quòd juſti ſatisfaciant de condigno ſaltem pro pœnis reſtantibus, idque non tantùm pro ſeipſis, ſed etiam pro aliis: nam etſi totum foret certum, ſatisfactio tamen præſertim pro pœna non conſuevit vocari meritum ſimpliciter vel ſtrictè; ideoque in operibus communiter diſtinguitur vis merendi, vis impetrandi, & vis ſatisfaciendi: quod tamen ſimiliter ad quæſtionem de voce ſpectat. Verùm de Satisfactione pro pœnis fuſiùs *quæſt. ult.* Hîc ſolùm nota, quòd alia ſit ratio de Satisfactione pro pœnis temporalibus alienis, quàm de merito gratiæ & gloriæ alienæ: nam per hoc quòd applicemus ſatisfactiones noſtras alteri, non minuitur propria ſanctitas aut meritum vitæ æternæ. Deinde cùm juſtis ſubinde ſatisfactiones ſuperfluant, & numquam merita, debent applicari aliis vel in theſauro Eccleſiæ reponi, adeòque congruebat, ut relinquerentur diſpoſitioni ipſius operantis.

73. *Deus præmiat ultra, & punit citra condignum.*

Petes, quo ſenſu intelligi debeat commune dictum Theologorum, quòd Deus bona opera remuneret ultra condignum, & mala puniat citra condignum? Quod etiam quoad priorem partem approbavit Sedes Apoſtolica damnans propoſitionem 14. *Baii*, ſaltem velut malè ſonantem, (quidquid ſit de fundamento ipſius Auctoris) quæ ſic habet: *Opera bona juſtorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm juſto Dei judicio merentur accipere.* Eamdem præmii exuberantiam ſignificant Patres *Fulgentius l. 1. ad Monimum c.* 10. & alii. Huc quoque accommodari ſolet illud *Lucæ* 6. *menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

74. *Variæ referuntur hujus vulgati explicationes quoad priorẽ ejus partem.*

Circa ſenſum vero hujus dicti quoad priorem partem multùm laborant illi Auctores, qui in operibus agnoſcunt valorem condignum præmii, etiam citra promiſſionem Dei. Quorum aliqui commune dictum explicant parum veroſimiliter de operibus conſideratis ut præſcindunt à gratia. Alii de præmio, non in ratione præmii, ſed rei, ſeu ſecundùm phyſicam perfectionem. Alii de beatitudine accidentali. Alii denique magìs conſequenter ad ſua principia dicunt, Deum bonis operibus, etſi ex ſe gloriâ dignis dare aliquod auctarium ſeu ſuperpondium ultra id quod valent, etiam ut fiunt à gratia: cùm etiam Princeps magnificus in humanis ultra ſalarium debitum operariis plerumque aliquid addat. Quod tamen auctarium etſi quidam dicant dari poſt præmium ac valorem operum taxatum ex liberalitate Dei taxam excedentis; idque ſervando proportionem juſtitiæ diſtributivæ (quàmvis & hoc neget *Bellarminus* exiſtimans Deum pro ſua voluntate difformiter in diverſis oſtendere ſuam liberalitatem) pleriſque tamen rectiùs videtur hoc auctarium in ipſa taxatione præmii eſſe incluſum.

75. *Facilior & probabilior ejuſdem explanatio.*

Nihilominus conſequenter ad noſtra principia multò faciliùs & probabiliùs reſpondetur, Deum quidem non compenſare bona opera ultra id quod promiſit ſeu decrevit illis retribuere; ſed cùm ſeclusâ Dei promiſſione non eſſent tam immenſo præmio digna, Deum equidem per ſuam promiſſionem illa ad tantum præmium elevaſſe.

Explicatio dicti quoad

Similiter *cùm miſericors ſit* (inquit *Chryſoſtomus Homil.* 37. *in Gen. paulo poſt med.*)

non

partem poſteriorem. *non ſolùm non inducit pœnas peccatis graviores, ſed & valde minores*: non quidem iis quas de facto decrevit, ſed quas ſine injuria aut indecentia infligere potuiſſet. Quod quidem ſatìs congruit juſto ac clementi Judici, cujus omnia opera ſunt miſericordia & veritas ſeu cujus operibus hæc utraque immiſcentur. Unde ita cenſent & loquuntur cum *D. Thoma* & *D. Bonaventurâ* Theologi communiter. Quàmvis *Eſtius* 4.*d*.46. §.4. multis conetur probare oppoſitum, quod conſequenter cenſet valde probabile. Quem ſequutus *Sylvius* 3. *p. q.* 99. *a.* 3. cenſet idem eſſe probabilius.

QUÆSTIO V.

Quid requiratur ad Meritum de congruo, & quænam ſub illud cadant?

76. *Datur meritum de congruo.* NULLUM Meritum de congruo dari contendit *Sotus lib.* 2. *de Natura & Gratia cap.*4. contra communem omnium aliorum Scolaſticorum doctrinam eò quòd in *Auguſtino* & Patribus nulla de hoc fiat mentio. Sed errat: nam etſi nomen non reperiatur in Patribus, res tamen ipſa habetur. *Auguſtinus enim Epiſt.* 105. & alibi admittit in fide meritum remiſſionis peccatorum; utique non condignum (cùm hoc ſit contra fidem) ergo congruum: quia (ut loquitur *ſup.*) *fides hanc impetrat.* Similia docet *Proſper contra Collatorem cap.* 6. & alibi. *Fulgentius* & alii Patres. Inſuper *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 6. explicat diſpoſitiones ad juſtitiam præparantes, & *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. docet contritionem impetrare veniam peccatorum; quod nos dicimus de congruo mereri. Immo res ipſa de ſe apparet manifeſta, terminis rectè explicatis. Aliquando autem hoc meritum appellatur impetratorium, ut ſignificetur effectum non eſſe rigorosè debitum, ſed maximè pendere à liberalitate dantis; uti in oratione. Quàmvis meritum congruum non ſemper ſit ſtrictè oratio, ſeu petitio expreſsè ad impetrandum directa; ſed quatenùs eſt honeſtum obſequium Deo præſtitum objectivè Deum moveat ad ejus intuitu bonum aliquod largiendum. Quod etiam convenit Chriſtianæ Orationi. Cui præterea competit vis quædam obtinendi rem petitam, quatenus eſt formaliter expreſſa petitio. Prout etiam in humanis paſſim aliquid obtinetur à perſona munifica, quia petitur, independenter ab obſequio præſtito.

77. *In quo conveniat cum merito condigno.* DICO I. Meritum de congruo convenit cum Merito condigno in hoc, quòd debeat eſſe opus liberum, honeſtum, & quodammodo relatum in Deum, & ſi fiat reſpectûs ad præmium ſupernaturale (ut communiter fit) procedens à gratia: non tamen ſufficit pura mali omiſſio, aut (ut quidam Semipelagiani) opus bonum, quod fieret, ſi homo ſuperviveret. Hæc omnia namque non fundantur in merito condigno præmii ſupernaturalis, quatenus condignum eſt, ſed in generali ratione meriti.

Dixi, *ad præmium ſupernaturale*: quia præmio naturali ſatìs proportionatum eſt opus bonum ſolis naturæ viribus factum. Immo poteſt dignitate excedere præmium illud in ſe conſideratum: ut proinde eſſe poſſet meritum condignum illius, accedente divinâ promiſſione factâ intuitu operis, & (ut Plures volunt, etſi non ſatìs probent) ſtatu gratiæ. *Opus naturale ſatìs eſt proportionatum præmio temporali,*

78. *Dùmodo ſit ſimpliciter bonum.* Nihilominus etiam reſpectu præmii temporalis debet opus eſſe ſimpliciter bonum, etiam ex circumſtantia: quàmvis Pauci hoc negent. Quibus non favet exemplum obſtetricum Ægypti *Exodi* 1. quibus Deus *ædificavit domos*; id eſt proſperitate temporali & poſteritate illas donavit, eò quòd occultaſſent maſculos Hebræorum; quàmvis ad hoc fuerint uſæ mendacio. Nàm Reſp. cum *Auguſtino qu.* 1. *in Exodum, & lib. contra mendacium cap.* 15. *&* 16. (ubi etiam tractat exemplum Rahab meretricis, quæ ad occultandum exploratores filiorum Iſrael adhibuit mendacium, & tamen mercedem à Deo accepit) eſſe affectas præmio, non quia mentitæ ſunt, ſed (ut ait Scriptura) *quia timuerunt Deum.* Ex hoc itaque timore conſervabant vitam maſculorum Hebræorum. Poſtea autem ad ſalvandam vitam propriam adhibuerunt mendacium; quo nihil meruerunt. Similiter in Rahab diſtinguenda eſt fides (à qua laudatur *Hebr.* 11.) & pietas erga Jſraëlitarum exploratores, à mendacio poſtea in executione adhibito. *Explicatur varia Scriptura, in quibus videri poſſet mala opera fuiſſe à Deo affecta præmio.*

Idem poteſt dici de Jehu 4. *Regum* 10. qui fraude concluſit ſacrificulos Baal interficiendos, ideoque ſtabilitatem regni adeptus eſt uſque ad quartam generationem: nam alia fuit in illo voluntas zelandi pro honore Dei contra cultores Baal, alia mandandi hunc zelum executioni mediante mendacio; quæ poſterior voluntas priorem non inficiebat. Ut omittam, quòd in hominibus ſimplicibus aut militaribus facilè potuerit ſubeſſe ignorantia malitiæ mendacii tali caſu & fine adhibiti. Quòd ſi nulla fuiſſet actio ſimpliciter bona in Jehu, conſequenter nec fuiſſet propriè meritum vel merces. Prout *A Lapide in cap.* 29. *Ezech.* veriùs putat, Nabuchodonozor ob expugnationem Tyri, affectu malo dominandi factam, accepiſſe mercedem (ſic vocat Scriptura) ſed impropriam & materialem à Deo, regnum ſcilicet Ægypti: Deus enim præſcius malam illius voluntatem ſubſervituram juſtè à ſe

à ſe intentæ punitioni Tyri voluit ſequi aliud bonum temporale, non quia placebat mala exequentis voluntas, ſed quia placebat effectus punitionis ex ea, non tamen quà malâ proveniens.

79. *In quo meritum congruum differat à condigno.* DICO II. Meritum congruum differt à condigno, quòd non requirat promiſſionem Dei de danda mercede, nec valorem ſeu condignitatem operis deſumptam tum ex ſtatu gratiæ, tum ex ipſa Dei promiſſione. Unde defectu ſtatûs gratiæ contritio peccatoris non eſt meritum condignum juſtificationis. Deinde plura opera, etiam juſtorum, defectu divinæ promiſſionis non merentur id, quod accedente promiſſione mereri condignè poſſent. Et hinc ordinariè dicitur meritum congruum: quia de ſe non habet effectum infallibilem in operis dignitate fundatum, ſed tantùm fundatum in quadam congruentia, & potiſſimùm pendentem à liberali beneplacito & beneficio Dei.

80. Dices: Si congruum ſit dari à Deo quòd de congruo meremur, jam hoc fiet ſemper infallibiliter: quia Deus neceſſariò facit, quidquid eum facere congruit. Reſp. *Effectum ordinariè non habet infallibilē.* Neg. Seq. ejuſque probationem: nam alioquin cùm Deus omnia congruè diſpoſuerit, non potuiſſet quidquam aliter diſponere, quàm ut modo diſpoſitum eſt. Unde quàmvis congruum ſit aliquid fieri, non ideo eſt incongruum ob alias juſtas cauſas ſubinde omitti. Interdum tamen meritum congruum habet infallibiliter conjunctum effectum ex liberalitate Dei per Scripturam revelatâ; prout habet perfecta peccatoris contritio adjunctam ſibi veniam peccatorum.

81. *Quænam generaliter cadant ſub meritum congruum.* DICO III. Omnia illa cadunt ſub meritum de congruo, quæ quidem non ſunt materia meriti condigni, & nihilominus habent aliquam proportionem, ac congruentiam talem cùm bonis operibus, ut rationabiliter eorum intuitu impetrentur à Deo: ut ſatis patet ex dictis de requiſitis ad meritum congruum. Quænam autem in particulari ſint talia, conſtabit ex ſequentibus Corollariis. Unde

82. *Sub illud non cadit prima gratia actualis ſeu ſalutis initium.* Sequitur I. Gratiam primam actualem non cadere ſub meritum congruum. Ratio eſt: quia gratia eſt principium omnis meriti; principium autem meriti non cadit ſub meritum. Immo in hoc conſiſtebat error *Semipelagianorum*, quòd gratiam Dei ſubjicerent humanæ voluntati, cui propriis viribus bene incipienti ac deſideranti illam dari dicebant, non tamquam ob meritum condignum, ſed congruum, ut tamquam probabilius contra aliquos defendit *Smiſing Tract. 3. diſput. 6. num.* 316. (Ubi ſe refert etiam ad *nu.* 311.) *& ſeqq. Præpoſitus* 1. *Parte quæſt.* 23. *num.* 30. & alii.

83. *Errorem Semipelagianorum quidam temerè impingunt veteribus Scholaſticis.* Non deſunt verò, qui huic errori *Semipelagianorum* attentarunt involvere præclariſſimos quoſque veterum Scholaſticorum, eò quòd interdum ſignificent hominem ex ſuis naturalibus cum communi influentia cauſæ primæ poſſe ſe diſponere ad gratiam. Pro quo loquendi modo *Smiſing Tract. 3. de Deo Uno diſput. 6. num.* 321. refert *Altiſiodorenſem, Alenſem, Albertum, D. Thomam, Richardum, Occam, Gabrielem, Scotum 4. diſt. 14. quæſt. 2. nu. 14.* & alios: quos ſanè omnes fuiſſe *Semipelagianos*, eſt incredibile, nec minùs facile omnes quàm aliquos rectè interpretari. *Qui ab hac nota meritò eximuntur.* Per naturalia itaque & communem Dei influentiam non excludunt auxilium gratiæ actualis, & concurſum proportionatum, qui ſuppoſito communi ſeu generali ordine gratiæ cenſeri poſſit communis influentia; ſed ſolùm excludunt gratiam habitualem ejuſve influentiam. Quod quidem de uno *Scoto* clariſſimum eſt ex iis quæ allegat *Smiſing ſup. num.* 324. & *Hugo Cavellus in Scholio.* *Notanter Scotus.* Nam *Scotus* volens oſtendere, quòd diſpoſitio prævia informis ſufficiat in fideli peccatore diſponente ſe per attritionem cum Sacramento ad gratiam juſtificantem, notat poſſe hominem *ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum ut offenſivum Dei &c. & ut impeditivum præmii, & inductivum ſupplicii.* Ad quod tamen conſiderandum requiritur lumen ſupernaturale fidei, juxta ipſum *Scotum ſup. quæſt. 3. num. 2.* & alibi. Et ad pœnitendum debere peccatorem divinâ gratiâ præveniri tradit *1. diſt. 44. quæſt. un. num. 4.* & *4. d. 20. quæſt. un. num. 3.* ubi ait: *cùm opus ſit non hominis, ſed Dei, fructuoſa pœnitentia, inſpirare eam poteſt quandocumque vult ſuâ miſericordiâ.* Et *2. diſt. 5. quæſt. 1. num. 2.* docet *non poſſe hominem mereri primam gratiam* per præviſum bonum uſum illius, *quia tunc gratia non eſſet gratia.* Plura adferre ſupervacaneum videtur. Proinde per naturalia non excludit auxilium divinæ gratiæ. Quod in *Quodlib. 14. num. 5.* utens ſimili locutione clariùs indicavit, dicens, quòd licèt ad fidem infuſam habendam poſſit homo *ex naturalibus ſe diſponere, non tamen ex naturalibus intrinſecis &c.* id eſt, naturæ viribus ſibi relictis, ſed motis & adjutis à Deo.

84. *Quid cenſendum de vulgato dicto:* Faciēti quod in ſe eſt, Deus nō denegat gratiam. Sed adhuc reſtat difficultas deſumpta ex antiquo, & non ſolùm apud Scholaſticos, ſed etiam apud Concionatores & ſimplices Chriſtianos vulgato dicto: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Quod cum nonnullis ſupercilioſis Cenſoribus mox ad Semipelagianiſmum rejicere, difficile eſt. Poteſt itaque diverſimodè explicari citra notam erroris. Nam in primis *Leſſius, Arriaga*, & plures Recentiores illud defendunt intellectum de faciente quod in ſe eſt etiam viribus naturæ, non quòd opera naturæ ſint vera ad juſtitiam diſpoſitio, aut meritum etiam congruum

gruum gratiæ (prout aſſerebant *Semipelagiani)* cum qua utique non habent convenientiam vel proportionem, ſed quòd illa operans, & quantùm in ſe eſt ductum naturæ ſequens, non ponat obicem novum gratiæ Dei; qui cùm velit omnium ſalutem & juſtitiam, adeòque paratus ſit omnes illuminare & ſanare, piè credatur, iis ſaltem non defuturum, qui (ſi tamen tales aliqui ſint, citra gratiam) pro modulo ſuo in ordine naturæ operantes nova gratiæ obſtacula non ponunt. Secundò & rectè intelligi poteſt cum Doctoribus paſſim(& confirmat *D. Boavent. 2. d.*28. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. *&* 5.) de faciente quod in ſe eſt viribus naturæ per gratiam adjutæ. Et ſic dictis non obſtat,ut patet. Nec coincidit cum errore *Semipelagianorum*, qui loquebantur de viribus ſolius liberi arbitrii.

Utraque autem explicatio intelligitur hoc modo, quòd Deus non deneget gratias ulteriores ſufficientes, non autem quòd ſemper det efficaces: quas ſæpè denegat etiam homini juſto, qui facit cum gratia quod in ſe eſt. *Semipelagiani* autem dicebant, Deum tunc ſemper dare auxilium congruum, quo obtineatur effectus. Deinde non intelligitur, quaſi ſoli facienti quod in ſe eſt detur gratia, prout *Semipelagiani* voluiſſe videntur, ut ſic Deum ab acceptione perſonarum liberarent, & ſalutem in hominis arbitrio conſtituerent: quandoquidem Deus gratiam abundantiorem & efficaciorem iis frequenter det,qui,quod in ſe eſt, non fecerunt.

85.

Primâ gratiâ vocante ſuppoſitâ poteſt homo mereri de congruo ulteriora ad juſtificationem & ſalutem auxilia.

Sequitur II. ſuppoſitâ primâ gratiâ vocationis, adeòque juſtificatione quodammodo jam inchoatâ, nos poſſe de congruo mereri ulteriora auxilia, quibus ad fidem perfectam & juſtificationem perducamur: acceptâ namque per divinam vocationem aliquali notitiâ Dei, & fide inchoatâ, poſſumus cum divina gratia orando impetrare, adeòque de congruo mereri fidem perfectam, & per hanc ulteriores ad juſtificationem diſpoſitiones. *Non enim* (inquit *Proſper contra Collatorem cap. 6.*) *nullius meriti haberi poteſt petentis fides.* Et *Auguſt. Epiſt.* 105. ait: *Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat; Deus propitius eſto mihi peccatori; & deſcendit juſtificatus. Reſtat igitur ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium, non humano, quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio,nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque ſunt merita.* Et *Epiſt.*106. *Si quis dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur,negare non poſſumus.*

Unde Auguſtinus docet fidem mereri juſtificationem de congruo,

Quod nunquam retractavit,

Neque *Auguſtinus l.*1. *Retract. cap.*23. retractavit hanc propoſitionem: *Fides meretur juſtificationem* (ut vult *D. Thomas quæſt.ult. art.*5. *ad* 1.) quin immo expreſsè eamdem confirmat, retractans ſolùm, quod olim in *Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Rom.* docuerat; videlicet initium fidei eſſe ex nobis, ſive meritum præcedere fidem.

Sequitur III. Nos multò magìs poſſe de congruo mereri juſtificationem per diſpoſitionem proximam, ſcilicet contritionem, ut contra *D. Thomam ſup. Vaſquez* & *Valentia ibid.* docet *Scotus* 4. *d.*14. *quæſt.* 2. *num.* 14. *Gabriel*, *Vega*, *Bellarminus*, *Suarez* & paſſim alii. Colligiturque ex *Auguſtino Tract.*44. *in Joan.* ubì de confeſſione Publicani, dicentis: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, ait: *Iſta ergo confeſſio meruit juſtificationem.* Et *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. de contritione docet,quòd impetret veniam peccatorum. Et de attritione *ibid.* ait: *Ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Sanè ſi fides vel oratio impetret ſaltem mediatè veniam, adeòque de congruo mereatur; quid ni ſimiliter illam mereatur diſpoſitio proxima,ipſaque peccati retractatio? 86.

Ex quo à fortiori ſequitur contritionem mereri de congruo juſtificationem.

Quod ipſum quoque ſatis colligitur ex Auguſtino & Concilio Tridentino.

Sequitur IV. Nos etiam poſſe de congruo mereri reparationem poſt lapſum; ut contra *D. Thomam quæſt. ult. art.* 7. *Vaſquez*, & *Valentia* docet *D. Bonavent.* 2. *diſt.* 28. *in Expoſit. textûs dub.* 2. *Scotus* 4. *diſt.* 22. *num.* 13. id confirmans pulchro exemplo, *Bellarminus* & alii paſſim. Ratio eſt: quia ſi homo jam lapſus in peccatum,adeòque de facto inimicus Dei, poſſit illam ſuppliciter emereri; cur id non poſſit, qui necdum lapſus eſt, adeòque adhuc amicus Dei manet? Confirmatur: quia congruum eſt, ut fidelis Dei ſeruus, in peccatum fortè cadens, in illo ob priora ſeruitia non relinquatur; poteſtque ipſe Deum orare, ut ſi fortè ceciderit, per divinam gratiam adjiciat ut reſurgat:adeòque congruum eſt divinæ pietati,ut exaudiat, & ſupponat manum ſuam. 87.

Poteſt quoque juſtus de congruo ſibi mereri reparationem poſt lapſum.

Nec obſtat quòd merita per peccatum mortificentur: non enim niſi condigna mortificantur, remanente merito congruo; cujus non minùs eſt capax juſtus ſemel lapſus ob merita facta in ſtatu gratiæ, quàm ob facta in ſtatu peccati. Et de ſolo condigno explicandus eſt *Ezechiel cap.* 18. dicens: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.*

Per quem non mortificantur merita cõgrua; ſed condigna.

Sequitur V. Nos poſſe de congruo mereri finalem perſeverantiam, ut contra Nonnullos docent plerique Doctores cum *Auguſtino lib. de bono perſev. cap.*6. ubì ait: *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt;* 88.

Item poſſumus cõgruè nobis mereri finalem perſeverantiam.

teſt; ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Ratio eſt: quia convenit amicos & filios exaudiri in iis, quæ poſtulant ad vitæ æternæ conſecutionem. Deinde juſtos hortatur Deus, ut petant perſeverantiam: ergo poſſunt eam de congruo mereri bonis operibus ſæpè & ferventer exercitis; non tamen ita, quòd ſemel preces fundendo, aut ſemel bene operando, etiam ad illum finem, aliquis abſolutè obtineat perſeverantiam, ſed quòd ſaltem impetret auxilia pro aliquo tempore.

Nec inde ſequitur infallibiliter obtenturum perſeverantiam, qui pro illa aſſiduè oraret: nam quod cadit ſub meritum de congruo, non eſt ideo infallibile, ſed ſicuti gratis & liberaliter à Deo datur, ſic ſæpè juſtis de cauſis negatur.

89. *Hæc eadem beneficia poteſt fidelis præſertim juſtus de congruo mereri alteri.*

Sequitur VI. Nos hæc eadem poſſe mereri alteri de congruo, ſcilicet peccatori juſtificationem, lapſo reparationem, juſto perſeverantiam: cùm etiam pro aliis in hunc finem oremus, & offeramus opera noſtra Deo, qui convenienter filios præſertim & amicos ſuos etiam pro aliis orantes exaudit. Unde *Auguſt. ſup. cap.* 7. ait: *Orat*, Eccleſia, *ut credentes perſeverent.* Et patet ex Litaniis ac Orationibus Eccleſiæ. Immo poſſumus aliis de congruo mereri etiam primam gratiam vocantem: nam ad hoc non requiritur gratia in altero, ſed ſufficit, ut præcedat in nobis, qui alteri meremur. Sic converſio S. Pauli tribuitur merito S. Stephani orantis, converſio S. Auguſtini lacrymis S. Monicæ. Numquam tamen meremur de congruo alteri immediatè juſtificationem vel reparationem poſt lapſum, ſed mediatè, quatenus obtinemus alteri gratiam efficacem, tum credendi, tum pœnitendi de peccatis.

Atque inſuper etiam primam gratiam vocantem.

QUÆSTIO VI.

Unde pendeat Augmentum Meriti?

90. *Ex variis capitibus creſcit meritum, ex quibus creſcit operis bonitas.*

RESP. ex omnibus illis, ex quibus pendet vel creſcit bonitas actûs humani: nam quò major eſt bonitas, eò major eſt valor operis & condignitas ad præmium. Unde creſcit meritum I. ex majori præſtantia objecti. II. ex præſtantiori fine extrinſeco. III. ex majori libertate: ſicut enim ratione minoris libertatis minuitur peccatum, ita ex majori libertate videtur augeri meritum. IV. ex majori intenſione & fervore: nam & hinc actus fit melior, utì actus malus fit pejor. V. ex majori extenſione ſeu continuatione: quæ ſicut certò eſt circumſtantia peccatum & demeritum aggravans, ſic etiam augens bonitatem & meritum. Confirmatur ex eo quòd pius ſancti laboris impendatur in actu honeſto, quò diutiùs continuatur; *unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* 1. *ad Cor.* 3. Undè rectè *Cyprianus Epiſt.* 16. *ad Sanctos Confeſſores* ait: *Ad faſtigia celſiora morâ ipſâ paſſionis aſcenditis &c.*

91. *Difficultas gravis contra augmentum meriti ex duratione proveniens proponitur.*

Sed contra hoc objici ſolet, quòd in quovis tempore aut temporis parte ſint infinita inſtantia & partes proportionales; adeòque ſi duratio augeat meritum, ſequi videtur, quòd meritum excreſcet in infinitum; utpote correſpondens infinitis inſtantibus & partibus temporis, quibus durat actus bonus per aliquod tempus continuatus.

In qua ſolvenda varii laborant Auctores.

Difficultas hæc adeò torquet Doctorum ingenia, ut quot ſunt capita, tot ferè ſint ſolutiones. Quarum pluribus refutatis *Præpoſitus qu.* 114. *art.* 8. *dub.* 6. in fine ait; quòd licèt argumentum commodè ſolvi non poſſit, non propterea ſit negandum quòd meritum ſemper augeatur, quamdiu actus continuatur liberè: hoc enim multò notius eſt, quàm ut à Theologo negari queat (etſi Nonnulli hoc negaverint) propter intricatam difficultatem continui non ſatis explicabilem.

Solvitur.

Nihilominus reſponderi in primis poteſt valde probabiliter falſum videri quod aſſumitur. Deinde etſi verum foret, ad ſummum inde ſequeretur quod præmium ſincategorematicè ſive ſecundùm partes proportionales infinitum eſſe debeat, utì duratio ipſius actûs. Tertiò tantùm augetur meritum ex partibus temporum aliquotis ſeu determinatis, in quibus actus continuatur liberè: reſpondetque actui ratione hujuſmodi continuationum præmium à Divina Sapientia taxatum, ſecundùm proportionem moralem, non arithmeticam, ipſi Deo cognitam, qui optimè novit & vult cuncta ſic diſponere, ut nil meriti aut meritoriarum circumſtantiarum careat abundanti mercede, & hæc tamen maneat ſimpliciter finita.

92. *Qualiter ex modo tendendi in objectum creſcat meritum.*

Sextò augetur meritum ex modo tendendi in objectum. Hinc ad rationem meriti maximè conferunt voluntates robuſtæ & efficaces: & inter has, quæ univerſaliùs (id eſt circa plura objecta, v.g. ſi quis firmiter ſtatuat multas virtutes exercere) & puriùs (id eſt magis propter Deum, ipſamque virtutis honeſtatem) ac denique quæ magìs appretiativè voluntatem noſtram divinæ ſubjiciunt. Propter quod virtus charitatis à multis cenſetur eſſe perfectiſſima.

93. *Item ex quantitate rei oblatæ.*

Septimò ex quantitate & valore rei quæ offertur, non tantùm verbaliter (ut ſæpè fit, quando Deo offerimus ingentes illas voluntates tanta patiendi, quanta paſſi ſunt

ſi ſunt omnes martyres) ſed etiam realiter & cum effectu. Unde qui dat pauperi 100. plus ceteris paribus meretur, quàm qui tantùm dat 50. quia actus talis eſt melior, & re ipsâ magìs aſſequitur ſuum finem, v.g. efficaciùs ſublevat miſeriam proximi.

Ceteris paribus.

Dixi (quod etiam in aliis eſt ſubintelligendum) *ceteris paribus*: quia non ſolùm ſpectanda eſt quantitas augens meritum, præcisè ex eo quod datur, ſed ſimul attentâ facultate dantis, qui majori commoditate; immo quodammodò neceſſariis ſe privat: nam moraliter plus dare cenſetur qui habens 100. dat 50. quàm qui habens 1000. dat 100. Hâc ratione vidua Evangelica quæ miſerat duo tantùm minuta in gazophylacium dicitur *Marci* 12. plus ceteris dediſſe. Spectandum etiam eſt, an quis offerat rem ſuam, privando ſe fructu & dominio illius, an verò alienam, vel non ſuo nomine, ſed tamquam delegatus.

94. *Inſuper ex difficultate operis.*

Octavò creſcit meritum ex difficultate operis. Pro cujus intellectu

Quæ triplex eſt.

Nota difficultatem poſſe oriri ex triplici capite. Primò ex natura objecti; ut eſt pati gravia tormenta, facere auſteram pœnitentiam. Secundò ex debilitate ſubjecti: quo modo naturâ teneriores difficiliùs patiuntur dura. Tertiò ex vitioſa inclinatione: prout dediti pravæ conſuetudini difficiliùs abſtinent à peccatis. Ex oppoſito facilitas etiam oritur ex natura operis, vel ex conditione operantis, aut ex habitibus virtutum. Hoc notato

Uti & oppoſita facilitas.

Et quidem difficultas præcisè non videtur ratio majoris meriti.

Dico, quòd ipſa quidem difficultas præcisè non videatur ratio majoris meriti: quia ſicut idcirco præcisè non eſt res in ſe melior, ſic nec actus qui circa illam verſatur. Sed hoc oritur ex bonitate quam amamus, idque eò appretiativè perfectiùs, quò plura & difficiliora propter illam vi iſtius amoris præſtare parati ſumus. Alioquin ſuppoſitâ æquali appretiatione rei, adeòque æquali quoad omnia perfectione actuum internorum, erit æquale meritum, etſi unus & non alter difficultatem patiatur.

Suppoſitâ æquali per omnia perfectione actuum internorum.

95. *Per accidēs tamen qualiter augeat ſæpè meritū declaratur.*

Difficultas itaque quæ naſcitur ex natura operis, per accidens ſæpè auget meritum: quia reddit ipſum opus utilius ad finem intentum, v. g. domandam carnem, exercendam patientiam &c. Deinde eadem difficultas, uti & illa quæ naſcitur ex debilitate operantis, frequenter auget meritum: quia eſt objectum exigens amorem finis appretiativè perfectiorem, ejuſque ſignum, quatenus ob illud operans debet eſſe paratus aggredi opus tam difficile. Quod locum etiam habere poteſt, etſi difficultas oriatur ex vitioſa inclinatione, quando ſcilicet ipſum ſeriò pœnitet illius inclinationis, & poſtea ſeriò conaretur in contrarium: hic enim actus ſive conatus ceteris paribus eſſet perfectior, quatenus ex vi illius de facto pro Deo ſuperaretur major difficultas; in quo conſiſtit major appretiatio.

Dixi, *ceteris paribus*: plerumque enim cetera non ſunt paria. Difficultas namque ordinariè eſt occaſio, cur res minùs ferventer, ac minùs conſtanter ametur; ideoque voluntas ſæpè deficit, etſi dum amat, magìs appretiet, ſeu potiùs etſi ad amorem requiratur major appretiatio, quàm ſi difficultas abeſſet. E contrà verò quævis facilitas notabiliter auget meritum: etſi enim ſæpè ſit cauſa, cur eliciatur amor imperfectior, unde meritum minuitur; facit tamen ut eliciatur ſæpiùs, intenſiùs, & magìs conſtanter. Immo facilitas, quæ oritur ex virtutibus, eſt etiam per ſe ratio, cur eliciatur actus longè perfectior quàm eliciat alter, qui ob virtutum carentiam cum difficultate operatur: quia etſi abſentia difficultatis ad operandum amorem appretiativè tam perfectum non exigat; hunc tamen non excludit, ſed ordinariè concomitantem habet in perſonis exercitatis in virtute, quæ Deum & omnem honeſtatem perfectiſſimè appretiant, duriſſima quævis perferre paratæ, etſi de facto difficultatem non ſentiant. Ideoque actus ſine comparatione perfectiores appretiativè & intenſivè elicuerunt B. Virgo & alii Sancti, qui abſque labore, immo cum ſumma voluptate viam virtutum cucurrerunt. 96.

Qualiter facilitas plerumque augeat meritum.

Illa præſertim quæ ex virtutibus naſcitur.

Nonò denique creſcit Meritum ex dignitate operantis, ex qua Chriſti meritum fuit valoris infiniti ſimpliciter juxta plurimos Theologos, aut ſaltem ſecundùm quid: eò quòd actiones ſint ſuppoſitorum; Chriſtus autem ſit divinum ſuppoſitum, & perſona ſubſtantialis infinitè digna; ob quam dignitatem omnia illius opera ad tam immenſum præmium Deus acceptavit. 97.

Denique creſcit meritum ex dignitate operantis.

Sed dubium eſt, an etiam creſcat meritum præmii eſſentialis ex majori ſanctitate accidentali operantis, ſive ex majori gratia ſanctificante. Affirmant *Suarez* & alii multi Recentiores, idque piè & probabiliter: tum à ſimili deſumpto ex meritis Chriſti: tum quia etiam in humanis opus eò eſt dignius & magìs æſtimabile, quò operans eſt dignior. Tum denique quia dignitas perſonæ eſt neceſſaria ad meritum condignum; ergo major dignitas videtur etiam facere ad majorem condignitatem meriti. 98.

Iuxta multos etiam ex majore ſanctitate accidentali.

Nec obſtat, quòd circumſtantia non poſſit augere bonitatem actûs, niſi cognita: homo autem neſciat quantam gratiam habeat, adeòque actus hinc non poſſit accipere majorem bonitatem: nam equidem poſſet inde accipere majorem valorem & dignitatem: ſicut ex ſtatu gratiæ ſecun-

ſecundùm ſubſtantiam accipit opus condignitatem, etſi operans non ſciat ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Adverte tamen, in hac opinione neceſſariò dicendum eſſe, quòd etſi major ſanctitas conferat ad majus meritum, & quidem ſubſtantialis Chriſti dignitas infinita juxta Doctores paſſim communicaverit ſe velut totam operibus illius; aliud tamen ſit in dignitate ſive ſanctitate accidentali, quæ habet ſe tantùm ut circumſtantia extrinſeca: ideòque facilè poteſt aliquam ſemper dignitatem communicare actui, etſi non tantam quantum ipſa continet, ſed ſecundùm aliquam proportionem Deo notam. Incredibile enim videtur, quod ultra meritum correſpondens actui tot ſemper forent alii gradus, quot ſunt gradus in ſanctitate operantis.

99. *Quod tamen plures probabiliter negant,*

Oppoſitum nihilominus eſt valde probabile; idque docet *Vaſquez* & plures alii. Immo *Arriaga d.*55.*ſect.*4 dicit eſſe communiſſimum inter Theologos, ita ut ipſe *Suarez* fateatur, non niſi *Joannem Penna* in M. S. Et *Victoria* ſubobſcurè ſtare pro altera ſententia. Cenſent itaque *Vaſquez* & *Arriaga* opus magìs ſancti, eſto ſit magìs dignum præmio, non tamen eſſe dignum majori præmio. Nec aliud convincunt fundamenta alterius opinionis. Exemplum Chriſti ſicut non eſt per omnia ſimile, ne alioquin nimiùm probet (ut etiam alii fatentur) ſic pari facilitate dici poſſet, non eſſe ſimile quantùm ad intentum alterius opinionis. Confirmatur: quia difficile eſt explicatu, quomodo alioquin duplo ſanctior non mereatur duplo majus præmium; quandoquidem uno gradu ſanctior mereatur majus præmium, ſaltem ad unum gradum. Deinde major indignitas peccatoris non auget demeritum in ordine ad majorem pœnam; ergo nec major gratia hominis juſti auget meritum in ordine ad majus præmium. Denique potuiſſet indubiè divinâ acceptatione ſeu ordinatione conſtitui, ut magìs juſtus eſſet quidem magìs dignus gloriâ, non tamen dignus majori gloriâ; ſicut contritio peccatoris reſpicit idem planè præmium de congruo, quod æquale opus juſti de condigno: non conſtat autem Deum de facto annexuiſſe majori gratiæ præter majoritatem condignitatis inſuper majoritatem præmii; & non potiùs ſtatuiſſe filiationem in ordine ad hunc effectum velut in indiviſibili, ut nimirum ideo opus ceteris conditionibus veſtitum, mereatur retributionem hereditatis, quia filii, ſervatâ ceteroqui proportione inter præmii quantitatem & operis ipſius qualitatem. Proinde res iſta veluti incerta nequit certitudinaliter definiri.

Ut proinde res ſit incerta.

QUÆSTIO VII.

De Satisfactione, prout eſt opus operantis.

100. *Satisfactio affinis merito.*

BONA opera non ſolùm habent vim merendi præmium, & impetrandi beneficia, ſed etiam ſatisfaciendi pro pœna. Porrò vis ſatisfaciendi adeò affinis eſt merito, ut etiam nomen illius ſubinde participet: ideòque convenienter poſt abſolutam tractationem de Merito, ſubjungitur tractatio de Satisfactione; præſertim quia in 3. Parte potiùs conſideratur ipſa quatenus vim habet ex opere operato, prout habet ſatisfactio Sacramentalis. Qualem vim etiam habet ſatisfactio Chriſti & Sanctorum, quæ per indulgentias fidelibus applicatur.

101. *Vim ſatisfaciendi pro pœna operibus bonis adimunt Hæretici, ex falſis fundamentis.*

Hæretici recentiores bonis operibus adimunt vim ſatisfaciendi pro pœnis temporalibus. Partim quia negant reatum pœnæ temporalis poſt peccati remiſſionem manere; quod ſuperiùs refutatum eſt. Partim quia exiſtimant per hoc detrahi ſatisfactionibus Chriſti; quod falſum eſſe patet ex dictis in ſimili de Merito: ſatisfactiones enim Chriſti in ſuo ordine ſufficientiſſimæ debent inſtar cauſæ generalis noſtræ ſatisfactioni applicari, & in illam influere: nam (ut tradit *Trid.ſeſſ.*14.*c.* 8.) noſtra ſatisfactio eſt per Chriſtum & ab eo vim habet, ab illo offertur Patri, & per illum acceptatur à Patre.

102. *Sed illum tribuit fides Catholica;*

Unde veritas Catholica habet, hominem per opera pœnitentiæ verè ſatisfacere pro pœna temporali remiſſis peccatis debitâ. Ita definit *Trid.ſup.can.* 12.13.*&* 14. Idem ſemper habuit Eccleſiæ ſenſus & uſus perpetuus. Ideoque fideles ſoliciti ſunt non ſolùm opera ſatisfactoria exercere, ſed etiam indulgentias lucrari. Ideo quoque in Sacramento pœnitentiæ imponitur ſatisfactio, ut eò efficaciùs pœna temporalis plerumque remanens deleatur. Ideo inſuper Scriptura toties commendat orationes, jejunia & eleemoſynas, ſcilicet ad avertendam iram Dei, pœnaſque peccatis debitas redimendas. Denique accedit conſenſus Patrum, ut videre eſt apud *Bellarminum l.*4.*De pœnit.* à *cap.*3. Et alios qui de controverſiis tractant.

103. *Et quidem de condigno juxta communiſſimã Theologorũ doctrinam.*

Habent autem opera pœnitentiæ hanc vim ſatisfaciendi de condigno; ut docent communiſſimè Theologi, vix paucis exceptis. Et probatur I. ex auctoritate trium Pontificum, qui damnarunt hanc *Bay* propoſitionem: *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.* Deinde alioquin pœnitentia non valeret aliter vel ampliùs ad remiſſionem reſiduæ pœnæ temporalis, quàm ad remiſſionem

nem culpæ & pœnæ æternæ, cùm ad hanc diſponat etiam de congruo; & tamen non dicimur ſatisfacere pro culpa & pœna æterna. Denique opera pœnalia juſtorum, ſunt ad hoc non minùs, immo magìs proportionata, quàm ad promerendam de condigno gloriam. Confirmatur: quia æquum eſt, ut ſicut juſti de condigno merentur gloriam, ſic etiam de condigno poſſint auferre pœnas aditum ad gloriam retardantes.

104. *Neque ideo meritum gloriæ minuitur.*

Neque ideo meritum gloriæ minuitur; ſicut nec accreſcit, ſi pœnæ exſolvendæ deſint. Eſt namque diverſus reſpectus, nec unus altero compenſatur. Opus enim eſt meritorium, quatenus eſt opus filii factum in honorem & obſequium munificentiſſimi Patris: eſt autem ſatisfactorium, quatenus eſt pœnale, & pœnam ſuſtinendo ipſe operans ſe Deo ſubjicit ad reparationem auctoritatis læſæ per ſuum peccatum: ideoque Deus pœnam remittit, punitione voluntariâ hominis contentus. Propter quod ceteris paribus opus bonum eò ad ſatisfaciendum eſt aptius, quò ex natura ſua eſt magìs pœnale. Quàmvis alioquin omne opus bonum meritorium ſit etiam ſatisfactorium, ut rectè *Scotus* & alii paſſim docent: nam omne opus tale ratione difficultatis ſeu arduitatis ſuæ aut ratione operantis habet in hac vita aliquid pœnalitatis & laboris. Ideoque non videtur diſſenſio inter Doctores quàmvis aliqui dicant ſola bona opera pœnalia eſſe ſatisfactoria.

Omne bonũ opus meritorium eſt ſimul ſatisfactorium pro pœna.

105. *Non poſſumus condignè tollere vel impedire pœnas hujus vitæ, quas interdum Deus abſolutè vult inferre,*

Adverte I. communem doctrinam intelligi de pœna ordinaria ac per ſe reſpondente peccato, quæque aliàs eſſet in purgatorio perſolvenda: non autem de ea, quam Deus ſubinde abſolutè vult in hac vita extraordinariè infligere; ut patet in pœnis, quas Deus omnino voluit inferre Davidi ob ejus adulterium & homicidium ac numerationem populi; quas afflictionibus aſſumptis David avertere non potuit.

Neque etiã per quodvis opus ſatisfacere pro integro reatu pœnæ quantũmlibet magnæ.

Adverte II. non per quodvis opus ſatisfieri pro tota pœna; ut ſatis patet ex uſu Eccleſiæ & ſenſu Fidelium. Nec enim quodlibet eſt æquè proportionatum pro quantalibet pœna temporali, uti nec pro quantalibet gloria. Idemque congruebat divinæ juſtitiæ, peccatorum cautelæ, ac ſatisfactionum ſtudio.

106. *Ad condignam ſatisfactionem neceſſaria eſt divina promiſſio ſeu acceptatio.*

Adverte III. quòd etſi operibus inſit quędam proportio ad ſolvendum pro pœna, ſicut ad promerendam gloriam; accedere tamen debeat divina promiſſio; ſive ut ſatisfactionis valor compleatur, ſive ut Deus ſaltem obligetur eſſe contentus. Sic defectu promiſſionis Dei opera ſatisfactoria non habent certam vim ad avertenda flagella hujus vitæ longè minora. Itaque ſimiliter potuiſſet Deus nolle acceptare noſtras ſatisfactiones, ſed determinatè velle nos in purgatorio ſatiſpati. Quemadmodum judex poteſt nolle acceptare compenſationem à reo exhibendam, ſed velle determinatè illam, quam per legem aut ſententiam taxavit. Quare *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 8. meminit acceptationis Patris cæleſtis, & *cap. ſeq.* commemorat divinæ munificentiæ largitatem in hoc relucentem.

Unde non rectè *Vaſquez* 3. *parte q.* 94. *a.* 1. *dub.* 3. *n.* 6. docet, quòd etſi Deus potuiſſet non retribuere meritum ſecluſâ promiſſione, non tamen juſtè poſſet punire eum qui ſatisfecit, aut non acceptare, eò quòd debitum nequeat exigi ab eo qui jam ſolvit: conſtat enim ex dictis, quòd potuiſſet non acceptare.

107. *Non requiritur intentio ſatisfaciendi.*

Adverte IV. non requiri ut ſatisfactio fiat ex animo ſatisfaciendi ſive ſolvendi debitum pœnæ, juxta Doctores communiter. Quemadmodum in merito non requiritur intentio præmii: immo quò magìs liberaliter & abſque intuitu lucri quìs Deum diligit, eò amplius præmium meretur. Sicut itaque meritum Deus acceptat ad præmium, ſic ſatisfactionem ad remiſſionem pœnæ, etſi ex aliquo alio motivo fiat, idque ceteris paribus magìs, quò motivum eſt perfectius. Addit *Suarez* neminem eſſe, quin formaliter vel virtualiter intendat apud Deum conſequi omnem ſpiritualem effectum ſuis operibus proportionatum. Sed quantumvis aliquis in animo renunciaret omni ſuæ utilitati, & ex puro amore Dei, vel ex zelo juſtitiæ diceret, ſe ita velle ſolùm placere Deo, ut contentus ſit nullam mercedem accipere, aut cupiat equidem ſubire pœnam peccatis remiſſis debitam, adhuc non minùs mercedem augeret & pœnam minueret. Quare etiam in humanis, ſi debitor dicat ſe dare v. g. centum animo donandi, & non ſolvendi, & tamen creditor dicat ſe velle ea ſuſcipere pro ſolutione debiti, verè ille manet liber à debito. Quòd ſi tamen abſolutè nollet quis ſatisfacere pro ſe ipſo, ſed etiam in caſu indigentiæ propriæ vellet ſatisfactiones ſuas Theſauro Eccleſiæ potiùs relinquere, an Deus illas ad hunc effectum ſuſpenderet? novit ipſe.

108. *Opera etiã præcepta ſunt ſatisfactoria.*

Adverte V. non ſolùm opera conſilii, ſed etiam præcepti, ſive externa, ſive merè interna eſſe ſatisfactoria, uti indubiè ſunt meritoria. Ut tamen de facto ſatisfaciant, requiritur aliqua indigentia, videlicet quòd reſtent aliquæ pœnæ temporales exſolvendæ. Requiritur etiam à pleriſq; Doctoribus ſtatus gratiæ Hoc tamen Nonulli negant: cùm ſatisfactio ſit tantùm pœnæ ſolutio ſeu compenſatio, quæ non videtur apertè repugnare homini exiſtenti in malo ſtatu, qui poteſt habere aliquas pœnas peccatis antea remiſſis debitas. Aliundè etiam apparet ſatisfactionem peccatoris poſſe habere ſufficientem valorem in ordine ad pœnas extinguendas. Ipſumque *Trident. ſeſſ.* 6. *cap.* 16. ex profeſſo tractans de proprio juſtificationis fructu cenſet eum coinci-

Requiritur tamen indigentia, & juxta ſtatus gratia.

coincidere cum merito; ut ex ipſo titulo patet. Communis nihilominus doctrina eſt in contrarium: eique favet *Trid. ſeſſ.*14.*c.*8. De cetero conditiones Meriti & Satisfactionis ferè coincidunt.

109. *Ad orationem, jejunium & eleemoſynā, cetera opera ſatisfactoria revocantur.*

Advette VI. inter Satisfactiones præcipuè enumerari ſolere Orationem, Jejunium & Eleemoſynam. Ad quæ debent cetera revocari: ad orationem quidem actus religioſi ſpectantes ad cultum Dei: ad jejunium, omnes corporales aſperitates & carnis macerationes, ac ſui ipſius mortificationes: ad eleemoſynam, omnia miſericordiæ, & ſuccursûs proximi opera, tam ſpiritualia quàm corporalia, ſive etiam omnis pius uſus rerum externarum.

Quanti valeat patiens tolerantia adverſitatum divinitùs immiſſarū,

Docet præterea *Trid. ſeſſ.*14. *c.*9. *tantam eſſe divina munificentia largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jeſum Chriſtum ſatisfacere valeamus.*

110. *Præſente ſcilicet actu, quo voluntariè de manu Domini accipiuntur.*

Hinc Aliqui exiſtimarunt ipſam paſſionem, ſeu externa flagella nobis à Deo immiſſa, habere vim ſatisfaciendi apud Deum, etiam independenter ab actu interno patientiæ. Immo (ut affirmat *Ledeſma* & dubitat *Sotus*) etſi adſit impatientia venialiter culpabilis. Sed communiter alii Doctores requirunt actum internum bonum: cùm aliàs locum habere nequeat voluntaria ſatisfactio; qualis eſſe debet, ut vera ſatisfactio ſit.

111. *Quo poſito putāt Nonnulli etiam ipſam externam paſſionem ſeu flagella habere vim ſatisfaciēdi ſpecialem,*

Accedente autem actu interno bono, quo de manu Dei accipiuntur, exiſtimant aliqui Doctores etiam ipſam paſſionem ſeu flagella à Deo immiſſa habere ſimul vim ſatisfaciendi, uti externus actus liber ſimul cum interno eſt meritorius & ſatisfactorius. Ita *Suarez, Lugo*, & alii. Sed hoc difficile eſt: nam iſta flagella non procedunt à noſtra voluntate tamquam actus imperati, neque ab ea dependent, ſuntque tantùm voluntaria objectivè ſeu potiùs volita: ſatisfactio autem ſeu quod in ſe ſatisfactorium eſt, debet à voluntate procedere ſeu eſſe voluntarium principiativè, uti meritum.

Quod improbatur,

Veriorq; doctrina ſtatuitur.

Itaque ipſe actus internus patientiæ in tolerandis flagellis, ſive conformando ſe divinæ voluntati, ſive poſitivè nolendo prorumpere in actus impatientiæ, habet vim ſatisfactionis: ipſa verò paſſio externa, prout eſt in homine neceſſaria, & ab ejus voluntate independens, eſt ſatisfactoria tantùm objectivè.

Flagella in juſtu magnum divini amoris argumentum,

Quâ in re magnum oſtendit Deus amoris argumentum, quòd hîc materiam patiendi ſubminiſtret, quò poſtea parcat, dum ampliùs juſtitia vindicativa deſæviet. Quò autem patientia eſt major, eò major eſt ſatisfactio. Porrò major eſt patiētia, non ſolùm quando eſt intenſior, ſed etiam ceteris paribus quando flagella ſunt majora aut diuturniora.

112. *Quatenus ſecundùm aliquid pendens à voluntate, poſſunt concurrere ad ſatisfactionem.*

Deinde ipſa flagella concurrunt ad ſatisfactionem, quatenus ſecundùm aliquid accidentale pendent quodammodò imperativè à voluntate, quæ videlicet illicita dolorum lenimenta (qualia ex blaſphemiis & indignationibus nonnulli ſibi videntur concipere) liberè recuſat admittere.

An vel qualiter valeant per modum ſatiſpaſſionis.

Denique eatenus poteſt admitti prima ſententia, quatenus externa flagella independenter à noſtra patientia poſſunt aliquid minuere de pœna purgatorii; non quidem per modum ſatisfactionis, ſed per modum puræ ſatiſpaſſionis; quo modo debitum pœnæ remittitur in purgatorio. Quod ſaltem verum eſt, quando flagella à Deo ad hunc effectum immittuntur: immo (ut apparet) etſi oriantur ex cauſis naturalibus vel liberis, quando in hunc finem à patiente aſſumūtur: hoc ipſo enim quòd Deus per gratiam movet hominē, ut talia flagella pro ſuis peccatis aſſumat, videtur ea Deus ſufficienter ad puniendа peccata ordinare.

113. *An ſit in hac vita locus remiſſioni pœnarum per puram impetrationem obtinendæ.*

Dubitant verò Doctores, an præter ſatisfactionem condignam ſit locus ſatisfactioni de congruo ſeu per modum impetrationis puræ pro reſiduo pœnæ temporalis debitæ peccatis propriis? Et quidem ſatis conſtat, quòd ſic quantùm attinet ad pœnas temporales, & flagella hujus vitæ. Quòd autem attinet ad pœnas purgatorii, non ita conſtat: videtur enim modus iſte non ita uſitatus fidelibus, qui remiſſionem harum pœnarum ſolent poſtulare, partim ſatisfactionem condignam offerendo, partim Deum rogando, ut ſpatium & gratiam dignè pœnitendi & ſatisfaciendi tribuat: quemadmodum pro illis condignè hîc ſatisfacere poſſunt; ſecùs quàm pro pœnis hujus vitæ: adeòque videri poteſt, nos non poſſe pro illis niſi de condigno ſatisfacere: ſicut gratiæ & gloriæ augmentum, quod de condigno mereri poſſumus, temerariè citra hujuſmodi meritum impetrare tentaremus. Quare ſic cenſet *Averſa De pœnit. q.*3. *ſect.* 13. & alii.

Arguitur cum Variis, quòd non.

114. *Sed inefficaciter.*

In rigore tamen non apparet efficax ratio, cur etiam precibus poſtulari & impetrari nequeat pro ſe ipſo remiſſio pœnæ temporalis, ſicut poteſt juxta pleroſque & infrà dicenda id fieri pro aliis, ſcilicet pro animabus purgatorii, pro quibus juxta ipſum *Averſa ſup. ſect.* 16. §. *Tertio inſuper* poteſt quoq; exhiberi ſatisfactio condigna: præſertim cùm facilius aut ſaltè non minùs facile ſit impetrare pro ſe quàm pro aliis. Deinde non rarò nec incongruè petitur ab homine remiſſio ſine oblatione ſatisfactionis cōdignæ, etſi talis abſolutè poſſet exhiberi: quidni igitur & munificentiſſimo Deo, quantumvis condigna ſatisfactio ſit poſſibilis? Quemadmodùm etiam hoc non obſtante datur remiſſio pœnæ per indulgen-

tias.

tias. Denique remiſſio pœnæ temporalis hujus vitæ ſolvi poteſt per pœnitentiam, & plerumque ſolutio acceptatur, etſi non infallibiliter (quod parum videtur referre quoad præſens propoſitum) & tamen remiſſio illius petitur etiam à Deo. Unde ſic cenſet *Lugo De pœnit.d.24.ſect.1.* Equidem quæſtio hæc utrimque manet incerta, cùm pendeat ejus reſolutio à voluntate Dei, quæ in doctrina revelata hucuſque per Eccleſiam propoſitâ non ſatis liquet. Id ſolum eſt obſervandum, quòd *Joannes Medina* & quidam alii doceant actum peccatoris valere non ſolùm in ratione puræ impetrationis, ſed inſuper impetratoriæ ſeu congruæ ſatisfactionis valere ad obtinendam remiſſionem pœnarum temporalium, uti hujus, ſic & alterius vitæ, correſpondentium peccatis quoad reatum culpæ anteà remiſſis: cùm ipſa contritio peccatoris aliave diſpoſitio mereatur de congruo remiſſionem pœnæ æternæ. Quod quidem ſicut difficulter poſitivè improbatur, ſic contra magìs communem ſenſum Theologorum abſque alio fundamento aſſertum facilè rejici poſſet. Pœnam equidem temporalem hujus ſaltem vitæ alioquin intentandam poteſt peccator per meritum vel ſatisfactionem congruam avertere; prout advertit *Dicaſtillo diſp. 13. de Pœnit. num.* 34.

115. *Suffragari etiam poſſumus aliis, vivis & defunctis,*

Nunc videndum reſtat de Suffragiis quoad proximos. Suffragium porrò generatim eſt opus, quo unus alteri ſuffragatur. Hîc autem ſignificat opus quo unus alterum adjuvat ad obtinendam pœnæ temporalis remiſſionem. Unde quæritur, utrùm homo poſſit ſatisfacere etiam pro aliis, vivis & defunctis. Quod pariter negant Hæretici recentiores. Sed & quidam Doctores Catholici, à fundamentis Hæreticorum planè diſcrepantes, opinati ſunt, poſſe quidem unum pro altero impetrare aliquam pœnæ remiſſionem, non tamen propriè per modum ſatisfactionis & ſolutionis, quaſi abdicando à ſe hunc effectum, & transferendo in alterum pro cujus debito ſolvat, ſed potiùs ſemper retinendo in ſe hunc ſatisfactionis valorem & fructum.

Idq; per modum ſatisfactionis ſeu ſolutionis pro pœna,

Nihilominus oppoſitum eſt commune & certū apud Theologos. De quo ita *Catechiſmus Romanus Tit. De Sacram. Pœnit.* loquitur: *In eo ſumma Dei bonitas & clementia maximis laudibus & gratiarum actionibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio ſatisfacere poſſit.* Et infrà: *Qui divinâ gratiâ præditi ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur perſolvere.* Poſtea concludit: *Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur.* Quare probatur ex hoc ipſo articulo *Symboli Apoſtolorum.* Deinde ex communi ſenſu Fidelium, qui in *Catechiſmo Romano* exprimitur. Inſuper clarè conſtat ex Suffragiis & Satisfactionibus, quæ pro vivis & defunctis fieri conſueverunt. Accedit, quòd ſatisfactiones ſuperfluæ juſtorum reponantur in theſauro Eccleſiæ, & diſpenſentur Fidelibus per indulgentias: quidni ergo ipſi juſti poſſint eas, dum fiunt, aliis applicare? & quamquam debitum pœnæ ſit perſonale; non ita tamen, ut nequeat extingui, altero ſolvente, & Deo acceptante.

Sed dubium eſt, utrùm Satisfactio hæc valeat etiam pro aliis de condigno? Affirmat *Suarez* & Recentiores ſatìs frequenter, ſoletque probari ex *Catechiſmo Romano ſuprà* ac Sanctorum communione. Sed inefficaciter: nam totum hoc equidem poſſet ſubſiſtere: qui enim hîc & nunc poteſt pro altero ſolvere, poteſt dici abſolutè poſſe ſolvere pro illo, licèt non poſſet omni occaſione & omni tempore. Meliùs probatur ex eo, quòd indulgentiarum effectus ſit infallibilis, quæ tamen etiam dantur ex ſatisfactionibus juſtorum: ergo ipſi quoque juſti infallibiliter illas potuiſſent aliis applicare. Nihilominus *Præpoſitus* reſpondet indulgentias non eſſe infallibiles pro ea parte, quâ conſtant ſatisfactionibus Sanctorum. Deinde *S. Bonaventura* & plures alii cenſent indulgentias non eſſe infallibiles reſpectu defunctorum. Denique poteſt negari Conſequentia: eſto enim prodeſſent infallibiliter ſatisfactiones ſuperfluæ applicatæ à diſpenſatore & Chriſti Vicario: non ideo id ſequeretur, dum applicantur à privato, cui eædem ſatisfactiones plerumque non ſunt ſuperfluæ. Quare non pauciores Doctores probabiliter cenſent ſatisfactiones pro aliis non ſemper eſſe infallibiles; eò quòd Deus illas non ſemper acceptet.

116. *Et quidem condigna, juxta probabilem multorum ſententiam.*

Quæ tamē non efficaciter probatur.

Vt proinde oppoſita quoq; opinio à multis probabiliter ſuſtineatur.

117. *In proximo autem indigentia & communiter ſtatus gratiæ requiritur,*

Nota I. ad hoc ut Satisfactiones noſtræ pro aliis valeant, requiri in illis indigentiam, ſeu quòd habeant pœnas temporales perſolvendas ob peccata remiſſa. Deinde ſi in ſatisfaciente requiratur ſtatus gratiæ (ut communiter requiritur) etiam indubiè requiretur in illis, pro quibus ſatisfacimus.

Debetq; ſatisfactio ei antecedēter applicari.

Nota II. Opus ſatisfactorium debere aliis antecedenter applicari: alioquin ſatisfactionis valor ex tunc applicatur operanti, ſi indigeat; ſin minùs reponitur in theſauro Eccleſiæ, nec manet ampliùs ſub ejus dominio & poteſtate, vel quaſi in ſuſpenſo, ut poſtmodum applicari poſſit. Aliàs enim ſic ſuſpendi poſſet, ut prodeſſet homini circa peccatum poſtea committendum, poſtquam illud retractaverit per pœnitentiam; ſicque ſatisfactio culpam, & ſolutio debitum antecederet. Quod utique hominibus non conceditur: quamquam Chriſti ſatisfactio valeat tam pro culpis, quàm pro quavis pœnâ quovis tempore exiſtente. Non requiritur tamen intentio virtualis, ſed ſufficit habitualis ſeu non retractata,

Et ſufficit intentio habitualis.

tractata, juxta Doctores paſſim contra *Vaſquez*: hæc enim ſufficit ad donationem; & conſequenter ut oblatio operis futuri pro altero (quæ eſt quædam donatio fructûs ejuſdem) ſubſiſtat, & habeat effectum.

Poteſt applicari tota vel ex parte, uni vel pluribus.

Poteſt autem per ſuam intentionem quis applicare ſatisfactionem, vel totam, vel tantùm partem, ſive uni, ſive pluribus; quæ tamen eò minùs valet ſingulis. Immo retentâ ſibimet ſatisfactione, poteſt alteri applicare impetrationem remiſſionis pœnæ, ſi opus quatenus impetratorium ad hanc valeat, ſicut ad alia beneficia alteri obtinenda; de quo eſt controverſia.

118. *An valeant ſuffragia aliis ad remiſſionem pœnarum etiam per modum puræ impetrationis.*

Quare dubitatur, an poſſit operans, retentâ ſibi ſatisfactione, alteri impetrare remiſſionem pœnæ? & quod hinc conſequens eſt, an ſuffragia vivorum pro fidelibus defunctis valeant ſolùm per modum ſatisfactionis, an verò etiam per modum puræ impetrationis.

Varii negant.

Suarez & alii exiſtimant ſuffragia aliis tantùm valere per modum ſatisfactionis, adeòque hâc operanti reſervatâ non poſſe impetrari aliis remiſſionem pœnæ.

Verius reliqui affirmant.

Suadetur ex ſuffragiis Sanctorum & Eccleſiæ.

Sed oppoſitum probabiliùs cenſet *Navarrus*, *Bellarminus*, *Coninck*, & alii communiùs. Suadetur I. quia Beati in cælo orant pro animabus in purgatorio; ut ſupponit Eccleſia, dum in collecta Deum orat pro defunctis, ut *B. Mariâ ſemper virgine intercedente cum omnibus Sanctis ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedat*: atqui Beati in cælo non poſſunt ſatisfacere, ſed tantùm impetrare: ergo &c. Deinde Eccleſia in Miſſis, Litaniis & orationibus publicis orat pro defunctis; & tamen ipſa prout eſt corpus ſeu communitas quædam, ſolùm impetrat, non autem ſatisfacit.

119. *Evaſioni cuidam occurritur.*

Nec dici poteſt Sanctos & Eccleſiam eatenus orare pro defunctis, quatenus Deum rogant, ut animos fidelium excitet ad ſatisfactiones pro illis exhibendas: nam ſic valdè impropriè explicatur oratio Sanctorum & Eccleſiæ, nec congruit cum verbis, quibus expreſsè Eccleſia petit, ut *animabus oratio proficiat ſupplicantium, ut eas Deus à peccatis exuat*. Deinde Sancti non eſſent tunc rogandi, ut orent pro defunctis, ſed pro nobis, quatenus Deus in nobis excitet ardens ſatisfaciendi deſiderium. Confirmatur: quia interdum B. Virgo, S. Franciſcus & quidam alii Sancti leguntur ſuis precibus directè impetraſſe pluribus animabus liberationem à purgatorio.

120. *Non ſequitur purgatorium brevi precibus Sanctorum fore evacuandum.*

Non rectè autem hinc inferat aliquis purgatorium brevi evacuandum fore precibus Sanctorum: hæ namque proſunt animabus juxta modum divinæ providentiæ, ſic impetrando aliquarum relaxationem, ut ſuus quoque locus relinquatur juſtitiæ. Alioquin pariter inferri poſſet Sanctos non orare pro nobis viventibus; quia videlicet pari modo impetrarent auxilia actualia efficacia, quibus de facto omnes homines ſalvarentur. Itaque preces eorum ſubordinatæ ſunt divinæ providentiæ; adeòque contra voluntatem Dei abſolutam ſcienter non orant, ſed ſaltem ſub tacita quadam conditione divinæ providentiæ ſubordinatâ preces fundunt.

Denique ſuadetur communior doctrina ex praxi fidelium, qui non ſolùm ſatisfactiones ſuas, ſed etiam orationes offerunt Deo pro defunctis, ſperantes ſe impetrare poſſe liberationem eorum. Ideoque inter cetera genera ſuffragiorum ſeu auxiliorum pro animabus expreſsè etiam recenſentur preces c. *Anima* 13. *q*. 2 Et quàmvis oratio ſit ſimul ſatisfactoria, tamen ſi vis impetrandi pro defunctis eſſet inanis, præſtaret orare pro ſe ipſo, ſicque ſatisfactione defuncto applicatâ, ſibi aliquid impetrare. 121. *Suadetur eadem doctrina ex praxi fidelium.*

Occurritur tacitè objectioni.

Neque hoc mirum videri debet: cùm etiam ab homine non rarò petatur remiſſio ſine oblatione ſatisfactionis. Quàmvis autem purgatorium ſit locus rigidæ juſtitiæ; ſicut tamen hoc non obſtante pœnæ gratis relaxantur per indulgentias & ſacrificia; quidni etiam eaſdem relaxet Deus exoratus per preces? Quàmvis etiam tunc fiat integra ſolutio ex ſatisfactionibus Chriſti. Ipſæ equidem animæ ſe juvare nequeunt; ſed niſi aliundè juventur, uſque ad ultimum quadrantem ſolvere debent. Niſi fortè impetrare rogando poſſint, ut Deus faciat offerri pro illis ſacrificia, & adhiberi à viventibus alia media.

122. *Quid præſtet Litteræ Confraternitatis, quas Prælati Religionum amicis concedunt.*

Petes quid conferatur iis, qui à Prælato alicujus Ordinis admittuntur in communicationem bonorum operum, orationum, jejuniorum Religionis per litteras (ut vocant) Confraternitatis, quæ communiter ſunt in praxi, & probantur à Doctoribus qui de his tractant. Ad quod inſuper allegat *Rodriguez Tom.* 1. *qq. Reg. q.* 33. *a.* 2. conceſſionem Urbani V. factam Miniſtro generali Ordinis: per quam tamen cenſet nil concedi ſpeciale, quod jure communi fieri non poterat à Prælato communitatis ſpiritualis.

Non valent per modum indulgentiæ.

Reſp. hanc communicationem non fieri per modum indulgentiæ, ut paſſim tradunt Doctores, & probat *Rodriguez to.* 1. *qq. Reg. q.* 33. *a* 7. eò quòd unicus ſit Theſaurus Eccleſiæ conſtans meritis & ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum (quorum præcipua portio ſunt religioſæ perſonæ) in quem poteſtatem habet Pontifex & dependenter ab eo alii, quibus claves hujus Theſauri ipſe communicat. Ob quod etiam debent ſubditorum opera, quatenus aliis à Superiore ſunt applicabilia, applicari antequam fiant: deinceps enim reponuntur in Theſauro Eccleſiæ.

Neque etiam hæc communicatio habet

vim

vim applicandi directè ſatisfactiones ſubditorum illis perſonis communicantibus, independenter à ſubditorum intentione: nam dominium iſtarum ſatisfactionum habent ipſi Religioſi; qui ſi illas velint ſibimet aut aliis applicare, tenet applicatio, non obſtante applicatione Prælati; ſi autem ipſimet nemini applicent, & ſint ſuperfluæ reponuntur eo ipſo in theſauro Eccleſiæ (utì & ceteræ ſanctorum ſatisfactiones ſuperfluæ) ſuper quem Prælati Religionum non habent poteſtatem.

Neque per eas directè applicantur ſubditorum ſatisfactiones independenter ab eorum intentione.

123. *Sed interveniente ſaltem generali & habituali horum intentione.*

Itaque hæc praxis præſtat in primis, ut illæ ſatisfactiones ſubditorum talibus perſonis applicentur, quas antequam fiant vel dum fiunt, ipſi ſubditi ſpecialiter illis applicant, vel etiam intentione generali, habituali ſaltem, applicant Religioni ejuſque membris. Secundò fructus qui talibus perſonis applicatur, eſt potiſſimùm per modum impetrationis, ad obtinendam à Deo gratiam converſionis & illuminationis, & ad virtutum profectum, & ad præſervationem à peccatis, à morte, aliiſque malis ſpiritualibus ſeu corporalibus, & ad collationem bonorum ſpiritualium ſeu corporalium, & hujuſmodi, quæ unus alteri poteſt de congruo mereri ſeu impetrare, à miſericordia Dei liberali. Sic per merita Abrahæ Dominus liberavit Loth, & propter juſtos parcit ac benefacit injuſtis. Ita ex communi tradit *Rodriguez ſup. a. 3.*

Deinde valent in ordine ad impetrationē,

Hæc autem impetratio contingit dupliciter. I. directè, quatenus orationes & opera ſpecialiter fiunt pro perſonis ſuæ congregationi conjunctis, vel generaliter pro Religione & omnibus ejus membris ad iis impetrandum. II. indirectè, quatenus dum in aliqua Religione à juſtis fiunt bona opera, hæc eo ipſo apud Deum valent de congruo, ut eorum intuitu ſit illis propitius, & auxilio ſpeciali protegat, qui membra ſunt hujus communitatis: nam ratio amicitiæ poſtulare videtur, ut Deus propter amicos ſuos benefaciat etiam aliis, qui ipſis ſpecialiter ſunt conjuncti. Erit tamen procul dubio vis impetrandi major, ſi accedat directa intentio, ſive ipſorum Religioſorum orantium pro taliter conjunctis, ſive ipſorum conjunctorum aliquid à Deo petentium per merita talis Religionis.

124. *Idq; dupliciter, Primò directè,*

Secundò indirectè,

Atque de hac impetratione indirecta verum eſt, quod docent noſtri *Corduba* & *Rodriguez ſup. a. 2.* nihil decedere ipſis Religioſis, aut minui ex eo, quòd pluribus aut paucioribus fiat communicatio. Immo quatenus exinde oritur major juſtorum in congregatione numerus, hæc vis impetrandi augetur: ſicut eò magis Deus inclinatur ad benefaciendum Eccleſiæ & membris ejus, quò in ea plures & inſigniores ſunt Sancti. Alioquin ſicut quò oratio directè offertur pro pluribus, eò minùs valet pro ſingulis, ſic etiam loquendum foret de hac communicatione, quatenus directam oblationem precum pro perſonis communicantibus involvunt. Et hæc de Gratia, Juſtificatione & Merito ſcripta ſufficiant ad gloriam illius, qui omnis Gratiæ, Juſtitiæ & Meriti fons eſt & origo. Atque ita Secundæ Partis totius Summæ Theologicæ Deus eſto

125. *An eò fructus hic ſit minor, quò pluribus ſit communicatio.*

FINIS.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM QUÆ IN HAC SECUNDA PARTE CONTINENTUR.

Abbas.

POSSUNT *Abbates juriſdictione Epiſcopali prediti condere leges.* pag.253. n.55.b

Abortus.

Voluntariè procurans abortum fetûs animati, eſt irregularis. pag.355. num.138. a

Quid cenſendum in dubio animationis fetûs. pag.351. num.119.a

Abraham.

Deus Abrahæ dedit mandatum occidendi Iſaac diſpenſando in præcepto non occidendi. p.227.n.48.b

Quamquam aliter facere potuiſſet dando ei dominium in vitam Iſaac. ibid.n.49.

Abrogatio.

Vide Legis humanæ Ceſſatio.

Abſolutio.

Confeſſarius abſolvere debet manentem in occaſione remotâ peccati. p.203.n.68.b

At in proximâ occaſione manentem ſine abſolutione dimittere. ibid.n.69. *vide* Periculum.

Abſolutio à Cenſuris & Irregularitate, vide Singulas.

Acceptatio.

Vide Legis humanæ Acceptatio.

Actus.

Actus voluntatis dividuntur. p.90.n.57.a

Exactior aſſignatur partitio actuum voluntatis. p.93. n.72. b

Actus vitalis produci poteſt à ſolo Deo. p.16.n.13.a

Quo caſu denominare poſſet potentiam videntem & fruentem. ibid.n.14.

Actûs moralitas quid dicat. p.96.n.1.a

Vide Moralitas.

Actûs bonitas, vide Bonitas.

Actûs malitia, vide Malitia.

Actus prævii ad juſtificationem, vide Juſtificationis diſpoſitio.

Actus humanus.

De eſſentia actuum humanorum ſive in eſſe phyſico, ſive morali non eſt bonitas vel malitia formalis. p.98.n.13.b. *Vide* Bonitas, Malitia.

Actus humani deſumunt bonitatem & malitiam ex objecto. p.108.n.47.a

Quæ quodam ſenſu dicitur generica. ibid.n.49.b

Quodam ſenſu ſpecifica. ibid.n.50.

Idq́; licèt actus reſpiciat objectum generale & tranſcendens in ratione entis. ibid.n.51.

Ex affectu honeſti ut ſic generatur ſpecialis habitus. p.109.n.52. a

Ut objectum tribuat ſpecialem actui bonitatem vel malitiam, requiritur in ipſo ſpecialis convenientia vel diſconvenientia objectiva. ibid.n.53.

Ad actum malum non requiritur ut malitia ſit volita, niſi interpretativè. ibid.n.54.

Ad actum verò bonum debet ipſa objectiva bonitas movere. ibid.n.55.b.

Non tamen requiritur ut voluntas appetat honeſtum particulare ſub ratione honeſti actu quaſi ſignato. ibid. n.56.

Multiplex malitia reperiri poteſt in eodem actu. ibidem n.54.

Una & multiplex bonitas in eodem actu externo ac interno imperato. p.110.n.57.a

Quid cenſendum de intrinſeca bonitate actus interni eliciti. ibid.n.58.

An & quomodo bonitas & malitia deſumantur ex circumſtantiis. vide Circumſtantia.

Malitia primaria actûs interni deſumitur ex fine, operis autem externi ex medio. p.117.n.86.b

An & quomodo actus deſumat bonitatem ex conformitate cum voluntate divina. p.118.n.89.a. & ſeqq. *vide* Voluntas.

Actus externus.

Bonitas & malitia objectiva frequenter reperitur in actibus externis, & quidem primò ac per ſe. p.104. num.31. a

Si actus externus conſideretur in ratione effectûs, bonitas & malitia priùs competit actui interno. ibid. num.32.

Actio externa citra internam eſt diſſona objectivè, non formaliter. ibid.n.34.b

Qualiter actio externa cadat ſub prohibitionem. p. 105. n.34.a

Actus externus ſæpè eſt occaſio majoris aut extenſioris bonitatis vel malitiæ. ibid.n.35.

Sed per ſe & omnibus præſciſſis opus externum non addit aliquam bonitatem vel malitiam interiori. ibid.n.36.b.

De augmento ſatiſfactionis multi aliter opinantur. pag.106.n.40.a
Cur Eccleſia puniat actus ſolùm externos, etiam ſæpè dependenter ab eventu. ibid.n.41.b
Nonnullis operibus quatenus externis quædam privilegia ſunt annexa. ibid.
Eidem actui externo poteſt competere ſimul bonitas & malitia reſpectu diverſorum. p.99.n.16.b
Immo etiam reſpectu ejuſdem operantis. ibid.
Qualiter is eſſet ſimpliciter denominandus. ibid.n.17.
Quo ſenſu idem actus placebit & diſplicebit Deo. p.100.n.18.a
Item præcipietur & prohibebitur. ibid.
Ac merebitur idem ſimul cælum & purgatorium; non tamen infernum. ibid.
Idem actus externus poteſt ſucceſſivè eſſe bonus & malus. ibid.n.20.b *Vide* Actus humanus.
Furtum & concupiſcentia cur & quomodo prohibeantur diverſis præceptis. p.107.n.42.a
Non fruſtra ſuadentur opera externa. ibid.n.43.
Deſiderando interiùs cur non obtineantur mox merita S.Pauli. ibid.n.44.
Nec mereatur tãtum qui deſideraret millies pro Chriſto mori, quantum ſi reipſa millies moreretur. ibidem b
Cur peccatum externum ſit in confeſſione explicandum. ibid.n.45.
Actus externus & internus, quo ſenſu unum, & quo plura peccata vocari poſſint. ibid.n.46.

Actus internus.

Actus internus ſæpe, non ſemper, habet actum exteriorem pro objecto. p.103.n.30.b
Bonitas & malitia formalis ſimpliciter competit primò & per ſe actui interno. p.104.n.33.a
Unde actio externa ſine interna eſt diſſona objectivè, non formaliter. ibid.n.34.b
Cur bonitas deſumpta ex fine dicatur derivari ab actu interiori in exteriorem. ibid.n.30.a
Eidem actui interno nequit ſimul convenire bonitas & malitia intrinſeca. p.100.n.19.a
Secus eſt de extrinſeca ſeu participata ab alio actu imperante. ibid.n.20.b
Idem actus internus poteſt ſucceſſivè eſſe bonus & malus. ibid.n.21. *Vide* Actus humanus.
Actus interni an & qualiter cadant ſub legem humanam. p.261.n.87. & ſeqq. *Vide* Legis humanæ materia.

Actus indifferens.

Datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem. pag.101. num.23. a
Et in individuo nec meritorii nec demeritorii. ibid.
Ac per accidens nec boni nec mali. ibid.b
Immo etiam per ſe & ex natura rei. ibid.n.24.
Non rectè adducitur auctoritas Concilii Conſtantienſis ad hoc probandum. ibid.
Omnia in gloriam Dei facienda ex conſilio; & quo ſenſu ex præcepto. p.102.n.27.b
An vel qualiter debeat homo ſibi præfigere motivum conſentaneum rectæ rationi. p.103.n.29.b
Ex actibus indifferentibus poſſunt generari habitus indifferentes. ibid.

Adam.

Ad transgreſſionem peccati Adæ requirebatur decretum divinum. p.168.n.22.b
Quod Ada de facto intimatum fuerat, etſi non eſſet id neceſſarium. p.169. n.23.a. *vide* Peccatum Originale.

Advenæ.

Vide Peregrini.

Adultus.

Adulti non juſtificantur ſine aliqua diſpoſitione. p.434.n.1.a
Unde in illis requiritur in primis actus fidei. p.435. n.2. *Vide* Juſtificationis diſpoſitio.

Alexander.

Alexander Alenſis ſtat pro Immaculata Conceptione. p.171.n.30.a
Alexander VII. mandavit Magiſtro ſacri Palatii, ne prætextu tituli Immaculatæ Conceptionis *ullam faceſſat difficultatem.* p.173.n.36.b

Amens.

Amentes, etſi pro tempore à formali culpa excuſentur, tamen per ſe obligantur legibus. p.270.n.130.b.
An eis liceat equidem in die jejunii miniſtrare cibos vetitos. p.271.n.130.a
Non licet eos excitare ad copulam, ſimileſq; actus jure naturæ illicitos. ibid.

Amor.

Amor Dei alius eſt amicitiæ, alius concupiſcentiæ. p.397.n.33.a
Alius inefficax, alius efficax. ibid.
Amor Dei ſicut oportet ad ſalutem ſuperat vires naturæ. ibid.n.34.
Immo eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, idemq; eſt de actu fidei & ſpei. ibid.b. *Vide* Gratiæ neceſſitas.
Datur amor Dei ſupernaturalis, qui non eſt ſuper omnia. p.398.n.36.a
Dividi ſolet amor Dei in amorem illius, ut auctoris & finis naturæ, & amorem illius, ut auctoris gratiæ ac finis ſupernaturalis. ibid.n.37.
Hanc diviſionem rejicit Vaſquez. ibid.
Quid ſit de illa cenſendum. ibid.n.38.
Differentia inter amorem patriæ & viæ. pag.19. n. 24. a

Angeli.

Angeli poſſunt ſolùm indirectè movere voluntatem humanam. p.89.n.55.b
In angelis ſunt dotes animæ beatæ quoad rem, ſed non ſub nomine dotis. p.23.n.38.b
Angeli ſancti per ſua miniſteria non merentur. pag. 454.n.10.a
Creſcit tamen citra novum meritum beatitudo eorum accidentalis. ibid.

Anima.

Anima cum corpore conjunctio non repugnat beatitudini. p.29.n.61.a
Animæ tamen ſanctorum ſunt in cælo beatæ ante reſumptionem corporum. ibid.n.62.
Solutio objectionum. p.30.n.65.b
Joannes XXII. non definivit beatitudinem animarum differri in diem judicii. p.31.n.68.a
Explicantur veteres Patres. ibid.n.69.b
Vide Beati.

INDEX RERUM.

Animæ beatæ Dotes, vide Dos.

Appetitus.

Appetitus alius eſt innatus, alius elicitus. p.7.n.16.b
Appetitus rationalis, non autem innatus eſt per beatitudinem ſatiandus. p.6.n.10.a
Appetitus elicitus beatitudinis ſæpè eſt ſupernaturalis, interdum naturalis. p.8.n.17.a
Appetitus innatus beatitudinis eſt naturalis. ibidem num.18.
Solvuntur objectiones. ibid.n.19.b
Appetitus ſenſitivus movet voluntatem, non tamen ſine prævia cognitione intellectûs. p.86.n.46.b
Sed eâ ſuppoſitâ per quamdam ſympathiam. ibid.
Idq́, dupliciter. p.87.n.47.a
Non tamen voluntatem neceſſitat. ibid.n.48.b

Archiepiſcopus.

Quid poſſint Archiepiſcopi in Diœceſibus Coepiſcoporum. p.252.n.47.a
Vide Diſpenſandi Poteſtas.

Aſtra.

Aſtra ſolùm remotè & indirectè poſſunt movere voluntatem noſtram. p.89.n.56.b
Eorum certa irradiatio quid operetur. ibid.

Auguſtinus.

Mens S. Auguſtini diſcutitur in materia de Immaculata Conceptione, p.176.n.47.a
Item an peccato originali correſpondeat poſt hanc vitam pœna ſenſûs. p.180.n.62.b
Quomodo Gratia efficax conſiſtat cum libertate indifferentiæ. p.387.n.24.a
De ſufficientia Gratiæ ad implenda Dei mandata. p. 403. n.3.a
De morte Chriſti pro omnibus omnino remiſſivè. p. 413.n.40.a
Quid Auguſtinus intelligat per adjutorium quo perſeverantiæ. p.401.n.53.b
Auguſtini maxima auctoritas, quâ & Hæretici, ſed abuſivè, gloriantur. p.378.n.23.a
Varia Auguſtini Elogia à SS. Patribus ſcripta. ibid. num.24.
Quantum auctoritatis Auguſtino acceſſerit ex Pontificibus ac Conciliis. ibid.n.25.b
An hinc ſequatur omnia dicta S. Auguſtini ſaltem contra Pelagianos eſſe regulam fidei. pag.379. n. 26. a
Quid abſolutè ſtatuendum de auctoritate B. Auguſtini. ibid.n.27.b

Aureola.

Aureola quid & quotuplex. q.23.n.40.b
Colligitur ex Scriptura, ſed inefficaciter. pag. 24. n. 41. a
Prima aureola Martyrum, ſecunda Virginum, tertia Doctorum. ibid.n.42.
Quid res ſint iſtæ aureolæ. ibid.n.43.b
Idem beatus poteſt habere omnes tres. ibid.n.44.
Sunt in Chriſto per quamdam excellentiam. ibid.

Auxilium.

Vide Gratia.

B.

Baptiſmus.

Baptiſmus conferri poteſt tempore Ceſſationis à divinis. p.348.n.105.a

Beati.

Beati poſt reſurrectionem non regnabunt in hoc mundo, ſed mox cum corporibus ad cælum transferentur. p.32.n.70.a
Quo ſenſu Sancti cum Chriſto regnabunt mille annis, ibid.n.71.b
Beati poſt reſurrectionem non videbunt Deum clariùs, nec fruentur eo perfectiùs poſt reſurrectionem, quàm ante. p.33.n.72.a
Nec retardat animas in viſione inclinatio ad corpus. ibid. n.73.b
Erit tamen eorum beatitudo reſumptis corporibus extenſivè & accidentaliter perfectior. ibid.n.74.
Beati reſumptis corporibus erunt inſtructi organis ſenſuum. p.46.n.56.b
Habebuntq́, aliquas ſenſuum operationes. ibid.
Ac in primis operationes ſenſûs interni & appetitûs. ibid.n.57.
Deinde videbunt Chriſti humanitatem, B. Virginem ac plura alia. ibid.n.58.
Tertiò tangent. p.47.n.58.a
Quartò audient. ibid.n.59.
Non enim lingua, ſed linguarum varietas ceſſabit. ib.
Quæ lingua futura ſit Beatis inter ſe ordinaria. ibid.
Quintò Beati olfacient. p.47.n.60.b
Sextò veroſimiliter guſtabunt. ibid.
Sancti non ſupra, ſed in cælo cum Chriſto regnabunt. ibid. num.62.

Beatitudo objectiva.

Beatitudo objectiva hominis eſt Deus. p.5.n.9.b
Qualiter Chriſti patientis beatitudo admiſerit dolores. ibid.n.10.
Beatitudo ſatiat omnem appetitum rationalem, non autem innatum. p.6.n.10.a
Cum ea ſtat deſiderium animæ beatæ rehabendi corpus. ibid.
Exiſtentiam beatitudinis ſupernaturalis ſola fides evincit. ibid.n.11.
Beatitudinem in communi ſatis indicat naturalis inſtinctus. ibid.
Beatitudo merè naturalis eſt poſſibilis. p.6.n.12.b
In quo conſiſteret. ibid.
An anima in eo ſtatu haberet conſortium corporis, eſt incertum. ibid.
Nulla in præſenti vita obtineri poteſt vera beatitudo. ibid. n.13.
In exercitio virtutum beatitudo conſiſtit diſpoſitivè: p.7.n.14.a
Varia Ethnicorum de beatitudine hallucinationes referuntur & refelluntur. ibid.
Beatitudinem ſive in univerſali ſive in particulari propoſitam voluntas liberè appetit appetitu elicito. p.7.num.16.b
Eam tamen nequit odiſſe. p.8.n.16.a
Idem eſt de beatitudine in particulari præſciſâ à difficultatibus. ibid.
Quibus involuta poteſt odiri. ibid.

Beatitudo formalis.

Varia unio cum Deo à ratione formalis beatitudinis excluditur. pag.12.n.1.a
Formalis beatitudo noſtra non conſiſtit in actu increato Dei. p.13.n.2.a
Objectiones ſolvuntur. p.14.n.4.a
Cur potiùs natura creata ſubſiſtentiâ increatâ ſubſiſtat, quam intellectione increatâ intelligat. p. 14. num.5. a
Cur eſſentia divina uniatur intellectui create inſtar ſpeciei intelligibilis, potiùs quam intellectio increata ſit ei loco ſpeciei expreſſæ. ibid.n.6.
Objectiva beatitudo, non ſimiliter poſſeſſio illius debet eſſe infinita. ibid.
An viſio creata eſſet beatifica ſi per impoſſibile eſſet non exiſtente Deo. ibid.n.7.b
Beatitudo formalis non conſiſtit in illapſu ſubſtantiæ divinæ in ſubſtantiam animæ. ibid.n.8.
Nec in habitu, ſed in operatione, p.15.n.10.a
Operatio beatifica producitur à beato. p.15.n.12.b
Hoc tamen non definivit Concilium Viennenſe. ibid.
Quo ſenſu admitti poſſet hominem beatificare ſeipſum. p.16.n.16.b
Operatio beatifica nequit eſſe in parte ſenſitiva. pag. 17.n.17.a
Ad perfectum beatitudinis ſtatum variæ operationes intellectus & voluntatis concurrunt. ibid.n.19.b
Formalis beatitudo extenſivè ſumpta in ſola viſione & fruitione conſiſtit. ibid.n.20.
Ab illa excluditur amor concupiſcentiæ & gaudium beatificum. p.18.n.21.a
Beatitudo formalis intenſivè ſumpta conſiſtit in ſola fruitione. ibid.n.22.b
Ex Patribus nil poteſt ſolidè pro vel contra concludi. p.19.n.23.a
Cur Patres beatitudinem interdum per viſionem explicent. ibid.
Beatitudo noſtra de facto eſt perpetua. p.25.n.45.a
Non tamen perpetuitatem vel ſecuritatem eſſentialiter involvit. ibid.n.47.b
An beatitudo formalis ſit ex natura ſua à ſolo Deo deſtruibilis, p.26.n.50.a

Beatorum dotes.

Vide Dos.

Belgium.

Quid in Belgio cenſendum de conſuetudinibus feudorum. p.244.n.12.a
Quo ibidem loco habendum ſit jus commune. ibid. num.13.a
In Belgio vigent concordata Caroli V. & Epiſcoporum. p.276.n.152.a

S. Bernardus.

Mens S. Bernardi non contraria Immaculatæ Conceptioni enucleatur. p.174.n.40.b

Bigamia.

Triplex eſt bigamia. p.364.n.180.b
Bigamia vera quando cenſeatur. pag. 365. num. 181. a
Bigamia interpretativa quæ cenſeatur. ibid. num. 182. a
Contrahitur ducendo viduam vel ab alio corruptam, ſecuta conſummatione. ibid.
Secùs ſi vidua à priori marito non ſit cognita. ibid.
Vel ducat corruptam à ſe. ibid.
Contingit etiam hæc bigamia per acceſſum ad propriam uxorem poſt adulterium ejuſdem. ibid. num. 183. b
Eamdem contrahit, qui defunctâ uxore ſacris initiatus copulatur ſecundæ, etſi invalidè. ibid.n.184.
Vel qui in ſacris exiſtens copulatur viduæ. ibid.
Bigamia ſimilitudinaria quæ. ibid.n.185.
Vide Irregularitas.

S. Bonaventura.

D. Bonaventura ſtat pro Immaculata Conceptione. p. 171.n.30.a

Bonitas, Bonum.

Bonum ut ſic neceſſitat voluntatem ad ſpecificationem actus. p.88.n.52.b
Bonitas moralis deſcribitur. p.96.n.3.a
Nil intrinſecum ſuperaddit entitati actus. ibid..n.4.b
Non eſt denominatio merè extrinſeca, aut ens fictum. ibid.
Unde ſortiatur actus convenientiam, in qua conſiſtit bonitas. ibid.n.5.
Bonitas non eſt differentia eſſentialis actus ſive in eſſe phyſico ſive in eſſe moris. p.98.n.13.b
Quo ſenſu dentur actus eſſentialiter boni. pag. 99. num.15. a

Bruta.

Bruta non agunt formaliter propter finem. pag. 3. num.1. b
Sed à Deo in illum aguntur. ibid.a

Bulla cœnæ.

Bulla Cœnæ quid. p.337.n.52.b
Qualiter præcipiatur publicari. p.338.n.52.a
Quas ipſa excommunicationes reſervatas contineat. ibid. num.53.

C.

Capitulum.

Capitulum Cathedrale ſede vacante poteſt condere leges. p.252.n.50.b
Secùs eſt de collatione beneficiorum, niſi illorum collatio ſit neceſſaria, vel communiter ſpectet ad Epiſcopum & capitulum. p.253.n.52.a
Vide Legiſlativa Poteſtas.

Caupo.

Poſſunt Caupones apponere cibos poſtulantibus in die jejunii, aut cœnulam pomeridianam &c. pag.211. num.102. b
Nec tenentur eorum conſcientias examinare. ibid.

Cenſura.

Cenſura unde dicta. p.325.n.1.b
Quomodo definiatur. ibid.
Eſt triplex. p.326.n.2.a
Sub facultate abſolvendi à cenſuris non continetur facultas diſpenſandi in irregularitate. ibid.

Singula cenſura quomodo ab invicem diſtinguantur. ibid.n.3.b
Eſſe in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, fides docet, ibid.num.4.
Ordinaria poteſtas reſidet penes eos, qui habent ordinariam juriſdictionem in foro externo. ibid.n.5.
Hi enumerantur. ibid.
Delegata poteſtas competere poteſt Clerico. pag.327. num.6.a
Non tamen conjugato. ibid.
Aut Laico etiam profeſſo, ſeclusâ diſpenſatione Pontificis. ibid.
Ex qua etiam poſſet fœmina competere. ibid.
Denique delegari poteſt Collegio ſeu cõmunitati. ibid.
Quiſnam ſit cenſuræ capax. p.327.n.7.b
Excommunicatio ferenda in hominem determinatum: ſecùs eſt de aliis cenſuris. ibid.n.8
An poſſet ſuperior ſubditum cenſurâ ligare ubicumque delinquentem, ibid.n.9.
Poteſt idem pluribus ſive ejuſdem ſive diverſæ rationis cenſuris innodatus exiſtere. p.328.n.10.a
Quando id contingat. ibid.
Quam ob cauſam infligenda ſit cenſura. ibid.n.11.
Peccatum ob quod fertur intelligitur completum, niſi aliud exprimatur. ibid.n.12.b
Qualis præmittenda ſit monitio. ibid.n.13.
Cui & quomodo facienda. p.329.n.13.a
Cenſura ferenda in ſcriptis. ibid.n.14.
Etſi ſecùs lata valeat jure communi. ibid.
An & qualis ignorantia excuſet ab incurrenda cenſura. *Vide* Ignorantia.

Ceſſatio à divinis.

Quid Ceſſatio à divinis. p.348.n.102.a
Qualiter differat ab Interdicto. ibid.
A quibus imponi poſſit. ibid.n.103.
Tempore Ceſſationis prohibentur divina officia & Sacramentorum adminiſtratio. ibid.n.104.
Excipitur Baptiſmus & Pœnitentia morientium & huic acceſſorium Viaticum nec non Confirmatio. ibid.n.105.
An etiam pœnitentia miniſtranda ſanis. pag.348.n.105. b
Exceptus cenſetur Baptiſmus adultorum. ibid.
Quid cenſendum de Eccleſiaſtica ſepultura & Matrimonio. ibid.n.106.
Conditiones ſervandæ in indictione Ceſſationis remiſſivè. ibid.
Qualiter Religioſi etiam exempti teneantur Ceſſatione generali. ibid.

Charitas.

Charitas habitualis non diſtinguitur realiter à gratia ſanctificante. p.418.n.13.b
Immo nequidem formaliter, ſed ſolo connotato. p.419. n.18.b. *Vide* Gratia habitualis.

Chriſtiani.

Quid liceat Chriſtianis captivis in Turcarum triremibus aut exercitu. p.211.n.100.a
Vide Scandalum.

Chriſtus.

In Chriſto ſunt dotes animæ beatæ quoad rem, ſed non ſub nomine dotis. p.23.n.38.b
An Chriſtus meruerit per ipſam mortem. pag.454. n.11. a
An vel quo ſenſu meruerit de rigore juſtitiæ. p.472. n.47. a
Quatenus mereri potuerit Patribus antiqui teſtamenti. ibid.n.48.
Qualiter influat in merita noſtra. p.472. n.49. & ſeqq.
Vide Meritum.

Circumciſio.

Circumciſio à tempore inſtituti Baptiſmi deſiit eſſe neceſſaria neceſſitate medii, non præcepti. pag.234. n.21. b

Circumſtantia.

Quid & quotuplex Circumſtantia. p.110.n.59.b
Dantur circumſtantiæ, etiam actus interni. pag.111. n.60.a
Non tantùm aggravantes bonitatem vel malitiam intrà eamdem ſpeciem, ſed etiam novam addentes. ibid.n.61.
Signum diſtinctæ ſpecie malitiæ. ibid.n.62.
Notitia circumſtantiarum eſt Confeſſariis ac Paſtoribus animarum neceſſaria. ibid.b.
Bonitas & malitia circumſtantiæ debet eſſe cognita. Ibid. n.63.
Item volita, bonitas quidem expreſſè, malitia autem interpretativè. ibid.n.64.
Quæ tamen ſunt intelligenda de circumſtantiis tenentibus ſe ex parte objecti. ibid.
Sanctitas operantis ignorata confert ad meritum. ibid.n.65.
Non ad augmentum virtuoſitatis ſeu moralis bonitatis. p.112.n.65.a
Quomodo ad hoc interdum conferre poſſit ſtatus operantis cognitus. ibid.
Circumſtantia mutans ſpeciem, quo ſenſu maneat circumſtantia, quo non. ibid.n.66.
Circumſtantia tribuere poteſt primam malitiam, ſed actûs quà peccaminoſi non manet circumſtantia. ibid. n.67.

Circumſtantia, *Quis, Quid, Ubi.*

Circumſtantia Quis *denotat qualitatem operantis.* p.112.n.68.b
Per ſe loquendo parum refert quoad bonitatem. ibidem.
Nec notabiliter aggravat malitiam. ibid.
Sæpè tamen mutat peccati ſpeciem. p.113.n.69.a
Plures in variis materiis ſententiæ probabiles referuntur. ibid.
Ad circumſtantiam Quis *reducitur conſuetudo operantis.* ibid.n.70.
Hæc non auget notabiliter malitiam, nec per ſe eſt explicanda in confeſſione. ibid.
Circumſtantia Quid *denotat objecti quantitatem & qualitatem.* p.113.n.71.b
Quantitas auget bonitatem & malitiam notabiliter. ibid.
Quantitas materiæ poteſt dare novam ſpeciem, uti & qualitas perſonæ circa quam. ibid.
Multa in particulari, de quibus controvertitur, adferuntur. p.114.n.72.a
Ad circumſtantiam Quid *revocari ſolet eventus conſequens.* ibid.n.73.
Qui directè intentus confert ad bonitatem & meritum. ibid.

Intentus ſaltem interpretativè confert ad culpam. ibidem.
Circumſtantia Ubi *denotat locum, in quo peccatum committitur.* p.114.n.74.a
Interdum tribuit primam malitiam. ibid.
Interdum novam malitiam addit. ibid.n.75.b
Circumſtantia Loci ſacri *non tribuit omnibus peccatis malitiam ſacrilegii.* ibid.

Circumſtantia *Quando, Quomodo, Cur, Quibus Auxiliis.*

Circumſtantia Quando *denotat tempus, quo opus committitur.* p.115.n.76.a
Non addit novam malitiam notabilem, nec præcedentem notabiliter aggravat. ibid.
Niſi in raris quibuſdam caſibus. ibid.
Equidem ex ratione temporis interdum ſumitur prima malitia. ibid.
Circumſtantia Quomodo *deſignat modum, maximè intenſionem & durationem operis.* p.115.n.77.a
Intenſio auget bonitatem & malitiam. ibid.
Similiter duratio. ibid.
Ad Circumſtantiam Quomodo *adhuc alii modi reducuntur, ſignanter modus peccandi ex ignorantia.* ibid.n.78.b
Circumſtantia Cur *denotat finem, à cujus qualitate pendet bonitas & malitia operis.* p.115.n.79.b
Duplex eſt malitia in opere pravo ad finem per ſe malum directo. p.116.n.79.a
Si finis bonus vel non graviter malus ſit, non additur operi de ſe malo gravis malitia. ibid.
Circumſtantia Quibus auxiliis *deſignat media, quæ adhibentur ad finem.* p.116.n.80.a
Quæ aliquando de ſe ſunt ſpecialiter mala, aliquando ſolùm participant eamdem malitiam finis. ibid.
Quo caſu media non ſunt in confeſſione peculiariter explicanda. ibid.
Si media ſint mala & finis bonus, actus illa reſpiciens malus eſt. ibid.n.81.b
Minuit tamen bonitas finis malitiam mediorum. ibid. n.82. *Vide* Intentio, Electio.

Claritas, *vide* Dos. Clementinæ

Clementiæ, *Vide* Lex humana.

Clericus.

Clerici non obligantur legibus principum in materia ſpirituali latis per ſe loquendo. p.273.n.141.b
Qui hîc nomine Clericorum intelliguntur. ibid.
Clerici non comprehenduntur legibus tributariis, aut imponentibus alia onera, aut in materia judiciali. ibid. n.142.
Non eſt æqualis omnium exemptio. p.274.n.143.a
Quâ gaudeant Clerici conjugati, & ſub quibus conditionibus. ibid.
Quâ exemptione gaudeant non conjugati, qui non ſunt in ſacris ac ſub quibus conditionibus. ibid. numero 144.
Exiſtentes in ſacris ac religioſi eximuntur plenè. ibid. num.145.b
Excipiuntur quidam caſus. ibid.
Quibus caſibus priventur Clerici majorum Ordinum ſuâ immunitate. ibib.n.146.
An, dum in certo caſu requiritur trina monitio, ſufficiat una loco trium. p.275.n.146.a
Ad leges civiles generaliter pro bono publico latas clerici tenentur. ibid.n.147.
Non ſolùm ex æquitate naturali. ibid.
Sed pari obligatione, ſaltem ex voluntate Eccleſiæ. ibid. n.148.
Immo probabiliter directè vi ipſarum legum. ibid.n. 149.
Non tamen quoad vim coactivam. ibid.n.150.
Ideoq; puniendi ſunt per ſuperiorem Eccleſiaſticum. ibid.
Quamvis principes poſſint contra clericos facere quæ ſunt meræ defenſionis naturalis. ibid.n.151.
Quòd ſi interdum ulteriùs procedant, non ad jus, ſed ad facta hominum id ſpectat, non probanda ſecluſo privilegio. ibid.n.152.
In Belgio vigent Concordata Caroli V. cum Epiſcopis. p.276.n.152.a
Exemptio in materia ſpirituali eſt juris divini. ibid. n.153.
In reliquis conſonat æquitati naturali, eſtq; exemplariter juris divini. ibid.
In rigore tamen juris Eccleſiaſtici & Civilis. ibid.
Eſtq; hæc immunitas irrevocabilis per poteſtatem ſæcularem. ibid.
Regulares plerique exempti ſunt à juriſdictione quacumque Ordinariorum. p.276.n.154.a
Excipiuntur pauci caſus. ibid.b
Sic ut legibus Epiſcopalibus nequidem ſub veniali obligentur. ibid.n.155.

Codex.

Vide Lex humana.

Cognitio.

Cognitio intellectiva neceſſariò prærequiritur ad actum voluntatis. p.83.n.35.b
Vide Intellectio, Voluntas.

Complex.

An complex inducens alium ad peccandum illam inductionem explicare debeat in peccatis cum complice abſolvi ſolitis. p.209.n.90.a
In peccatis quæ non niſi inter duos abſolvuntur, ſingulos peccare peccato duplici, eſt probabile. ibid.

Conceptio.

Conceptio Deiparæ immaculata. p.170.n.30.b
Vide Maria Virgo.

Concilium.

Concilium generale legitimè congregatum habet poteſtatem condendi leges pro tota Eccleſia. pag.252.n.48.b
Eâdem poteſtate pollent Cōcilia Provincialia & Diœceſana. ibid.n.49. *Vide* Legiſlativa Poteſtas.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia quid. p.67.n.24.b
Alia eſt antecedens, alia conſequens. ibid.
Non cauſat involuntarium, etiam ſecundùm quid, ſed potiùs voluntarium. ibid.
Minuit libertatem. ibid.n.25.
Relinquit tamen regulariter ſufficientem ad peccandum. ibid.
Minuit etiam perfectionem voluntarii. p.68.n.26.a
Etſi frequenter faciat ipſum intenſius. ibid.
Facta ex concupiſcentia ſunt interdum involuntaria ſecundùm quid. ibid.n.27.

Concu-

Concupiſcentia non neceſſitat voluntatem, utpote quæ alioquin verè non peccaret. pag.87.n.48.b
Motus indeliberati ſunt impropriè peccata ſecundùm B. Auguſtinum. ibid.n.49.
Concupiſcentia cauſat difficultatem quoad motus deliberatos à culpa non excuſantem. p.88.n.50.a
Sicut prava conſuetudo cauſat difficultatem ſimilem, quæ à B. Auguſtino alibi vocatur neceſſitas. ibid.

Confirmatio.

Differentia aſſignatur inter donum perſeverantiæ & confirmationis in gratia. p.404.n.11.b
Quibus conceſſum fuerit donum confirmationis in gratia. ibid.

Confraternitas.

Confraternitates ſub titulo Immaculatæ Conceptionis *S.Sedes approbavit.* p.175.n.44.b
Quid præſtent litteræ Confraternitatis, quas Prælati Religionum amicis concedunt. p.488.n.122.b
Vide Suffragium.

Conſcientia.

Conſcientia interdum tribuitur voluntati, communiter tamen intellectui. p.121.n.1.a
Diſtinguitur à ſynderefi fide, & ſcientiâ. ibid.
Propriiſſimè ſumpta deſcribitur. p.122.n.2.a
Eſt proxima regula actionum humanarum. ibid.
Officia propria conſcientiæ. ibid.
Conſcientia ſecundariò qualiter reſpiciat præterita. ibid. n.3.
Conſcientia interdum ſumitur pro habituali, & quid illa ſit. ibid.n.4.b
Conſcientia eſt quintuplex. ibid.n.5.

Conſcientia Erronea.

Quid conſcientia erronea. p.123.n.6.a
Non eſt licitum contra illam agere. ibid.n.7.
Agere contra conſcientiam eſt intrinſecè malum. ibid.
Non eſt peccatum operari contra conſcientiam merè habitualem. p.124.n.9.
Opus factum contra conſcientiam erroneam non contrahit inde ſpecialem malitiam. ibid.n.10.
Contra quam legem & virtutem peccet agens contra conſcientiam erroneam. ibid.n.11.
Peccat mortaliter vel venialiter prout conſcientia dictat. ibid.n.12.b
Quid ſi conſcientia ſolùm dictet malitiã in genere. ib.
Conſcientiam invincibiliter erroneam ſequi licitum eſt. p.125.n.14.a
Sic ut opus poſſit eſſe poſitivè honeſtum & meritorium, ſi cetera adſint. ibid.
Quomodo tale opus ſit conforme rationi rectæ, etiam divinæ. ibid.n.15.b
Conſcientia invincibiliter errans rectè ſic appellatur, etiamſi non erret circa proprium ſuum miniſterium. ibid.
Conſcientiam invincibiliter errantem in materia peccaminoſa illicitum eſt ſequi. p.126.n.16.a
Conſcientiam vincibiliter errantem, ſi non deponatur, quo modo ſequi, quo modo non ſequi quis teneatur. ibid.n.17.
Refellitur doctrina Caietani de modo deponendi conſcientiam vincibiliter errantem. ibid.n.18.b
Statuitur vera doctrina. ibid.n.19.

Conſcientia probabilis

Quàm hæc materia ſit difficilis ac utilis, & quales circa eam defectus committantur. p.127.n.20.a
Quomodo diſtinguatur conſcientia probabilis ab opinione, & quid ſit opinio. ibid.n.21.b
Licitum eſt ſequi ſententiam probabilem, etiam minùs tutam regulariter loquendo. p.128.n.22.a
Requiritur tamen cauſa, ut liceat ſequi minùs tutam. ibid.n.23.
Periculum remotius peccati materialis non eſt curandum ſic operanti. ibid.
Sic operans habet dictamen conſcientiæ practicè certum. ibid.n.24.b
Conſcientia probabilis eſt talis extrinſecè, in ſe autem certa. ibid.
Fruſtrà poſt factum in libris aut rationibus quæritur, quòd opus vel conſcientiam excuſet, aut etiam accuſet. p.129.n.25.a
Proponuntur nonnulli caſus, in quibus eſt illicitum, ſequi opinionem probabilem. ibid.n.26.
Non eſt licitum ſequi ſententiam probabilem minùs tutam contra propriam. ibid.n.28.b
Secùs tamen ſentientes non condemnantur. pag.130. num.29. a

Conſcientia dubia.

Quid dubium. p.130.n.30.a
Variæ ejus diviſiones. ibid.b
Semper eſt malum operari cum dubio practico ſeu conſcientiâ manente dubiâ. ibid.n.31.
Et quidem in ea ſpecie & quantitate, de quo eſt dubitatio. p.131.n.31.a
Unde tunc eſt eligenda pars tutior. ibid.n.32.
Si utrimque appareat æquale & inextricabile periculum, quodlibet fiat, non erit peccatum. ibid.
Ex dubio ſpeculativo naſcitur practicum per ſe loquendo. ibid.n.33.b
Ex aliis tamen principiis poteſt eo non obſtante operans ſæpè formare judicium practicum de licentia operandi. ibid.n.34.
Quo caſu debet priùs diligens fieri examen ad vincendum dubium. ibid.
Idq; proportionatè ad gravitatem ac exigentiam materiæ. ibid.
Ad judicium autem formandum ſervit regula & favor poſſeſſionis in materia juſtitiæ. p.132.n.35.a
Immo veroſimilius etiam in aliis materiis. ibid. n.36.b
Diſparitas aſſignata inter materiam juſtitiæ & aliarum virtutum arguitur velut inſufficiens. p.133.n. 37. a
Jus poſitivum in caſu homicidii dubii oppoſitum ſtatuit quoad irregularitatem. ibid.n.38.
Explicantur alia jura in caſu matrimoniali. ibid. num.39.b
Regula unde ſciatur, pro lege, an pro operante ſit poſſeſſio. p.134.n.40.a
Enumerantur varii caſus, in quibus pro libertate operantis ſtat poſſeſſio. ibid.n.41.
Enumerantur alii, in quibus poſſeſſio ſtat pro lege. ibidem n.42.b
Quid ſi in genere conſtet de lege, dubitetur autem an ſe ad certum caſum extendat. ibid.n.43.

Conſcientia ſcrupuloſa.

Quid ſcrupulus. p.135.n.44.a

Licitum eſt agere contra ſcrupulos. ibid.n.45.
Non tamen contra judicium practicum non depoſitum, quando adeſſet. ibid.b
Illud ſubfuiſſe non facile credendum eſt. ibid.n.46.b
Monitio circa ſcrupuloſos pro Confeſſariis. ibid.
Poteſt ſæpè adeſſe obligatio agendi contra ſcrupulos. p.136.n.47.a
Variæ ſcrupulorum radices. ibid.n.48.
Varia item remedia. ibid.n.49.
Cautela pro Confeſſariis. ibid.n.50.b & pag.137.n.51.a
Quid conſcientia hypocondriaca ſeu fatua. ibid.num. 52. b

Conſenſus.

Conſenſus quid ſit. p.93.n.69.a
Efficax non eſt ſpecialis actus à ceteris diſtinctus. ibid.
Conſenſus conditionatus in objectum graviter malum eſt grave peccatum. p.191.n.23.b
Niſi per conditionem præſcindatur omnis malitia ab objecto, quantumvis prohibito jure naturæ. ibid.
Satisfit objectionibus. ibid.n.24.
Varia corollaria. p.192.n.25.a

Conſilium, Conſulere.

Quid conſilium & qualiter concurrat ad actus elicitos voluntatis. p.93.n.73.b
Supponit in nobis conſultationem & formaliter conſiſtit in judicio reſolutivo. p.94.n.73.a
Capitur quidem ordinariè de mediis per nos exequendis, interdum tamen etiam de finibus inter ſe comparatis. ibid.
Conſulens alteri homicidium an graviùs peccet ipſo homicidâ. p.207.n.83.b

Conſtitutio.

Conſtitutiones Religioſorum. Vide Religioſi.

Conſuetudo.

Conſuetudo alia eſt facti, alia juris. p.255.n.61.a
Conſuetudo facti frequentata à majori parte communitatis inducit jus. ibid.n.62.
Idq; per actus etiam extrajudiciales animo inducendi jus frequentatos. ibid.n.64.b
Hic animus in dubio non eſt præſumendus. ibid.n.65.
Indicia ad judicandum pro obligatione conſuetudinis aſſignantur. p.256.n.65.a
Numerus actuum quis ſufficiat. ibid.n.66.
Conſuetudo debet probari, & quomodo. ibid.
In Curiis laicis, Provinciarum præſertim Belgicarum conſuetudo probatur non paucioribus quam decem teſtibus per turbam auditis. ibid.
Notoria tamen, aut legitimè in ſcriptis redacta non aliâ indiget probatione. ibid.
Ut conſuetudo viâ præſcriptionis inducat legem, requiritur & ſufficit decennium. ibid.n.67.
Etiamſi Princeps ſit abſens. ibid.n.68.b
Secùs eſt de præſcriptione aliarum rerum. ibid.
Requiritur conſuetudo non interrupta ad hoc ut viâ præſcriptionis lex inducatur, vel abrogetur ibid. num.69.
Ut conſuetudo viâ tacitæ approbationis perſonalis faciat jus, ſufficit tempus decennio brevius. ibid.
Itaque debet eſſe conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta, aut perſonaliter à Principe probata. ibid.n.70.
Quæ hic vocetur conſuetudo rationabilis, p.257. num.70.a
Conſuetudo poteſt obtinere vim Legis, etiam pœnalis, irritantis, inhabilitantis &c. p.257.n.70.a
Conſuetudo quoque habet vim interpretandi legem. ibid.n.71.
Idq; dupliciter. ibid.
Conſuetudo etiam poteſt tollere Legem humanam. p.289.n.215.b
Non tamen naturalem aut divinam. p.290.n.215.a
Debet eſſe rationabilis & præſcripta. ibid.n.216.
Quæ cenſeatur rationabilis. ibid.
Quæ cenſeatur legitimè præſcripta. ibid.n.217.
Quantum temporis requiratur pro lege civili. ibid.
Quantum pro Eccleſiaſtica. ibid.
Quantum temporis requiratur, ſi conſuetudo tollat legem viâ conniventiæ. ibid.b
Poteſt conſuetudo etiam derogare legi pro parte. ibid. n.218.
Et abrogare legem irritantem. ibid.n.219.
Aut etiam illam, quæ prohibet conſuetudinem. p.291. n.220.a
Non tamen illam, quæ reprobat conſuetudinem introducendam tamquam irrationabilem corruptelam. ibid.n.221.b.
Niſi hæc mutatis circumſtantiis fieret rationabilis. ibid
Lex conſuetudinaria poteſt oppoſitâ conſuetudine tolli, ibid.
Conſuetudo belgica. Vide Belgium.

Contemptus.

Contemptus alius materialis, alius formalis. p. 201. num.60.b
In quo actu formaliter reperiatur contemptus formalis. ibid.
Peccare cum contemptu, & peccare ex contemptu, in quo differant. p.202.n.61.a
Peccatum ex contemptu non coincidit cum peccato ex certa malitia. ibid.n.62.
Nec cum peccato ex conſuetudine, neque generatim cum peccato inobedientiæ formalis. ibid.
Alius eſt contemptus materiæ, alius ipſius legiſlatoris. ibid.num.63.b
Hic ſemper eſt mortalis, ſi legiſlator ſit Deus. ibid.
Idq; licèt præceptum ſit leve, immo graviter peccat contemnens divina conſilia. ibid.
Contemptus legiſlatoris humani quà homo eſt, non ſemper eſt mortalis. ibid.n.64.
Secùs eſt de contemptu illius quà ſuperior eſt, & transgreſſione conſequente. p.203.n.65.a

Contritio.

Contritio non juſtificat formaliter. p.420.n.19.a
Sed ſolùm diſpoſitivè. ibid.n.20.b.
Nec amplius ſequitur ex eo quòd ſit perfecta à peccato averſio & ad Deum converſio. ibid.n.21.
Major perfectio actûs gratis ſuppoſita non probat ei competere vim formaliter juſtificandi. ibid.
Juxta Nonnullos contritio tollit partem pœnæ peccato mortali debitæ, vel aliquando totam per modum condignæ ſatisfactionis. p.426.n.43.b
Hoc tamen non probatur. ibid.
Unde diſpar contritio per modum diſpoſitionis congruæ ſolùm facit ad diſparem taxam pœnæ temporalis. ibid.n.44.

Nonnulli cenſent ad diminutionẽ vel extinctionem pœnæ temporalis conducere contritionem eatenus, quatenus poſt juſtificationem continuatur. ibid.n.45.

Sed hoc improbatur. p.427.n.45.a

Ad juſtificationem requiritur contritio. pag.439.n. 22.a.

Extra Sacramentum quidem charitate perfecta, etſi cum Sacramento mortuorum ſufficiat imperfecta. ibid.n.23.

Quænam cenſeatur charitate perfecta. ibid.n.24.

Ipſa contritio eſt formaliter actus dilectionis Dei. p. 440.n.26.a

Contritionem charitate perfectam extra neceſſitatem non juſtificare ante realem ſacramenti ſuſceptionem Quidam cenſuerunt. p.441.n.33.a

Sed aſſerunt Theologi communiſſimè. ibid.n.34.b

Oppoſitam doctrinam damnarunt Pontifices. p. 442. num.36.a

Occurritur Cuidam evaſioni. ibid.

Perfectam charitate contritionem, quæ fuit in Magdalena ſtatim comitata fuit peccatorum remiſſio. ibid.n.38.b

Idemq́ contigit in Apoſtolo Paulo. p.443.n.39.a

Explicantur quædam loca Auguſtini objecta. ibid. num.40.

Item aliorum Patrum. ibid.n.41.b

Contritionem varii putant effici ab habitu, qui eodem inſtanti temporis infunditur. p.444.n.43.a

At contrarium cum communi ſententia aſſeritur. ibidem.

Contritio diſpoſitiva poſſet ſequentibus inſtantibus conſervari ab habitu charitatis infuſo, accedente nova actione. ibid.n.46.b

An de facto id fiat, non ita conſtare videtur. ibid.

Immo Nonnulli id cenſent impoſſibile. ibid.n.47.

Corpus.

Corpus non impedit beatitudinem electorum. p. 29. num.61.a

Inclinatio ad corpus non retardat animas beatas in viſione Dei. p.33.n.73.b

Vide Beati.

Corporum reſurrectio. Vide Reſurrectio.

Corporum penetratio non eſt impoſſibilis. pag.45. n. 51. b

Creatura.

An pura creatura potuiſſet de condigno ſatisfacere pro culpa mortali. p.191.n.22.a

D.

Damnati.

Damnati triſtantur immediatè de carentia ipſius Dei. p.22.n.35.b

Damnatorum pœna. Vide pœna Inferni.

Damnati non demerentur per actus malos. pag. 453. num.9. b

Decalogus.

Vide Lex naturalis.

Declarationes Cardinalium.

Declarationes Cardinalium an habeant vim legis. p. 283.n.185.b

Quid requiratur, ut declarationes Cardinalium fidem faciant. ibid.

Decretum.

Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextus decretalium, vide Lex humana.

Degradatio.

Quid Degradatio verbalis. p.348.n.107.b

Quid Degradatio realis. ibid.

An Degradatio verbalis cum depoſitione confundatur. ibid.

Depoſitio alia abſoluta, alia reſpectiva. pag.349.n. 108. a

Abſoluta alia totalis, alia partialis. ibid.

In quo differat à ſuſpenſione. ibid.

Per quem tollenda depoſitio verbalis abſoluta, item degradatio realis. ibid.

Effectus degradationis præſertim realis. ibid.n.109.

Quid faciendum Epiſcopo tradenti degradatum curiæ ſæculari. ibid.b

Quæ crimina mereantur Degradationem. ibid.

Delectatio moroſa.

Datur in voluntate ſimplex complacentia, quæ cur vocetur delectatio moroſa. p.192.n.26.b

Differentia inter delectationem de cognitione, & de ipſa re turpi cognitâ. ibid.n.27.

Moroſa delectatio eſt peccatum mortale. p.193.n.28.a

Sive verſetur circa objecta venerea, ſive circa alia opera graviter prohibita jure naturæ, aut etiam jure poſitivo, niſi fiat ſufficiens præſciſio. ibid.n.29.b

Illicitum quoque eſt delectari de actibus malis à culpâ formali excuſatis ob ſomnum &c. p.194.n.30.a

Licet ejuſmodi opera à peccato excuſata ſint tantùm effectus peccati. ibid.

An idem quoad hoc cenſendum de pollutione nocturnâ. ibid.n.31.

Non omnes delectationes moroſæ in materiâ venereâ ſunt ejuſdem ſpeciei. ibid.n.32.b

Conditio ſe delectantis addere poteſt ſpecialem malitiam. ibid.

An exprimenda ſit conditio perſonæ circa quam. ibidem n.33.

Sponſis de copula conjugali futurâ, viduis de præteritâ illicitum eſt delectari. p.195.n.34.a

Licitè tamen ſponſi futuram deſiderant, etiam efficaciter; viduæ præteritam approbant. ibid.n.35.

Conjugi in abſentia comparis non licet ſeipſum tangere inhoneſtè, vel de copula cogitata venereè delectari. ibid.n.36.b

Nec poteſt talis delectatio cenſeri uſus conjugii. ibid. num.37.

Ad mortale peccatum requiritur conſenſus perfectè deliberatus. p.196.n.38.a

Vide Deliberatio.

Regulæ practicæ ad dignoſcendum an adfuerit perfectus & deliberatus conſenſus, an non. ibid.n.41.b

Tepida reſiſtentia excuſat à mortali. p.197.n.42.a

Deliberatio.

Deliberatio imperfecta in quo conſiſtat, & unde oriatur. p.196.n.38.a

Quomodo diſtinguatur à perfectâ deliberatione. ibid. num.39.

Depo-

Depoſitio.

Vide Degradatio.

Detractio.

Detrahens uno actu pluribus cur potiùs committat plura peccata, quàm detrahens uni coram pluribus. pag.153.n.51.a

Deus.

Deus omnia, etiam inanimata agit in finem. pag.3. ibid.num.1.a.
Ipſe eſt finis ultimus & univerſalis omnis creaturæ. ibid.num.2.b.
Differentia duplex inter Deum & creaturas agentes propter finem. p.4.n.3.a
Deum movet ſua bonitas, ut ſibi ex creaturis quærat gloriam. ibid.n.4.
Dei gloria alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. ibid. num.5. a.& b.
Qualiter eam enarrent, etiam ratione carentia. ibid.
Quo ſenſu omnia ad Dei gloriam facere moneamur. pag.5.n.6.a
Deus movet voluntatem creatam partim phyſicè, partim moraliter. p.89.n.54.a
Non tamen neceſſitat; quàmvis id poſſet tum infundendo ſe ſolo actum, tum prædeterminando. ibid.
Vide Beatitudo objectiva.

Digeſta.

Vide Lex humana.

Dilectio.

Vide Amor.

Diſpenſatio.

Quid ſit Diſpenſatio. p.291.n.1.a
In quo diſtinguatur ab Epykia & derogatione ſtrictè dictâ. ibid.
Diſpenſatio diverſis modis concedi poteſt. ibid.n.2.b
Lex humana poteſt mutari per diſpenſationem. ib.n.3.
Ad valorem diſpenſationis requiritur interna voluntas diſpenſantis. p.292.n.3.a
Debet hæc voluntas exteriùs manifeſtari. ibid.n.4.
Diſpenſatio tacita, ejuſq; ſignum. ibid.
Ad licitam diſpenſationem requiritur juſta cauſa. ibid. n.5.
An princeps peccet mortaliter ex genere ſuo, diſpenſando ſine cauſa ſive cum ſubditis, ſive cum ſeipſo. ibid.n.6.& 7.b
Juſtæ cauſæ diſpenſandi aſſignantur. ibid.n.8.
Poſitâ cauſa ſufficientiâ, non ſemper debita eſt diſpenſatio. p.293.n.9.a
Ne tum quidem, quando cauſa in jure denotatur, niſi amplius ex verbis aut ſubjectâ materiâ colligatur. ibid.n.10.
Caſus debitæ diſpenſationis. ibid.n.11.
Quæ ſi tunc negetur, ſervanda lex, extra caſus Epykiæ. p.293.n.11.b
Inferior diſpenſat invalidè in lege ſuperioris ſine cauſa. ibid.n.12.
Niſi ſuppleat cauſæ defectum bona fides. ibid.n.13.
Quod tamen limitandum. p.294.n.13.a
Immo veroſimiliter abſolutè negandum. ibid.
Valet diſpenſatio in propria lege data ſine cauſa. ibid. num.14.
An utens tali diſpenſatione peccet. ibid.n.15.b
Quid de acceptante. ibid.
Diſpenſatio illicitè datur ſine cognitione cauſæ. ibid. num.16.
Validè tamen datur in propria lege. p.295.n.17.a
Immo probabiliter etiam data à delegato, ſi cauſa verè ſubſit. ibid.
Valet etiam non poſtulata diſpenſatio. ibid.n.18.b
Aut procurata ſine ſcitu vel mandato perſonæ diſpenſandæ. ibid.
Quàmvis ſine hoc non valeat reſcriptum juſtitiæ ſeu ad lites. ibid.
Solvitur quod poteſt ex jure objici. ibid.
Diſpenſatio legis naturæ an & quibus competat.
Vide Legis naturæ immutabilitas.
Diſpenſatio de per ſe eſt ſtrictè interpretanda. pag. 302. n.52.b
An vel qualiter ceſſet diſpenſatio ob ceſſationem cauſæ. p.303.n.52.a

Diſpenſationis defectus.

Tripliciter poteſt in diſpenſatione contingere defectus. p.299.n.36.a
Subreptio ſeu obreptio nullam facit diſpenſationē. ibid.
Diſcrimen inter ſubreptionem & obreptionem. ibid. num.37.
Quæ tamen plerumque confundi ſolent. ibid.
Taciturnitas qualitatis de jure exprimendæ vitiat diſpenſationem. ibib.n.38.
Qualiter ſit exprimendus gradus propinquitatis in diſpenſatione conſanguinitatis & affinitatis. p. 300. num.38.a
Sequendus eſt ſtylus Curiæ in expreſſione qualitatum. ibid.n.39.
An explicanda ſit copula inceſtuoſa. ibid.n.40.
Vitiat quoque taciturnitas veri, aut expreſſio falſi pertinentis ad diſpenſationem, quæ cognitâ veritate non fuiſſet conceſſa. ibid.n.41.b
Quod locum videtur habere, ſi dives petat diſpenſationem in forma pauperum. ibid.n.42.
Secùs ſi ſit circa aliquid ad diſpenſationis cauſam impertinens. p.301.n.43.a
Corollaria quædam. ibid.
Error circa ſubſtantiam moralem rei vitiat diſpenſationem. ibid.n.44.
Talis non eſt error in ſolo nomine perſonæ. ibid.n.45.b
Aut in nomine reſidentiæ. ibid.n.46.
Litteræ Apoſtolicæ à quo tunc executioni mandandæ. ibid.
Subreptio non ſemper totam diſpenſationem vitiat. ibidem num.47.
Quid cenſendum, dum non ſubſiſtit cauſa allegata, ſive unica, ſive multiplex. ibid.n.48.
Quid ſi taceatur, adhuc petitam & negatam fuiſſe diſpenſationem. p.302.n.49.a
An diſpenſandus poſſit petere diſpenſationem in uno vinculo, cæteris ſuppreſſis. ibid.n.50.
Metus probabiliter non invalidat ipſo facto diſpenſationem ſeriò datam. ibid.n.51.b
Etiamſi ſit incuſſus ab ipſo diſpenſando ad obtinendam diſpenſationem. ibid.

Diſpenſandi poteſtas.

Poteſtas ordinaria diſpenſandi cōpetit habentibus ordinariam juriſdictionem in foro externo. p.295.n.19.b
Unde Parochis & Confeſſariis per ſe non competit. p. 296.n.19.a
Competit tamen quoad certos caſus ex conſuetudine. ib.

Facultas

Facultas diſpenſandi poteſt delegari ab iis, quibus jure ordinario illa competit. ibid.n.20.
Quivàm delegati poſſint ſubdelegare. ibid.
Quiſque jure ordinario diſpenſare poteſt in lege propria. ibid.n.21.
Vel etiam inferioris, ibid.
Non competit id Metropolitano in legibus Epiſcoporum ſuæ provinciæ. ibid.
Sed Pontifici reſpectu juris Canonici, legum Conciliarium & merè Apoſtolicarum. ibid.
Item Epiſcopo reſpectu Synodi Paſtoralis. p.296.n.21.b
Non autem prælatis inferioribus in legibus ſuperioris. ibid.n.22.
Ab excommunicatione tamen poteſt abſolvere hoc ipſo quòd non reſervetur. ibid.n.23.
Uti & diſpenſare in votis ſpecialiter non reſervatis. ibid.
Poſſunt tamen Epiſcopi diſpenſare in legibus Pontificiis in certis caſibus. p.297.n.24.a
Primò, quando lex diſpenſationem concedit. ibid.
Secundò, quando eſt levis materia. ibid.
Tertiò, quando eſt frequens & quotidiana neceſſitas diſpenſandi in lege. ibid.
Quartò, quando periculum eſt in mora, nec eſt facilis ad Papam recurſus. ibid.n.25.
An etiam in caſibus dubiis. p.297.n.26.b
Prælati Regularium exemptorum poſſunt quoad hæc reſpectivè, quod Epiſcopi. ibid.n.27.
Epiſcopi & Archiepiſcopi ex uſu diſpenſant in legibus Concilii Provincialis etſi ſuperioris. ibid.
Nec aliâ ratione diſpenſant Prælati generales religionum in ſtatutis Capituli generalis. ibid.n.28.
Aut Provinciales in ſtatutis Capituli Provincialis. p.298.n.28.a
Diſpenſatio poteſt concedi ſubdito extra territorium. ibid.n.29.
An Ordinarius loci poſſit diſpenſare cum forenſibus, variant Doctores. ibid.n.30.
Aſſeritur poſſe diſpenſare cum eis in legibus. ibid.n.31.
Non in votis, juramentis, irregularitate & ſimilibus vinculis. ibid.n.32.b
Ordinarius poteſt diſpenſare ſecum. ibid.n.33.
Immo etiam illimitatè delegatus. ibid.n.34.
An inferior diſpenſans in lege ſuperioris poſſit uti commutatione. p.299.n.35.a

Dos animæ beatæ.

Tres animæ dotes, viſio, comprehenſio & fruitio declarantur. p.23.n.37.a
Quid nomine dotis intelligatur. ibid.n.36.
In Chriſto & angelis ſunt dotes quoad rem, ſed non ſub nomine dotis. ibid.n.38.b
Animæ in hac vita non conferuntur propriè dotes. ibid.n.39.

Dos corporis Beati.

Quatuor dotes corporum Beatorum. p.40.n.30.b

Dos Impaſſibilitatis.

Prima dos Impaſſibilitas. p.41.n.31.a
Conſiſtit in immunitate ab omni paſſione corruptiva & afflictiva. ibid.n.32.b
Nequit refundi in optimum temperamentum. ibid.
Nec in ceſſationem motûs cælorum. ibid.
Neque in perfectum animæ in corpus dominium. ibid.
Neque tandem in aliquam qualitatem intrinſecam. ibid.n.33.
Sed in Deum. p.42.n.34.a
Etſi hoc modo impaſſibilitas ſit ab extrinſeco. ib.n.35.
Cur contra extrinſeca læſiva non ſufficiat ſubtilitas, nec agilitas. ibid.n.37.b

Dos Claritatis.

Secunda dos, Claritas. p.42.n.38.b
Conſiſtit partim in colorum & figuræ proportione, partim in qualitate lucis corporibus intrinſecâ. p.42.n.39.b. & p.43.n.39.a
In diverſis ſanctis juxta meritorum differentiam erit claritas inæqualis. p.43.n.40.a
Et occultabilis pro arbitrio ipſorum. ibid.
Idq; per hoc quòd Deus ad immutandum viſum non concurret. ibid.b
An Corpora Beatorum futura ſint tranſparentia. ibidem n.41.
Quæ ſit cauſa claritatis Beatorum. ibid.n.42.
An lux illa ſit diverſæ ſpeciei à noſtra. p.44.n.43.a
Et conſequenter an ſit naturalis in ſubſtantia. ibid. num. 44.

Dos Agilitatis.

Tertia dos, Agilitas. p.44.n.45.a
In quo conſiſtat. ibid.n.46.b
Quæ ſit ratio indefatigabilitatis ac tanta velocitatis. ibid.n.47.
An vis motiva animæ ſit perficienda intrinſecè. pag. 45.n.48.a
Non poterunt Beati ſe movere de extremo in extremum niſi ſucceſſivè tranſeundo per medium. ibid. num.49.

Dos Subtilitatis.

Quarta dos, Subtilitas non clarè ex Scriptura probatur. p.45.n.50.a
In proprio ſenſu adſtruitur. ibid.n.52.b
Non oritur ex ablatione quantitatis. ibid.n.53.
Neque ex qualitate intrinſeca, aut ſublatione extenſionis localis. p.46.n.53.a
Sed ex aſſiſtentia extrinſeca Dei ibid.n.54.
Nec propterea eſt dicenda fuiſſe in Chriſto adhuc mortalis. ibid.
Neque dabitur Beatis ad penetrationem propriorum membrorum. ibid.n.55.
Vel corporis alterius beati renitentis. ibid.b

Dubium.

Quid dubium. p.130.n.30.a
Aliud eſt poſitivum, aliud negativum. ibid.b
Item aliud juris, aliud facti; aliud ſpeculativum, aliud practicum. ibid.
Vide Conſcientia dubia.

E.

Ebrius.

Ebrii per ſe obligantur legibus, etſi pro tempore à formali culpa excuſentur. p.270.n.130.b
Unde non licet ipſis in die jejunii cibos vetitos miniſtrare, vel eos ad comedendum invitare. ibid.

Effectus.

Effectus Peccati, vide Peccati Effectus.
Effectus Legis, vide Legis Effectus.

Effectus

Effectus Diſpenſationis, vide Diſpenſationis Effectus.
Effectus Privilegii, vide Privilegii Effectus.

Electio.

Electio quid. p.90.n..60.b
Eſt ſpecies volitionis efficacis. ibid.
Ordinariè realiter diſtinguitur ab intentione. ibid. numero 61.
Ab ea non efficitur phyſicè. p.91.n.62.a
An ſuppoſitâ intentione neceſſaria ſit electio medii unici neceſſariò requiſiti. ibid.n.63.b
Vide Intentio.
Electio medii ſpecialiter boni habet duplicem bonitatem, medii & finis. p.117.n.87.b
Quæ tendit ſufficienter in boneſtatem propriam medii, etſi non ultimatè. p.118.n.88.a

Elias.

Elias non meretur modò per bona opera. p.453.n.8.b
Uſque ad tempora Antichriſti. ibid.

Enoch,

Enoch non eſt ampliùs in ſtatu merendi. p.453.n.8.b
Uſque ad tempora Antichriſti. ibid.

Epiſcopus.

Epiſcopus in quibus legibus poſſit diſpenſare. vide Diſpenſandi Poteſtas.
An poſſit cum forenſibus diſpenſare in legibus vel votis. p.298.n.30.& ſeqq.
Papa diſpenſans in reſidentia Epiſcoporum, non diſpenſat in jure naturæ. p.229.n.54.a
Epiſcopi poſſunt ferre leges pro ſua diœceſi. p.251.numero 45.b
Idq; poſtquam ſunt confirmati, antequam ſint conſecrati. ibid.
Ac independenter à conſenſu Capituli. ibid.
An Epiſcopis competat poteſtas legiſlativa jure divino. p.252.n.46.a

Epulo.

Hiſtoria Epulonis Lucæ 16. non eſt ſolùm parabola, ſed vera hiſtoria. p.56.n.29.a
Flamma ipſum crucians nequit intelligi metaphoricè. p.59.n.39.a

Epykia.

Epykia quid ſit. p.285.n.195.b
Cur ſæpè neceſſaria in humanis legibus, ibid.
Non habet locum ſine legis ceſſante negativè in caſu particulari; ſecùs ſi contrariè vel quando caſus ob circumſtantias eſt illicitus. ibid.n.196.
Vel legis obſervantia eſt nimis dura. ibid.
Alium adhuc modum utendi Epykiâ addit Suarez. p.286.n.197.
Regula generalis. ibid.
An licitus ſit uſus Epykiæ, quando tantùm probabiliter conſtat, quòd caſus non ſit comprehenſus. ibid. numero 198.
Aut quando eſt de hoc propriè dictum dubium. ibid.
Quid ſi non pateat commodus ad ſuperiorem recurſus. ibid.
Epykia ordinariè locum habet in lege irritante. ibid. num.199.b

Error.

An & quis invalidet diſpenſationem. vide Diſpenſationis defectus.

Excæcati,

Vide Obdurati.

Excommunicatio.

Excommunicatio ferri debet in hominem determinatum: ſecùs eſt de aliis cenſuris. p.327.n.8.b
Fertur tripliciter. p.335.n.41.b
Excommunicatio quid. p.329.n.15.a
Alia eſt major, alia minor. ibid.

Excommunicationis effectus.

Excommunicatio minor privat perceptione Sacramentorum p.329.n.16.b
Non tamen adminiſtratione. ibid.
Electio ſic excommunicati ad beneficia non eſt ipſo facto irrita, ſed irritanda. ibid.n.17.
Excommunicatio major privat communione fidelium. p.330.n.19.a
Actiones inde illicitæ recenſentur. ibid.
Prohibitio directè excommunicatos, indirectè cæteros afficit. ibid.n.20.
In civilibus plerumque communicatio eſt venialis. ibid.
Cauſæ communicationem à culpa excuſantes enumerantur. ibid.n.21.
Olim omnes excommunicati erant vitandi. p.331.n.22.a
Poſt Concilium Conſtantienſe vitandi ſoli nominatim denuntiati, ac publici percuſſores Clericorum. ibid.
Qui dicuntur non tolerati, cæteri verò tolerati. ibid.
Nec per hoc ſit favor excommunicatis, ſed ſolis innocentibus. ibid.
Excommunicatio major privat ſuffragiis Eccleſiæ. p.331.n.23.b
Non tamen privatis orationibus. ibid.
Et hoc uſque dum reus ſit abſolutus, quantumvis fuerit contritus. ibid.
An vel qualiter hæc locum habeant etiam in toleratis. ibid.n.24.
Excommunicatus, etiam toleratus, arcetur à receptione ſacramentorum. p.332.n.25.a
Poſſet tamen validè, etiam interdum ſacramentum pœnitentiæ recipere. ibid.
Differentia inter peccatum adminiſtrantis ſacramenta excommunicato non tolerato, & miniſtrantis tolerato. ibid.
Excommunicato eſt adminiſtratio Sacramentorum interdicta per ſe, licita per accidens, præſertim tolerato, ibid.n.26.
Qualiter excommunicatis interdicta vel licita ſit celebratio. ibid n.27.b
Excommunicatio privat divinis officiis. ibid.n.28.
Quid agendum, ſi non toleratus ſe divinis officiis ingerat. ibid.
Sola moralis communicatio in divinis cenſetur prohibita. p.333.n.28.a
Excommunicatus tenetur privatim recitare horas abſtinendo à Dominus vobiſcum. ibid.n.29.
Etſi hoc dicendo non peccet graviter, nec ſit irregularis. ibid.
Excommunicatus non toleratus nequit ſepeliri in loco ſacro. ibid.n.30.

Quid

Quid agendũ, ſi talis fuerit in eo ſepultus. p.333.n.30.b
Pœna temerariè ſepelientium excommunicatos vel hæreticos denuntiatos. ibid.n.31.
Quid agendum de mortuis, ante abſolutionem tamen pœnitentibus. ibid.
Hæretici ac notoriè mortui in malo ſtatu privantur Eccleſiaſticâ ſepulturâ, etiam ſeclusâ excommunicatione. ibid.n.32.
Excommunicatio privat uſu juriſdictionis Eccleſiaſtica. p.334.n.33.a
Sic ut acta non tolerati ſint invalida. ibid.
Secùs videtur de tolerato. ibid.n.34.b
An etiam privet excommunicatio juriſdictione ſæculari. ibid.n.35.
Invalidè confertur beneficium excommunicato. ibid. n.36.
Etſi adſit ignorantia invincibilis. ibid.
Vel collatio ſit Pontificia facta motu proprio. p.335. n.36.a
Idem eſt de Electione & Præſentatione. ibid.
Unde percipere vel retinere nequit fructus beneficii in excommunicatione obtenti. ibid.n.37.
Immo & fructibus antè obtentis privatur, ſed probabiliùs poſt ſententiam. ibid.
Collatio quoque, Electio, & Præſentatio facta ab excommunicato eſt irrita. ibid.n.38.
Facta tamen à tolerato valet, niſi ſaltem elidatur per exemptionem. ibid.
Excommunicatio removet excommunicatum ab actionibus forenſibus. p.335.n.39.a
Poteſt repelli, etiam toleratus. ibid.b
Valent tamen acta, ſi non repellatur, etiam non tolerati. ibid.
Poteſt excõmunicatus conveniri in judiciis. ibid.n.40.

Excommunicationis abſolutio.

Excõmunicatio tollitur ſolâ abſolutione. p.335.n.41.b
Lata per ſententiam ſpecialem tollitur ab eo qui tulit, ſucceſſore & ſuperiore, vel ab his delegato. p.336. num.42.a
Lata per ſententiam generalem tollitur ab eo qui poteſt abſolvere à mortalibus. ibid.n.43.
Solvitur quod poteſt objici ex jure. ibid.
Idem à fortiori eſt de excommunicatione lata à jure. ibid.n.44.
Quis abſolvere poſſit ab excommunicatione reſervata. p.336.n.45.b
In articulo mortis ceſſat omnis reſervatio. ibid.
Caſus occulti conceduntur Epiſcopis per Tridentinum. ibid.
Varii caſus, quibus adhuc excommunicationes papales cadunt ſub poteſtatem Epiſcoporum. ibid.n.46.
Per ſpecialia privilegia poſſunt inferiores interdum abſolvere à cenſuris papalibus. p.337.n.47.a
Ad abſolutionem non requiritur certa verborum forma. ibid.n.48.
Nec ſemper juramentum non patrandi crimen de cetero. ibid.
Præſertim dum impenditur in foro pœnitentiæ. ibid.
Nequit tamen dari, niſi ſatisfactâ parte. ibid.n.49.
Quando ſufficiat cautio & qualis. ibid.
De jure ineſt conditio ut detur abſolutio ſatisfactâ parte. p.337.n.49.b
Valeret aliter data, etiam à delegato. ibin.n.50.
Non facile à privilegiatis abſolvendus pro foro conſcientiæ, quando eſt denuntiatus, aut res deducta eſt ad forum contentioſum. ibid.n.51.
Ab excommunicatione minori abſolvit, qui poteſt abſolvere à mortalibus. p.329.n.18.b

Excommunicationes reſervatæ.

Excommunicationes aliæ ſunt reſervatæ ſedi Apoſtolicæ, aliæ non. p.337.n.52.b
Quas excommunicationes reſervatas contineat bulla Cœnæ. p.338.n.53.a
Excommunicationes extra bullam Cœnæ tum reſervatæ, tum non reſervata ſunt plurima. ibid.n.54.
Solemnior illa quæ infligitur percuſſori Clerici. ibid.
Ob quam actionem hæc incurratur. ibid.n.55.b
Incurritur etiam à mandante, promiſſis incitante &c. ibid.
Qui veniant intelligẽdi hic nomine Clerici. ibid.n.56.
Qui nomine Monachi. p.339.n.57.a
Ab hac excommunicatione excuſat levitas materiæ vel culpa. ibid.n.58.
Item percuſſio correctionis legitima. ibid.
Vel merè defenſiva, aut facta in clericum turpiter cum matre &c. agentem. ibid.n.59.b
Aut ſi ignoretur percuſſus eſſe clericus. ibid.
Quis poſſit ab hac excommunicatione abſolvere. ibid.

Exemplum.

Scandaliſans alium malo exemplo peccat probabiliter eo ſpecie peccato, ad quod inducit. p.208.n.85.a
Citra tamen obligationem reſtituendi, ſi detur in materia juſtitiæ. ibid.n.86.
Nihilominus malo exemplo ſolam ineſſe malitiam contra charitatem, probabile eſt. ibid.n.87.b

Exemptio.

Exemptio Clericorum, vide Clerici.

Extravagantes.

Vide Lex humana.

F.

Fides.

Fidem hæretici aſſignant triplicem, hiſtoricam, miraculorum & promiſſionum, præſertim ſpecialem. p.435.n.3.a
Ad juſtificationem peccatoris requiritur fides hiſtorica ſeu dogmatica. ibid.n. 4. *vide* Juſtificationis diſpoſitio.
Hæretici ſolam fidem ſuam ſpecialem putant ſufficere ad juſtificationem. p.436.n.8.a
Sed graviſſimè errant. ibid.b
Temporibus etiam Apoſtolorum Quidam arbitrati ſunt ſufficere fidem hiſtoricam. ibid.n.9.
Cõtra quos ſcripta ſunt plures Epiſtolæ Apoſtolicæ. ibid.
Solam quandoque fidem, eamq́, alienam exigit Chriſtus ad impetrandum miraculum. p.437.n.11.a
Fides ſed charitate formata Magdalenam ſalvam fecit. ibid.
Fides, ſed non ſoli, Scriptura tribuit interdum juſtificationem. ibid.n.12.
Cur fidei dogmaticæ ſpecialiùs Scriptura tribuat juſtificationem. ibid.
Quâ ratione dicat Apoſtolus ad Rom.3. Hominem juſtificari per fidẽ ſine operibus legis. p.437.n.13.b

Finis.

Finis.

Omnia, etiam inanimata aguntur à Deo in finem. p.3.n.1.a
Bruta non agunt formaliter propter finem. ibid.b
Deus eſt finis ultimus & univerſalis omnis creaturæ. ibid.n.2.
Differentia duplex inter Deum & creaturas agentes propter finem. p.4.n.3.a
Finis alius eſt ultimus ſecundùm quid, & diſtinguitur contra intermedium. p.5.n.7.a
Alius ultimus ſimpliciter & abſolutè, coinciditq; cum ſummo bono. ibid n.8.b
Is ab homine intendendus & conſequendus eſt ſolus Deus. ibid.n.9. *vide* Beatitudo.
Homo non omnia appetit propter ultimum finem, qui verè talis eſt. p.9.n.20.a
Nec propter id, in quo ultimum ſuum finem conſtituit. ibid.n.21.
Idq; nequidem virtualiter. ibid.n.22.b
Objectiones ſolvuntur. ibid.
Non obligatur homo omnia opera in finem ultimum dirigere. p.10.n.24.a
Explicatur locus Apoſtoli & auctoritas S. Auguſtini. ibid.n.25.b. & p.11.n.26.a
Non poſſunt intendi licitè plures fines ultimi, ſive conjunctim, ſive diviſim. ibid.n.27.
Illicitè tamen poſſunt intendi diviſim plures, etiam totales. ibid.n.28.b
Non poteſt idem homo ſimul præſtituere ſibi duos ultimos fines totales. ibid.n.29.
Nec hoc facit peccans mortaliter. ibid.
Neque per errorem poteſt homo ſibi præfigere duos fines totales. p.12.n.30.a
Bonitas finis non tollit malitiam medii. p.116.n.81.b
Quàmvis aliquo modo illam minuat. ibid.n.82.
Malitia primaria actus interni deſumitur ex fine, externi autem ex medio. p.117.n.86.b
Vide Circumſtantia Cur. Intentio. Electio.

Fiſcus.

An bona fiſco per ſententiam ferendam adjudicanda, poſſint ante hanc in fraudem fiſci alienari. p.317. n.9.a
Quæ bona rei fiſco debeantur poſt ſententiam. p.321. n.23.a
Reus tunc non tenetur bona ſponte fiſco deferre. ibid. n.22.
An poſſit aliqua ſaltem occultare. ibid.

Flagella.

Vide Tribulatio.

Franciſcanus.

An Franciſcanus violans præceptum Eccleſiæ concurrente ſimul obligatione gravi ex vi Regulæ peccet duplici peccato. p.151.n.46.b
Ordini Franciſcano non eſt adempta poteſtas ferendi leges. p.253.n.57.b

Fruitio.

An fruitione ſine viſione beatifica præditus foret beatus. p.19.n.26.b
Fruitio conſtituit eſſentiam beatitudinis formalis intenſivè ſumptæ. p.18.n.22.b
Eſt operatio optima, perfectiſſimè unitiva, ultima & maximè ſatiativa. ibid.
Vide Beatitudo formalis.

Furtum.

Furtum & concupiſcentia alieni cur & quomodo prohibeantur diverſis præceptis. p.107.n.42.a
An vel quæ ſit differentia inter voluntatem occidendi plures homines & furtum v.g. centum florenorum, quoad unitatem numericam malitiæ. p.153.n.52.b
Quomodo in furtis minutis continuentur materiæ. p.200.n.54.a

G.

Gaudium.

Gaudium deſcribitur. p.20.n.27.a
Eſt ſolùm paſſio. ibid.
Cauſa illius efficiens eſt actus voluntatis. ibid.n.28.b
Gaudium neceſſariò conſequitur beatitudinē. ibid.n.29.
Et excludit omnem triſtitiam. ibid.
Etſi illam lege ſpeciali in Chriſto admiſerit. p.21.n.30.a
Gaudium eſt ſolùm proprietas beatitudinis. ibid.
Gaudium aliud eſt amicitiæ, aliud concupiſcentiæ. ibid. num.31.
Gaudium amicitiæ reſpicit primariò ipſum Deum. ibid.n.32.b
Secundariò etiam bona extrinſeca. ibid.
Gaudium concupiſcentiæ immediatè terminatur ad Deum. ibid.n.33.
Simul tamen etiam ad ipſam poſſeſſionem. p.22.n.34.a

Gerſon.

Vtandus & cautè explicandus eſt modus loquendi Gerſonis aſſerentis ſolùm Deum obligare in conſcientia. p.277.n.157.a

Gloria.

Gloria Dei alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. p.4. n.5.a.& b
Qualiter eam enarrent, etiam ratione carentia. ibid.
Quo ſenſu omnia ad majorem Dei gloriam facere moneamur. p.5.n.6.a
Quid moveat Deum, ut ſibi ex creaturis quærat gloriam. p.4.n.4 a

Gratia.

Vox Gratia ſignificat beneficiū gratuitum. p.381.n.1.a
Latè loquendo etiam ipſum donum creationis. ibid.
Sed hæc non eſt gratia de qua Patres cum Pelagio contendebant. ibid.
Sed illa ſumitur pro dono gratuito naturæ divinitùs ſuperaddito. ibid.n.2.
Non datur tam ad ſalutem aliorum, uti gratia gratis data, quam ad ſalutem propriam. ibid.& n.3.b
Et ſolet vocari gratum faciens. ibid.
Quæ deſcribitur. ibid.
Gratia dividitur in habitualē & actualem. p.382.n.5.a
Quid gratia habitualis complectatur. ibid.
In quo conſiſtat actualis. ibid.n.6.b
Ad hanc etiam ſpectant gratiæ externæ. ibid.n.7.
Gratia actualis dividitur in operantem & cooperantem. p.383.n.8.a
Quæ membra conformiter ad mentem S. Auguſtini explicantur. ibid.
Dividitur quoque in prævenientem, concomitantem & ſubſequentem. ibid.n.9.
Gratia præveniens non efficitur à ſolo Deo. ibid.n.10.b
Sed à potentia creata cum ſpeciali auxilio Dei. ibid.
Illam Varii cenſent eamdem in entitate cum gratiâ phyſicè adjuvante. ibid.n.11.
Sed rectiùs diſtinguitur. p.384.n.11.a
In quo tandem conſiſtat ratio auxilii adjuvantis, ibid.

Concurſus cauſæ primæ reſpondens potentiæ habitibus infuſis inſtructæ ſpectat ad ordinem gratiæ. ibid.n.12.

Gratia efficax & ſufficiens.

Gratia actualis dividitur in efficacem & ſufficientem. p.384.n.13.b
Quid gratia efficax; item quid ſufficiens. ibid.
Alia eſt proximè, alia remotè ſufficiens. ibid.
Nulla datur inſufficiens. ibid.n.14.
Solam gratiam efficacem ac neceſſitantem admittunt hæretici. ibid.n.15.
Dari equidem gratiam ſolùm ſufficientẽ in ſtatu naturæ lapſæ, eſt de fide ex definitione Eccleſiæ. p.385.n.16.a
Idem apertè conſtat ex ſcriptura. ibid.n.17.
Idem quoq; fusè probatur ex D. Auguſtino. ibid.n.18.b
Inſpirationes divinas ſæpè negligi communis eſt gemitus ſanctorum. p.386.n.20.a
Evaſio Adverſariorum præcluditur. ibid.n.21.b
Peſſimè gratia merè ſufficiens dicitur à nonnullis monſtrum gratiæ. ibid.n.22.a
Epitheta quædam ſpecialia tribuens Auguſtinus gratiæ, loquitur de congrua ſeu efficaci. p.387.n.23.a
Gratia Chriſti, etiam efficax, non tollit indifferentiam creati arbitrii, juxta fidem catholicam. ibid.n.24.
Juxta quam ſalvantur ea quæ à ſcriptura vel Auguſtino attribuuntur gratiæ. ibid.n.25.b
Conſimilia habet Auguſtinus & alii de Angelis & homine integro, quæ de lapſo. ibid.n.26.
Diſcrimen inter gratiam hominis integri & hominis lapſi. p.388.n.27.a
Cur Angeli dicantur ſtetiſſe per liberum arbitrium. ibid.n.28.b

Gratiæ neceſſitas ad actus intellectus.

Poteſt homo lapſus multas veritates, etiam practicas artificiales viribus naturæ cognoſcere. p.389.n.1.a
Contrarium non docet Auguſtinus. ibid.
Non omnes veritates ſine ſpeciali auxilio Dei poteſt homo cognoſcere. ibid n.2.
Utrum hoc auxilium dicendum ſit gratia Chriſti. ibid.n.3.b
Poteſt homo ſine auxilio gratiæ ſcire multas veritates practicas morales. ibid.n.4.
Scriptura & Concilia aſſerentia nos nihil poſſe ex nobis boni cogitare, loquuntur de cogitatione conducente ad ſalutem. ibid.n.5.
Non omnia tamẽ agibilia in particulari citra errorem poteſt quis ſcire abſque gratia ſpeciali. p.390.n.6.a
Simile auxilium fuiſſet neceſſarium in ſtatu puræ naturæ. ibid.n.7.
Ad credendum ſicut oportet requiri gratiam externam etiam Pelagius conceſſit. ibid.n.8.
Ultra quam requiri ſpecialem gratiam internam fides docet. ibid.n.9.b
Idemque eſt de initio fidei & pio credulitatis affectu. p.391.n.12.a
Quare & quo ſenſu ſcriptura doceat nos Deum prævenire per liberum arbitrium. ibid n.13.b
Aſſenſus fidei humanæ præſtitus myſteriis fidei non ſuperat vires naturæ. p.392.n.14.a

Gratiæ neceſſitas ad actus voluntatis.

Poteſt homo lapſus facere aliqua opera moraliter bona ſine gratia ſanctificante, p.392.n.15.a
Quo ſenſu victimas & incenſum impiorum Deus dicatur abominari. ibid.n.16.b
Loca S. Auguſtini in contrarium allegari ſolita explicantur. ibid.
Ad bene operandum moraliter non requiritur fides. p.393.n.17.a
Neque hoc aſſerit Auguſtinus. ibid.
Poſſe quædam opera moraliter bona fieri ſine auxilio gratiæ colligitur ex ſcriptura, Auguſtino & bulla Pii V. ibid.n.18.& 19.
Singularis hac in re opinio Vaſques. ibid.n.20.b
Quo ſenſu auctoritates tradant nos nihil poſſe ſine Deo. p.394.n.21.a
Explicatur dictum Arauſicani II. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. ibid.n.22.
Explicatur quoque dictum Auguſtini: Nec liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet. ibid.n.23 b
Explicatur aliud ejuſdem dictum ſimile ibid.
Quare orandum ſit & gratiæ agendæ pro operibus moraliter bonis. ibid.n.24.
Extra ſtatum gratiæ diu perſeverans ordinariè non cavebit ſibi à novo mortali. p.395.n.25.a
Suadetur auctoritatibus, ſed inefficaciter. ibid.
Nec ratio convincens dari poteſt, ſed ſolùm congrua. ibid.n.26.
Nequit homo lapſus ſine ſpeciali gratia conſtanter ſervare univerſam legem naturæ. ibid.n.27 b
Impedimenta recenſentur. ibid.
Neque etiam poteſt gravi tentationi reſiſtere. p.396.n.28.a
Reponſiones ad auctoritates hoc probantes rejiciuntur. ibid.
Impoſſibilitas iſta eſt moralis fundata in impedimentis naturæ corruptæ. ibid.n.29.
Secluſâ proinde gratiâ adhuc manet phyſica poteſtas non peccandi. p.396.n.30.b
Cur minus ſufficiant vires noſtræ ad difficultates ſuperandas ex amore honeſti, quam ex mundana cupiditate. ibid.n.31.
Gratia cur neceſſaria contra tentationes in præceptis negativis. p.397.n.32.a
Non poteſt homo viribus naturæ diligere Deum ſicut oportet ad juſtificationem & ſalutem. ibid.n.34.
Vide Dilectio, Amor.
Affectus naturalis inefficax dilectionis aut ſpei poteſt elici ſine gratia. p.398.n 40.b
Immo & efficax quoad certum effectum non adeo difficilem. ibid.
Non tamen qui ſit ſuper omnia. ibid.n.41.
Niſi forte ad breve tempus. p.399.n.41.a
Nec obſtat, quod ejuſmodi dilectionem naturalis ratio dictet. ibid.n.42.
Ad opera ſupernaturalia externa requiritur gratia, quatenus hanc exigunt opera interna. ibid.n.43.
Ad hæc ultra habitus infuſos requiritur cooperatio Dei naturæ indebita. ibid.
Immo in ſubſtantia ſupernaturalis. ibid.
Atque inſuper gratia excitans, etiam ad ſingulos actus. pag.399.n.44.b
Quo non obſtante rectè dicitur juſtus credere, ſperare & diligere quando vult. p.400.n.45.a
Quo ſenſu hæc gratia cenſeatur nova, quo non. ibid. num.46.
Oppoſita doctrinæ non favet Concilium Milevitanum. ibid.n.47.

Specialius gratiæ auxilium requirit juſtus ad diu vel uſque in finem perſeverandum in juſtitia ſine peccato mortali. ibid.n.48.b

Qualis auxiliorum neceſſitas fuiſſet in natura pura. p.401.n.50.a

Qualis fuerit in natura inſtituta & integra. ibid.b

Quæ ſit diſtinctio inter hominem integrum & lapſum quoad neceſſitatem & qualitatem divini adjutorii. ibid.n.51.

An rectè dicatur homo perſeverare per liberum arbitrium, ſuppoſitâ gratiâ. ibid.n.52.

Quid Auguſtinus intelligat per adjutorium quo perſeverantiæ. ibid.n.53.

Gratiæ ſufficientia.

Omnes juſti habent gratiam quâ poſſunt implere mandata & vitare omnia mortalia. p.402.n.1.a

Juſtis non deeſt ſufficiens gratia ad perſeverandum in juſtitia. p.403.n.5.b

Quod ſpecialiter oſtenditur ex doctrina Concilii Tridentini. ibid.n.6.

Alter locus Tridentini contra ſiniſtram quorumdam explicationem ſtabilitur. ibid.n.7.

Similis locutio Auguſtini, & Proſperi, Deus non deſerit, niſi priùs deſeratur, exponenda eſt de gratia actuali. ibid.

Ratio ſumitur ex verbis Auguſtini. p.404.n.8.a

Confirmatur ex officio fidelis Samaritani, ibid.

Gratia, quæ juſtis adeſt, non ſemper eſt proximè ſufficiens. ibid.n.9.

Quæ per orationem eſt impetranda. ibid.

Non omnes juſti habent donum perſeverantiæ. ibid. numero 10.b

Etſi omnes habeant poſſibilitatem perſeverandi. ibid.

Differentia aſſignatur inter donum perſeverantiæ & donum confirmationis in gratia. ibid.n.11.

Quibus conceſſum fuerit donum confirmationis in gratia. ibid.

Ad vitanda omnia venialia.

Juſti per ordinaria auxilia non poſſunt vitare totâ vitâ omnia peccata venialia. p.405.n.12.a

In quo hæc impoſſibilitas fundetur. ibid.n.13.b

Cum ordinariis auxiliis videntur juſti communiter non poſſe longo tempore vitare omnia venialia perfectè deliberata. ibid.

At brevi tempore poſſunt vitare omnia omnino. ibid.

Veroſimiliter nonnulli ſancti totâ vitâ aut longo tempore vitarunt omnia venialia perfectè deliberata. ibid.n.14.

Quo ſenſu verſificetur illud: ſepties in die cadet juſtus. p.406.n.14.a

Quomodo juſti peccent, ſi omnia venialia vitare non poſſint. ibid.n.15.

Juſti communiter cum ordinariis auxiliis poſſunt pœnitere de omnibus venialibus. ibid.n.16.

Beata Virgo ſpeciali privilegio vitavit omnia venialia per totam vitam. ibid.n.17.b

Eaq; ſola inter puros homines. ibid.n.18.

Ad vitandum novum mortale.

Peccatores etiam obdurati, habent auxilium ſufficiens ad vitandũ novum peccatum mortale. p.406.n.19.b

Nam etiam his mandata Dei non ſunt impoſſibilia. p.407.n.19.a

Idem probatur ex Tridentino & Auguſtino. ibid.n.20.

Et ex hoc ac Proſpero ſpecialiter quoad obduratos. ibid. n.21.

Quo ſenſu Judæi excæcati dicantur non potuiſſe credere. ibid.n.22.b

Item excæcati dicantur neceſſariò cadere. ibid.

Locus difficilis Auguſtini, quorumdam reſponſione rejectâ, explicatur. p.408.n.22.a

Item alius, improbatâ duplici aliorum reſponſione. ibid.n.23.b

Ad pœnitendum de mortalibus commiſſis.

Peccatoribus etiam obduratis non deeſt gratia ſufficiens ad pœnitendum de mortalibus. p.408.n.24.b

Auxilium pœnitendi non eſt ſemper proximè ſufficiens. p.409.n.26.b

Nec datur omni tempore, ibid.

Quod non repugnat prædictis de ſufficientia gratiæ ibid.n.27.

Solvitur objectio ex Scriptura. ibid.

Quædam exempla objecta ſolvuntur. p.410.n.28.a

An detur omnibus auxilium ſufficiens ad pœnitendum de omnibus venialibus. ibid.

Ad fidem ſuſpiciendam.

Ad juſtificationem infideles eatenus habent auxilium, quatenus ad fidem. p.410.n.30.b

Ad vitandũ novum mortale non deeſt illis auxiliũ. ibi.

Ad fidem non datur omnibus auxilium ſufficiens proximè. ibid.

Datur omnibus ſaltem remotè ſufficiens pro loco & tempore, ibid.n.31.

Unde auxilium hoc non datur omni momento. p.411 n.34.b

An vel quo ſenſu iſtud dicendum ſit gratia Chriſti. ibid.n.35.

Gratia Parvulorum.

Non omnibus parvulis Deus providit media proximè ſufficientia ad ſalutem. p.412.n.36.a

Nullis tamen illa ex ſe ipſo antecedenter denegat ex intentione illos damnandi, ſed omnes quantum eſt de ſe vult ſalvos fieri. ibid.n.37.

Cui conſonat redemptio omnium per mortem Chriſti. ibid.n.38.b & p.413.n.40.a

Arguitur multis parvulis deeſſe omnino medium ſalutis inope utique alienâ conſtituendum. p.413.n.41.a

Oppoſitum nihilominus declaratur. ibid.

Gratia habitualis ſeu ſanctificans.

Controverſum olim fuit an in juſtificatione ſaltem parvulorũ infunderetur gratia habitualis. p.417.n.9.a

Partem affirmantem velut probabilem determinavit Concilium Viennenſe. ibid.

Poſt Tridentinum verò eadem pars generaliter eſt certa. ibid.n.10.b

Probatur multipliciter ex variis Tridentini locis. ibid.

Gratia habitualis non diſtinguitur realiter ab habitu charitatis. p.418.n.13.b

Effectus iidem tribuuntur in Scriptura gratiæ & charitati. ibid.

Favet quoque Tridentinum. ibid.n.14.

Ac Patres, nec non ratio Theologica. p.419.n.15.a

Diſtinctioni gratiæ à charitate non favet Concilium Viennenſe. ibid.n.16.

Nec Tridentinum. ibid.

Nec Ratio. ibid.n.17.b

Gratia & charitas nequidem formaliter, ſed ſolo connotato diſtinguuntur. ibid.n.18.
Effectus gratiæ ſanctificantis non ita neceſſariò ſunt ei connexi, quin poſſint divinitùs ſeparari. p.421.n.23.a
Peccatum opponitur gratiæ demeritoriè. ibid.
Et quamvis ex natura rei, adhuc poſſet per Deum, cum gratia conſiſtere. ibid.n.24.
Quòd gratia ſit cauſa formalis unica juſtificationis non probat, quin poſſit cum peccato per Deum conſiſtere. p.422.n.25.a
Quis ſit effectus formalis gratiæ phyſicus & primarius. ibid.
Quis moralis & ſecundarius. ibid.
Oſtenditur equidem cauſam formalem juſtificationis eſſe unicam. ibid.n.26.
Quantum à prædictis diſtet doctrina Buceri hæretici. ibid.b
An ſi in eodem eſſet gratia cum peccato, is foret juſtus & ſanctus & cælo dignus. ibid.n.27.

H.

Habitus.

Poſſunt acquiri habitus indifferentes. p.103.n.29.b
Habitus ſupernaturalis in ſubſtantia non negantur à Scoto. p.397.n.35.b

Heva.

Solâ Hevâ peccante non contraxiſſent Poſteri peccatum originale. p.168.n.20.a

Hæreſis.

Hæreſis Pelagiana. vide Pelagius.
Hæreſis Semipelagiana. vide Semipelagiani.
Hæreſis Prædeſtinatorum. vide Prædeſtinati.

Hæreticus.

Hæreticus merè internus non excommunicatur ab Eccleſia. p.262.n.44 b
Hæreticus notorius privatur Eccleſiaſticâ ſepulturâ, etiam ſeclusâ excommunicatione. pag.333.n.32.b

Homicidium.

An conſulens alteri homicidium graviùs peccet ipſo homicidâ. p.207.n.83.b

Horæ Canonicæ.

Quomodo in omiſſione horarum Canonicarum parva materia continuentur. p.200.n.55.b
Poteſt quis in die feſto ſub Miſſâ legere horas. p.260.n.84.a
An ſatisfaciat recitans horas Canonicas cum voluntaria diſtractione. p.263.n.98.a
Excommunicatus tenetur privatim recitare horas abſtinendo à Dominus vobiſcum. p.333.n.29.a
Vide Excommunicationis effectus.

I.

Jejunium.

Qui violat jejunium in vigilia incidente in quatuor tempora unum committit peccatum. p.151.n.45.a
Jejunium dubium an obliget. vide Conſcientia dubia. p.134.n.41.a
Quomodo in violatione jejunii continuentur materia p.200.n.54.b

Ignis.

Ignis infernalis eſt ejuſdem ſpeciei cum elementari. p.59.n.40.a
Erit ſulphureus, intimèque pervadet corpora. ibid.n.41.a
Affliget actione intentionali ac inſuper reali probabiliter. ibid.n.42.b. *vide* Pœna infernalis.
Ignis ſecundùm aliquos poſſet in æternùm durare ſine nutrimenti appoſitione. ibid.n.40.a

Ignorantia.

Ignorantia alia eſt pravæ diſpoſitionis, alia neſcientiæ, alia privativa. Hæc alia juris, alia facti. p.68.n.28.b
Item alia antecedens, alia conſequens, alia voluntaria, alia involuntaria. ibid.
Alia invincibilis ad quam revocatur omnimoda inadvertentia. ibid.n.29.
Alia vincibilis, quæ interdum eſt craſſa ac ſupina; interdum etiam affectata. p.69.n.30.a
Ignorantiam antecedentem & conſequentem Nonnulli paulò aliter explicant, addentes concomitantem. ibid.
Ignorantia antecedens cauſat non voluntarium. ibid.n.31.b
Excuſatq; à culpa. ibid.n.32.
Ignorantia concomitans facit opus non eſſe voluntarium, quamvis non cauſet poſitivè involuntarium. ibid.n.33.
Ignorantia conſequens cauſat voluntarium, ſcilicet in cauſa p.70.n.34.a
Nec tollit culpam. ibid.
Interdum tamen cauſat involuntarium ſecundùm quid, aut ſaltem voluntarium minuit. ibid. num.35.b
Ignorantia excuſans à culpa excuſat à pœna. p.321.n.26.b
Explicatur axioma: Ignorantia facti non juris excuſat. ibid.
Ignorantia excuſans à gravi culpa excuſat ſaltem à gravi pœna; etſi non excuſet à culpa veniali. p.322.n.27.a
Secus ſi non excuſet à culpa gravi. ibid.
Si ſit illius ſpeciei ob quam pœna eſt impoſita. ibid.
Niſi lex ſcientiam vel dolum requirat. ibid.
Ignorantia legis Eccleſiaſticæ non excuſat à pœna tranſgreſſorem legis alterius ab Eccleſia puniendum. ibid.n.28.b
Excipiuntur cenſuræ. ibid.
Ignorantia ſolius pœnæ non excuſat. ibid.n.29.
Probabiliter excipiuntur cenſuræ. ibid.
Immo id aliqui extendunt ad ignorantiam cujuſcumq; pœnæ præſertim ſi ſit gravis & extraordinaria p.323.n.29.a

Illegitimus.

Illegitimi ſunt irregulares. p.362.n.172.b. *vide* Irregularitas,
Illegitimus legitimatur per ſubſequens matrimonium. p.363.n.174.a
Etiam quoad ſucceſſiones & officia temporalia. ibid.
Quantumvis matrimonium ſequens non conſummetur. ibid.

Specialius gratiæ auxilium requirit juſtus ad diu vel uſque in finem perſeverandum in juſtitia ſine peccato mortali. ibid.n.48.b
Qualis auxiliorum neceſſitas fuiſſet in natura pura. p.401.n.50.a
Qualis fuerit in natura inſtituta & integra. ibid.b
Quæ ſit diſtinctio inter hominem integrum & lapſum quoad neceſſitatem & qualitatem divini adjutorii. ibid.n.51.
An rectè dicatur homo perſeverare per liberum arbitrium, ſuppoſitâ gratiâ. ibid.n.52.
Quid Auguſtinus intelligat per adjutorium quo perſeverantiæ. ibid.n.53.

Gratiæ ſufficientia.

Omnes juſti habent gratiam quâ poſſunt implere mandata & vitare omnia mortalia. p.402.n.1.a
Juſtis non deeſt ſufficiens gratia ad perſeverandum in juſtitia. p.403.n.5.b
Quod ſpecialiter oſtenditur ex doctrina Concilii Tridentini. ibid.n.6.
Alter locus Tridentini contra ſiniſtram quorumdam explicationem ſtabilitur. ibid.n.7.
Similis locutio Auguſtini, & Proſperi, Deus non deſerit, niſi priùs deſeratur, *exponenda eſt de gratia actuali.* ibid.
Ratio ſumitur ex verbis Auguſtini. p.404.n.8.a
Confirmatur ex officio fidelis Samaritani, ibid.
Gratia, quæ juſtis adeſt, non ſemper eſt proximè ſufficiens. ibid.n.9.
Quæ per orationem eſt impetranda. ibid.
Non omnes juſti habent donum perſeverantiæ. ibid. numero 10.b
Etſi omnes habeant poſſibilitatem perſeverandi. ibid.
Differentia aſſignatur inter donum perſeverantiæ & donum confirmationis in gratia. ibid.n.11.
Quibus conceſſum fuerit donum confirmationis in gratia. ibid.

Ad vitanda omnia venialia.

Juſti per ordinaria auxilia non poſſunt vitare totâ vitâ omnia peccata venialia. p.405.n.12.a
In quo hæc impoſſibilitas fundetur. ibid.n.13.b
Cum ordinariis auxiliis videntur juſti communiter non poſſe longo tempore vitare omnia venialia perfectè deliberata. ibid.
At brevi tempore poſſunt vitare omnia omnino. ibid.
Veroſimiliter nonnulli ſancti totâ vitâ aut longo tempore vitarunt omnia venialia perfectè deliberata. ibid.n.14.
Quo ſenſu verificetur illud: ſepties in die cadet juſtus. p.406.n.14.a
Quomodo juſti peccent, ſi omnia venialia vitare non poſſint. ibid.n.15.
Juſti communiter cum ordinariis auxiliis poſſunt pœnitere de omnibus venialibus. ibid.n.16.
Beata Virgo ſpeciali privilegio vitavit omnia venialia per totam vitam. ibid.n.17.b
Eaq; ſola inter puros homines. ibid.n.18.

Ad vitandum novum mortale.

Peccatores etiam obdurati, habent auxilium ſufficiens ad vitandũ novum peccatum mortale. p.406.n.19.b
Nam etiam his mandata Dei non ſunt impoſſibilia. p.407.n.19.a
Idem probatur ex Tridentino & Auguſtino. ibid.n.20.
Et ex hoc ac Proſpero ſpecialiter quoad obduratos. ibid. n.21.
Quo ſenſu Judæi excæcati dicantur non potuiſſe credere. ibid.n.22.b
Item excæcati dicantur neceſſariò cadere. ibid.
Locus difficilis Auguſtini, quorumdam reſponſione rejectâ, explicatur. p.408.n.22.a
Item alius, improbatâ duplici aliorum reſponſione. ibid.n.23.b

Ad pœnitendum de mortalibus commiſſis.

Peccatoribus etiam obduratis non deeſt gratia ſufficiens ad pœnitendum de mortalibus. p.408.n.24.b
Auxilium pœnitendi non eſt ſemper proximè ſufficiens. p.409.n.26.b
Nec datur omni tempore, ibid.
Quod non repugnat prædictis de ſufficientia gratiæ ibid.n.27.
Solvitur objectio ex Scriptura. ibid.
Quædam exempla objecta ſolvuntur. p.410.n.28.a
An detur omnibus auxilium ſufficiens ad pœnitendum de omnibus venialibus. ibid.

Ad fidem ſuſpiciendam.

Ad juſtificationem infideles eatenus habent auxilium, quatenus ad fidem. p.410.n.30.b
Ad vitandũ novum mortale non deeſt illis auxiliũ. ibi.
Ad fidem non datur omnibus auxilium ſufficiens proximè. ibid.
Datur omnibus ſaltem remotè ſufficiens pro loco & tempore, ibid.n.31.
Unde auxilium hoc non datur omni momento. p.411. n.34.b
An vel quo ſenſu illud dicendum ſit gratia Chriſti. ibid.n.35.

Gratia Parvulorum.

Non omnibus parvulis Deus providit media proximè ſufficientia ad ſalutem. p.412.n.36.a
Nullis tamen illa ex ſe ipſo antecedenter denegat ex intentione illos damnandi, ſed omnes quantum eſt de ſe vult ſalvos fieri. ibid.n.37.
Cui conſonat redemptio omnium per mortem Chriſti. ibid.n.38.b & p.413.n.40.a
Arguitur multis parvulis deeſſe omnino medium ſalutis inope utique alienâ conſtituendum. p.413.n.41.a
Oppoſitum nihilominus declaratur. ibid.

Gratia habitualis ſeu ſanctificans.

Controverſum olim fuit an in juſtificatione ſaltem parvulorũ infunderetur gratia habitualis. p.417.n.9.a
Partem affirmantem velut probabilem determinavit Concilium Viennenſe. ibid.
Poſt Tridentinum verò eadem pars generaliter eſt certa. ibid.n.10.b
Probatur multipliciter ex variis Tridentini locis. ibid.
Gratia habitualis non diſtinguitur realiter ab habitu charitatis. p.418.n.13.b
Effectus iidem tribuuntur in Scriptura gratiæ & charitati. ibid.
Favet quoque Tridentinum. ibid.n.14.
Ac Patres, nec non ratio Theologica. p.419.n.15.a
Diſtinctioni gratiæ à charitate non favet Concilium Viennenſe. ibid.n.16.
Nec Tridentinum. ibid.
Nec Ratio. ibid.n.17.b

Gratia & charitas nequidem formaliter, ſed ſolo connotato diſtinguuntur. ibid.n.18.
Effectus gratiæ ſanctificantis non ita neceſſariò ſunt ei connexi, quin poſſint divinitùs ſeparari. p.421.n.23.a
Peccatum opponitur gratiæ demeritoriè. ibid.
Et quàmvis ex natura rei, adhuc poſſet per Deum, cum gratia conſiſtere. ibid.n.24.
Quòd gratia ſit cauſa formalis unica juſtificationis non probat, quin poſſit cum peccato per Deum conſiſtere. p.422.n.25.a
Quis ſit effectus formalis gratiæ phyſicus & primarius. ibid.
Quis moralis & ſecundarius. ibid.
Oſtenditur equidem cauſam formalem juſtificationis eſſe unicam. ibid.n.26.
Quantum à prædictis diſtet doctrina Buceri hæretici. ibid.b
An ſi in eodem eſſet gratia cum peccato, is foret juſtus & ſanctus & cœlo dignus. ibid.n.27.

H.

Habitus.

Poſſunt acquiri habitus indifferentes. p.103.n.29.b
Habitus ſupernaturalis in ſubſtantia non negantur à Scoto. p.397.n.35.b

Heva.

Solâ Hevâ peccante non contraxiſſent Poſteri peccatum originale. p.168.n.20.a

Hæreſis.

Hæreſis Pelagiana. vide Pelagius.
Hæreſis Semipelagiana. vide Semipelagiani.
Hæreſis Prædeſtinatorum. vide Prædeſtinati.

Hæreticus.

Hæreticus merè internus non excommunicatur ab Eccleſia. p.262.n.44 b
Hæreticus notorius privatur Eccleſiaſticâ ſepulturâ, etiam ſeclusâ excommunicatione. pag.333.n.32.b

Homicidium.

An conſulens alteri homicidum graviùs peccet ipſo homicidâ. p.207.n.83.b

Horæ Canonicæ.

Quomodo in omiſſione horarum Canonicarum parva materia continuentur. p.200.n.55.b
Poteſt quis in die feſto ſub Miſſâ legere horas. p.260.n.84.a
An ſatisfaciat recitans horas Canonicas cum voluntaria diſtractione. p.263.n.98.a
Excommunicatus tenetur privatim recitare horas abſtinendo à Dominus vobiſcum. p.333.n.29.a
Vide Excommunicationis effectus.

I.

Jejunium.

QVi violat jejunium in vigilia incidente in quatuor tempora unum committit peccatum. p.151.n.45.a
Jejunium dubium an obliget. vide Conſcientia dubia. p.134.n.41.a
Quomodo in violatione jejunii continentur materia p.200.n.54.b

Ignis.

Ignis infernalis eſt ejuſdem ſpeciei cum elementari. p.59.n.40.a
Erit ſulphureus, intimèque pervadet corpora. ibid.n.41.a
Affliget actione intentionali ac inſuper reali probabiliter. ibid.n.42.b. *vide* Pœna infernalis.
Ignis ſecundùm aliquos poſſet in æternùm durare ſine nutrimenti appoſitione. ibid.n.40.a

Ignorantia.

Ignorantia alia eſt pravæ diſpoſitionis, alia neſcientia, alia privativa. Hæc alia juris, alia facti. p.68.n.28.b
Item alia antecedens, alia conſequens, alia voluntaria, alia involuntaria. ibid.
Alia invincibilis ad quam revocatur omnimoda inadvertentia. ibid.n.29.
Alia vincibilis, quæ interdum eſt craſſa ac ſupina; interdum etiam affectata. p.69.n.30.a
Ignorantiam antecedentem & conſequentem Nonnulli paulò aliter explicant, addentes concomitantem. ibid.
Ignorantia antecedens cauſat non voluntarium. ibid. n.31.b
Excuſatq; à culpa. ibid.n.32.
Ignorantia concomitans facit opus non eſſe voluntarium, quàmvis non cauſet poſitivè involuntarium. ibid.n.33.
Ignorantia conſequens cauſat voluntarium, ſcilicet in cauſa p.70.n.34.a
Nec tollit culpam. ibid.
Interdum tamen cauſat involuntarium ſecundùm quid, aut ſaltem voluntarium minuit. ibid. num. 35.b
Ignorantia excuſans à culpa excuſat à pœna. p.321.n.26.b
Explicatur axioma: Ignorantia facti non juris excuſat. ibid.
Ignorantia excuſans à gravi culpa excuſat ſaltem à gravi pœna; etſi non excuſet à culpa veniali. p.322.n.27.a
Secus ſi non excuſet à culpa gravi. ibid.
Si ſit illius ſpeciei ob quam pœna eſt impoſita. ibid.
Niſi lex ſcientiam vel dolum requirat. ibid.
Ignorantia legis Eccleſiaſticæ non excuſat à pœna tranſgreſſorem legis alterius ab Eccleſia puniendum. ibid.n.28.b
Excipiuntur cenſuræ. ibid.
Ignorantia ſolius pœnæ non excuſat. ibid.n.29.
Probabiliter excipiuntur cenſuræ. ibid.
Immo id aliqui extendunt ad ignorantiam cujuſcumq; pœnæ præſertim ſi ſit gravis & extraordinaria p.323.n.29.a

Illegitimus.

Illegitimi ſunt irregulares. p.362.n.172.b. *vide* Irregularitas,
Illegitimus legitimatur per ſubſequens matrimonium. p.363.n.174.a
Etiam quoad ſucceſſiones & officia temporalia. ibid.
Quantumvis matrimonium ſequens non conſummetur. ibid.

Qui favor etiam extenditur ad proles illegitimorum. ibid.

Geniti ex matrimonio bonâ fide (ſaltem unius) putato valido cenſentur jure canonico legitimi. ibid. num.175.b

Idq; licèt nullitas detegatur. ibid.

Dummodo fuerit initum in facie Eccleſiæ, etiam præmiſſis proclamationibus. ibid.

Et bona fides perſeveraverit uſque ad conceptionem prolium reſpectivè. ibid.

Quid cenſendum de expoſititiis. ibid.n.176.

Immaculata conceptio Deiparæ,

Vide Maria Virgo.

Impeccabilitas.

Impeccabilitas de facto competit beatis. p.27.num.53.a

Viſio ſola non reddit beatos phyſicè impeccabiles. ibid. num.54.

Uti nec decretum extrinſecum Dei. p.28.n.59.b

Imperator.

Imperator poteſt ferre leges pro toto Imperio. p.249. num.35.b

Non tamen pro toto orbe. ibid.

Leges Cæſareæ qualiter ſint alibi acceptatæ. ibid.num. 36.

Imperium.

Imperium quid. p.92.n.67.a

Varii actus intellectûs ſigillatim à ratione imperii excluduntur. p.92.n.67.b

Impletio.

Impletio legis. vide Legis naturæ impletio.

Inæqualitas peccatorum.

Vide Peccatorum inæqualitas.

Indigenæ.

Vide Territorium.

Infantes.

Vide Parvuli, Peccatum originale, Gratia parvulorum.

Infernus.

Datur infernus damnatorum. p.48.n.2.a

An ad illum acceſſerit anima Chriſti. ibid.n.3.b

Infidelis.

Infideles non baptizati legibus Eccleſiaſticis non tenentur. p.270.n.127.b

Unde poſſunt diebus vetitis comedere carnes, & hæ ipſis miniſtrari. ibid.

Infidelis an & qualiter habeat gratiam ſufficientem ad ſalutem. vide Gratiæ ſufficientia.

Inſtitutiones.

Inſtitutiones Juſtiniani. vide Lex humana.

Intellectio, Intellectus.

Intellectio prærequiritur neceſſariò ad actum voluntatis. p.83.n.35.b

Sive actus voluntatis ſit inchoandus, ſive continuandus. ibid.n.37.

Adeò ut nequidem divinitùs poſſit voluntas ferri in incognitum. p.84.n.37.a

Intellectio tamen non efficit volitionem, ſed ſolùm ſiſtit objectum voluntati. p.84.n.40.b

In intellectu nequit ſtatui libertas. p.82.n.31.a

An poſſibilis ſit intellectus formaliter liber. ibid.n. 33.b

In intellectu qualiter radicetur libertas. p.86.num. 45.a

Intentio.

Intentio finis quid. p.90.n.60.b

Eſt ſpecies volitionis efficacis. ibid.

Reſpicit finem directè, media indirectè. ibid.

Ordinariè diſtinguitur realiter ab electione. ibid.numero 61.

Non efficit phyſicè electionem. p.91.n.62.a

Nec determinat neceſſariò ad electionem medii melioris. ibid.n.63.a

Idq; ex nutu voluntatis citra errorem amplectentis minus utile. ibid.n.64.b

Solet tunc tamen intercurrere quod ab utiliori retrahat. ibid.

Quomodo equidem ſubſiſtat vera ratio electionis. ibid.

An ſuppoſitâ abſolutâ intentione finis electio unici medii ad conſecutionem requiſiti ſit neceſſaria. ibid.n.65.

Intentio determinata quomodolibet ad media mala, eſt ab initio mala. p.117.n.84.a

Si autem reſpiciat media planè in confuſo cenſetur ab initio bona. ibid.

Quid dicendum ſi appareat neceſſitas unici medii inhoneſti. ibid.n.85.b

Interdictum.

Quid Interdictum Eccleſiaſticum. p.342.n.78.b

Interdictum abſolutum non fertur, niſi ob culpam gravem. ibid.n.79.a

Cui tamen adſtringi quis poteſt ob culpam alienam. p.343.n.79.a

Dividitur in locale, perſonale & mixtum. ibid. num.80.

Locale aliud generale, aliud particulare. ibid.

Quale cenſeatur interdictum parochiæ. ibid.

Perſonale quoque interdictum aliud eſt generale, aliud ſpeciale. ibid.n.81.

Interdicto loco illi ſunt tantùm interdicti perſonaliter qui cauſam interdicto dederunt. ibid.numero 82.

Interdicto oppido ſunt interdicta ſuburbia. p.343.n. 83.b

Item monaſteria exempta. ibid.

Interdictâ Eccleſiâ interdictum eſt cœmeterium contiguum. ibid.

Interdicto populo non ſunt interdicta Academiæ membra. ibid.n.84.

Neque etiam Clerus. ibid.

Nec Clero interdicto Religioſi. ibid.

Interdicti effectus.

Interdicto ſubtrahitur celebratio & auditio divinorum officiorum. p.343.n.85.b

Moderatio facta per Eccleſiam c. Alma mater. pag. 344. num. 86. a
An hac extendatur ad Oratoria etiam privata. ibid. num. 87.
Quibus perſonis concedatur privilegium c. Alma mater. ibid. n. 88. b
Interdictum privat Sacramentis activè & paſſivè. ibid. num. 89.
Excepto Baptiſmo, etiam ſolemni, & Confirmatione. ibidem.
Ac Sacramento Pœnitentiæ, etiam extra articulum mortis. ibid.
Et communione dandâ per modum viatici etiam cum ſolita pompa. pag. 345. n. 90. a
Secùs eſt de extrema Unctione. ibid. n. 91.
Cur ipſa minùs permittatur quàm Viaticum. ibid.
Quid dicendum de Sacramento Ordinis. ibid. b
Non inhibetur contractus matrimonialis. ibid. numero 92.
Benedictiones tamen nuptiales ſunt inhibitæ. ibid.
Privat inſuper interdictum ſepulturâ Eccleſiaſticâ. ibid. n. 93.
Quæ tamen Clericis conceditur cum certa modificatione. ibid.
Effectus interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ qui ſint. pag. 346. n. 94. a
Poteſt taliter interdictus audire in Eccleſia concionem, recipere Sacramenta extra divina officia. ibidem.
Poteſt etiam ibidem privatim tunc orare. ibid.
An etiam per Eccleſiam tranſire ſub divino officio. ibidem.
Poſt Concilium Conſtantienſe interdictum locale non eſt ſervandum, niſi ſit denominatim denuntiatum. ibid. n. 95.
Nullus quoque perſonaliter interdictus, niſi denuntiatus, eſt vitandus. ibid. b
Qui cenſeantur denuntiati ſeu nominatim interdicti. ibidem.

Interdicti violatio.

Violatio Interdicti eſt ex genere ſuo mortalis. p. 346. num. 96. b
Etiam quoad laicorum aſſiſtentiam in divinis officiis. ibidem.
Hi tamen violando interdictum rarò incurrunt pœnas juris. pag. 347. n. 97. a
Pœna Clericorum violantium interdictum. ibid.

Interdicti ceſſatio.

Quibus modis ceſſet interdictum citra relaxationem Superioris. pag. 347. n. 98. a
Interdictum locale & perſonale generale tollitur ab Epiſcopo, ſi non ſit reſervatum. ibid. n. 99. b
Circa hoc nihil poſſunt Confeſſarii Mendicantium. ibidem.
Quis poſſit abſolvere ab interdicto perſonali ſpeciali. ibid. n. 100.
Quale interdictum tolli poſſit ad cautelam. ibid. numero 101.
An Epiſcopus poſſit ſuſpendere interdictum ad certum dumtaxat effectum. ibid.

Interpretatio.

Interpretatio legis quid. pag. 283. n. 182. a
Authentica penes quem ſit. ibid.
Habet vim legis & quando. ibid.
Sententia Principis deciſiva litis, etiam interlocutoria, an & quomodo habeat vim legis. ibid. numero 183.
Quid de Epiſtolis & reſcriptis Principum. ibid. b
Interpretatio doctrinalis non obtinet vim legis. pag. 283. n. 184. b
Penes quos ſit. ibid.
Declarationes Cardinalium an habeant vim legis. ibid. n. 185.
Quid dicendum de deciſionibus Rotæ Romanæ. ibid.
Quid requiratur ut declarationes Cardinalium fidem faciant. ibid.
Vetitum eſt ne quis Tridentinum interpretetur ex profeſſo editis libris, non autem ne in ſcholis, aut incidenter in libris id fiat. pag. 284. n. 186. a
Interpretatio doctrinalis deſumitur ex ratione legis, mente Legiſlatoris & verbis legis. ibid. n. 187.
Quæ ſignificatio ad hoc ſit præferenda, naturalis, an civilis: & quid utraque ſit. ibid. n. 188.
Variæ regulæ aſſignantur pro ampliatione & reſtrictione. ibid. n. 189. b
Lex etiam favorabilis non eſt extendenda ad ſimiles caſus ultra ſignificationem verborum. pag. 285. numero 192. a
Limitationes ſeu declarationes variæ allegantur. ibid. num. 193.
Judex ad ſimiles caſus in judiciis procedit. ibid. numero 194.

Involuntarium.

Quid involuntarium & quotuplex, ac quibus actibus competat. pag. 65. n. 12. a
Violentia cauſat involuntarium ſimpliciter. ibid. nu. 14. *Vide* Violentia.
An metus cauſet involuntarium. *Vide* Metus.

S. Joannes Baptiſta.

An peccaverit venialiter. pag. 406. n. 18. a

Irregularitas.

Sub facultate abſolvendi à Cenſuris non continetur facultas diſpenſandi in Irregularitate. pag. 326. num. 2. a
Quid ſit Irregularitas. pag. 349. n. 110. b
Non poteſt eſſe in Pontifice. ibid.
Nec ſupponit ſemper delictum. ibid.
Neque infligitur ab homine, ſed tantùm à jure Pontificio. ibid.
Unde nequit infligi ab Epiſcopo aut alio Prælato inferiore Papâ. ibid.
Formula quibus ſtatui ſolet irregularitas. pag. 350. num. 111. a
Primariò ipſa arcet à ſuſceptione, ſecundariò à miniſterio Ordinum. ibid.
Sub quibus hîc comprehenditur communiter Tonſura clericalis. ibid.
Effectus Irregularitatis. ibid. n. 112.
Irregularis eſt inhabilis ad beneficia, ſic tamen ut collatio non videatur ipſo facto irrita. ibid. numero 113.
Multò minùs privatur ipſo facto beneficiis jam obtentis. ibid. b
Unde retinere poteſt, immo & obtinere juriſdictionem

rem Eccleſiaſticam. pag.350.n.114. b
Actus quoque juriſdictionis non exigentes exercitium ordinis exercere poteſt. ibid. n.115.
Immo & validè abſolvere. ibid.
Idq; probabiliter etſi ſit denuntiatus. ibid.
Irregularitas ex delicto ſupponit culpam mortalem. ibid. n. 116.
In dubio non eſt quis cenſendus irregularis. pag. 351. num.117. a
Excipitur caſus homicidii. ibid. n.118.
Quid cenſendum de caſu procurati aborſus in dubio animationis fetus. ibid. n.119.
Item quid de caſu dubiæ mutilationis. ibid. n.120.
Cauſæ ex quibus contrahitur irregularitas. ibid. b

Irregularitas ex illicita ſuſceptione Sacramentorum.

Rebaptizatus eſt irregularis. pag.351.n.121. b
Idem eſt de rebaptizante quoad promotionem ad altiores ordines. ibid.
Requiritur probabiliter ut delictum ſit publicum. ibid. n. 122.
Oppoſitum habet recepta ſententia. ibid.
Varii caſus excipiuntur. pag.352.n.122. a
Circa iterationem aliorum Sacramentorum initerabilium jura nihil ſtatuunt. ibid.
Baptizatus ſuâ culpâ ab hæreticis vitandis eſt irregularis. ibid. n.123.
Similiter baptizatus in ægritudine. ibid.
Item furtivè ſuſcipiens Ordinem. ibid.n.124.
Aut durante matrimonio ſacros Ordines præſumens ſuſcipere. ibid.

Irregularitas ex indebito uſu Ordinum.

Clericus ſolemniter baptizans, aut divinum officium exercens, ſi careat Ordine requiſito ſit irregularis. pag.352.n.125. b
Nomine divinorum officiorum hîc etiam intelligi Sacramenta eſt communis ſententia. ibid.n.126.
Quæ etſi non facilè deſerenda, non videtur ſatis clarè fundata in jure. ibid.
An hæ irregularitates ſolos concernant Clericos. pag. 353.n.127. a
Ab iis excuſat ignorantia etiam craſſa & quædam alia. ibid.n.128.
Quî poſſit non Subdiaconus canere Epiſtolam. ibid.
Violans cenſuram exercitio Ordinis ſacri fit irregularis. ibid. n.129.

Irregularitas ex hæreſi aut infamia.

Hæretici ſunt irregulares. pag.353.n.130. b
Ad quod requiritur probabiliter hæreſis publica. ibid. num.131.
Immo c. Quicumque *non videtur ſatis probari irregularitas hæreticorum.* ibid.n.132.
Aut prolium eorumdem. ibid.
Suppoſito tamen vulgato intellectu Capitis, quædam circa illud notantur. pag. 354. n. 133. a
Clericus ab hæreſi converſus poteſt ex diſpenſatione Epiſcopi in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. ibid.
Neophyti qui ſint & quomodo à Sacerdotio arcendi. ibid.n.134.
Infamia juris inducit irregularitatem. pag.354. nu. 135. b
Quæ impedit ſolùm ſuſceptionem altiorum Ordinum, non verò miniſterium in jam ſuſceptis. ibid.
Infamia facti non tam inducit impedimentum juris poſitivi quam naturalis. ibid.n.136.
Qualiter tollatur infamia & Irregularitas inde orta. ibidem.
Infames excluduntur ab Officio. ibid.

Irregularitas ex homicidio voluntario aut mutilatione.

Quid intelligatur nomine homicidii voluntarii & mutilationis. pag.355. n.137. a
Baptizatus alterum etiam non baptizatum voluntariè occidens fit abſolutè Irregularis. ibid.n.138.
Uti & voluntariè procurans aborſum fetûs animati. ibidem.
Similiter mandans & conſulens effectu ſecuto. ibid. num. 139. b
Quid cenſendum dum res multorum conſilio vel opere peragitur. ibid.
An cenſendus ſit Irregularis, qui non defendit cum debet. ibid.
Aut qui ratum habet factum ſuo nomine. ibid.
Voluntariè mutilans eſt jure irregularis, idem eſt de mandante; de conſulente, idem dicitur citra expreſſum juris textum. ibid.n.140.
Mutilatio exigit abſciſſionem membri, ſaltem æquivalenter, fieri. pag.356. n.141. a
Nomine membri quid hîc intelligatur. ibid.
Membrum aut membri ſui partem abſcindens aut ſe caſtrari permittens, citra neceſſitatem, fit irregularis. ibid.n.142.

Irregularitas ex homicidio aut mutilatione caſuali.

Homicidium caſuale involuntarium aut venialiter voluntarium non inducit Irregularitatem. pag. 356. n.143. a
At eam inducit, ſi ſit ſufficienter voluntarium. ibid. num. 144. b
Idem eſt de mutilatione. ibid.
Uti & de mandante. ibid.
De conſulente quoque id docet communis ſententia; etſi hoc non ſit ſatis in jure expreſſum. ibid.
Notabile pro iis qui aſſiſtunt infirmis. ibid.n.145.
Dans operam rei illicitæ an contrahat Irregularitatem homicidii caſualis. ibid.n.146.
Reſolvitur quòd non. pag.357.n.146. a
Reſpondetur ad jura in contrarium. ibid.n.147.
Notabile. ibid.

Irregularitas ex homicidio aut mutilatione ob defenſionem.

Juſtè & ſervato moderamine occidens invaſorem non fit Irregularis. pag.357.n.148. a
Secùs ſi moderamen notabiliter excedatur. ibid.
Occidens vel mutilans in juſto bello offenſivo fit irregularis. ibid.n.149. b
Quid de hortante ad pugnam. ibid.
Secùs eſt de bello defenſivo. ibid.
An ſit cenſendus irregularis, qui tantùm dubitat an in bello juſto aliquem occiderit. ibid.n.150.
In bello offenſivo injuſto occidens, mutilans vel cooperans eſt irregularis. ibid. n. 151.

Clericus

Clericus occidens vel mutilans in bello aggreſſivo juſto & ad bonum commune neceſſario juxta aliquos non fit irregularis. pag.358. n.151. a
Clericus ex venia Pontificis pugnans, ſi occidat vel mutilet non fit irregularis. ibid.n.152.

Irregularitas ex defectu lenitatis in judiciaria occiſione.

Judex ſecutâ morte vel mutilatione fit irregularis. p. 358.n.153. a
Secùs ſi ſola flagellatio, vulneratio &c. ſequatur. ibid.
Poteſt citra metum Irregularitatis Princeps etiam Eccleſiaſticus per leges pœnam mortis ſtatuere, Judices etiam in facto ſpeciali delegare. ibid.numero 154. b
At non ſententiam ferre. ibid.
Poteſt etiam Judex Eccleſiaſticus reum tradere brachio ſæculari ſub certa proteſtatione. ibid.
Irregularitatem ſimiliter incurrunt cæteri juſtitiæ miniſtri effectu ſecuto. ibid.n.155.
An idem cenſendum de conſultore. ibid.
Accuſare poteſt civiliter etiam Clericus in cauſa propria citra metum Irregularitatis. pag.359.n. 156.a
Neceſſariò tamen præmittenda eſt, ſaltem ſententiæ, certa proteſtatio. ibid.n.157.
Notabile circa teſtem. ibid.b
Quid poſſit Confeſſarius, vel conſulens etiam ſuppoſitâ communi ſententiâ, quòd in ipſum, uti in juſtitiæ miniſtros cadat Irregularitas. ibid.n.158. b
Quid poſſit juxta ſolidam multorum Recentiorum ſententiam. ibid. n.159.
Varii præterea caſus reſolvuntur. pag. 360. numero 160. a
An Clericis licitum ſit intereſſe executioni ſententiæ mortis. ibid.
Differentia notanda inter Clericos & Laicos quoad præſentem materiam. ibid.n.161.

Irregularitas ex chirurgiæ exercitio.

Chirurgia licita eſt Laicis & Clericis Minorum Ordinum. pag.360. n.162. b
Immo & conſtitutis in ſacris; at his citra inciſionem & aduſtionem, niſi neceſſitas excuſet. ibid.
Hi morte ſecutâ ſunt irregulares, uti forent laici, ratione negligentiæ. ibid.
An etiam ſecluſâ omni culpâ reſpectu mortis caſu ſecutæ. ibid.n.163.
Non eſt eis inhibita inciſionis præſcriptio. pag.361. num. 164. a
An etiam ſectio venæ. ibid.

Irregularitas ex defectu corporis vel animi.

Corpore vitiati ſunt irregulares. pag.361.n.165. a
Quid cenſendum de hermaphrodito. ibid. n. 166.
Judicium de notabilitate vitii ac deformitatis penes quem ſit. ibid.n.167.
Vitium antecedens impedit ordinationem; ſuperveniens impedit uſum ſuſcepti Ordinis, cui factus eſt inidoneus. ibid.n.168.
Quis morbus vel infirmitas inducat Irregularitatem. ibid. n. 169.
Ubi ſpecialiter de epilepſia ſeu morbo caduco. pag. 362.n.169. a.
Energumeni & amentes ſunt irregulares. ibid. numero 170.
Item ſervi non manumiſſi & obligati ad ratiocinia. ibid. n. 171. b
Addi quoque ſolent carentes debitâ ætate. ibid.

Irregularitas ex defectu natalium.

Illegitimi ſunt irregulares. pag.362.n.172.b
Habilitantur jure communi per profeſſionem quoad ſacros ordines, non quoad prælaturas. ibid.n.173.
Quoad has quinam diſpenſent. ibid.
Illegitimus legitimatur per ſubſequens matrimonium. pag.363.n.174. a
Quantumvis matrimonium ſubſequens non conſummetur. ibid.
Qui favor etiam extenditur ad proles illegitimi. ibid. *Vide* Illegitimi.
Quid cenſendum de expoſititiis. ibid. n. 176. b
Irregularitas hæc tollitur per abſolutam legitimationem. pag.364. n. 177. a
Quis illam dare poſſit. ibid.
Tollitur præterea per diſpenſationem. ibid. n. 178.
Quæ differentia inter illam & legitimationem. ibid.
Penes quos ſit poteſtas diſpenſandi. ibid. b.
Illegitimus indebitè ordinatus etſi nequeat in Ordinibus miniſtrare, novam tamen miniſtrando non incurrit Irregularitatem. ibid. n. 179.

Irregularitas ex bigamia.

Triplex bigamia inducit Irregularitatem. pag.364. n. 180. b
Bigamia vera quando cenſeatur. pag.365. n.181. a
Irregularitas hujus bigamiæ procedit ex traditione Apoſtolica. ibid. *Vide* Bigamia.
Hanc irregularitatem incurrit ducens viduam vel ab alio corruptam ſecutâ conſummatione. ibid. num 182.
Secùs ſi vidua à priori marito non ſit cognita. ibid.
Vel ducat corruptam à ſe. ibid.
Contrahit ſimiliter hanc irregularitatem accedens ad propriam uxorem poſt adulterium ejuſdem. ibid. num. 183. b
Irregularitatem etiam hanc incurrit, qui defunctâ uxore ſacris initiatus, copulatur ſecundæ, etſi invalidè, vel in ſacris exiſtens copulatur viduæ. ibid. n. 184.
Irregularitas orta ex bigamia ſimilitudinaria. ibid. 185.
An hæc extendatur ad Clericos ſæculares. ibid. numero 186.
Viri carnem ſuam dividentes cum variis fornicariè non ſunt irregulares. pag.366. n.187.a
Quis diſpenſare poſſit in Irregularitate orta ex bigamia. ibid.

Irregularitatis abſolutio.

Irregularitas an vel qualiter tollatur per baptiſmum. pag.366. n.188. a
Quando ceſſet ſine diſpenſatione. ibid. b
Tolli poteſt omnis per diſpenſationem Pontificis. ibid. num. 189.
In quibus caſibus diſpenſare poſſint Epiſcopi. ibid.
Signanter ex conceſſione Concilii Tridentini. ibid. num. 190.

An

An hæc competat ſolis Epiſcopis privativè ad omnes alios. pag.367. n.191. a
Eam extendit Pius V. ad Prælatos mendicantium. ibidem.
Quænam præterea illi poſſint ex jure vel ſpecialibus privilegiis. ibid. n.192.
An vel quid poſſint circa ſuos pœnitentes Confeſſarii mendicantium. ibid.n.193.b
Notabile pro diſpenſaturis in Irregularitate. ibid.
Quæ forma diſpenſationis in Irregularitate. p. 368. num.194. a

Judex.

Judex ad ſimiles caſus in judiciis procedit. pag.285. num. 194. a
Quid poſſit Judex in cauſa pari & utrimque æquè vel quaſi æquè probata. pag.129. n. 27. b

Judicium.

Judicium indifferens intellectûs nec requiritur nec ſufficit ad libertatis exercitium. pag.85. n.41.a
Neque judicium practicum determinatum, voluntatemque determinans. ibid. n.42.
Judicium intellectus non prærequiritur ad omnem actum voluntatis. ibid. n.43. b
Quamvis ordinariè prævium ſit. ibid. n.44.

Jus gentium.

Legiſperiti jus naturale gentium quomodo explicent, pag.241. n.2. a
Quid jus gentium juxta communem acceptionem. ibid. n.3. b
An & quomodo à civili differat. ibid.
Item quæ ad illud ſpectent. ibid.
Qua ratione gentes in illud conſpiraverint. p. 242. num. 4. a

Juſtificatio.

Juſtificatio alia eſt generatim dicta; alia juſtificatio impii; alia denique juſtificationis prahabitæ augmentum. pag.414.n.1.a
Juſtificatio eſt vera peccatorum remiſſio. ibid.n.2.
Peccata Deo tegi non aliud eſt quam ab ipſo condonari. pag. 415. n. 3. a
Juſtificatio fit per formam inhærentem. ibid.n.4. b
Errant contra Concilium Tridentinum, qui putant remiſſionem peccatorum ſe habere tantùm concomitanter ad donum gratiæ juſtificantis. ibid. numero 5.
Infuſio tamen gratiæ & remiſſio peccati ſunt duæ mutationes ex natura rei ſeparabiles. ibid.
Juſtos interiùs renovari docet Scriptura. pag. 416. num. 6. a
Vti & juſtitiam Chriſti à noſtra diſtingui. ibid.
A qua ſola ſi juſti eſſemus omnes & ſemper forent æquè juſti. ibid.
Catholicam doctrinam tradunt Patres id non abnuentibus Hæreticis. ibid. n.7.
Scripturæ ab Hæreticis objectæ ſolvuntur. ibid. numero 8. b.
Chriſtus eſt noſtra juſtitia cauſaliter ſeu meritoriè ibidem.
Similes ſunt aliæ phraſes in Scriptura ita ab ipſis Hæreticis exponendæ. ibid.
Quo ſenſu nullus juſtificetur in conſpectu Dei. ibid.
Controverſum olim erat an in juſtificatione ſaltem parvulorum infunderetur gratia habitualis p.417 num. 9. a
Affirmantem partem velut probabiliorem determinavit Conſilium Viennenſe. ibid.
Poſt Tridentinum verò eadem pars eſt generaliter certa ibid. n.10.b
Probatur multipliciter ex variis Tridentini locis. ibidem.
Tridentinum ſic quoque intellexerunt omnes Doctores Catholici. pag.418. n. 11. a.
Phraſis Scripturæ de hoc dono habituali loquentis ibidem.
In juſtificatione cum gratia infunduntur alia dona juſtificationem integrantia. p.421. n. 22. a.
Quibus omnibus inſtructus efficitur divinæ conſors naturæ. ibid.
Juſtificatio impii de facto includit remiſſionem mortalium, reſtitutionem divinæ amicitiæ, filiationis ac juris ad Hereditatem æternam. pag. 423. numero 28. a
Quæ omnia de abſoluta potentia poſſent perfici ſine dono gratiæ habitualis. ibid.
Abſolutè loquendo poſſet remitti mortale peccatum ſine phyſica mutatione peccatoris. ibid. n. 29
Non tamen ſine mutatione morali. ibidem. num. 30.
Ex quo nulla ſequitur mutatio in ipſo Deo. ibid.b. *vide* Peccatum.
Condonatio extrinſeca (contra cujus poſſibilitatem non agit Tridentinum) quomodo diſtinguatur à non imputatione Calviniſtica.. pag. 423. num. 31. b.
Proponitur objectio noviter mota. ibid. n.32.
Filiatio & jus ad Hereditatem æternam poteſt ſimiliter recuperari abſque phyſica mutatione peccatoris. pag. 424. n. 33. a
Etſi convenientiſſimè Deus nos adoptaverit mediante ſemine gratiæ ex ipſo natos. ibid.
Deus peccatorem citra phyſicam hujus mutationem poteſt quodam ſenſu habere amicum ibid. num. 34.
Quodam ſenſu non. ibid. b
Prædicta applicantur ſtatui puræ naturæ ibid. num. 35.
Juſtificatio impii non eſt maximum Dei opus ſimpliciter. pag. 433. n. 73. b
Sed ſecundum quid juxta Theologos & Patres ibid. num. 74.
Declaratur hoc diſcurendo per ſingula opera. p.434. num. 75. a
Juſtificatio ordinario modo perfecta non eſt dicenda miraculoſa. ibid. n. 76.
Aliqua eſt interdum in modo miraculoſa, v.g. S. Pauli. ibid. b
Certo ſenſu dicitur connaturalis homini quatenus elevato ad finem ſupernaturalem. ibid. n. 77.
Non tamen naturæ illius praeciſè ſecundum ſe ſpectatæ. ibidem.
Immo nulli creaturæ poteſt eſſe connaturalis ſicut frigus aquæ. ibid.
Quem ordinem inter ſe ſervent varia, quæ in juſtificatione formali concurrunt. ibid. n.78

Forma

Forma juſtificans.

Solus gratiæ habitus de facto eſt forma juſtificans. p. 420. nu. 19. a
Ad quam dilectio ſeu contritio etiam perfecta diſponit. ibid.
Quæq; eſt unica formalis cauſa noſtræ juſtificationis. ibid.
Alioquin gratia habitualis effectum formalem præſupponeret. ibid. b
Charitas ſeu contritio actualis remittit peccata diſpoſitivè. ibid. n. 20. b
Nec amplius ſequitur ex eo quòd ſit perfecta, à peccato averſio & ad Deum converſio. ibid. n. 21.
Major perfectio actûs gratis ſuppoſita non probat ei competere vim formaliter juſtificandi. ibid.
Vide Gratia habitualis.

Juſtificationis diſpoſitio.

Parvuli abſque propria diſpoſitione juſtificantur. p. 434. n. 1. a
In adultis autem requiritur aliqua diſpoſitio. ibid.
Diſpoſitiones ad juſtificationem procedunt à libero arbitrio & gratiâ. pag. 443. n. 42. b
Dum peccator juſtificatur per attritionem cum Sacramento, conſtat non procedere ab habitu charitis. ibid.
Vide Contritio.

Juſtificationis diſpoſitio ex parte intellectûs.

Ad juſtificationem adultorum requiritur in primis actus fidei. pag. 435. n. 2. a
Fidem aſſignant hæretici triplicem, hiſtoricam, miraculorum, & promiſſionum, præſertim ſpecialem. ibid. num. 3.
Ad juſtificationem peccatoris requiritur fides hiſtorica ſeu dogmatica. ibid. n. 4.
De qua Scriptura ſemper loquitur & nuſquam de fide ſpeciali. ibid.
Varii actus fidei ad juſtificationem prævii recenſentur ab Apoſtolo & Tridentino. ibid. n. 6. b
Qui tamen non omnes diſtinctè & explicitè prærequiruntur in ordinaria peccatoris fidelis juſtificatione. pag. 436. n. 7. a
Apoſtolus autem loquitur de primo ad juſtitiam acceſſu. ibid.
Similiter Tridentinum de concurrentibus ordinatè ad juſtificationem à fundamento cœptam. ibid.
Hæretici ſolam fidem ſuam ſpecialem putant ſufficere ad juſtificationem. ibid. n. 8.
Sed graviſſimè errant. ibid. b
Vide Fides.

Juſtificationis diſpoſitio ex parte voluntatis.

Varios actus diſpoſitivos ex parte voluntatis recenſet Tridentinum & in primis timorem divinæ Juſtitiæ. pag. 438. n. 15. a
Qui quidem eſt utilis ad juſtificationem diſpoſitio. ibid. n. 16.
Non tamen omnino neceſſaria. ibid. n. 17.
Actus ſpei eſt diſpoſitio ad juſtificationem, & quidem neceſſaria. ibid. n. 18. b
Quo ſenſu & modo ſit neceſſaria. ibid. n. 19.
Requiritur quoque actus dilectionis Dei. pag. 439. num. 20. a
Loquuntur verò Scripturæ de dilectione perfecta extra Sacramentum. ibid. n. 21.
Diſſeritur de loco ſolemni Tridentini. ſeſſ. 6. c. 6. ibid.
Requiritur præterea ad juſtificationem pœnitentia ſeu contritio. ibid. n. 22.
Extra Sacramentum quidem charitate perfecta, etſi cum Sacramento mortuorum ſufficiat imperfecta. pag. 439. n. 23. b
Quænam cenſeatur charitate perfecta. ibid. n. 24.
Non requiritur probabiliùs actus dilectionis à perfecta contritione diſtinctus. ibid. n. 25.
Immo hujuſmodi contritio eſt formaliter actus amoris Dei. pag. 440. n. 26. a
Interdum etiam poſſet ſufficere extra Sacramentum perfecta dilectio ſine expreſſa pœnitentia. ibid. numero 27.
Per ſe tamen loquendo requiritur formalis pœnitentia in memore peccatorum. ibid. n. 28.
Idq; congruè naturæ ipſius reconciliationis. ibid.
Cur potiùs in memore peccatorum illa requiratur, quàm in immemore. ibid. n. 29. b
Ex hac doctrina non ſequitur ſufficere ſolam fidem Hæreticorum ad juſtificationem. ibid. n. 30.
Requiritur quoque ad juſtificationem propoſitum novæ vitæ. ibid. n. 31.
Et ſuſcipiendi Sacramentum. pag. 441. n. 32. a
Quod tamen ſatis in propoſito ſervandi mandata, ipſâque contritione includitur. ibid.
Vide Contritio.

Juſtificationis certitudo.

Citra privilegiatam revelationem nemo tenetur vel poteſt credere fide divinâ ſe eſſe juſtificatum. pag. 445. n. 48. a
Generalis reſponſio ad Scripturas, quæ videntur excludere formidinem de juſtitia. pag. 446. n. 51. a
Reſpondetur in particulari ad nonnulla Apoſtoli teſtimonia. ibid. n. 52.
Nonnulli Sanctorum ex ſpeciali revelatione fuerunt de ſua juſtitia certi. ibid. nu. 53. b
Quâ ſecluſâ nequit aliquis de ea eſſe certus per internum ſpiritûs teſtimonium. ibid. n. 54.
Nequidem de Juſtitia noſtra poſſumus habere certitudinem concluſionis Theologicæ. ibid. n. 55. b
Multò minùs de perſeverantia & prædeſtinatione. p. 447. n. 55. a
Neque aliam aliquam certitudinem phyſicam habere valemus. ibid.
Sed ſolùm quamdam conjecturalem. ibid. n. 56.
Quæ in multis eſt ſatis exigua. ibid. n. 57.
In viris ſanctis interdum ſatis magna. ibid. n. 58.
Etſi non ſemper juxta menſuram ſanctitatis. ibid. b
Ex incertitudine gratiæ non læditur debita pax conſcientiæ, ſed timor ſalutaris promovetur. pag. 447. num. 59. b
Certitudo moralis gratiæ etiam in Sanctis citra ſpeciale privilegium, non eſt tanta, ut omnem rationabilem formidinem excludat. ibid. n. 60.
De fide infuſa propria non habetur quoque certitudo pluſquam moralis. ibid. n. 61.
Uti & de ſupernaturalitate actûs fidei. p. 448. numero 61. a
Catholicus per actum fidei eſt certus de objecto, non de qualitate actûs. ibid. n. 63.

Expe-

Experientia firmitatis in credendo non generat certitudinem pluſquam moralem. ibid.n.64. b

Rarùs tamen de fide, quin eâ quis ſit præditus, dubitari ſolet. ibid.

L.

Legalia.

AN uſus Legalium in nova Lege aliquando licuerit. pag.235.n.23. a

Negat Hieronymus, affirmat Auguſtinus & pleriq; Scholaſtici. ibid.

Idq; probatur factis Apoſtolorum & congruentiâ. ibidem n. 24. b

Solvuntur objectiones D.Hieronymi. ibid. n.25.

Cur Apoſtolus potiùs Timotheum circumciderit, quàm Titum. ibid.

Legalia poſt Chriſtum exerceri poterant citra mendacium. pag.236.n.27. a

Defacto tamen non licere, eſt indubitata Eccleſiæ traditio. ibid.n.28. b

Immo nec materialiter reſtaurari poſſunt quoad ſubſtantialia ac principaliora. ibid. n. 29.

Secùs eſt de quibuſdam minutioribus. pag. 237. numero 30. a

Legatus.

Legati Pontificis poſſunt ferre leges pro legationis ſuæ Provincia. pag.251.n.44. b

Legatorum ſtatuta eorum morte vel amotione non expirant quouſque revocentur. ibid.

Lex.

Quæ ſit etymologia vocis Lex. pag.217. n.1. a

Quid Lex. ibid. b

Debet ferri ab habente publicam auctoritatem. pag. 218. n. 2. a

Et reſpicere communitatem perfectam, ac bonum commune. ibid. n.3. & 4.

In Legibus tributorum, pupillorum, minorum &c. etiam reſpicitur bonum commune. ibid. n. 5. b

In Legibus condendis non oportet bonum commune eſſe intentum intentione operantis, ſed ipſius operis. pag. 219. n.6. a

Si Lex non cederet in bonum commune, non foret vera Lex nec obligaret. ibid.

Debet etiam lex eſſe ſtabilis & quodammodo perpetua. ibid. n. 7.

Stabilitas omnium legum non eſt eadem. ibid. b

Debet quoque Lex debitè promulgari. ibid. n.8.

Immo promulgatio eſt de eſſentia legis. ibid.

An addenda ſit acceptatio. ibid.

Ex præfatis conditionibus varia formatur legis definitio. ibid. n.9.

Varii actus ad legem concurrentes recenſentur. pag. 220. n.10. a

D. Thomas ſtatuit phyſicam legis eſſentiam in actu intellectûs. ibid.n.11.

Rectiùs Scotiſtæ & plures alii in actu voluntatis. ibid. nu. 12.

In quem proprius legis effectus, ſcilicet obligatio eſt referenda. ibid.

Cui etiam legis officium convenit, ſcilicet illuminare ſubditos. ibid.n.13. b

Favet etiam Auctoritas. ibid.n.14.

An vel quo ſenſu Lex ſit actus efficax voluntatis. ibid. nu. 15.

Quæ cauſa legis. pag.221.n.16. a

Qui legis effectus. ibid. n.17.

Legis Diviſio.

Dividitur Lex in naturalem & poſitivam. pag.221. num. 18. b

Item in affirmativam & negativam. ibid.

Nulla Lex eſt æterna completè, ſed incompletè. ibid. num. 19.

Sic coincidit cum Lege divina. ibid.

Quid intelligat Auguſtinus per legem æternam. ibid. num. 20.

Lex naturalis.

Lex naturalis quid. pag.222.n.22. a

Aliqui eam ſtatuunt in ſpeciali juſſione Dei. ibid.

Hæc indubiè intervenit, nec incongruè nomen legis naturalis uſurpat. ibid. b

Eâ tamen ſeclusâ, per poſſibile, aut impoſſibile, adhuc malum eſſet odiſſe Deum &c. ibid. n. 23.

Adeòq; debitum, ſeu obligatio fugiendi tale odium. ibid. num. 24.

An hæc obligatio dicenda ſit oriri ex lege, quæ dicatur naturæ, eſt quæſtio de nomine. ibid.

Hæc verò Lex naturæ non eſt ipſe intellectus creatus, neque actuale dictamen illius, neque habitus, neque etiam propoſitiones quædam objectivæ. pag.223. num. 25. a

Sed probabiliter ipſa actionum convenientia neceſſaria vel diſconvenientia, vel potiùs ipſa natura creaturæ rationalis. ibid. n.26.& 27.

Lex naturæ eſt ſcripta in intellectu, tamquam ſigno indicativo illius. ibid.n.28. b

Deus propriè non habet legem naturæ. ibid. n.29.

Lex naturæ eſt multiplex. ibid.n.30.

Eſt etiam quodammodo una atque eadem. pag.224. numero 30. a

Legis Naturæ materia.

Quæ materia legis naturalis. p.224.n.31. a

Ad eam non ſolùm prima morum principia, ſed & multa concluſiones ſpectant. ibid.

Quædam ſpectant ad jus naturæ elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem. ibid. n.32.

Non quilibet virtutum actus eſt jure naturæ præceptus. ibid.n.33. b

Omnia præcepta Decalogi ſunt propriè de jure naturæ. ibidem num. 34.

Nec oppoſitum docet Scotus. ibid.

An ſub legem naturæ cadat non ſolùm actûs ſubſtantia, ſed etiam modus & quis. p.225.n.25. a

Procedit autem hæc quæſtio de ſolis præceptis affirmativis. ibid.

Lex naturæ impleri debet per actum voluntarium. ibid.n.36.

Legis Naturæ impletio.

Lex naturæ impleri debet per actum voluntarium. pag.225.n.36. a

Impletionem non impedit concomitans diſplicentia. ibid. n. 37.

Non requiritur, ut actus fiat tamquam præceptus. ibid. n. 38. b

Vel ob honeſtatem virtutis, multò minùs ut ob finem charitatis. ibid. n.39.

Quinimmo poteſt Lex aliqua naturæ impleri per actum ex circumſtantia vitiatum, & à fortiori per indifferentem. ibid.

Qualiter

INDEX RERUM.

Qualiter nihilominus ſubſiſtat finis legis naturalis. ibid.n.40.

Legis Naturæ immutabilitas.

Lex naturæ mutatur impropriè per additionem. p.226.n.41.a

Poteſt fieri mutatio circa illa quæ ſunt de lege naturæ permiſſivè ſolùm. ibid.n.42.

Uti & circa ea quæ ſunt propriè de Jure naturæ mutatis circumſtantiis. ibid.n.43.b

An iis immutatis mutari poſſit jus naturæ abrogatione vel diſpenſatione divinâ. ibid.n.44.

Scotus cenſet duo prima præcepta primæ tabulæ eſſe indiſpenſabilia idq; probabiliter. ibid.n.45. *&* p.227.n.46.a

De tertio Decalogi præcepto dubitat Scotus. ibid.

Præcepta verò ſecundæ tabulæ eſſe diſpenſabilia aſſerit. ibid.n.47.

Probatur ex mandato Abrahæ dato occidendi filium innocentem. ibid.n.48.b

Poſſet quidem ceſſare obligatio per mutationem materiæ, attamen propriam diſpenſationem Deus adhibuit. ibid.n 49.

Nec eſt urgens ratio hanc Deo facultatem negandi. p.228.n.50.a

Nec idcirco Deus mutaret naturas rerum. ibid.

Communiter excipitur præceptum vetans mendacium, ſed inefficaciter probatur. ibid.n.51.

In nullis jure naturæ præceptis diſpenſat Pontifex. ibid. n.52.

Nec poteſt ad hoc cogere ſumma utilitas, aut neceſſitas. ibid.b

Allegantur in oppoſitum varia exempla. ibid.n.53.

Reſponſio quorumdam rejicitur. ibid.

Vera reſponſio ad ſingula exẽpla objecta. p.229.n.54.a

Cadit in legem naturæ aliquo ſenſu interpretatio. ibid. n.56.b

Lex divina poſitiva.

Lex divina poſitiva quid. p.229.n.1.a

Fuit aliqua in ſtatu innocentiæ. p.230.n.1.a

Et in ſtatu legis naturæ. ibid.n.2.

Famoſa Legis divinæ in Veterem & Novam diviſio. ib.

Lex Vetus.

Lex vetus fuit bona & ſancta. p.230.n.3.a

Fuit lata per miniſterium Angelorum, & a Moyſe promulgata. ibid.

Quis finis Legis veteris. ibid.b

Fuit imperfecta, & quare. ibid.n.4.

Quare vocetur jugum importabile. ibid.n.5.

Quo ſenſu Deus Iſraelitis dicatur præcepta non bona dediſſe. p.231.n.6.a

Explicatur dictum Apoſtoli ad Romanos 5. Lex ſubintravit, ut abundaret delictum. ibid.n.7.

Chriſtus non legem, ſed perverſas ejus explicationes correxit. ibid.n.8.

Qui imperfectiora legis ſupplevit, ac libellum repudii diſpenſativè licitum caſſavit. ibid.b

Triplicia Legis veteris erant præcepta, moralia, ceremonialia, & judicialia. ibid.n.9.

Lex vetus obligavit in conſcientia, non tantùm quoad præcepta moralia & ceremonialia, ſed etiam quoad judicialia. p.232.n.10.a

De Iudicialibus ſecùs cenſet Gerſon. ibid.

Cujus fundamẽto ab ipſomet ſolvẽdo ſatisfit. ibid.n.11.

Præcepta Legis veteris ex generè ſuo obligabant ſub mortali, ibid. n. 12.

Non tamen cum mortis periculo, per ſe loquendo, præterquã quoad moralia negativa Decalogi. ib.n.13.

In Lege veteri continentur quædam conſilia. ib.n.14.b

Obligabat Lex vetus ſolos Hebræos per ſe loquendo. ibid. num. 15.

Per accidens etiam Proſelytos. pag.233. n.15. a

Legem veterem ceſſaſſe fides docet. ibid.n.16.

Quinam oppoſitum ſenſerint. ibid. n. 17. b

Quo ſenſu vocetur æterna. ibid.

Qualiter illam Chriſtus adimpleverit. ibid.

Lex vetus etiam ceſſavit quoad præcepta judicialia. pag.234. n.18. a

Immo & quoad moralia, quatenus iſtius legis erant. ibid. num. 19.

Quâ ratione Apoſtoli docentes præcepta moralia eſſe à Chriſtianis ſervanda allegent verba veteris Teſtamenti. ibid.b

Non deſiit Lex vetus in Nativitate Chriſti, vel ante mortem ejus. ibid. n.20.

Quo ſenſu dicatur Lucæ 16. Lex & Prophetæ uſque ad Joannem. ibid.

A tempore inſtituti Baptiſmi, Circumciſio deſiit eſſe neceſſaria neceſſitate medii, non præcepti. ibid.n.21.

Lex Vetus non deſiit obligare præcisè in morte Chriſti, ſed à promulgatione legis Novæ factâ in Pentecoſte. pag.235.n.22. a

Radicaliter tamen, & meritoriè deſiit in morte Chriſti. ibidem.

Lex Nova.

Variæ appellationes legis Evangelicæ. pag.237.n.31.b

Hæc eſt à Chriſto inſtituta pro univerſo mundo. ibid.

Et continet non tantùm præceptum fidei, ſed etiam præcepta moralia, ſacramentalia, & theologalia. ibid. n. 32.

Omnia Legis novæ præcepta ad unum ex hoc triplici genere pertinent. pag.238. n.33. a

In quo conſiſtat Chriſtiana libertas. ibid. n. 34.

Aliud eſſe ſub lege, aliud eſſe in lege. ibid. b

Lex nova cœpit obligare in Pentecoſte. ibid. n. 35.

Duratura uſque ad finem mundi. ibid. n.36.

Cur non fuerit inſtituta ab initio. pag.239. n. 37. a

Eſt abrogabilis, & diſpenſabilis per Deum. ibid.n.38.

Non per hominem. ibid.n.39.

Nec hoc poteſt umquam exigere neceſſitas boni communis. ibid. b

Patitur humanam interpretationem. ibid. n.40.

Non tamen Epykiam. ibid.

Excellit veterem ex parte cauſæ efficientis, materiæ, formæ, finis, & effectûs. pag.240.n. 41.42.& 43.

Item ex parte univerſalitatis, promiſſionum, comminationum & facilitatis. ibid. n. 44.b & pag. 241. n.45. a

Lex humana.

Lex humana quid. pag.241. n. 1. a

Unde dicatur jus humanum. ibid.

Dividitur in legem civilem & Eccleſiaſticam. ibid.

Legiſperiti jus naturale gentium, & civile quomodo explicent. ibid.n.2.

Quid jus gentium juxta communem explicationem. ibid. num. 3. b

An & quomodo à civili differat. ibid.

Item quæ ad illud ſpectent. ibid.

Quâ ratione Gentiles in illud conſpiraverint. pag. 242. num.4.a

Lex civilis varia. ibid.n.5.

Jus Romanorum quintuplex,ſcilicet Leges ſtrictè dicta, Plebiſcita, Senatuſ-conſulta, Principum placita, Prætorum edicta,& Reſponſa prudentum. ibid.n.6.

Horum tamen hodie non tanta Auctoritas. ibidem num.7. b.

In regimine Monarchico ſola per ſe obtinent Principum placita. ibid.

Jus Cæſareum,vulgò commune dicitur. p.243.n.8.a

Eo continentur Inſtitutiones Juſtiniani,Pandecta,Codex,& Novellæ Juſtiniani. ibid.n.9.& 10.

*Quæ omnia plenariam juris auctoritatem habent.*ibidem n.11.b

Sic ut Digeſta Codici,hic Novellis cedat. ibid.

An Inſtituta Digeſtis cedant,dubitatur. ibid.

Novellæ Leonis Imperatoris non ſunt receptæ pro jure communi. ibid.n.12.

De libris ſeu conſuetudinibus feudorum controvertitur. ibid.

Quid cenſendum de Belgio. p.244.n.12.a

Quo ibidem loco habendum ſit Jus commune. ibidem num.13.

Jus Eccleſiaſticum,ſeu Canonicum varium. ib.n.14.

Quid nomine Juris Canonici ſimpliciter poſito gaudeat. ibid.

Decretum Gratiani ejuſq; diſtributio. ibid.n.15.b

Palea quid ſignificet in decreto Gratiani. ibid.

Decretales Gregorii IX.earumq; ordo. ibid.n.16.

Sextus Decretalium Bonifacii VIII. p.245.n.17.a

Clementinæ,Item Extravagantes. ibid.n.18.

Quæ ſit Auctoritas Decreti Gratiani. ibid.n.19.b

Legis humanæ materia.

Materia circa quam legis humanæ eſt actio libera. p. 257.n.72.b

Non mala. ibid.

Etſi malum interdum lex permittat. ibid.

Verſatur circa actus, ſecluſâ lege,indifferentes. ibid. num.73.

Atque etiam per ſe loquendo circa actus omnium virtutum, non tamen ſupernaturalium per ſe, & vi ſuâ. p.258.n.73.a

Nec circa omnes cujuſvis virtutis naturalis actus, ſive disjunctivè,ſive etiam collectivè. ibid.num.74.& 75.

Plus tamen poteſt quoad hoc poteſtas Eccleſiaſtica, quàm civilis. ibid.b

Lex humana,quà lex, reſpicit futura; quà ſententia, etiam præterita. ibid.n.76.

Præcipit actum,ſaltem lege ſuppoſitâ,honeſtum. ibid. num.77.

Non tamen,ut ex motivo honeſto,aut obedientiæ, vel notitiâ legis fiat. ibid.

Finis legiſlatoris non cadit ſub legem. ibid.n.78.

Uti fortè nec quod actus fiat virtuoſè. p.259.n.78.a

*Hinc ſatisfacit præcepto,illud implens pravo fine.*ibid. num.79.

Aut non intendens ſatisfacere legi cognitæ, quin potius intendens per actum illum,non ſatisfacere. ibidem n.80.

Lex ſolùm obligat ad actum materialem obedientiæ, quem præfatus ponit. ibid.n.81.

Quo ſenſu volens ſatisfaciat legi. ibid.

Aliud eſt de ſolutione debiti ex juſtitia. ibid.n.82.

Quid cenſendum de debito voti,aut pœnitentiæ ſacramentalis. ibid.n.83.

Eodem tempore ſatisfit pluribus præceptis, per plures actus quando unus non impedit alterum debitè exercendum. p.260.n.84.a

Unde ſub Miſſa poteſt quis legere horas. ibid.

Immo & unico actu,quando multiplex obligatio cadit ſuper eamdem materiam. ibid.n.84.& 85.

Unde id colligendum. ibid.b

Notabilia Corollaria. ibid.

Diſparitas inter debita ex juſtitia, & debita ex lege. ibid. n.86.

Certum eſt ſub legem humanam indirectè cadere actus internos, qui prærequiruntur ut opus externum ſit liberum. p.261.n.87.a

At directè non cadit actus merè internus ſub poteſtatem civilem. ibid.n.88.

Immo nec ſub poteſtatem Eccleſiaſticam. ibid.n.89.

Diſcrimen inter actus externos per accidens, occultos & internos. ibid. n.90.b

*Abſolutè loquendo potuiſſet humano ſuperiori poteſtas directa in actus internos à Deo concedi.*ibid.n.91.

Non obſtat quod Eccleſia alliget & ſolvat omnia,ſcilicet cum diſtributione accommodâ. ibid.n.92.

In foro ſacramentali reſpicit etiam interna. pag.262. num.93.a

Uti & in conceſſione Indulgentiarum, ac diſpenſatione votorum. ibid.

Quomodo auctoritate propriâ reſervare queat peccata etiam interna. ibid.

Eccleſia non excommunicat Hæreticos merè internos ibid.n.94.b

Aut aliter interiùs ſolùm delinquentes. ibid.n.95.

Quomodo privet fructibus recipientem Parochiam abſque intentione ſuſcipiendi ſacerdotium intrà annum. ibid.n.96.

Eccleſia præcipit actus internos,qui requiruntur ut actus externi ſint verus contractus, vera oratio &c. pag.263.n.97.a

Unde ſacrilegè confitens non ſatisfacit præcepto annuæ Confeſſionis. ibid.n.98.

Quid cenſendum de recitante horas cum voluntariâ diſtractione interna. ibid.

Legis Promulgatio.

Lex humana debet declarari per ſignum ſenſibile. p. 263.n.99.b

Quod ordinariè,non tamen neceſſariò,eſt ſcriptura. ib.

Et quidem debet promulgari publicè & ſolemniter. ibid.n.100.

Idq; eâ formâ quæ juxta morem patriæ cenſetur ſolemnis propoſitio. ibid.

Eò uſque non obligatur quis lege,etſi ſciatur eſſe decreta & ſcripta. p.264.n.101.a

Poſtea verò obligantur quoque ignorantes,etiam invincibiliter,quantum ad aliquos effectus. ibid.n.102.

Leges Cæſareæ debent promulgari in ſingulis provinciis reſpectivè. ibid.n.104.b

*Leges Regum plures provincias independentes poſſidentium,debent in ſingulis promulgari.*ibid. n.105.

Quid moris in provinciis Belgicis. pag. 265. num. 106. a

Promulgatio cur interdum reſumatur. ibid.

In ſingulis Regnis extra Imperium, aut ubi jus Cæſa-

reum

tua non ſervatur, ſufficit una promulgatio per ſe loquendo. ibid.n.107.
Nec requiritur lapſus bimeſtris à publicatione. ibid.
Unde lex citiùs obligat in civitate in qua promulgatio facta eſt, quam in locis remotioribus. ibid.
Leges Epiſcopales in Matrice Eccleſia, & Concilii particularis in loco Concilii publicari ſufficit. ibidem num.108.
Similiter nec requiritur lapſus certi temporis ut leges Epiſcopales obligent. ibid.b
Leges Pontificiæ non debent in ſingulis provinciis promulgari, per ſe loquendo. ibid.n.109.
Jus Cæſareum hac in parte non eſt ab Eccleſia ſaltem uſu receptum. ibid.n.110.
An facienda exceptio à legibus irritantibus & ſimilibus. p.266.n.111.a
Aut in quibus promulgatio facienda per Provincias demandatur. ibid.
Quæ in contrarium ex ratione allegantur nimiùm, adeòque nihil probare oſtenduntur. ibid.n.112.
Acceptatio etſi prærequireretur (quod non) tamen non ſemper foret neceſſaria in ſingulis provinciis promulgatio. ibid.b
Suaviùs tamen, & certiùs obtinetur legis obſervantia, quando ejuſmodi promulgatio adhibetur. ib.n.113.

Legis Acceptatio.

Quando lex cenſeatur acceptari. p.266.n.114.b
Acceptationem requirunt plurimi Doctores, tum ut obliget lex civilis, tum ut Eccleſiaſtica. ibid.
Juxta quos poteſt acceptari lex in toto, vel quoad partem, vel quoad culpam, non autem quoad pœnam, aut contrà. p.267.n.114.a
Et ſic Concilium Tridentinum in Belgio eſſe receptum citra mutationem juriſdictionis refert Zypæus. ibid.
Acceptationem populi non requiri probatur. ibid. num.115.
Populum ſic obligare, in Principe nec deeſt poteſtas, nec voluntas. ibid.
Quam præterea ſatis exprimunt verba ſimpliciter præceptiva. ibid.b
Interdum poteſt præſumi alia voluntas Principis. ibidem num.116.
Ad quem interea patet locus ſupplicandi ex cauſa. ib.
Ac interim obligationem legis ſuſpendendi. ibid.
Si Princeps taceat condeſcendere cenſebitur niſi aliud conſtet. p.268.n.116.a
Variæ leges Pontificiæ in nonnullis provinciis cur non ſint in vigore. ibid.n.117.
Judicio populi recipiendæ ſunt leges quæ juxta Democratiam ab illo pendent. ibid.n.118.b
Defectu acceptationis non deſinit lex eo ipſo eſſe utilis bono communi. ibid.n.119.
Per deſuetudinem populi ſaltem tolli poteſt, in quavis ſententia obligatio legis non acceptatæ, & quomodo. p.269.n.120..a

Legis humanæ Obligatio.

Leges humanæ tam Civiles, quàm Eccleſiaſticæ obligant in conſcientia. p.276.n.156.b
Vitandus & cautè explicandus eſt modus loquendi Gerſonis aſſerentis ſolùm Deum obligare in conſcientia. p.277.n.157.a
Quâ ratione omnes leges humanæ, in divinis radicentur. ibid.
Leges humanæ obligant in conſcientia graviter etiam ſecluſo ſcandalo, contemptu, & conſuetudine tranſgrediendi. ibid.n.158.
Explicatur D. Bernardus in ſpeciem contrarius. ibidem b
Omnis lex humana ad aliquid in conſcientia obligat. p.277.n.159.b
Non tamen ſemper ad actum, ſed interdum ad pœnam. ibid.
Qualiter Conſtitutiones Religioſorum ad actum præſcriptum ſub culpa non obligantes ſint leges. ibid. num.160.
Vide Religioſi.
Explicatur commune dictum, quo multæ leges dicuntur non obligare in conſcientia. p.278.n.161.a
Lex fundata in præſumptione facti veluti conditionata obligat ſolùm quando ſubeſt præſumpta veritas. ibid.n.162.
Præſumptio juris onus probandi in alterum rejicit, immo interdum probationem non admittit. ibid.
Lex fundata in præſumptione periculi obligat ſemper, etſi in caſu ſpeciali incommoda ordinaria abeſſent. ibid.
Lex ad actum vel omiſſionem nullatenus, vel leviter obligat, dum id legiſlator declarat. p.278.n.163.
Qui in gravi materia poteſt leviter, uti nulliter obligare. ibid.
In levi autem materia nequit obligare graviter. ibid. num.164.
Niſi ipſa materia ex circumſtantiis fiat gravis prout hic fieri poteſt. p.279.n.164.a
Quamvis in materia abſolutè levi poſſet Deus obligare graviter, non tamen legiſlator humanus. ibid.
In gravi materia graviter obligat, quando id ſatis declarat. ibid.n.165.
Idq; ſive per verba expreſſa, aut æquivalentia, ſive per appoſitionem gravis pœnæ ſpiritualis. ibid. n.165. & 166.
Quæ pœna hîc cenſeatur gravis. ibid.b
Sive etiam per appoſitionem gravis pœnæ temporalis. ibid.n.167.
Sive ex conſuetudine mentem legiſlatoris ſic interpretante. ibid.n.168.
Ex his ſignis non ſola legiſlatoris mens, ſed etiam gravitas materiæ colligitur. p.280.n.168.a
Suppoſitâ verò gravitate materiæ, gravem obligationem indicant etiam verba ſimpliciter præceptiva, inhibitoria, & æquipollentia. ibid.n.169.
Quænam ſint talia. ibid.
Verba indifferentia non ſufficiunt ad ſtrictum præceptum, niſi ad hoc reſtringantur per aliquid adjunctum. ibid.n.170.b
In dubio facienda interpretatio eſt pro non obligatione. ibid.
Appoſitio pœnæ temporalis, etiam levis, non eſt ſignum ſufficiens, quod lex verbis utens præceptivis graviter non obliget in conſcientia. ibid.n.171.
Niſi interdum aliud declaret conſuetudo vel legiſlator. p.281.n.172.a
Sicut etiam citra pœnæ appoſitionem poſſunt inde non ſufficere ſola verba præceptiva. ibid.
Idem eſt, ſi lex utatur verbis indifferentibus, vel ſolam pœnam, non autem actum determinatè afficientibus. ibid.n.173.

Poteſt legiſlator obligare ob neceſſitatem boni communis etiam cum vitæ diſcrimine. p.281.n.174.a
Sic ut obligatio proximè oriatur ex præcepto ipſius ſuperioris humani. ibid.n.175.b
Etiam dum citra præceptum poſitivum non eſſet tam manifeſta obligatio legis naturæ. ibid.
Eſt etiam non obſtante metu mortis lex ſervanda, quando violatio cederet in contemptum fidei, vel Eccleſiæ. ibid.n.176.
Extra hos caſus, adeòque communiter non obligat lex humana cum periculo vitæ, vel alterius gravis mali. p.282.n.177.a
Metus gravis excuſat à culpa communicantem cum excommunicato. ibid.n.178.
Hinc grave malum excuſat ab obſervantia cenſuræ, aut irregularitatis. ibid.n.179.b
In extrema ſaltem neceſſitate licitum eſt Chriſtiano veſci idolothytis. ibid.n.180.
Rectiùs tamen & generoſiùs juxta conſilium Auguſtini fame moreretur. ibid.
Licet etiam Carthuſiano tunc veſci carnibus. ibid. num.181.
Qui hos etiam tunc licitè reſpuit. p.283.n.181.a

Legis Interpretatio.

Vide Interpretatio.

Legiſlativa poteſtas.

Poteſtas ferendi leges eſt penes homines. p.245.n.20.b
Plures Hæretici negant illam pro tempore Legis novæ. p.246.n.21.a
Qui ſemetipſos ſuo facto confundunt. ibid.n.23.b
Datur in Lege novâ poteſtas politica ferendi leges. p.247.n.24.a
Nullâ veri ſpecie in Deuteronomio præjudicatur legiſlativa Chriſtianorum poteſtati. ibid.n.25.
Chriſtus ſuperſtitiones & abuſus Phariſaicos, non legitima mandata ſuperiorum redarguit. ibid.n.26.b
Chriſtiani non ſunt exleges, etſi in libertatem vocati. ibid.n.27.
Quo ſenſu non ſint ſub lege, qui ſpiritu ducuntur: ubi reliqua quæ pro hæreticis ex Apoſtolo objici poſſunt ſolvuntur. p.248.n.28.a
Poteſtas legiſlativa non repugnat dulci jugo legis novæ. ibid.n.29.
Poteſtas legiſlativa civilis, primò & radicaliter penes ipſam communitatem reſidet. p.249.n.33.a
A qua tamen poteſt in alterum transferri per Deum, per ipſam rempublicam, vel jure belli. ibid.n.34.
Imperator poteſt ferre leges pro toto imperio. ibid. num.35.b
Non tamen pro toto Orbe. ibid. *Vide* Imperator.
Poteſtas legiſlativa competit ſupremis Principibus. p.250.n.37.a
Item Republicæ liberæ. ibid.
Ac Reginæ hereditariæ potiùs, quàm conjugi. ibidem num.38.
Principum inferiorum poteſtas menſuranda ex cōmiſſione ſupremæ poteſtatis vel conſuetudine. ibid.39.
Uti & communitatis non ſupremæ. ibid.b
Poteſtas hæc non dependet à fide vel moribus Principum. ibid.n.40.
Nec oppoſitum docet Clemens Papa. p.251.n.41.a
Poteſtas legiſlativa pro univerſa Eccleſia jure divino reſidet penes ſummum Pontificem. ibid.n.42.
Unde nullam recipit mutationem vel limitationem. ibid.num.43.
Legiſlativâ poteſtate pollent legati Pontificis pro legatione ſuæ provinciæ. ibid.n.44.
Item Epiſcopi pro ſua Diœceſi independenter à conſenſu Capituli. ibid.n.45.
An hi jure divino. p.252.n.46.a
Metropolitani quid poſſint in Diœceſibus Coepiſcoporum. ibid.n.47.
Competit poteſtas legiſlativa Concilio Generali per Papam confirmato. ibid.n.48.b
Eâdem poteſtate pollent Concilia Provincialia, & Diœceſana. ibid.n.49.
Item Capitulum Cathedrale ſede vacante. ibid.n.50.
Vide Capitulum.
Nequit Collegium Cardinalium vacante Sede Apoſtolicâ leges condere. p.253.n.53.a
Uti nec Capitulum Cathedrale vivēte Epiſcopo. ibid. num.54.
Poſſunt etiam Abbates & alii Prælati ordinarii condere leges. ibid.n.55.
Idem poteſt Congregatio Regularium generalis, & provincialis. ibid.n.56.
Sixtus IV. non ademit Ordini Minorum facultatem condendi ſtatuta ad culpam etiam gravem obligantia. ibid.n.57.
Parcitas in condendis legibus eſt obſervanda. p. 254. num.57.a
Poteſtas legiſlativa civilis dupliciter ab Eccleſiaſtica diſtinguitur. ibid.n.58.
Eccleſiaſtica eſt ordinis ſupernaturalis, civilis verò naturalis. ibid.
Eccleſiaſtica eſt civili excellentior, eamq; ſibi ſubordinat. ibid.n.59.
Sed ſolùm indirectè. ibid.n.60.b
Ab hac poteſtate Eccleſia ſubinde uſque ad depoſitionem à Regno vel Imperio proceſſit. ibid.n.59.
Epiſcopi pro ſua Diœceſi per ſe loquendo habent poteſtatem indirectam in leges civiles, & Superiores temporales. p.255.n.60.a
Lex an & quomodo conſuetudine introducatur. *Vide* Conſuetudo.

Legiſlator.

Legiſlator in materia communi tenetur lege ſuâ quoad vim directivam. p.269.n.121.a
Veroſimiliter non immediatè ex efficacia propria legis, ſed hâc ſuppoſitâ ex lege naturæ. ibid.n.122.
Idq; non ſub mortali. ibid.
Plurimi tamen putant, quòd ſub mortali. ibid.n.123.
Atque juxta Nonnullos directè vi legis propriæ. ibid.
Tenetur ſaltem pari obligatione ſervare leges taxantes pretia rerum. p.270.n.124.a
Vide Princeps.
Non arctatur denique lege ſuâ quoad vim coactivam. ibid. n.126.

Legi quinam ſubjiciantur.

Legiſlator in materia communi tenetur lege ſuâ quoad vim directivam. p.269.n.121.a
Vide Legiſlator.
Legibus Eccleſiaſticis non tenentur Infideles. p. 270. num.127.b
Unde poſſunt diebus vetitis comedere carnes, & has aliis ipſis miniſtrare. ibid.

Non etiam tenentur pueri ante uſum rationis. ibid. num. 128.

Qui proinde etiam poſſent diebus jejuniorum veſci carnibus, hæq; iis miniſtrari. ibid.

Poſt uſum rationis tenentur legibus etiam impuberes, non tamen Cenſuris, regulariter. ibid. n. 129.

Ebrii, phrenetici, invincibiliter ignorantes, per ſe obligantur, etſi pro tempore à culpa formali excuſentur. ibid. n. 130.

Unde non licet talibus ignorantibus vel ebriis die jejunii cibos vetitos ſubminiſtrare, vel ad comedendum invitare. ibid.

Multò minùs liceret ebrios vel amentes, etiā perpetuò, incitare ad copulam carnalem. p. 271. n. 230. a

Amentibus poſſe miniſtrari cibos vetitos in die jejunii, eſt probabile. ibid.

Indigenæ non obligantur legibus territorii, dum extra illud verſantur. ibid. n. 131. a

Vel dum ſunt intrà illud in loco localiter exempto. ibid. num. 132.

Vide Territorium.

Peregrinus tenetur legibus communibus Eccleſiæ, ubicumque ſit. p. 272. n. 135. a

Et dum ſubeſt ſcandalum, etiam particularibus legibus locorum. ibid. *Vide* Peregrinus.

Clerici non obligantur legibus Principum in materia ſpirituali latis, per ſe loquendo. p. 273. n. 141. b

Nec tributariis, aut in materia judiciali. ibid. n. 142.

Quinam hîc nomine Clericorum intelligantur. ibid. n. 141. *Vide* Clerici.

Lex pœnalis.

Quid ſit lex pœnalis, & quomodo diſtinguatur à morali. p. 315. n. 1. a

Alia eſt mixta, alia purè pœnalis. ibid.

Item alia civilis, alia Eccleſiaſtica. ibid. n. 2.

Variæ pœnæ Eccleſiaſticæ. ibid.

Famoſiſſima legis pœnalis diviſio in legem ferendæ ſententiæ & latæ ſententiæ. ibid. n. 3. b

Regulæ ad dignoſcendum, an ſit lex ferendæ ſententiæ, an latæ ſententiæ. ibid. n. 4.

In dubio cenſetur ferendæ ſententiæ. ibid.

Item ſi lex ſit pœnæ comminatoria; cujus variæ formulæ aſſignantur. ibid.

Niſi verba juncta vel pœnæ qualitas reſtringant ad ſententiam latam. p. 316. n. 5. a

Excipiunt etiam multi pœnam conventionalem valde probabiliter. ibid. n. 6.

Etſi oppoſitum etiam non ſit improbabile. ibid.

Verba imperativi modi, quando contineant ſententiam ferendam. ibid. n. 7. b

Verba ſignificantia latam ſententiam. ibid.

Lex pœnalis ante ſententiam Judicis.

Lex ferendæ ſententiæ, antequam hæc lata ſit, reum ad pœnam non obligat. p. 317. n. 8. a

Unde reus tantiſper licitè ſe gerit inſtar ceterorum. ib.

Et bona rectè alienat etiam in fraudem fiſci. ibid. n. 9

Cui non fit injuria. ibid.

Quantumvis alienationes fiant poſt conteſtationem litis. ibid. b

Falſum enim eſt à die conteſtatæ litis bona rei eſſe litigioſa. ibid.

Obligat lex ferendæ ſententiæ judicem ad ſententiam conformiter ferendam. p. 317. n. 10. b

Niſi remiſſio aut moderatio pœnæ ei (prout interdum ſit) relinquatur. ibid.

Quo caſu poſſumus pro hac re apud Judicem intercedere, aliàs non. ibid.

Non omnis lex latæ ſententiæ reum obligat ad luendam pœnam ante ſententiam declaratoriam criminis. ibid. n. 11.

Etiamſi crimen ſit facto vel famâ publicum. p. 318. num. 11. a

Quàmvis ſecùs fieri non repugnet. ibid.

Immo de facto in variis pœnis non eſt præſtolanda ulla judicis ſententia. ibid. n. 12.

Primò in cenſuris latæ ſententiæ, & irregularitate. ib.

Secundò in impedimentis matrimonii pœnalibus. ib. b

Tertiò in aliis, in quibus manifeſtè omnis ſententia per verba legis excluditur. ibid. n. 13.

Cujuſmodi verba aſſignantur. ibid.

Quid cenſendum ſit ſi lex dicat: nullâ expectatâ ſententiâ, *vel* abſque declaratione. p. 319. n. 14. a

Ultra cenſuras & irregularitates vix ullæ ſunt pœnæ, quæ in praxi non exigant ſententiam. ibid.

Corollarium. ibid. n. 15.

Quid de hac re conformiter declarent Statuta Franciſcanorum. ibid.

Privatus bonis ipſo facto quid poſſit ante ſententiam declaratoriam. ibid. n. 16.

Quale ſit diſcrimen, dum pœna privationis eſt ferendæ ſententiæ. ibid. b

Lex pœnalis poſt ſententiam Judicis.

Latâ per Judicem ſententiâ tenetur eam reus ſubire. p. 319. n. 17. b

Poſſetq; interdum obligári ad illā in ſe exequendam. ib.

Non tamen ſemper ad id obligatur. ibid. n. 18.

Immo neque obligari ſemper poteſt. p. 320. n. 18. a

Damnatus ad mortem aut mutilationem licitè fugit. ibid. n. 19.

Et carcerem effringit. ibid.

Quamquam ſententia ſit juſta, & vim ſuam reſpectu rei habeat. ibid. n. 20.

Quamquam etiam effractoribus carcerum imponatur pœna capitis. ibid.

Nec per hoc fit injuria poteſtati publicæ. ibid. b

Secùs foret ſi qui deforis ſunt id facerent. ibid.

An reus id agens teneatur ad reparationem damni reipublicæ illati. ibid.

An ejuſmodi reo poſſit fuga conſuli. ibid. n. 21.

Reus poſt ſententiam non tenetur ſponte bona fiſco deferre. p. 321. n. 22. a

An poſſit aliqua ſaltem occultare. ibid.

Quæ bona rei fiſco debeantur poſt ſententiam. ib. n. 23.

Differentia inter pœnam confiſcationis latam & ferendam. ibid. n. 24.

Obnoxius pœnæ latæ ſententiæ deberet parti ſecum cōtrahenti titulo oneroſo indicare periculum rerum de quibus contrahit. ibid. n. 25. b

Niſi pœna in deſuetudinem abierit. ibid.

Lex irritans.

Irritatio actuum humanorū deſcribitur. p. 323. n. 30. a

Cadit ſub publicam poteſtatem. ibid.

Idq; dupliciter. ibid. n. 31. b

Quid lex irritans & quotuplex. ibid. n. 32.

Leges irritantes ſi ſint pœnales ſequuntur regulas legum pœnalium. ibid.

Secùs eſt, quando irritatio non eſt conſtituta in pœnam. ibid.

Non omnis lex actum prohibens irritat illum. p.324. num.33. a
Unde illud dignoſci poſſit. ibid.
Defectus forma ſubſtantialis irritat actum. ibidem num.35.
Qua dignoſcitur ex clauſulis irritantibus. ibid.
Undenam ſciri poſſit formam legi præſcriptam eſſe ſubſtantialem,quando non adduntur clauſula irritantes. ibid.n.36.
Corollaria. ibid.n.37.
An lex humana irritet actus etiam pro foro conſcientia. ibid.n.38.
Lex actum irritans ſæpè eumdem ſimul prohibet. p. 325.n.39.a
Quando lex irritans non prohibeat actum irritatum. ibid. b

Legis humanæ Ceſſatio.

Ceſſatio legis humana multiplex. p.286.n.200.b
Primò ceſſat lex humana generaliter & abſolutè ceſſante cauſâ. ibid.n.201.
Sopitur ſolùm pro tempore causâ taliter ceſſante. ibid.
Qua ſi ceſſet circa aliqua, remanens circa alia, ita ceſſabit & lex. p.287.n.201.a
Non ceſſat lex unâ ex multis cauſis ceſſante, ibid. num.202.
Secùs eſt ſi alia de novo ſuperveniant. ibid.
Ob quas proinde lex eſt rurſum innovanda. ibid.
Inſtructio pro ſubdito ceſſante fine legis. ibid.
An lex ceſſet ceſſante ejus fine, ſeu causâ negativè in caſu particulari. p.287.n.203.a
Sententia negativa probatur. ibid.b
Declaratur ampliùs deſcendendo ad varios caſus. ibid. num.204.
Ceſſat etiam lex per abrogationem. p.288.n.206.a
Qua poteſt fieri ab eo qui tulit legem, ejus ſucceſſore & in ordinaria juriſdictione ſuperiore. ibid.
Idq́, ſæpè rationabiliter. ibid.n.207.
Non facilè tamen, ſed moderatè eſt adhibenda. ibid. num.208.b
Legum correctio odioſa eſt, & reſtringenda. ibid.
Lex ſpecialis etiam præcedens derogat legi generali, niſi hæc contineat ſingulares clauſulas derogatorias. ibid.num. 209.
Idem eſt de lege jurata. ibid.
Nec propterea præſumitur in Principe ignorantia juris communis. ibid.
Lex ſine cauſa validè abrogatur,etſi illicitè. pag.289. num.210.a
Poteſt lex à ſuperiore accidentaliter (ut ſolet) confirmata,per eum qui tulit abrogari. ibid.n.211.
Epiſcopus per ſe poteſt abrogare ſtatuta ſynodi Diœceſana. ibid.n.212.
An & qualis ad revocationem legis promulgatio requiratur. ibid.n.213.
An reductio impedimentorum matrimonii facta per Tridentinum obtineat in locis, in quibus non eſt promulgatum. ibid.n.214.b
Tolli etiam poteſt lex humana per conſuetudinem. ibid.n.215. *Vide* Conſuetudo.

Libertas, liberum Arbitrium.

Libertas alia eſt à ſervitute; alia à coactione, alia à neceſſitate. p.70.n.1.b. & p.71.n.1.a
Principes Theologorum interdum confundunt libertatem cùm perfectè voluntario, & quo ſenſu. ibid. num.3. b
Liberum arbitrium deſcribitur. p.72.n.4.a
Generaliter ſumptum non requirit facultatem ad malum. ibid.n.5.
Ipſum dari in homine lapſo fides docet. ibid.n.6.
Nonnulli hæretici illud nominetenus admittentes,rem ipſam deſtruunt. ibid.b
Veritas Catholica variè probatur. p.73.n.7.& ſeqq.
Signanter auctoritate S. Auguſtini, etiam in Scriptis adversùs Pelagium. p.74.n.9.& 10.
Præſcientia & providentia divina noſtra non officit libertati. p.76.n.14 .a
Liberum arbitrium quo ſenſu à B. Auguſt. dicatur perditum & amiſſum per peccatum. ibid.n.15.
Caſtigatur ab Auguſtino dictum Pelagii: Voluntatis arbitrio privatur quidquid naturali neceſſitate conſtringitur. ibid.n.16.b
B. Auguſt. contra Ciceronem ſalvat cum præſcientia libertatem indifferentiæ,prout ex ſcopo diſputationis eſt manifeſtum. p.77.n.17.a
Libertas in Deo, Beatis, dæmonibus, Chriſto, nulla eſt ſine indifferentia. ibid.n.18.b
Ad libertatem requiritur indifferentia in ſenſu compoſito præerequiſitorum. p.78.n.20.a
Idq́, etiam pro eo inſtanti quo ponitur operatio. ibid. num.21.
Et quidem hoc ſenſu, ut poſſint prærequiſita componi cum non actione. p.79.n.22.a
Unde libertatem tollit prædeterminatio phyſica. ibid.
Vide Prædeterminatio.
Diſtinctio eſt facienda inter liberum arbitrium impeditum & non impeditum. p.81.n.28.a
Liberum arbitrium non eſt actus, nec habitus, ſed potentia. ibid.n.29.
Liberum arbitrium ſimpliciter & abſolutè eſt potentia eadem cum voluntate. p.82.n.30.a
Unde non rectè etiam in intellectu,multò minùs principaliter in eo ſtatuitur libertas. ibid.n.31.
Peſſimè autem appetitui noſtro ſenſitivo libertas ad veniale ſufficiens conceditur. ibid.n.32.b
An divinitùs poſſit dari intellectus formaliter liber. ibid.n.33.
Voluntas eſt libera quatenus activa,non quatenus paſſiva. p.83.n.34.a
Ad libertatis exercitium nec requiritur, nec ſufficit judicium indifferens. p.85.n.41.a
Neque etiam alterum judicium practicum determinatum,voluntatemq́, determinans. ibid.n.42.
Vide Judicium. Voluntas.
Libertas vulgò dicitur radicari in intellectu, non tamen ſatis propriè. p.86.n.45.a
Libertas ſuperaddit entitati actûs denominationem extrinſecam. p.96.n.2.a
Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat. p.238.n.34.a

Lingua.

In cælis non lingua, ſed linguarum varietas ceſſabit. p.47.n.59.a
Qua lingua futura ſit Beatis inter ſe ordinaria. ibid.

Lux.

An lux corporum Beatorum ſit diverſa ſpeciei à noſtra. p.44.n.43.a

Luxuria, Luxurioſus.

Luxurioſus non ſolùm de re turpi, ſed etiam de ejus poſſeſſione delectatur. pag.22.n.36.b
An in genere luxuria detur parvitas materiæ, vide Motus.

Lymbus.

Admittendus eſt lymbus Patrum. p.48.n.3.b
De illo intelligitur deſcenſus Chriſti ad inferos. ibid.
Lymbus puerorum cum ſolo originali peccato decedentium. p.49.n.5.a

M.

Machiavellus

EXiſtimavit ob bonum commune politicum poſſe à Principibus mala præcipi. p.257.n.72.b

Macula peccati.

Macula peccati non eſt corporalis, nec præcisè ipſum peccaſſe, neque pravus habitus. p.146.n.31.b
Neque privatio gratiæ aut reatus pœnæ. ibid. n.32. & 33.
Nec hoc docet Scotus. ibid.
Quid ſenſerit Baius. p.147.n.34.a
Explicatur Auguſtinus. ibid.b
Macula ſtatuitur in actu peccati præterito moraliter manente. ibid.n.35.
Qualiter nonnulli actus humani, qui phyſicè tranſierunt moraliter maneant. p.148.n.36.a

Malitia.

Quid malitia moralis. p.97.n.6.a
Quid malitia objectiva ſeu fundamentalis. ibid.n.7.
Malitia formalis non conſiſtit in oppoſitione ad legem Dei. ibid.n.8.
Diſcrimen inter formale peccati & malitiæ. ibidem num.9.b
Diſconvenientia in qua conſiſtit malitia non eſt entitas actui ſuperaddita, aut reſpectus realis vel rationis. ibid.n. 10.
Sed quædam negatio, ſeu quaſi privatio. ibid.& p.98. num.11.
Vel potiùs eſt indiſtincta ab actu, ſeu omiſſione malâ. p.98.n.12.a
Quâ ratione Deus juxta hanc ſententiam non ſit auctor peccati. ibid.
Malitia moralis non eſt differentia eſſentialis actûs ſive in eſſe phyſico, ſive in eſſe moris. ibid.n.13.b
Quo ſenſu dentur actus eſſentialiter mali. p.99.n.15.a
Vide Actus humanus.
Mortalis malitia non eſt ſimpliciter infinita. p.189. num.16.a
Eſt tamen abſolutè valde gravis. ibid.n.17.b
Et ſecundùm quid infinita. p.190.n.17.a
Vide Peccatum mortale.

Malum.

Malum ut ſic nequit amari. p.88.n.52.b
Niſi ſpectetur ſecundùm rationem boni, ſaltem putatitiam. p. 89.n.53.a

Maria Virgo.

An Maria Virgo fuerit immaculatè concepta, dudum fuit controverſum. p.170.n.30.b
Pro Immaculata Conceptione ſtat Alenſis, & D. Bonaventura. p.171.n.30.a
Immo & ipſe D. Thomas variis locis, quæ allegantur. ibid.n.31.
Loca apparenter contraria commodè explicari poſſunt, immo debent, ne ratio D. Thomæ ſit frivola & falſa. ibid.n.32.b
Ac ne dictum ejuſdem erroneum eſſe convincatur. p. 172.n.33.a
Id ſaltem indubitatum, Virum Angelicum, ſi viveret, fore hujus privilegii virginei fortiſſimum defenſorem. ibid.n.34.
Quid circa hanc materiam decreverit Xiſtus IV. Concilium Trid. Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. ibid.n.35.b
An vel quid ſit decretum circa titulum Immaculatæ Conceptionis. p.173.n.36.a
Deipara non contraxit originale peccatum. pag.173. num.37.b
Laus Scoti Doctoris Subtilis primarii promotoris hujus doctrinæ. ibid.
In quam exinde paulatim cõſpiravit totus quaſi Chriſtianiſmus. p.174.n.38.a
Inſtantia facta pro definitione ejuſdem. ibid.
Efficaciter probatur ex cultu feſtivo ſanctitas Conceptionis, uti Nativitatis. ibid..n.39.
Non tantùm ſpiritualem ſanctificationem, ſed & conceptionem coli evidenter oſtenditur. ibid.num. 41. b
Non tantùm inſtar gratiarum actionis pro Dei beneficio, ſed etiam quia ſancta fuit, & in honorem Deiparæ. p.175.n.41.a
Hoc clariſſimum eſt ex veteri officio Romano à Xiſto IV. inſtituto & approbato. ibid.n.42.
Pius V. confirmavit conſtitutiones Xiſti IV. & mutavit officium, non cultum myſterii. ibid.n.43.
Confraternitates & Religionem ſub titulo Immaculatæ Conceptionis S. Sedes approbavit. ibid.num. 44. b
Piæ doctrinæ favent antiqua Concilia, etiam generalia, & noviſſimè Tridentinum. ibid.n.45.
Favent ſimiliter Patrum teſtimonia, eaq; clariſſima. p.176.n.46.a
Mens B. Auguſtini elucidatur. ibid.n.47.
Quàm non reperiantur celebres Patres contrarii privilegio Mariano. ibid.n.48.b
Differentia inter Conceptionem Chriſti & Deiparæ. ibid.n.49.
An in Deipara fuerit caro peccati. ibid.
Quo ſenſu dicatur B. Virgo purgata fuiſſe. pag.177. num.49.a
Immaculata Conceptio probatur ratione Theologicâ. ibid.n.50.
Non repugnat redemptioni, immo illam excellentiùs commendat. ibid.n.51.
Optimèq; conſiſtit cum immutabilitate pacti ſeu decreti divini. ibid.n.52.b
Corollarium notabile. ibid.n.53.
In Deipara fuit probabiliter debitum proximum peccati. p.178.n.55.a
Quid debitum proximum & remotum peccati. ibid. num.54.
Probabile quoque eſt in Deipara non fuiſſe proximum peccati debitum. ibid.n.56.b
Manebitq; Chriſtus illius Redemptor. ibid.

Explicatur modus quo id factum fuit ex praeviſis meritis Chriſti. ibid.n.57.
Beata Virgo privilegio ſpeciali vitavit omnia venialia per totam vitam. p.406.n.17.a

Martyr.

An Martyres ſint meriti per ipſam mortem. pag. 454. n.11.a
Deſiderans millies mori pro Chriſto non meretur tantum, quantum qui reipsâ millies pro ipſo moreretur. p.107.n.44.b

Materia.

An Materiam levem Deus poſſit abſolutè graviter praecipere vel prohibere. p.187.n.7.a
Ad peccatum mortale requiritur gravis materia. p. 197. n.43.b
In pleriſque peccatorum generibus locum habet levitas materiae, in quibuſdam non. ibid.& n.44.
Ad gravitatem materiae prudenter aeſtimandam, attendendus eſt communis ſenſus Doctorum. pag. 198. num.45.a
Item timoratorum, frequenter etiam ſimplicium, nec non finis legis, & proportio operis ad illum. ibid.& num.46.& 47.
Unde res alioquin levis cenſeri poteſt capax gravis obligationis. ibid.
Non ſolùm tota materia, ſed etiam pars, eaq; minor tertiâ poteſt eſſe gravis. ibid.n.48.b
Quantitas materiae non tam ex reſpectu ad totum, quàm ſine hoc definienda videtur ex ordine ad finem legis. ibid.n.49.b
Plures parvae materiae faciunt magnam ſi continuentur: aliàs non. p.199.n.50.a
Varia exempla, in quibus materiae non continuantur. ibid.
Excipiunt Nonnulli vota. ibid.n.51.
Sed in his quoque non neceſſariò continuari inter ſe leves materias oſtenditur. ibid.n.52.b
Continuantur parvae materiae ſive in ſe, ſive in effectu. p.200.n.53.a
Declaratur in omiſſione ſolutionis, in votis, in furtis minutis. ibid.& n.54.
Item in intemperantia, violatione jejunii, & feſti, nec non in omiſſione alicujus modici ex qualibet hora canonica. ibid.& n.55.b
An detur levitas materiae in genere luxuriae. p.142. n.18.& ſeqq. *Vide* Motus. Peccati ſubjectum.

Matrimonium.

In dubio de valore Matrimonii malâ fide contracti non poteſt pars petere debitum. p.133.n.39.b
Secùs eſt, ſi bonâ fide ſit contractum, & examen debitum praeceſſerit. ibid.
Nec hic derogatur legi certae per dubium ſequens. ibid.
Vide Illegitimi.

Meritum, Mereri.

Meritum generaliter quid. p.451.n.1.a
Meritum boni operis quid. p.452.n.1.a
Aliud eſt meritum de condigno, aliud de congruo. ibid.
Merita noſtra dependent à meritis Chriſti quatenus hinc obtinentur principia merendi. p.454.n.49.b
Deinde quatenus ob merita Chriſti noſtra ſunt à Deo acceptata ad praemium. p.472.n.49.b
An intuitu meritorum Chriſti ſint noſtra magis meritoria & ad majus praemium acceptata. ibid.n.50.

Requiſita ad Meritum condignum ex parte Dei.

Ad rationem meriti condigni requiritur divina promiſſio. p.470.n.39.a
An etiam requiratur noſtra acceptatio. ibid.n.40.b
Diſcrimen inter opera bona & demeritoria. ib.n.41.
Secluſo pacto ſaltem tacito ne quidem in humanis eſſet ſtricta obligatio ſolvendi operas. ibid.n.42.b
Secluſo pacto opera juſtorum eſſe adaequata praemio quoad valorem multi Recentiores putant. p. 471. num.43.a
Scotus & plures alii putant oppoſitum. ibid.
Promiſſio non mutat operis bonitatem, poteſt tamen mutare valorem. ibid.n.45.b
Declaratur qualiter id faciat in praeſenti materia. ib.
Cur contritio non ſit condignum meritum remiſſionis peccati mortalis. p.471.n.46.b
Non quidquid juſtus orando impetrat, condignè meretur. p.472.n.46.a
Chriſtus an vel quo ſenſu meruerit de rigore juſtitiae. ibid.n.47.

Ex parte Operantis.

Ad meritum condignum requiritur in operante ſtatus gratiae. p.452.n.2.a
Auguſtinus apertè juſtitiae ſtatum in merente requirit. p.453.n.4.a
An ſtatus gratiae requiratur de abſoluta potentiâ ad meritum condignum. ibid.n.5.a
Requiritur inſuper ad meritum condignum ſtatus viatoris. ibid.n.6.
Non quidem ex natura rei, ſed ex congrua Dei ordinatione. p.453.n.7.a
Ex qua Chriſti merita fuerunt cum ſtatu viae finita. ibid. b
Unde animae in lymbo Patrum nil fuerunt merita. ibidem n.8.
Neque etiam de facto merentur Henoch & Elias. ibid.
Similiter damnati non demerentur per actus malos, neque animae in purgatorio merentur per actus bonos. p.453.n.9.
Neque Angeli ſancti per ſua miniſteria. p.454.n.10.a
Creſcit tamen citra novum meritum beatitudo eorum accidentalis. ibid.
Sancti orando pro nobis non merentur propriè. ib.n.11.
An Chriſtus & Martyres ſint meriti per ipſam mortem. p.454.n.11.a

Ex parte Operis.

Requiritur ad merendum libertas indifferentiae, juxta fidem Catholicam declaratam ab Innocentio X. p. 454.n.12.b
Ratio ſumitur ex eo quòd ſimilis libertas requiratur ad demerendum, quòdq; noſtrum ſeu noſtri dominii ſit quo meremur. p.455.n.15 a
Neceſſitans gratia & fatalis Stoicorum, aut naturalis Manichaeorum neceſſitas pari paſſu obviant merito. ibid.n.16.
Conditio libertatis eſt eſſentialiter ſeu de abſoluta etiã potentiâ requiſita. ibid.n.17.
Sine libertate non eſt bonitas praemio digna. p. 455. num.18.b
Quae proinde meritis Chriſti non defuit. ibid.
Opus meritorium debet etiam eſſe honeſtum. ib.n.19.
Unde per opera indifferentia, & minùs per mala, etſi

tantùm

INDEX RERUM.

tantùm ex circumſtantia,non poſſumus mereri. p. 455.n.20.b

An pura omiſſio poſſit eſſe meritoria. p.456.n.21.a

Opus meritorium debet eſſe ſupernaturale. ibid.n.22.

Scriptura adſcribens præmium operibus moralibus loquitur de factis ex fide & propter Deum. ib.n.23.b

Neque inde ſequitur juſtos pleraque bona opera perficere ſine merito. ibid.n.24.

Qualis relatio operis in Deum requiratur ad meritum ex doctrina S.Bonaventuræ. p.457.n.25.a

Meritoria ſunt non ſolùm opera conſilii, ſed etiam præcepti. ibid.n.26.

Opera moraliter bona fiunt meritoria per motivum ſeu imperium charitatis. ibid.n.27.b.

Veteres Scholaſtici ad meritum requirunt ut procedat ex charitate. ibid.n.28.

Oppoſitum eſt valde probabile. p.458.n.29.a.

Quo ſenſu opera non proſint ſine charitate. ibid.n.30.

Actus virtutum moralium imperati à ſpe Theologica probabiliter ſunt meritorii. p.458.n.32.b

Quantitas meriti non menſuratur ex ſola quantitate charitatis, ſed etiam ex qualitate alterius virtutis. ibid. n.33.

Actus etiam remiſſior gratiâ præexiſtente eſt meritorius augmenti gratiæ & gloriæ. p.458.n.34.b

Non refert,quòd in phyſicis cauſa univoca non intendat formam ſe intenſiorem. p.459.n.37.b

An augmentum gratiæ reſpondens meritis conferatur ſtatim. ibid.n.38.

Meriti condigni materia.

Juſti bonis operibus merentur de condigno vitam æternam. p.473.n.51.a

Meritis noſtris non derogatur meritis Chriſti. ibid. num.53.b

Non tamen ideo in nobis gloriandum,ſed in Deo. p. 474.n.54.a

Quo ſenſu vita æterna dicatur gratia. ibid.n.55.

Qualiter poſſit homo dare dignum pretium pro vita æterna. ibid.

Gloriæ augmentum cadit ſub meritum condignum. p. 474.n.56.a

Gloria quoad primum gradum non ſemper cadit ſub meritum condignum. ibid.

An aliquando? Varii affirmant,ſed non efficaciter probant. ibid.n.57.& 58.b

Nihilominus eadem pars ſuadetur ex communiori conſenſu & ratione. p.475.n.59.a

Huic ſententiæ non obſtat quòd contritio pro priori naturæ exercuerit ſuam libertatem, & habuerit ſuum præmium de congruo. ibid.n.61.b

Cur potiùs prima gloria,quàm prima gratia habitualis cadat ſub meritum condignum. p.475.n.61.b

Sub meritum condignum cadit augmentum gratiæ habitualis. ibid.n.62.

Duo dicendi modi quâ proportione actus meritorius cauſet augmentum gratiæ. p.476.n.63.a

Sed res eſt occulta. ibid.n.65.

An auctâ gratiâ proportionatè augeatur, non ſolùm charitas,ſed etiam ceteræ virtutes infuſæ? Nonnulli negant; veriùs alii aſſerunt. p.476.n.66.b

Nil præterea cadit ſub meritum condignum; non enim prima gratia habitualis,nec prima actualis,nec actualis gratiæ augmentũ,nec reparatio poſt lapſum, neque finalis perſeverantia,neque bona temporalia. pag.476. num.67.b. & p.477.n.68.a

Denique hæc beneficia,etiam comprehenſâ gloriâ,ejuſq; gratiæ augmento,nemo (præter Chriſtum) meretur de condigno alteri. p.477.n.69.a

Nonnulli cenſent non poſſe juſtum mereri de condigno remiſſionem propriarum culparum venialium, ſed alii communiùs aſſerunt. ibid.n.70.b

Qui tamen non levem patiuntur difficultatem, ad quam reſpondetur. ibid.n.71.

An ſatisfactio pro culpa vel ſatisfactio pro pœna ſit dicenda meritum condignum remiſſionis, quæſtio eſt de nomine. p.478.n.72.a

Quomodo Deus præmiet ultra & puniat citra condignum. ibid.n.73.b

Meritum congruum.

Datur meritum de congruo. p.479.n.76.a

In quo conveniat cum merito condigno. ibid.n.77.

Opus naturale ſatis eſt proportionatum præmio temporali. p.479.n.77.b

Dummodo ſit ſimpliciter bonum. ibid.n.78.

Explicantur variæ ſcripturæ, in quibus videri poſſet mala opera fuiſſe à Deo affecta præmio. ibid.

In quo meritum congruum differat à condigno. pag. 480.n.79.a

Meritum congruum effectum ordinariè non habet infallibilem. ibid.n.80.

Meriti congrui materia.

Quænam generaliter cadant ſub meritum congruum. p.480.n.81.a

Sub illud non cadit prima gratia actualis ſeu ſalutis initium. ibid.n.82.

In hoc conſiſtebat error Semipelagianorum. ibid.

Cum Semipelagianis non conſenſerunt veteres Scholaſtici. p.480.n.83.b

Quid cenſendum de vulgato dicto: Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. ibid.n.84.

Primâ gratiâ vocante ſuppoſitâ,poteſt homo mereri de congruo ulteriora ad juſtificationem & ſalutem auxilia. p.481.n.85.a

Auguſtinus docet fidem mereri juſtificationem de congruo. ibid.

Ex quo à fortiori ſequitur contritionem mereri de congruo juſtificationem. ibid.n.86.b

Poteſt etiam juſtus de congruo ſibi mereri reparationem poſt lapſum. p.481.n.87.b

Per lapſum non mortificantur merita congrua,ſed condigna. ibid.

Item poſſumus congruè nobis mereri finalem perſeverantiam. ibid.n.88.

Hæc eadem beneficia poteſt fidelis præſertim juſtus,atque inſuper etiam primam gratiam vocantem, de congruo mereri alteri. p.482.n.89.a

Meriti augmentum.

Ex variis capitibus creſcit meritum, ex quibus creſcit operis bonitas. p.482.n.90.a

Difficultas gravis contra augmentum meriti ex duratione proveniens proponitur,& ſolvitur. ibid.n.91.b

Qualiter ex modo tendendi in objectum creſcat meritum. ibid.n.92.

Item creſcit ex quantitate rei oblatæ, & difficultate operis,quæ triplex eſt,uti & oppoſita facilitas. pag. 482.& 483.n.93.& 94.

Difficul-

Difficultas præciſè non videtur ratio majoris meriti, ſuppoſitâ per omnia perfectione æquali actuum internorum. pag.483.n.94.a
Per accidens tamen auget ſæpè meritum. ibid.n.95.
Qualiter facilitas plerumque augeat meritum, illa præſertim quæ ex virtutibus naſcitur. ibid.n.96.b
Denique creſcit meritum ex dignitate operantis, & juxta multos ex majori ſanctitate accidentali. pag.483.n.97.& 98.b
Sed cùm plures negent, res eſt incerta. p.484.n.99.a
An augmentum gratiæ reſpondens meritis conferatur ſtatim. p.459.n.38.b

Merita mortificata.

Merita mortificata per Juſtificationem reviviſcunt. p.429.n.56.b
Quod rectè probatur ex Apoſtolo ad Galat.3. ib.n.57.
Solemnis ad idem probandum locus ad Hebr.6. *adfertur.* p.430.n.58.a
Inde non ſumitur argumentum convincens. ibid.
Reviviſcentia meritorum colligitur ex Tridentino. ibid.n.59.
Diſparitas ob quam potiùs reviviſcant merita, quàm peccata. ibid.n.62.b
An reſuſcitatio meritorum ſit opus Divinæ miſericordiæ, an verò juſtitiæ. p.431.n.63.a
Merita reviviſcunt non ſolùm ad præmium accidentale. ibid.n.64.
Aut ad eſſentiale reſpondens novis meritis, quaſi pluribus titulis obtinendum. ibid.n.65.b
Non ſolùm ad partem præmii eſſentialis, aut juxta menſuram præſentis vel fortè futuræ diſpoſitionis, ſed ſimpliciter ad integrū præmium eſſentiale. ib.n.66.
An conſequenter reviviſcant opera ad totam priſtinam gratiam. p.432.n.67.a
Etiam comparatam per ſacramenta aut contritionem diſpoſitivam ad juſtificationem. ibd.n.68.b
Quod multipliciter oſtenditur. ibid.
Et ſpecialiter de gratia correſpondente contritioni. ib.
Idem ſpecialiter confirmatur de gratia ſacramentali. ib.
An autem gratia priſtina reſtituatur ſtatim in ſe, an verò tantùm in jure, diſputatur. p.433.n.69.a
Uterque modus ſatis ſalvat reviviſcentiam, neuter efficaciter probatur. ibid.
Congruentiæ pro Opinione aſſerente non reſtitui ſtatim. ibid.n.70.b
Congruentiæ pro Opinione oppoſita. ibid.n.70.
Judicium Auctoris de utraque. ibid.
Reparatus poſt lapſum ſemper reſurgit ad majorem gratiam & gloriam. p.433.n.71.a
Non tamen hinc inferas, peccatorem propriè ex lapſu reportare lucrum. ibid.
Neque etiam inde augetur licentia peccandi, ſed ſtimulus rectè agendi. ibid.
Unde contingat reparatos poſt lapſum ſæpè non ſentire priſtinam facilitatem in piis exercitiis. ibid.n.72.b

Metropolitanus.

Quid poſſit circa diſpenſationem in legibus Epiſcoporum ſuæ Provinciæ. *vide* Diſpenſandi poteſtas.

Metus.

Metus relinquit voluntarium ſimpliciter. p.66.n.20.a
Per accidens tamen excuſat à culpa. ibid.b
Metus frequenter habet adjunctum involuntarium ſecundùm quid. ibid.n.21.
Non tamen ſemper: ut in variis exemplis oſtenditur. ibid.n.22.
Nec ipſe metus propriè illud involuntarium cauſat, quod operi frequenter miſcetur. p.67.n.23.a
Metus probabiliter non invalidat ipſo facto diſpenſationem ſeriò datam. p.302.n.51.b
Etſi incuſſus ab ipſo diſpenſando ad obtinendam diſpenſationem. ibid.
An propter metum gravem liceat actum irritatum externè uſurpare. p.325.n.39.b

Miſſa.

Satisfacit præcepto attentè audiens Miſſam pravo fine. p.259.n.79.a
Aut neſciens eſſe diem feſtum. ibid.
Vel intendens per auditionem hujus Sacri non ſatisfacere. ibid.n.80.
Poteſt quis in die feſto ſub Miſſâ legere horas. p.260. num.84.a
Diſcedens è loco ubi eſt dies feſtus ad alium, ubi non eſt feſtum poteſt non audire Sacrum. p.271.n.132.b

Moralitas Actûs.

Moralitas actûs non diſtinguitur à libertate, quæ eſt ex advertentia honeſti aut non honeſti. p.96. num.1.a
Superaddit entitati actûs denominationem extrinſecam. ibid.n.2.
Unde poteſt actus de non morali fieri moralis. ibid.

Mors.

Mors eſt effectus peccati originalis. p.179.n.60.b
Sic tamen ut ſit quodammodo defectus naturalis. p. 180 n.60.a
Mortem quo ſenſu Deus fecerit, quo non. ibid.

Motus.

Motus indeliberati ſunt impropriè peccata ſecundùm B. Auguſtinum. p.87.n.49.b
Deliberati non excuſantur ob difficultatem ortam ex concupiſcentia. p.88.n.50.a
Uti nec ob difficultatem ortam ex prava conſuetudine. ibid.
Motus concupiſcentiæ exorti in ſenſualitate & prævenientes rationem non ſunt peccata. p.141.n.16.b
Etiam in non renatis. p.142.n.17.b
Non ſufficit motus eſſe voluntarios in Adamo. ibid.
Non omnes ſubſunt voluntati noſtræ. ibid.
Secluſo periculo non videtur gravis obligatio motus poſitivè reprimendi. ibid.n.18.b
A qua, ſi eſſet, juſta cauſa excuſaret. p.143.n.19.a
Quid conveniat in praxi. ibid.
Motus carnales non omnes ſunt graves. ibid.n.21.b
Uti nec conſenſus in illos naturaliter exortos. ibid.
An idem cenſendum de voluntariè procuratis. ibid.
Conſenſus etiam indirectus in motum ſenſualitatis eſt peccaminoſus. p.144.n.22.a
Quid cenſendum, quando cauſa motuum eſt ſecundùm ſe licita. ibid.
Aut illicita quidem, ſed non ob malitiam luxuriæ. ibid.n.23.
Quid cenſendum, ſi cauſa ſit in genere luxuriæ mala, ſive leviter, ſive graviter. ibid.& n.24.b

Natura

N.

Natura, Naturale.

Omne peccatum eſt contra naturam. pag. 140. num. 11. b

Quo ſenſu quædam dicantur naturalia, quædam verò contra naturam. ibid.

Quo ſenſu malitia Chananæorum dicatur naturalis. ibid. n. 12.

Quâ ratione aliqui dicantur ſubinde naturaliter inclinati ad quædam vitia. p. 141. n. 12. a

Vide Peccatum.

Neceſſitas.

Nequit voluntati phyſicè inferri neceſſitas ab ullo agente creato. p. 66. n. 19. a

Novellæ.

Novellæ Juſtiniani. Vide Lex humana.

O.

Obduratio.

Peccatores obdurati habent pro tempore & loco auxilium ſaltem mediatè ſufficiens ad pœnitendum de omnibus mortalibus. p. 408. n. 24. b

Habent etiam auxilium ſufficiens ad vitandum novum mortale. p. 406. n. 19. b

Id probatur ſpecialiter ex Auguſtino & Proſpero. p. 407. n. 21. a

Objicitur locus difficilis Auguſtini de Pharaone obdurato, & rejectâ quorumdam reſponſione explicatur. p. 408. n. 22. a

Alius ejuſdem locus difficilis explicatur rejectâ duplici aliorum reſponſione. ibid. n. 23. b

Vide Gratiæ ſufficientia.

Objectum.

Objectum movet voluntatem metaphoricè mediante cognitione. p. 88. n. 51. b

Non neceſſitat voluntatem. ibid. *Vide* Voluntas.

Objectum tribuit bonitatem & malitiam actui humano. p. 108. n. 47. a

Obligatio Legis.

Vide Legis obligatio.

Occaſio.

Occaſio peccati vide Periculum.

Occidere.

Occidens unico actu plures homines committit plura peccata. p. 152. n. 50. b

An vel quæ ſit differentia inter voluntatem occidendi plures homines, & furtum v. g. centum florenorum, quoad unitatem numericam malitiæ. p. 153. n. 52. b

Omiſſio.

Poteſt dari omiſſio pura peccaminoſa. p. 159. n. 68. a

Ordinariè tamen aliquis actus poſitivus adeſt. ibid.

An & quo ſenſu omiſſionis peccatum ſit poſitiva voluntas omittendi. ibid. n. 69. b

Omiſſio ſolùm eſt peccatum pro eo tempore, quo actus præceptus eſt in poteſtate omittentis. ibid. n. 70.

Aliàs ſi actus non ſubſit poteſtati omittentis, ſolùm eſt peccati effectus. ibid.

Tunc enim informari nequit à libertate, adeòque nec à malitia. p. 160. n. 71. a

Immo ante illud tempus poteſt recuperaſſe gratiam poſitione illius cauſæ amiſſam. ibid.

Retractatio non obeſt vel prodeſt, ut omiſſio vel effectus ſubſequens ſit vel non ſit peccatum. ibidem num. 72.

Nec refert quòd omiſſionem vel effectum re ipſâ ſecutum interdum comitetur cenſura, aliave pœna. ibidem n. 73. b

An omiſſiones & effectus hujuſmodi ſint exprimendi in confeſſione. ibid. n. 74.

Quis ſit circa hæc vulgaris modus loquendi. p. 161. n. 74. & 75. a

Actus poſitivus qui eſt cauſa omiſſionis peccaminoſæ eſt malus. ibid. n. 76. a

Non aliâ tamen malitiâ, quàm ipſius omiſſionis, quæ ſola eſt confitenda. ibid.

Omittens ſacrum, ut ſtudeat, non peccat ſpecialiter contra virtutem ſtudioſitatis. ibid. n. 77. b

Actus incompoſſibilis ſe habens concomitanter vel cōſequenter ad omiſſionem non neceſſariò eſt malus. ibid. n. 78.

Immo poteſt eſſe bonus, ac materia voti. p. 162. n. 78. a

Suppoſitâ voluntate omittendi ſacrum non eſt malum ſtudere vel manere domi. ibid. n. 79.

Omiſſio pura an poſſit eſſe meritoria? p. 456. n. 21. b

Opera.

Opera indifferentia. Vide Actus indifferens.

Opera meritoria. Vide Meritum.

Operatio.

Operatio beatifica nequit eſſe in parte ſenſitivâ. p. 17. num. 17. a

In parte hominis rationali conſiderari poſſunt variæ operationes. ibid. *Vide* Actus.

Opinio.

Quid opinio, & quomodo diſtinguatur à conſcientia probabili. p. 121. n. 1. b *Vide* Conſcientia probabilis.

Originale peccatum.

Vide Peccatum Originale.

Otioſum Verbum.

Quodnam dicatur verbum otioſum. p. 102. n. 27. b

P.

Palea.

Vide Lex humana.

Parochus.

Parochis de ordinario jure non competit poteſtas diſpenſandi. p. 296. n. 19. a

Competit tamen illis quoad certos caſus ex conſuetudine. ibid.

Parvuli.

Parvuli decedentes ſine baptiſmo an patiantur pœnam ignis. p. 180. n. 62. b

Vide Pœna peccati originalis.

Illos non omni triſtitiâ carituros valde probabile eſt. p. 183. n. 72. b

Oppoſi-

Oppoſitum nihilominus cenſent plerique Scholaſtici. pag.184.n.73.a
Quis erit ſtatus parvulorum poſt diem judicii. ibid. num.74.
Benignius quàm fundatiùs de iis Nonnulli cenſent. ibid.n.75.b.
Pueri ante uſum rationis non tenentur legibus Eccleſiaſticis. p.270.n.128.b
Unde poſſunt diebus jejuniorum veſci carnibus,hæq; ipſis miniſtrari. ibid.
An etiam in clauſtra intromitti. ibid.
Uſus rationis præſumitur adeſſe in pueris completo ſeptennio,& non antea,de per ſe. ibid.
Poſt uſum rationis tenentur legibus,etiam impuberes, non tamen cenſuris regulariter. ibid.n.129.

Patientia.

Vide Tribulatio.

S. Paulus.

S. Paulus reprehendit S.Petrum. p.236.n.26.a
Idq; seriò, eò quòd Petrus Judaizaret cum ſcandalo. ibidem.
An vel qualiter Petrus in hoc peccaverit. ibid.

Peccare, Peccator.

Peccans mortaliter ſtatuit finem ultimum in creatura interpretativè. p.11.n.29.b
Secus eſt de peccante venialiter. p.12.n.29.a
Non omnis peccans errat ſpeculativè. p.158.n.67.b
Ordinariè tamen malitia excæcat intellectum,& quare. p.159.n.67.a
Peccatores etiam obdurati habent auxilium ſufficiens ad vitandum novum mortale. p.406.n.19.b
Vide Gratiæ ſufficientia.

Peccatum.

Peccatum generaliter quid ſit. p.137.n.1.a
Sumitur interdum pro effectu vel causâ peccati, aut pro victima quæ offertur pro peccato. ibid.
Definitur peccatum Theologicum. ibid.n.2.b
Materiale & formale peccati aſſignantur. pag. 138. num.2.& 3.a
Si nulla omnino foret lex, nullum foret peccatum propriè loquendo. ibid.n.4.
Peccatum eſt moraliter pejus vitio. ibid.n.5.b
In quolibet reperitur averſio à Deo & converſio ad creaturam. ibid.
Peccatum diverſimodè avertit à Deo. ibid.n.6.
An omne peccatum ſit ſtrictè dicta injuria Dei. p. 139. n.7.a
Averſio à Deo eſt gravior converſione ad creaturas. ibid. n.8.b
An in peccatis ex ignorantia Dei invincibili commiſſis eſſet offenſa Dei. ibid.n.9.
Non fore mortalia cenſet Lugo & alii. p.140.n.9.a
Variis inſtantiis ſatisfit. ibid.n.10.
Omne peccatum eſt contra naturam. ibid.n.11.b
Quo ſenſu quædam dicantur naturalia, quædam verò contra naturam. ibid.
Quo ſenſu malitia Chananæorum dicatur naturalis. ibid. n.12.
Quâ ratione aliqui dicantur ſubinde naturaliter inclinati ad quædam vitia. p.141.n.12.a
Item in homine dicatur eſſe potentia naturalis ad peccandum. ibid.
Cur plures vitia,quàm virtutes ſectentur. ibid.n.13.
Quomodo peccata contra virtutes ſupernaturales adverſentur naturæ. ibid.
Peccatum de facto non conſiſtit cum beatitudine formali. p.26.n.51.b
Poſſet ſic conſiſtere divinitùs. ibid.n.52.
An de facto excludatur formaliter per viſionem beatificam. ibid.
Actus externus & internus, quâ ratione unum, & quâ plura peccata vocari poſſint. p.107.n.46.b
Peccatum externum cur in confeſſione explicandum. p.107. num.45. b

Peccati Subjectum.

Proprium peccati ſubjectum eſt voluntas creata. pag. 141.n.14.b
Reliquæ potentiæ,quibus voluntas imperat,ſunt etiam ſubjectum peccati. ibid.n.15.
In his tamen reperitur ſolùm eadem malitia formalis, quæ in voluntate. ibid.
Citra cujus conſenſum in appetitu ſenſitivo ne veniale quidem reperiri poteſt. ibid.
Motus ſenſualitatis primò primi non ſunt in renatis peccata. p.142.n.16.a
Uti nec in infidelibus & non renatis. ibid.n.17.b
Non ſufficit motus eſſe voluntarios in Adamo. ibid.
Non omnes ſubſunt voluntati noſtræ. ibid. *Vide* Motus.

Peccati Cauſa.

Peccatum habet cauſam deficientem. p.145.n.25.a
Propria illius cauſa eſt voluntas creata. ibid.n.26.
Habitus vitioſi non ſunt cauſa moralis cui peccatum imputetur. ibid.
Uti nec potentia à voluntate diſtincta. ibid.
Quæ ſunt voluntati frequenter occaſio peccandi. ibid. num.27.
Unum peccatum eſt cauſa ſeu occaſio alterius. ibid.b
Cauſæ exteriores ſunt mundus, caro & dæmon. ibid. num. 28.
Deus non eſt cauſa peccati. ibid.

Peccati Effectus.

Triplex effectus peccati. p.146.n.29.a
Primus eſt vulnus naturæ, ſecundus macula. ibid. & n.30. *Vide* Macula peccati.
Tertius effectus peccati eſt pœna. p.148.n.87.b
Quæ ſtrictè ſumpta eſt correlativum culpæ. ibid.
Poteſt Deus infligere mortem temporalem filiis innocentibus ob peccata parentum. ibid.n.38.
Non poteſt id Judex terrenus quantumvis ſupremus. ibid. n.39.
Non ſolet tamen Deus adultis innocentibus infligere mortem ob peccata parentum. p.149.n.40.a
Repugnat divinæ Clementiæ infligi à Deo innocenti perpetuos ignis cruciatus; etſi id fieret citra injuſtitiam. ibid.n.41.b
Cur potiùs poſſit Deus hominem titulo dominii annihilare,quàm ſic torquere. ibid.
An ſaltem poſſet Deus leviter ſic torquere innocentem. ibid.
Unum peccatum eſt pœna alterius. ibid.n.42.
Idq; ratione ſubſtractionis gratiæ,quæ ipſa propriè, & per ſe eſt pœna. p.150.n.42.a
Unum etiam peccatum quà tale eſt pœna latè dicta reſpectu alterius,immo & ſui ipſius. ibid.n.43.

Pecca-

Peccatorum Diſtinctio.

Diſtinctio ſpecifica peccatorum deſumitur ex objecto & circumſtantiis. p.150.n.44.b
Ad illam ſufficit, non requiritur oppoſitio ad diverſam virtutem. ibid.
Diverſitas objecti materialis ſufficit aliquando, non ſemper. ibid.
Diſtinctio ſpecifica peccatorum non rectè arguitur ex eo quòd unum ſit grave & alterum leve. ibid.
Diſtinctio præceptorum circa eamdem materiam, idemq; motivum non cauſat diſtinctionem ſpecificam peccatorum. ibid.n.45.
Etſi ſint præcipientes diſtincti, etiam ex parte juriſdictionis. p.151.45.a
Unde unum committit peccatum, qui vigiliâ incidente in quatuor tempora non jejunat, aut feſto incidente in dominicam non audit ſacrum. ibid.
Aut votum ſæpè repetitum violat. ibid.
Secùs eſt, ſi præcepta reſpiciant diverſum finem intrinſecum aut materiam diverſarum virtutũ. ibid.n.46.
Exemplificatur in variis caſibus. ibid.
Diſtinctio numerica peccatorum eſt moraliter prudenti judicio determinanda in ordine ad confeſſionem. p.152.n.48.a
Peccata opere conſummata, etſi immediatè invicem ſequantur, ſunt plura numero. ibid.n.49.
Declaratur variis caſus enumerando. ibid.
Poſſunt in eodem actu inveniri plures numero malitiæ, in confeſſione explicandæ. ibid.n.50.b
Malitias in eodem actu ſolo numero diſtinctas non eſſe diſtinctè explicandas non rectè cenſuit Lugo. p.153.n.51.a
Cur potiùs peccet unico tantùm peccato detrahens uni corã pluribus, quàm uno actu detrahẽs pluribus. ibid.
An vel quæ ſit differentia inter voluntatem occidendi plures homines & furtum v.g. centum florenorum quoad unitatem numericam peccati. ibid.n.52.b
Actus phyſicè diſtincti, qui ſe habent velut partes unius peccati completi, cenſentur unum numero peccatum. p.154.n.53.a
Specificatur variis allegatis exemplis. ibid.
Actus inchoati cenſentur quid unum cum peccato conſummato, in ordine ad confeſſionem. ibid.n.54.
Niſi habeant malitiam non ſubordinatam & ſpecie diſtinctam ab actu principali. ibid.b
Quid cenſendum de actibus praviis ſine intentione perveniendi ad actum principalem factis. ibid.
Item quid de actibus copulam v.g. continuò conſequentibus. ibid.n.55.
Regula ordinaria pro dignoſcenda morali unione vel continuatione aut diſcontinuatione ſtatuitur prudens judicium. p.154.n.53.a
Ad moralem continuationem peccatorũ externorũ requiritur cõtinuatio interna volũtatis. p.155.n.56.a
Quomodo volũtas interrumpatur. ibid. *vide* Volũtas.

Peccatorum Inæqualitas.

Non omnia peccata ſunt æqualia. p.156.n.59.a
Etiam quæ committuntur adverſùs leges poſitivas. ibid.b
Major peccati gravitas ex oppoſitione ad rationem & gravitate obligationis eſt petenda, & non ſemper ex perfectione oppoſitæ virtutis. ibid.n.60.
Ex peccatis extremè eidem virtuti oppoſitis, illud eſt pejus, quod primario virtutis officio repugnat. p.157.n.61.a

Peccati Diviſio.

Peccatum primò dividitur in actuale & habituale. p.157.n.62.a
Habituale rurſus in originale & perſonale. ibid.b
Secundò in mortale & veniale. ibid.
Tertiò in peccatum cordis, oris, & operis. ibid.n.63.
Quartò in peccatum commiſſionis & omiſſionis. ibid.
Quintò in illud, quod ſpecialiter committitur contra Deũ, contra proximũ, & contra nos ipſos. ibid.n.64.
Sextò in carnale & ſpirituale. ibid.
Septimò in peccatum ex ignorantia, ex infirmitate & ex malitia. p.158.n.65.a
Quid ſit peccare in Patrem, quid in Filium, quid in Spiritum ſanctum. ibid.n.66.b

Peccatum Originale.

Peccatum Originale ad ipſa Fidei fundamenta ſpectat. p.162.n.1.a
Eſt intellectu difficile. ibid.
Negavit illud Pelagius & alii nonnulli Hæretici. ibid.b
Aſſeruit ſemper & in variis Conciliis definivit Eccleſia. p.163.n.2.a
Probatur ex ſacra Scriptura, ſignanter ad Rom.5. ibid. num.3.
Præcludũtur effugia, tũ Pelagii, tum Pelagianorũ. ibid.
Probatur ratione Theologicâ petitâ ex neceſſitate Baptiſmi. ibid.n.4.b
Item Eccleſiæ exorciſmo præcedenti Baptiſmum. p.164.n.4.a
Et ſpecialiter adhuc ex eo, quòd Baptiſmus detur in remiſſionem peccatorum. ibid.
Quæ probatio ampliùs declaratur ſolutione difficultatis ortæ circa baptiſmum Deiparæ Virginis ab originali immunis. ibid.n.5.
Solvuntur objectiones. ibid.n.6.& ſeqq.
Peccatum originale non eſt forma ſubſtantialis. p.165.n.10.b
Nec concupiſcentia ſeu fomes peccati formaliter. p.166.n.11.a
Neque etiam morbida quædam qualitas. ibid.n.12.
Sed probabiliter conſiſtit in privatione juſtitiæ originalis debitæ formaliter. ibid.n.13.b
Quid nomine juſtitiæ originalis & concupiſcentiæ intelligatur. ibid.
Juxta hanc ſententiam concupiſcentia eſt velut materiale peccati originalis. p.167.n.14.a
Quamvis propriè loquendo hæc non ſit peccatum, ſed effectus ſeu pœna. ibid.
Idem videtur de privatione juſtitiæ. ibid.n.15.
Probabilius eſt peccatum originale conſiſtere in peccato Adæ, quatenus moraliter noſtro, & in nobis moraliter manente. ibid.n.17.b
Sola propagatio ſeminalis eſt velut canalis per quem in poſteros originale peccatũ derivatur. p.168.n.19.a
Sola Hevâ peccante non contraxiſſent poſteri peccatum originale. ibid.n.20.
Uti nec ceteri ſuos reſpectivè poſteros infeciſſent. ibid.n.21.b
Ad transfuſionem peccati Adæ requirebatur decretum divinum. ibid.n.22.
Quod Adæ de facto intimatum fuerat, etſi non eſſet id neceſſarium. p.169.n.23.a
Neceſſitatem decreti rejicientes Nonnulli ad naturam rei recurrunt, ſed improbabiliter. ibid.n.24.

Peccatum in poſteros transfuſum fuit prævaricatio mandati Gen. 2. ibid.n.25.b
De ullius alterius peccati, eſto primi, transfuſione nil conſtat fuiſſe decretum. ibid.
An debuerit eſſe opere conſummatum. ibid.
Chriſtus vi conceptionis fuit immunis, ceteros etiam fidelium filios, exceptâ Deiparâ, peccatum infecit. ibid.n.26. *vide* Maria Virgo.
Filii ante peccatum Adæ geniti non fuiſſent veroſimilius infecti. p.170.n.27.a
Indubiè neque is, qui miraculosè formaretur è coſta vel carne filii Adæ. ibid.
Peccatum originale in ſingulis eſt æquale. ibid.n.28.
Inæqualitas in effectibus unde. ibid.
Vacare generationi non fit illicitum ex hoc quòd proles inficiatur peccato. ibid.n.29.

Peccati originalis pœna.

Præcipua pœna hujus vitæ eſt privatio juſtitiæ originalis. p.179.n.58.a
Item quadruplex naturæ vulnus, quod explicatur. ibid.n.59.
Ex originali quoque naſcitur neceſſitas moriendi, ipſaq; mors. ibid.n.60.b
Deinde cetera pœnalitates & miſeria hominum. p.180. n.60.a
Pœna originalis peccati poſt hanc vitam eſt damnatio, ſeu pœna damni. p.180.n.61.a
S. Auguſtinus variis locis aſſerere videtur, quòd inſuper pœna ſenſûs. ibid.n.62.b
Aliis locis de hoc dubitaſſe non ſatis oſtẽditur. ib.n.63.
Multò minùs ullibi oppoſitum docuit. p.181.n.64.a
Dura quidem videtur hæc pœna malitiam univerſalis peccati non perfectè penetrantibus. ibid.n.65.
Nihilominus pœnam ſenſûs negant Scholaſtici communiſſimè cum Magiſtro, D. Bonaventura, D. Thoma, & Scoto. ibid.n.66.b
Conſonat Innocentius III. S. Gregorius Nazianzenus & Ratio. ibid. & p.182.n.66. & 67.a
Objectiones ex Scriptura allegantur & ſolvuntur. ibid.n.68.
Reſpondetur ad authoritatem Auguſtini. ibid.n.69.b
Ex tormentis Chriſti patientis non rectè infertur pœna ſenſûs in parvulis. p.183 n.70.a
Neque ex eo quòd juxta fidẽ deſcendant in infernũ. ib.b
Neque ex doloribus quos frequenter in hac vita patiuntur, nec denique ex ipſa pœna damni. ibid.n.71.
Triſtitiâ omni non carituros, valde probabile eſt. ibid. n.72.
Oppoſitum nihilominus cenſent plerique ſcholaſtici. p.184.n.73.a
Quis erit ſtatus parvulorũ poſt diem judicii. ibid.n.74.
Benigniùs quàm fundatiùs de iis Nonnulli cenſent. ibid.75.b
Corollarium notabile. p.185.n.76.b

Peccatum Mortale & Veniale.

Dantur peccata mortalia, etſi à prædeſtinatis fidelibus vel ſanctis committantur. p.185.n 3.b
Fundamenta hæreticorum evertuntur. p.186.n.4.a
Omnia peccata eſſe ex natura ſua mortalia, ſed ex benignitate Dei venialia, etiam quidam Catholici ſenſerunt. ibid.n.5.
In quo hi differant ab hæreticis. ibid.
Contra omnes aſſeritur & probatur dari peccata ex natura ſua venialia. ibid.n.6.b
Quo ſenſu admitti poſſet pendere à Dei miſericordia, quòd quædam peccata non ſint mortalia. ibid.n.7.
Scriptura ſoli peccato mortali adſcribit mortem & excluſionem à cælo. 7.187.n.8.a
Quo ſenſu in Offertorio Miſſæ defunctorum oret Eccleſia pro liberatione animarum à pœnis inferni & tartaro. ibid.n.9 b
Peccatum veniale ſuperat omnem pœnam in ratione mali, non in ratione demeriti. ibid.n.10.
Non meretur pœnam æternam ob infinitatem perſonæ offenſæ. p.188.n.10.a
Remiſſio culpæ venialis quomodo ſit miſericordia. ibid. n.11.
Verum diſcrimen inter mortale & veniale. ibid.n.12.
Quo ſenſu veniale ſit præter legem & contra conſilium. ibid.n.13.b
Veniale eſt cum mortali univocè peccatum, quod tamen antonomaſticè ſtat pro mortali. p.189.n.14.a
Difficile eſt exactè diſcernere inter mortale & veniale. ibid.n.15.
Tria ad diſcernendum judicia. ibid.
Seclusâ materiæ continuatione venialia quantumvis multiplicata non faciunt peccatum mortale. p.201. n.56.a
Veniale fit mortale dum in eo ſtatuitur ultimus finis ibid.n.57.
Ad quod non ſufficit diſpoſitio habitualis. ibid. b
Item dum fit ob finem graviter malum aut ex contemptu. ibid.n.58. & 59. *vide* Contemptus.
Peccatum veniale fit mortale ratione periculi proximi. p.203.n.66.a *vide* Periculum.
An propoſitum committendi omnia venialia ſit mortale. p.205.n.75.b
Quomodo veniale fiat mortale ratione ſcandali. p.210. n.94.a *vide* Scandalum.
Veniale poteſt reperiri in eo qui habet ſolum originale. p.212.n.107.b
Præceptum ſe convertendi ad Deum per amorem perfectũ primo inſtanti uſûs rationis, quod non extat, gratis admiſſum non obſtaret. p.213.n.108.a
Satisfit authoritati Innocentii III. objici ſolitæ. ibid.
Quo loco puniendi, qui in ſolo originali & veniali decederent. ibid.n.109.
Dantur capaces venialis peccati qui non mortalis, etiam pueri. ibid.n 110.b
Etſi poſſint aliqualiter inter bonum & malum diſcernere ibid.n.111.
Idem eſt de ſemifatuis ac ſimilibus. ibid.
An hi omnes poſſint meritoriè operari. p.214.n.112.a
Juſti per ordinaria auxilia non poſſunt vitare totâ vitâ omnia peccata venialia, p.405.n.12.a
Quomodo equidem ſingula committendo peccent. p.406.n.15.a
Ac de omnibus pœnitere poſſint. ibid.n.16. *vide* Gratiæ ſufficientia.

Peccati mortalis gravitas.

Mortalis malitia nõ eſt ſimpliciter infinita. p.189.n.16.a
Eſt tamen abſolutè valde gravis. ibid.n.17.b
Et ſecundùm quid infinita. p.190.n.17.a
Juſtè nihilominus pro momentaneo quaſi peccato mortali infligi æternam pœnam certum eſt, etſi captu difficile. ibid.n.18.
Æternitas pœnæ non ſatis juſtificatur per culpæ permanentiam. ibid.n.19.
Nec per oppoſiti, ſi non peccetur, præmii æternitatem. ibid.n.20.b

Sed

Sed per ipſius operis vel omiſſionis graviſſimam malitiam. ibid.n.21.
Ex finitate malitiæ mortalis non ſequitur puram creaturam potuiſſe de condigno ſatisfacere pro culpa mortali. p.191.n.22.a
Qualis conſenſus ad peccatum mortale requiratur & ſufficiat. vide Conſenſus.

Peccati mortalis Pœna.

Quæ pœna peccati mortalis. p.214.n.113.a. *vide* Pœna inferni.
Mortalia quoad culpam & pœnæ æternæ reatum ſemel dimiſſa non niſi temporaliter, ſi tamen adhuc aliquid luendum reſtat, puniuntur in damnatis. ibid. n.114.a
Potuiſſet de abſoluta potentia mortale remitti, puniendum æternaliter in caſu recidivi ante reatum non plenè extinctum. ibid.n.115.
Cum culpa mortali ſemper reatus pœnæ æternæ remittitur. p.425.n.39.b
Plerumque tamen pœna æterna in temporalẽ mutatur. ibid.n.40. *vide* Peccati remiſſio. Peccati effectus.

Peccati venialis Pœna.

Pœna venialis peccati quæ in hac vita. p.214.n.116.b
Quæ in altera. p.215.n.117.a. *vide* Pœna purgatorii.
Veniale non niſi temporaliter punitur in damnatis. ibid.n.118.
Qui quantùmvis involuntariè tamen verè ſatiſpatiuntur pro venialibus, uti pro mortalibus. ibid. n.119.b
Nec obſtat maculæ venialis permanentia, aut ipſorum peccatorum actualium extra ſtatum demerendi continuatio. ibid.n.120.
Refrigerii proinde ex ceſſatione pœnarum temporaliũ oriundi damnati ſunt capaces. p.216 n.121.a
Quantùmvis in inferno nulla ſit redemptio. ibid.
Et quodam ſenſu nulla pœnarum mitigatio. ibid.b

Peccati mortalis Remiſſio.

Peccatum eſt abſolutè compatibile cum gratia ſanctificante. p.421.n.23.a. *vide* Gratia ſanctificans.
Abſolutè loquendo poſſet remitti mortale peccatum ſine phyſica mutatione peccatoris. p.423.n.29.a
Non tamen ſine mutatione morali. ibid.n.30.
Peccatum perſonale manet moraliter donec retractetur. ibid.b
Peccatum non eſt formaliter privatio gratiæ. ib.n.31.
Et quamvis eſſet moralis privatio gratiæ, equidem tolli poſſet citra phyſicam peccatoris mutationem. ibid.
De potentia ordinata nequit unum mortale remitti ſine altero. p.424.n.36.b
Secus eſt de potentia abſoluta. p.425.n.37.a
Nõ tãtùm ſi condonatio fieret per extrinſecã condonationẽ, ſed etiã ſi fieret mediãte gratiæ infuſione. ibid.
Quo caſu homo talis non eſſet ſimpliciter juſtus & amicus Dei. ibid.
An poſſet de abſoluta potentia tali reſtitui jus ad vitam æternam. ibid.n.38.
Cum culpa mortali ſemper reatus pœnæ æternæ remittitur. p.425.n.39.b
Plerumque tamen pœna æterna mutatur in temporalem. ibid.n.40.
Quam etiam in hac vita poſt culpam remiſſam Deus ſæpè legitur inflixiſſe, ibid.
Idq́; congruentiſſimè Deus ordinavit. p.426.n.41.a
Pœna temporalis relicta non ſemper eſt æqualis. ibid. n.42.
Juxta Nonnullos tollitur pars pœnæ temporalis vel aliquando tota vi contritionis per modum condignæ ſatisfactionis. ibid.n.43.b
Hoc tamen non probatur, ibid.
Unde diſpar contritio per modum diſpoſitionis congruæ ſolùm facit ad diſparem taxam pœnæ temporalis. ibid.n.44.
Nonnulli cenſent ad diminutionem vel extinctionem pœnæ temporalis conducere cõtritionẽ eatenus ſolùm, quatenus poſt juſtificationẽ cõtinuatur. ibid.n.45.
Sed hoc improbatur. p.427.n.45.a
De abſoluta potentia poſſet remitti culpa mortalis remanente integro pœnæ reatu. ibid.n.46.
Sicut de facto poſt mortem remittitur interdum culpa venialis. ibid.
Eſtq́; hoc verum, etiam de remiſſione facienda per infuſionem gratiæ. ibid.
Peccata ſemel remiſſa numquã redeunt. p.427.n.47.b
Quo ſenſu ſcriptura dicat Deum recordari peccatorum. p.428.n.49.a
Objicitur famoſa Chriſti parabola de ſervo immiſericorde. ibid.n.50.
Variè ad eamdem reſpondetur. ibid.n.51.
Reſpõdetur etiã ad teſtimonia patrũ objecta. ibid.n.52.b
De abſoluta potentia eſſe potuiſſet alius remittendi modus, juxta quem peccata poſſent redire per ſubſequentia, quoad reatum pœnæ. p.429.n.53.a
Immo probabiliter etiã quoad reatum culpæ. ibid.n.54.

Peccati venialis Remiſſio.

Peccata venialia verè etiam quoad culpam deleri ſeu remitti poſſunt. p.448.n.65.b
Non ſolùm in hac, ſed etiã in altera vita. p.449.n.66.a
Non quidem per meram pœnæ ſolutionem. ibid.n.67.
Sed per extrinſecam condonationem in inſtanti primo poſt hanc vitam. ibid.
Veroſimiliter non neceſſariò interveniente cooperatione liberâ animæ ſeparatæ, ibid.
Plures tamen retractationem (quæ indubiè non deficit) exigunt. p.449.n.68.b
Sive tamquam formam deletivam macularum. ibid.
Sive tamquam ſatisfactionem condignam. ibid.
Sive tamquam nudam obicis ſublationem. ibid.
In præſenti vita diverſimodè delentur intrà & extra Sacramentum. ibid.n.69.
Non remittuntur permanenti in malo ſtatu. ibid.
Etſi quidam contradicant. p.450.n.69.a
Diſpoſitio ſufficiens extra Sacramentum eſt contritio charitate perfecta ad illa delenda ad quæ ſe extenderit. ibid.n.70.
Idem dicendum de dilectione perfecta, quæ ſit implicita retractatio culpæ venialis. ibid.n.71.
An ſola attritio in juſto ſufficiat, controvertitur. ibid. n.72.
Opinio inter affirmãtem & negantẽ media. ibid.n.73.b
An & quæ alia opera juſtorum ſufficiant ad remiſſionem culparum venialium. ibid.n.74.
Quid cenſendum de Sacramentalibus remiſſivè. p.451. num.74.a
Gratia ſanctificans non eſt formaliter remiſſiva peccatorum venialium. ibid.n.75.
Etſi horum remiſſionem concomitetur in hac vita nova gratiæ infuſio. ibid.
Neque etiam retractatio eorumdem eſt formaliter remiſſiva. ibid.n.76.b

Sed potiùs condigna ſatisfactio ex divina acceptatione. ibid.n.77.
Aut ſanè diſpoſitio congrua ad condonationem Dei extrinſecam. ibid.

Pelagius.

Pelagii patria & qualitates. p.371.n.1.a
Exordia hæreſis Pelagianæ. ibid.n.2.
Pelagium necdum condemnatum ſcriptis Quinam confutarint. ibid.
Pelagius in Synodo Palæſtina accuſatus palinodiam fictè canens abſolvitur. ibid.n.3.
Sed à Conciliis Africanis & Romanis Pontificibus pertinax hæreſiarcha damnatur. ibid.b
Acta contra Cæleſtium. ibid.n.4.
Juliani conditiones. p.372.n.5.a
Scripta calumnioſa ejus contra S. Auguſtinum, qui illa refutavit, ibid.
Pulſus Epiſcopatu confert ſe ad Neſtorium. ibid.n.6.
Et cum eodem rurſus hæreſis pelagiana à Synodo generali Epheſina damnatur. ibid.
Sedem Epiſcopalem per fallaciam fruſtrà recuperare ſatagens miſerè tandem perit. ibid.b
Hæreſis Pelagiana in quo conſiſtat. p.372.n.7.b
Quid nomine gratiæ intellexerit Pelagius. ibid.
Remiſſionē peccatorū neceſſariam fatebatur. ibid.n.8.
Sed dandam ex merito operum naturæ. ibid.
An Pelagius tandem agnoverit internum gratiæ auxilium. p.373.n.9.a
Similiter an agnoverit concurſum generalem & immediatum cauſæ primæ. ibid.
Denique an admiſerit gratiam ſanctificantem & habitus infuſos. ibid.
An Cæleſtius & Julianus agnoverint neceſſitatem auxilii interni voluntatis ad opera, non quidem incipienda, ſed perficienda. ibid.n.10.
Plures alii errores Pelagii recenſentur. ibid.n.11.b

Penetratio.

Penetratio corporum poſſibilis eſt. p.45.n.51.b

Peregrinus.

Peregrinus tenetur legibus communibus, & dum ſubeſt ſcandalum particularibus locorum. p.272.n.135.a
Immo etiam per ſe quoad contractus. ibid.n.136.
Ac etiam quoad reliquas materias. ibid.n.137.b
Idq; æquali obligatione. ibid.n.138.
Quod etiam per ſe loquendo ad Religioſos hoſpites eſt extendendum. ibid.
Et potiori jure ad vagos. p.273.n.138.a
Atque à fortiori dum leges domicilii & alieni territorii conveniunt. ibid.n.139.
Vel dum in alieno territorio viget lex communis in loco domicilii abolita. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.n.140.
Sententia eximens peregrinos à ſpecialibus legibus loci eſt probabilis. ibid.n.139.

Periculum.

Quando cenſeatur periculum proximum peccati. p.203.n.67.b
Quomodo pœnitens illud in confeſſione explicare debeat. ibid.
Confeſſarii abſolvere debent manentem in periculo ſeu occaſione remotâ. ibid.n.68.
At in proxima occaſione manentem ſine abſolutione dimittere. ibid.n.69.
Etſi ſit occaſio alicujus peccati mortalis indefinitè. p.204.n.69.a
Cautela pro Confeſſariis dum pœnitens aliquoties fidem fefellit. ibid.
Abſolvi poteſt dum ab occaſione aufertur periculi propinquitas. ibid.n.70.
Vel dum ipſa deſeri non poteſt ob neceſſitatem. ibid.
Quæ cauſa ſeu neceſſitas ſufficiat, relinquitur in particularibus caſibus judicio Confeſſarii. ibid.n.71.b
Quorumdam nimia laxitas taxatur. ibid.
Neceſſitas poteſt eſſe tanta, ut etiam obliget non obſtante periculo. ibid.n.72.
Quid pœnitenti in occaſione, quam non obligatur deſerere conſtituto ſit faciendum. p.205.n.73.a
Quid faciendum Confeſſario ſi pœnitens identidem relabatur. ibid.n.74.
An propoſitum committendi omnia venialia ſit mortale ratione periculi. ibid.n.75.b

Perpetuitas.

Perpetuitas ineſt beatitudini. p.25.n.45.a
Eam non convincit naturalis meritorū conditio. ibid.
Includitur in beatitudine completè ſumptâ. ibid.n.47.b
Non tamen ſumptâ eſſentialiter præcisè, ſed eam conſequitur. ibid.n.48.

Perſeverantia.

Triplex genus perſeverantiæ declaratur. p.401.n.49.a
Vide Gratiæ Neceſſitas.
Non omnes juſti habent donum perſeverantiæ. p.404.n.10.b
Et ſi omnes habeant poſſibilitatem perſeverandi. ibid.
vide Gratiæ Sufficientia.
Quæ ſit differentia inter donum perſeverantiæ & donum confirmationis in gratia. ibid.n.11.

S. Petrus.

S. Petrus conari debuit ad fugam peccati à Chriſto prænuntiati. p.120.n.95.a
S. Petrus fuit reprehenſus à S. Paulo. p.236.n.26.a
Idq; ſeriò eò quòd judaizaret cum ſcandalo. ibid.
An vel qualiter in hoc peccaverit. ibid.

Pharao.

Quomodo Pharao juxta Auguſtinum obdurato corde obtemperare non poterat. p.408.n.22.a

Pœna.

Cur pœna damni exprimi ſoleat per carentiam viſionis. p.19.n.25.b

Pœna Purgatorii.

Eſt fide certiſſimum poſt hanc vitam dari pœnas purgatorii. p.50.n.9.a
Errores hæreticorum. ibid.n.8.
Explicantur quædam loca Scripturæ. p.51.n.12.a
Item quædam loca Patrum. ibid.n.13.b
Incertitudo loci non ſufficeret ad dubitandum de ſubſtantia pœnarum purgatorii. p.52.n.14.a
Animæ in purgatorio patiuntur pœnā ignis. ibid.n.15.
Hoc tamen non eſt de fide. ibid.n.16.b
Patiuntur etiam pœnam damni. ibid.n.17.
Differentia quoad hoc inter lymbum & purgatorium. p.53.n.17.a
Pœna purgatorii eſt gravior omni pœnâ hujus vitæ. ibid.n.18.
An minima pœna purgatorii ſit major maximâ pœnâ hujus vitæ, dubitatur. ibid.n.19.b

Utrâ pœna purgatorii ſit gravior; damni an ſenſûs, eſt incertum. ibid.n.20.
Quid de damnatis. ibid.
Animæ in purgatorio non torquentur à dæmonibus ſaltem regulariter. ibid.n.21.
Quàm diuturna præcisè ſit ſingularum perſonarum aut culparum pœna, non conſtat. p.54.n.22.a
Certum eſt non duraturas ultra diem judicii. ibid.
Conſtat etiam durationem non eſſe æqualem. ibid.n.23.
Nec ordinariâ lege extendi uſque ad diem judicii. ibid.
Poteſt excedere tempus decem aut viginti annorum. ibid.n.24.
Quamquam Deus pœnarum accumulatione poſſit citiùs liberare. ibid.b
Suffragiis Eccleſiæ ante tempus liberari poſſunt. p.54. n.25.b
Per quæ etiam remitti videtur pœnarum acerbitas. ibid.

Pœna Inferni.

Animæ impiorum mox à ſeparatione puniuntur pœnâ infernali. p.55.n.29 b
Quæ eſt inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. p.56 n.30.a
Et in omnibus æterna. ibid.n.31.
Hiſtoriis in oppoſitum ſatisfit, ſignanter fabula de ſalute Trajani refellitur. ibid.n.32.b
Nulla erit in damnatis pœnarum intermiſſio aut per viciſſitudinē aliudve mediū mitigatio. p.57.n.34.a
Duplex eſt pœna damnatorum damni & ſenſûs, ac in quo utraque conſiſtat. p.58.n.37.a
Impii in inferno puniuntur igne corporali. ibid.n.38.b
Immo & anima ſeparata. ibid.n.39.
Ignis infernalis eſt ejuſdem ſpeciei cum elementali. p.59.n.40.a
Erit ſulphureus, intimèq; pervadet corpora. ibid.n.41.
Affliget actione intentionali, ac inſuper valde probabiliter reali. ibid..n.42.b
Erunt in inferno tenebræ & fumus. ibid.n 43.
Cur tenebræ inferni dicantur Matth 8. *exteriores.* p.60.n.43.a
Erit in inferno fletus & ſtridor dentium. ibid n.44.
Et afflictiva dæmonum aliorumq; damnatorum ſocietas. ibid.n 45.
Singuli damnatorum ſenſus ſpecialiter affligentur. ibid. n.46.
An in inferno ſint futuri vermes corporales ib.n.47.b
An ibidē ſit futurum aſperrimum frigus. p.61.n.48.a
Monitio ad Chriſtianos de recolenda frequenter pœnâ infernali. ibid.n.49 b

Pollutio.

An licitum ſit gaudere de pollutione in ſomnis habitâ ob finem bonum. p.194.n.30.a

Pontifex.

Pontifex in nullis juris naturæ præceptis poteſt diſpenſare. p.228.n.52.a
Allegantur in oppoſitum varia exempla. ibid.n.53 b
Reſponſio quorumdam rejicitur. ibid.
Vera reſponſio ad ſingula exempla objecta. p.229 numero 54 a
Poteſtas legiſlativa pro univerſa Eccleſia jure divino reſidet penes Summum Pontificem. p.251.n. 42.a
Unde nullam recipit limitationem. ibid.n.43.b

Potentiæ.

Potentia à voluntate diſtincta an patiantur violentiam p.65.n.15.b

Prædeſtinati.

Explicatur error Prædeſtinatorum. p.376.n.19.b
Errores Prædeſtinatorum reſuſcitarunt Calvinus & alii ſectarii ſuperioris ſæculi. p.377.n.20.a

Prædeterminatio.

Prædeterminatio phyſica tollit libertatem. p.79.n.22.a
Suppoſitâ motione cauſæ primæ debet poſſe voluntas diſſentire, ſi velit. ibid.n.23.b
Et eſſe indifferens etiam ad non actionem, qualis non eſſet ſuppoſitâ prædeterminatione phyſicâ. ibid.n.24.
Effugia recentiorum Thomiſtarum adferuntur. ibid.n.25.
Sed precluduntur. p.80.n.26.b
Oſtenditur exempla à Thomiſtis allegari ſolita non eſſe ad rem. ibid.n.27.
Non faciunt diſtinctionem faciendam inter potentiam liberam impeditam & non impeditam. p.81.n.28.a

Princeps.

An princeps teneatur propriâ lege, & qualiter. p.269. n.121.& ſeqq. vide Legiſlator.
Cenſetur princeps ſolvi Juris ſolemnitis. p.270.n.125 a
Aut ipſe ſe ſolvere, condens v.g. teſtamentum non ſolemne. ibid.
Secùs eſt de teſtamento paſſivo quo princeps à tertio inſtituatur heres vel legatarius, ibid.

Privilegium.

Quid privilegium. p.303.n.53.a
In quo diſtinguatur à lege. ibid.
Nonnulla ſunt veræ leges. ibid.b
Non omne eſt contra jus. ibid.n.54.
Diſtinguitur à diſpenſatione. ibid.
Scriptura non eſt de ſubſtantia privilegii. ibid.n.55.
Privilegium aliud reale, aliud perſonale p.304.n.56.a
Perſonale interit cum perſona; non ſic reale. ibid.
Quid attendendum ad utrumlibet dignoſcendum. ibid.
Quale in dubio cenſendum. ibid.n.57.
Privilegium inſuper aliud temporale, aliud perpetuum. p.304.n.58.b
Cujus ſit concedere privilegium & quibus. ibid.n.59.
Qualiter poſſit privilegiatus uti privilegio extra territorium concedentis. ibid.n.60.
Hinc Corollaria deducuntur. p.305.n.61.a

Privilegii forma.

Forma intrinſeca privilegii eſt voluntas rationabilis concedentis. p.305.n 62 a
Forma extrinſeca ſignum ſenſibile. ibid.
Privilegium aliud datur ad inſtantiam, aliud motu proprio. ibid.n.63.b
Differentia inter utrumque. ibid.64.
Modus ſeu forma conceſſionis ſi ſit ſubſtantialis, & non ſervetur, impedit effectum privilegii. ibid n.65.
Forma privilegii conceſſi ad inſtar, quid operetur. ibid. n.66.
Facultatum pro foro interno conceſſarū, an vel quando ſit uſus extra Sacramentū pœnitentiæ. p.306.n.67.a
Conceſſio privilegii contra jus commune non exigit clauſulam ejus derogatoriam ibid.n.68.

Privilegii Effectus.

Privilegium generaliter non ſortitur effectum, antequam innoteſcat & acceptetur à privilegiato, vel alio ejus nomine. p.306.n.69.a
Secùs tamen fieri poſſet. ibid.b
Signanter in iis, quæ tantùm auferunt onus, immo fortè in his de facto ita fit. ibid.
Acceptatum à procuratore non neceſſariò innoteſcit ipſi privilegiato in ordine ad effectum. ibid.n.70.
Etiamſi is ſit actus ab ipſomet exercendus. ibid.
Varia Corollaria. ibid.n.71.
Utens diſpenſatione quam neſcit; ſicut cujus non recordatur, validè agit, ſed ratione conſcientiæ illicitè. p.307.n.72.a

Privilegiorum Confirmatio.

Confirmatio in forma communi quæ ſit, & quam vim habeat. p.309.n.83.a
Quid Confirmatio ex certa ſcientia & quam vim habeat. ibid.b
Privilegia Franciſcanorum qualiter & à quibus ſint confirmata. ibid.n.84.
Explicatur clauſula: dummodo non ſunt contraria decretis Tridentini. p.310.n.85.a
Satisfit objectioni ex Tridentino deſumpta. ibid.n.86.

Privilegiorum Interpretatio.

Penes quos ſit privilegiorum Interpretatio. p.310. numero 87.b
Dubio exoriente ſunt in favorem Regularium explicanda. ibid.
Quando verba ſunt aperta ſervandus eſt privilegii tenor. ibid.n.88.
Quæ ſint attendenda, ſi verba ſint dubia. ibid.
Privilegia contra jus commune quando reſtringenda, quando non. p.311.n.89.a
Præjudicantia juri acquiſito tertii ſunt reſtringenda. ibid.n.90.
Privilegia non ſunt ob paritatem extendenda ad ſimiles caſus. ibid.n.91.b
Pro quo ſtatuitur regula generalis. ibid.
Varii caſus in quibus extenſio quædam privilegii locum habet. ibid.n.92.

Privilegiorum Ceſſatio.

Privilegium reale deſtruitur, deſtructâ re. p. 312. num.93.a
Datum ob certam connexionem, ceſſat hâc ceſſante ibid.
Temporale ceſſat finito tempore vel actu, perſonale mortuo privilegiato. ibid.
Privilegium non ceſſat morte vel amotione concedentis ab officio. ibid.n.94.
Niſi conceſſio fuerit reſtricta ad vitam aut officium. ibid.
Hoc particulariùs declaratur. ibid.n.95.
An poſſit acceptari poſt mortem concedentis. p.312. n.95 b
An mandatum diſpenſandi expiret morte mandantis. ibid.n.96.
Jura id inſinuantia patiuntur explicationem. ibid.
An vel qualiter ceſſet privilegium per renuntiationem. p.313.n.98.a
Debet hæc renuntiatio fieri ab eo qui renunciare poteſt. ibid.n.99.
Facultas Superiorum Regularium in ſubditos circa uſum privilegiorum Apoſtolicorum. ibid.
Qualiter amittantur privilegia per uſum contrarium. ibid.n.100.b
Admonitio pro privilegiato ad impediendum præſcriptionem contra privilegium & lites vitandas. ibid.
Quod tempus requiratur ad præſcribendum contra privilegium præſertim Regularium. ibid.n.101.
Quid requiratur ut currat præſcriptio. ibid.
Qualiter privilegium amittatur per abuſum. p.314. n.102.a
Qualiter amittatur per revocationem. ibid.n.103.
Privilegia Mendicantium ſunt remuneratoria. ibid. n.104.
Unde ad licitè revocandum ea gravis cauſa requiritur. ibid.b
Multa privilegia ſunt ſpeciali notâ digna, adeòque ſub generali revocatione non comprehenſa. ibid.n.105.
Hoc in variis ſpecificatur. ibid.
Urbanus VIII. revocavit vivæ vocis Oracula. ibid. n.106.b
An contra hanc bullam revocatoriam admittendæ ſint exceptiones. p.315.n.106.a
Non cenſentur hic vivæ vocis Oracula, quæ fiunt per ſignaturam Papæ, fiat. ibid.

Privilegiorum Communicatio.

Quid communicatio privilegiorum. p.307.n.73.a
Convenit Religionibus Mendicantium & pluribus aliis, ſignanter tribus Ordinibus S. Franciſci. ibid.
Quibus etiam communicantur privilegia Societatis Ieſu. ibid.n.74.b
Exceptis ſaltem prohibitivis cõmunicationis. ibid.n.75.
Quin immo ne his quidem exceptis juxta varios Doctores. ibid.
Quibus in privilegiis participent Tertiarii ſæculares. p.308.n.76.a
Quæ reſtrictio ſubintelligatur in communicatione privilegiorum. ibid.n.77.
Reſtrictiones coarctantes privilegium communicantur. ibid.n.78.
Quâ proportione id fiat, oſtenditur ex declaratione Julii II. ibid.
An & qualiter locum habeat communicatio indulgentiarum. ibid.n.79.b
Reſtrictio addita vel ſubintellecta in omnibus privilegiis Societatis non eo ipſo communicatur ceteris Ordinibus. ibid.n.80.
Religioſi communicantes in privilegiis non communicant in pœnis, & prohibitionibus alterius Ordinis. p.309.n.81.a
Privilegium fit communicanti proprium, eoq; ſe tuetur contra primò privilegiatum. ibid.n.82

Promulgatio.

Ad legem requiritur promulgatio. p.219.n.8.b
An illa ſit de eſſentia legis. ibid. *vide* Legis promulgatio.

Purgatorium.

Purgatorium in viſceribus terræ datur. p.49.n.6.b
Purgantur tamen interdum animæ de ſpeciali lege aliis in locis. ibid.n.7.

Animæ

Animæ in Purgatorio ſunt incapaces meriti & demeriti. p.54.n.26. b & pag.453.n.9. b
Vide Suffragium.
Ac omnino certæ de ſua ſalute. ibid.n.27.
Explicantur viſiones apparenter contrariæ. ibidem num. 28. b

R.

Reatus.

Vide Peccati effectus.

Regulares.

Vide Religioſus, Clerici.

Religioſus.

Religioſorum Statuta ſub culpâ non obligantia qualiter ſint leges. pag.277. n.160. b
Quomodo in his pœna reſpondeat culpæ. pag. 278. num.160. a
Hæc ſtatuta nec propriè eſſe leges nec conſilia; item obligare in conſcientia, non tamen ſub peccato Quidam docent. pag.278. n.160. a
Tridentinum præſumit Religioſos ratificaſſe ſuam Profeſſionem, ſi ante quinquennium non reclament. pag.278. n.162. a
Religioſus hoſpes per ſe tenetur regulis locorum per quæ tranſit. pag.272. n.138. b
Religioſi Mendicantes & plerique alii exempti ſunt à juriſdictione quâcumque Ordinariorum. pag.276. num. 154. a
Vide Clerici.
Prælati Religioſorum exemptorum qualiter poſſint diſpenſare. Vide Diſpenſandi Poteſtas.

Remiſſio.

Remiſſio Peccati. Vide Peccati Remiſſio.
Remiſſio pœnæ peccatis debitæ. Vide ibidem.

Reprobus.

Teneretur reprobus ad vitandum peccatum finale, ac damnationem, ſi ei prædicta foret. pag. 120. numero 95. a
An Eccleſia oraret pro reprobo ut tali cognito. ibid. num. 96.
Diſcutitur locus difficilis Auguſtini. ibidem.

Reſcripta.

Reſcripta Principum an obtineant vim legis. pag. 283.n. 183. b

Reſtituere.

Scandalizans alium malo exemplo in materia juſtitiæ non tenetur ad reſtitutionem. pag. 208. numero 86. a

Reſurrectio.

Reſurrectio mortuorum eſt futura. pag.34.n.1. a
Poſſibilitatem ejus ratio convincit, & futuritionem ſuadet. ibid.n.2. b
Reſurgent omnes homines. pag.35.n.5.a
Etiam impii & infantes in originali culpâ decedentes. ibid. n. 6.
Excipiuntur qui jam ad vitam immortalem reſurrexerunt. ibidem b
Reſurgent tamen uti & morientur, juſti qui ſub tempus judicii vivi reperientur. ibid. n.7. b
Qui rapientur obviam Chriſto morte interveniente, ſive in ipſo raptu, ſive ante raptum. p. 36.n.9. a
Manet tamen quòd Chriſtus venturus ſit judicare vivos & mortuos. ibid. n. 10.
Reſurrectionis quæ cauſa materialis, formalis, efficiens, & inſtrumentalis. ibid. n.11.
Item quæ cauſa meritoria & exemplaris. ibid. b
Et quæ miniſterialis. ibid. n. 12.
Qualis futura ſit tuba & vox citatoria. ibid. & p. 37. num. 12. a
An collectio pulverum ſit peragenda per Angelos. ibid. numero 13.
Quo loco ſinguli ſint reſurrecturi. ibid. n.14.
Reſurrectio quo ſenſu futura ſit inſtantanea. ibid. numero 15.
Et quando futura. ibid.n.16. b
Reſurgent mortui in iiſdem corporibus carneis non aëreis, aut ſpiritualibus. pag.38.n.17. a
Quo ſenſu illa ſint futura ſpiritualia. ibid.
Non ſufficiet identitas ſolius formæ in quacumque materia. ibid. n.18. b
Nec ſoli corpori, ſed & ſingulis membris ſua propria reſtituetur materia. ibid. n.19.
Quomodo identitas corporum ſalvanda ob Anthropophagos. ibid. n. 20.
Reſurgent Beati in corpore omnino perfecto. pag.39. numero 21. a
Remanebunt cicatrices Martyrum. ibid. n.22.
Nec erunt ulla membra ſuperflua. ibid. n.23. b
Nequidem capilli, ſecùs eſt de meris excrementis, ac ſemine. ibid. n.24.
Corpora reproborum erunt integra. ibid. n. 25.
An in iis futura ſit debita partium diſpoſitio. pag. 40. n. 26. a
Reſurgent omnes in perfecta ætate. ibid. n. 27.
Manebit ſtaturarum & colorum differentia. ibid. numero 28. b
Uti & ſexuum. ibid. n.29.
Sanctorum corporum reſurgentium dotes. Vide Dos.

Reus.

Reus damnatus ad mortem aut mutilationem licitè fugit. p.320.n.19. a
Et carcerem effringit. ibid.
Quamquam ſententia ſit juſta, & vim ſuam reſpectu rei habeat. ibid.n.20.
An reus id agens teneatur ad reparationem damni Reipublicæ illati. ibid. b
An ejuſmodi reo poſſit fuga conſuli. ibid. n.21.
Quid poſſit, & ad quid teneatur reus ante ſententiam ferendam. Vide Lex pœnalis ante ſententiam Judicis.
Ad quid teneatur poſt latam ſententiam. Vide Lex pœnalis poſt ſententiam Judicis.

Rota Romana.

An deciſiones Rotæ Romanæ obtineant rationem Legis. pag.283.n.185. b

S.

Sacrum.

Vide Miſſa.

Sancti.

Vide Beati.

Sanctitas.

Sanctitas operantis ignorata confert ad meritum. pag. 111. n. 65. b
Non ad augmentum virtuoſitatis, ſeu moralis bonitatis. pag. 112. n. 65. a
Quomodo ad hoc interdum conferre poſſit ſtatus operantis cognitus. ibidem.

Satisfactio.

Satisfactio affinis merito. p. 484. n. 100. b
Vim ſatisfaciendi pro pœna operibus bonis adimunt hæretici, ex falſis fundamentis. ibid. n. 101.
Sed illam tribuit fides Catholica. ibid. n. 102.
Et quidem de condigno juxta communiſſimam Theologorum doctrinam. ibid. n. 103.
Neque ideo meritum gloriæ minuitur. pag. 485. numero 104. a
Omne opus meritorium eſt ſimul ſatisfactorium pro pœna. ibid.
Non poſſumus condignè tollere vel impedire pœnas hujus vitæ, quas interdum Deus abſolutè vult inferre. ibid. nu. 105.
Neque etiam per quodvis opus ſatisfacere pro integro reatu pœnæ quantumlibet magnæ. ibid.
Ad condignam ſatisfactionem neceſſaria eſt divina promiſſio ſeu acceptatio. ibid. n. 106.
Non requiritur intentio ſatisfaciendi. p. 485. n. 107. b
Simile quid in humanis declaratur. ibid.
Opera etiam præcepta ſunt ſatisfactoria. ibid. n. 108.
Requiritur tamen indigentia, & juxta pleroſque ſtatus gratiæ. ibid.
Ad Orationem, Jejunium, & Eleëmoſynam cetera opera ſatisfactoria revocantur. pag. 486 n. 109. a
Quanti valeat patiens tolerantia adverſitatum divinitùs immiſſarum. ibid.
Præſente ſcilicet actu, quo voluntariè de manu Domini accipiuntur. ibid. n. 110.
Quo poſito putant Nonnulli etiam ipſam externam paſſionem ſeu flagella habere vim ſatisfaciendi ſpecialem. ibid. n. 111.
Quod improbatur, veraq; doctrina ſtatuitur. ibid.
Flagella concurrunt ad ſatisfactionem, quatenus ſecundùm aliquid pendent à voluntate. p. 486. numero 112. b
An vel qualiter valeant per modum ſatiſpaſſionis. ibidem.
An præter ſatisfactionem condignam in hac vita locus ſit ſatisfactioni de congruo. ibid. n. 113.
An & qualiter poſſimus ſatisfacere pro aliis vivis & defunctis. pag. 487. num. 115. & *ſeqq.*
Vide Suffragium.

Scandalum.

Quid ſcandalum propriè, ſeu activum. pag. 205. numero 76. b
Quid ſcandalum paſſivum. pag. 206. n. 76. a
Quid cenſendum de actibus publicis de ſe ſcandaloſis. ibid. n. 77.
Scandalum activum aliud per ſe, aliud per accidens. ibid. n. 78.
Scandalum paſſivum aliud eſt datum, aliud acceptum. ibid.
Item ſcandalum aliud eſt generale, aliud ſpeciale, eſtq; hoc peccatum diabolicum. ibid. n. 79. b
Denique aliud directum, aliud indirectum. ibid.
Scandalo indirecto Nonnulli annectunt omiſſionem correctionis fraternæ. ibid.
Scandalum certò eſt peccatum per ſe loquendo ex genere ſuo mortale. pag. 207. n. 80. a
In ſcandalo etiam generali reperitur malitia ſpecialis contra charitatem proximi. ibid. n. 81.
Specialiter tamen reperitur adhuc in ſcandalo ſpeciali. ibid. n. 82. b
An proinde conſulens alteri homicidium graviùs peccet ipſo homicidâ. ibid. n. 83.
Scandalum activum datum juſſu vel conſilio præter malitiam operis in ſe, participat malitiam operis alieni, & alteram contra charitatem. ibid. n. 84.
Idem probabile eſt in ſcandalo dato per pravum exemplum. pag. 208. n. 85. a
Citra tamen obligationem reſtituendi ſi detur in materia juſtitiæ. ibid. n. 86.
Solam nihilominus tunc ineſſe malitiam contra charitatem eſt probabile. ibid. n. 87. b
Non excuſat à ſcandalo quòd proximus aliundè foret habiturus occaſionem. ibid. n. 88.
Neque quòd ſit ad peccandum paratus ſive habitu, ſive actu. ibid. n. 89.
Idq; licèt quis petat rem indifferentem, aut de ſe bonam, quam tamen certò ſcit cum peccato præſtandam, ſi abſit cauſa. ibid.
An vel quomodo in peccatis, quæ fiunt cum complice explicanda ſit inductio. pag. 209. n. 90. a
In illis peccatis utrumque complicem peccare duplici peccato eſt probabile. ibid.
Ad quid teneatur proximo, qui ſine dolo vel metu eum ſcandalizavit. ibid. n. 91. b
Ad quid verò ſi intervenerit fraus vel metus. ibid. numero 92.
Ad quid denique etiam citra fraudem & metum obligetur interdum etiam alicui tertio. ibid. n. 93.
Opus veniale fit mortale ratione ſcandali, quando proximus inde ſumit probabilem occaſionem peccati mortalis. pag. 210. nu. 94. a
Secùs ſi ſolius venialis etſi à ſcandalizante directè intenti. ibid.
Cui non obſtat gravitas nocumenti peccatum veniale conſequentis. ibid. n. 95.
Excipe, niſi intenderetur levis ruina ſpiritualis ex odio Dei. ibid.
Opus indifferens fit mortale ratione gravis ſcandali, niſi juſta cauſa excuſet. pag. 210. n. 96. b
Quæ cenſeatur juſta cauſa. ibid. n. 97.
Caſus in quibus excuſat titulus ſubjectionis, ſeu ſervitii. ibid. n. 98.
Alii in quibus urgentior cauſa eſt neceſſaria. ibid.
In miniſteriis propinquè ſubſervientibus peccatis injuſtitiæ urgentiſſima cauſa requiritur. pag. 211. numero 99. a
Quid liceat Chriſtianis captivis in Turcarum triremibus, aut exercitu. ibid. n. 100.

Qualiter

Index Rerum.

Qualiter ſit agendum in venditione illarum rerum, quæ regulariter ad malum uſum deſtinantur. ibid. numero 101.
Qualiter in ſubminiſtratione illarum, quæ plerumque deſtinantur ad uſum non malum. ibid. n. 102. b
An vel qualiter ſint ob ſcandalum omittenda opera bona. ibid. n. 103.
Omittenda interdum opera etiam aliàs præcepta ob ſcandalum. pag. 212. n. 104. a
Quidam caſus inde reſolvuntur. ibid.
Nonnullis oppoſitum docentibus non favet cap. 2. de Novi operis Nunciat. ibid. n. 105.
Regula Generalis. ibid. n. 106. b

Scotus.

Scotus fuit primarius promotor Doctrinæ de Immaculata Conceptione. pag. 173. n. 37. b
Non negat habitus vel actus in ſubſtantia ſupernaturales. pag. 397. n. 35. b

Scrupulus.

Quid Scrupulus. pag. 135. n. 44. a
Vide Conſcientia ſcrupuloſa.

Securitas.

Securitas Beatorum. pag. 25. n. 46. a
Includitur in beatitudine completè ſumptâ. ibid. numero 47. b
Non tamen ſumptâ eſſentialiter præciſè. ibid. n. 48.

Semipelagiani.

Semipelagianiſmi exordium & error. pag. 374. numero 12. a
Mortuo S. Auguſtino acriùs inſtauratur. ibid. numero 13. b
Sed contra inſurgunt SS. Hilarius & Proſper, ac præſertim Cæleſtinus Papa. ibid. n. 14.
Capitula ab hoc Pontifice definita ſummariè recenſentur. pag. 375. n. 14. a
Evaſionem quorumdam Semipelagianorum precludit S. Proſper. ibid. n. 15.
Gelaſius Papa Pelagium ejuſq; Reliquias inſectatur. ibid. n. 16.
Poſt Gelaſium Horſmiſdas Papa. pag. 375. n. 16. b
Poſt hunc Felix Papa IV. ibid. num. 17.
Quid contra Pelagianos & Semipelagianos doceat Eccleſia Catholica. pag. 376. n. 18. a

Sponſus.

Illicitum eſt Sponſis delectari de copula conjugali futura. p. 195. n. 34. a
Licitè tamen futuram deſiderant, etiam efficaciter. ibid. n. 35. a

Statuta.

Statuta Religioſorum. Vide Religioſi.

Subſiſtentia.

Cur potiùs natura creata ſubſiſtentiâ increatâ ſubſiſtat, quàm intellectione increatâ intelligat. pag. 14. numero 5. a

Subtilitas.

Vide Dos.

Suffragium.

Suffragium quid. pag. 487. n. 115. a
Suffragari poſſumus aliis vivis & defunctis. ibid.
Idq; per modum ſatisfactionis ſeu ſolutionis pro pœna. ibidem.
Et quidem condigna juxta probabilem multorum ſententiam. ibid. n. 116. b
Quæ tamen inefficaciter probatur. ibid.
In proximo indigentia & communiter ſtatus gratiæ requiritur. ibid. n. 117.
Debetq; opus ſatisfactorium ei antecedenter applicari. ibidem.
Ad quod ſufficit intentio habitualis. ibid.
Poteſt applicari tota vel ex parte, uni vel pluribus. pag. 488. n. 117. a
An valeant ſuffragia aliis ad remiſſionem pœnarum etiam per modum puræ impetrationis. ibid. n. 118.
Suadetur ex ſuffragiis Sanctorum & Eccleſiæ. ibid.
Evaſioni cuidam occurritur. ibid. n. 119.
Non ſequitur purgatorium brevi precibus Sanctorum fore evacuandum. ibid. n. 120.
Suadetur eadem doctrina ex praxi fidelium. pag. 488. n. 121. b
Occurritur tacitè objectioni. ibid.
Quid præſtent Litteræ Confraternitatis, quas Prælati Religionum amicis concedunt. ibid. n. 122.
Non valent per modum indulgentiæ. ibid.
Neque per eas directè applicantur ſubditorum Satisfactiones independenter ab eorum intentione. pag. 489. n. 122. a
Sed interveniente ſaltem generali & habituali eorum intentione. ibid. n. 123.
Deinde valent in ordine ad impetrationem. ibid.
Idq; dupliciter, directè ſcilicet & indirectè. ibid. numero 124.
An eo fructus hic ſit minor, quo pluribus fit communicatio. ibid. n. 125. b

Supernaturale.

Actus & habitus ſupernaturales in ſubſtantia non negant antiqui Scholaſtici. pag. 393. n. 35. b
De ſupernaturalitate actûs nequit haberi certitudo. pag. 448. n. 61. a

Suſpenſio.

Quid Suſpenſio generatim. pag. 339. n. 60. b
Quid ſuſpenſio cenſura. pag. 340. n. 60. a
In quo differat à ceteris cenſuris. ibid.
Cadit in ſolos Clericos. ibid.
Sub quibus etiam communitas Eccleſiaſtica comprehenditur. ibid. n. 61.
Quædam ſuſpenſiones non ſunt cenſuræ. ibid. n. 62.
Suſpenſio eſt multiplex. ibid. nu. 63.
Quâ formâ ſit ferenda. pag. 340. n. 64. b
Suſpenſus ab officio abſolutè arcetur ab omni functione Clericis propriâ. ibid. n. 65.
Suſpenſus ſpecialiter ab Ordine, non eſt ſuſpenſus à juriſdictione; vel contrà. ibid. n. 66.
Suſpenſus à ſolo officio non cenſetur ſuſpenſus à beneficio. ibid. n. 67.
Illicitè tamen tali beneficium conferretur. pag. 341. numero 68. a
Suſpenſus abſolutè à ſolo beneficio privatur adminiſtratione & fructibus illius. ibid. nu. 69.
Veroſimiliùs tamen non jure eligendi aut conferendi, etſi competente ratione beneficii. ibid.
Suſpenſus à beneficio an & quas diſtributiones poſſit percipere. ibid. n. 70.

Suſpenſus indefinitè à beneficio, cenſetur ab omni ſuſpenſus. pag. 341. n. 71. b
An id ſit cenſendum, quando Epiſcopus Clericum etiam alibi beneficiatum ſimpliciter ſuſpendit. ibid.
Suſpenſus à beneficio uſurpatione fructuum non fit irregularis. ibid. n. 72.
Suſpenſus etiam denuntiatus non aliter eſt vitandus, quàm quatenus ejus peccato vetamur cooperari. ibidem n. 73.
An & quando Appellatio impediat ſuſpenſionem. ibid. n. 74.
Quis poſſit abſolvere à ſuſpenſione juris, aut latâ per ſententiam generalem. pag. 342. n. 75. a
Quis à ſuſpenſione ſpecialiter latâ. ibid. n. 76.
Quid circa eam poſſint Confeſſarii Mendicantes. ibid.
Quæ forma abſolutionis à ſuſpenſione. ibid. n. 77.

T.

Tactus.

Tactus inhoneſti pravii facti ex intentione copulæ, aut eam concomitantes, in hac explicata involvuntur. p. 154. n. 54. a
Quid cenſendum de illis ſine tali intentione interpretativa factis. ibid. b
Item quid de tactibus copulam ſubſequentibus. ibid. numero 55.

Tentatio.

Nequit homo lapſus ſine ſpeciali gratia tentationi gravi reſiſtere. pag. 396. n. 28. a
Reſponſiones ad Auctoritates hoc probantes rejiciuntur. ibid.
Impoſſibilitas iſta eſt moralis fundata in impedimentis naturæ corruptæ. ibid. n. 29.
Seclusâ proinde gratiâ adhuc manet phyſica poteſtas non peccandi. pag. 396. n. 30. b
Gratia cur neceſſaria contra tentationes in præceptis negativis. pag. 397. n. 32. a
Vide Gratiæ Neceſſitas.

Territorium.

Indigenæ non obligantur legibus territorii, dum extra illud ſunt. pag. 271. n. 131. a
Hinc aliqui caſus practici deducuntur. ibid.
Idem habet locum, ſi ſint intrà territorium in loco localiter exempto. ibid. n. 132.
Hujuſmodi non ſunt loca Regularium exemptorum. ibidem. b
Idq; verum eſt etiam in lege communi, quæ extra territorium non ſit in vigore. ibid.
Ac denique in caſu, quo quis iſto ſine extra territorium vadit. ibid.
Nec talis utens jure ſuo videtur dolo facere. ibid.
Debet tamen ſubditus eſſe extra non ſolùm ratione perſonæ, ſed etiam rei circa quam, ipſiuſq; operationis. ibid. n. 133.
Cur potiùs præcepta perſonalia perſonam comitentur ubivis, quàm leges. pag. 272. n. 134. a

Teſtis.

Teſtis interrogatus de pluribus rebus & articulis ſub juramento, ac in omnibus pejerans, qualiter peccet. pag. 154. n. 53. a

D. Thomas.

Docuit variis locis immaculatam Conceptionem. pag. 171. n. 31. a
Loca apparenter contraria ſolvuntur. ibid. n. 32. b
Si modò viveret, indubiè ſaltem immaculatam Conceptionem propugnaret. pag. 172. n. 34. a
Vide Maria Virgo.

Tranſgreſſio.

Tranſgreſſio plurium præceptorum, quando ſit multiplicis malitiæ. pag. 150. n. 45. b
Vide Peccatorum diſtinctio.

Tribulatio.

Quanti valeat patiens tolerantia adverſitatum divinitùs immiſſarum. p. 486. n. 109. a
Putant Nonnulli ipſam externam paſſionem ſeu flagella habere vim ſatisfaciendi ſpecialem. ibid. numero 111.
Quod improbatur veriorǵ; doctrina ſtatuitur. ibid.
Tribulationes in juſtis magnum ſunt divini amoris argumentum. ibid.
Quatenus ſecundùm aliquid pendent à voluntate, poſſunt concurrere ad ſatisfactionem. ibid. n. 112. b
An vel qualiter valeant per modum ſatiſpaſſionis. ibid.

Tridentinum.

Tridentinum in Belgio eſſe receptum citra mutationem in materia juriſdictionis refert Zypæus. pag. 267. n. 114. a
Tridentinum in initio quoad reformationem non receptum in Gallia quoad nonnulla fertur cœpiſſe in praxi acceptari. pag. 269. n. 120. a

Triſtitia.

Triſtitia eſt ſolùm paſſio. pag. 20. n. 27. a
Nequit conſiſtere cum gaudio beatifico. ibid. n. 29. b
Etſi de lege ſpeciali in Chriſto aliter contigerit. pag. 21. num. 30. a
Triſtitia damnatorum eſt de carentia ipſius Dei immediatè. pag. 22. n. 35. b

V.

Vagus.

Vagus tenetur legibus loci, in quo eſt. pag. 273. numero 138. a

Venditio.

In venditione illarum rerum, quæ regulariter ad malum uſum deſtinantur, qualiter ſit agendum. pag. 211. n. 101. a
Qualiter in venditione illarum, quæ plerumque deſtinantur ad uſum non malum. ibid. n. 102. b
Vide Scandalum.

Verbum.

Verbum otioſum quid. pag. 102. n. 27. b

Vidua.

Illicitum eſt viduis delectari de copula præterita. pag. 195. n. 34. a
Licitè tamen præteritam approbant. ibid. n. 35.

Violentia, Violentum.

Quid violentum & quomodo differat à coacto. pag. 65. n. 13. a
Violentia cauſat involuntarium ſimpliciter. ibid. numero 14.
Violentiam poteſt voluntas pati in actibus aliarum potentiarum, quibus poteſt imperare. ibid. n. 15. b
Idem eſt de omiſſione eorumdem actuum. ibid.
Non tamen in actibus à ſe elicitis, aut de facto imperatis. ibid. n. 16.
Secùs eſt de actibus ſolitis ab ea imperari. ibid.
Poteſt voluntas violenter impediri, ne ponat actum. ibid. n. 17.
Hac violentia, ſi non ſit omnino ſtricta, ſaltem eſt aliqualis. ibid.
Poteſt voluntas pati violentiam in iis, quæ poteſt recipere. pag. 66. n. 18. a
Nequit voluntas ipſa phyſicè cogi, aut neceſſitari ab ullo agente creato. ibid. n. 19.
Violentia autem potentiis inferioribus facta non præſumitur, niſi probetur. ibid.

Viſio.

An viſio beatifica vi ſuâ excludat peccati maculam. pag. 26. n. 52. b
Viſio ſola non reddit Beatos phyſicè impeccabiles. pag. 27. num. 54. a
Neque determinat phyſicè voluntatem Beatorum ad continuum amorem. ibid. n. 55. b
Objectiones ſolvuntur. ibid. n. 56.
Cur Deus potiùs neceſſitetur ad amorem, quàm homo ex hoc quòd Deum videat. pag. 28. n. 57. a
Viſio Dei determinat moraliter voluntatem Beatorum ad amorem excluſivum peccati. ibid. n. 58. b

Unio.

Varia cum Deo unio recenſetur, & à ratione formalis Beatitudinis excluditur. pag. 12 n. 1. a

Volitio.

Volitio quid. pag. 90. n. 57. a
Alia eſt efficax, alia inefficax. ibid.
Inefficax tam ſimplex quàm conditionata poteſt ferri in impoſſibile cognitum ut tale. ibid. n. 58.
Volitio inefficax conditionata eſt actus præſens voluntatis. ibid. n. 59.

Voluntarium.

Variæ deſcriptiones Voluntarii. pag. 62. n. 1. a
Voluntarium imperfectum competit etiam brutis. ibidem.
Voluntarium ſtrictè ſumptum deſcribitur. ibid. n. 2.
Competit ſolis actibus voluntatis deliberatis. ibid. b
Differentia inter voluntarium & volitum. ibid. numero 3.
Voluntarium aliud eſt tale voluntate propriâ, aliud voluntate alienâ. pag. 63. n. 4. a
Aliud neceſſarium, aliud liberum. ibid. n. 5.
Liberum eſt regulariter neceſſario perfectius in ratione voluntarii. ibid. n. 6.
Voluntarium inſuper aliud eſt directum, aliud indirectum. ibid. n. 7. b
Omiſſio poteſt eſſe voluntaria, etiam directè. ibid. numero 8.
Non tamen, niſi ſit libera. pag. 64. n. 8. a
Poteſt omiſſio eſſe voluntaria, etiam citra præceptum. ibid. n. 9.
An etiam eventus ſubſequens omiſſionem. ibid. n. 10.

Voluntas.

Nequit voluntas pati violentiam in actibus à ſe elicitis, aut de facto imperatis. pag. 65. n. 16. b
Nec ab ullo agente creato phyſicè cogi aut neceſſitari. pag. 66. n. 19. a
Vide Violentia.
Voluntas non neceſſariò ſequitur judicium ultimum intellectûs. pag. 82. n. 31. b
Eſt ipſum liberum arbitrium. ibid. n. 30. a
Adeoque ſola libera. ibid. n. 31.
Eſt libera quatenus activa, non quatenus paſſiva. p. 83. num. 34. a
Vide Liberum Arbitrium.
Non ad omnem actum voluntatis prærequiritur judicium intellectûs. pag. 85. n. 43. b
Quamvis ordinariè prævium ſit. ibid. n. 44.

Voluntatis motivum.

Voluntas movetur ab appetitu ſenſitivo, non ſine prævia notitia intellectûs. pag. 86. n. 46. b
Sed eâ ſuppoſitâ per quamdam ſympathiam. ibid.
Idq; dupliciter. pag. 87. n. 47. a
Voluntas à concupiſcentia non neceſſitatur. ibid. numero 48. b
Voluntas movetur ab objecto metaphoricè, mediante cognitione. pag. 88. n. 51. b
Non tamen ab eo neceſſitatur. ibid.
Non poteſt equidem bonum ut ſic odiſſe, vel malum ut ſic amare. ibid. n. 52.
Quamvis amare poſſit malum ſpectatum ſecundùm rationem boni, ſaltem putatitiam. pag. 89. n. 53. a
Voluntas movetur à Deo partim phyſicè partim moraliter. pag. 89. n. 54. a
Non tamen neceſſitatur, quàmvis poſſet tum per actum à ſolo Deo infuſum, tum per phyſicam prædeterminationem. ibid.
Voluntas humana ab Angelis ſolùm indirectè poteſt moveri. pag. 89. n. 55. b
Vix & ab aſtris. ibid. nu. 56.
Voluntas ceteris potentiis imperat citra phyſicum in earum actus influxum. pag. 92 n. 68. b
Quid certa horum irradiatio operetur in voluntatem. ibidem.

Voluntatis Imperium.

Voluntas poteſt imperare ſibi ipſi. pag. 94. n. 74. a
Ac etiam intellectui. ibid. n. 75. b
Non tamen ut is pro libitu voluntatis præſtet aſſenſum vel diſſenſum, etiam in probabilibus. ibid. numero 76.
Imperat quoque appetitui ſenſitivo, phantaſiæ, & potentiæ locomotivæ. pag. 95. n. 77. a
Locomotivæ quidem deſpoticè, appetitui autem ſenſitivo politicè. ibid. n. 78.
Potentiis ſenſitivis externis, ac etiam vegetativis imperat mediante motivâ. ibid. n. 79. b
Actus equidem ſenſuum aliter adhuc ſunt à poteſtate voluntatis quàm mediante locomotivâ. ibid.

Voluntatis creatæ cum divinâ conformitas.

Multiplex diviſio voluntatis divinæ. p. 118. n. 89. a
Triplex conformitas voluntatis noſtræ cum divina. ibidem. b
Debet voluntas noſtra conformari voluntati divinæ præcipienti. ibid. n. 90.
Non tenetur conformari conſulenti vel approbanti. ibidem.
Nec in volito formali poſitivè. ibid. n. 91.
Uti nec ſemper in volito materiali. pag. 119. n. 92. a
Quamquam id laudabiliſſimum foret, dummodo ſub ratione bona, quâ id à Deo eſt volitum. ibid.
Immo conari nequit ad oppoſitum illius, quod independenter planè & abſolutè Deus vult. ibid. numero 93. b
Niſi tamen hæc voluntas ſit nobis ignota. ibid. n. 94.
Varia inde colliguntur in particulari. pag. 120. numero 95. a
Qualiter diſplicere poſſit voluntati noſtræ, quod divinæ placet. ibid. n. 97. b
Satisfit nonnullis objectionibus. p. 121. n. 98. a

Voluntatis interruptio.

Interrumpitur voluntas interior per retractationem. pag. 155. n. 56. a
Hanc regulam immeritò ſtuduit Lugo in dubium revocare. ibid.
Item interrumpitur voluntas interior per ceſſationem ab actu, & qualem. ibid. n. 57.
An dum breves interruptiones intercurrunt, ſit explicanda duratio. pag. 156. n. 58. a
Notabile quoad hoc pro Confeſſariis. ibid.

Votum.

Qui violat votum ſæpè renovatum tantùm ſemel peccat. pag. 151. n. 45. a
Si dubitas an voveris, non teneris voto. pag. 134. numero 41. b
In dubio an hoc vel illud voveris, tantùm teneris ad id, quod minus eſt. ibid.
Certus de voto, ſed dubius an impleverit, tenetur implere. ibid. n. 42.
Quid ſi conſtet in genere de voto, ſed dubitetur an ſe ad certum caſum extendat. ibid. n. 43.
An in votis parva materia continnentur. pag. 199. num. 52. b. & pag. 200. n. 53. a
Dum Pontifex relaxat votum, non diſpenſat in jure naturæ. pag. 229. n. 54. a

Uſus.

Uſus conſiderari poteſt ut actus imperatus. pag. 93. num. 70. a
Similiter ut elicitus; & eatenus eſt electio, etſi detur electio, quæ non eſt uſus. ibid.

FINIS.

ERRATA POTIORA.

Pag. 14. col. 2. num. 7. in marginali *impoſſibile* l. *per impoſſibile.*
Pag. 19. col. 2. lin. 3. a fine *ubi* l. *ibi.*
Pag. 20. col. 2. lin. 2. a fine *judicatur* l. *indicatur.*
Pag. 27. col. 2. lin. 10. dele:
Pag. 42. col. 2. lin. 5. a fine *pulcherrim ac olorum* l. *pulcherrima colorum.*
Pag. 44. col. 1. lin. 14. *ſemel* l. *ſimul.*
Pag. 61. col. 2. lin. 3. *pectoris* l. *pectori.*
Pag. 63. col. 2. lin. 21. a fine *conjectamur* l. *conjectamus.*
Pag. 102. col. 2. lin. 18. *incrementa* l. *excrementa.*
Pag. 108. col. 1. lin. 13. a fine *malitiam* l. *malum.*
Pag. 122. col. 2. lin. 19. a fine *operantibus* l. *operationibus.*
Pag. 442. col. 1. lin. 6. *ſignificat* l. *non ſignificat.*



ANTVERPIÆ,

Typis PETRI BELLERI.

1660.